This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

164
UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK
900000
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

C. SUETONII TRANQUILLI

OPERA OMNIA, QVÆ EXTANT,

INTERPRETATIONE, ET NOTIS ILLUSTRAVIT

AVGVSTINVS BABELONIVS,

JUSSU

CHRISTIANISSIMI REGIS,

AD USUM

SERENISSIMI DELPHINI.

PARISIIS,
Apud ANDREAM PRALARD, Bibliopolam, viâ Jacobæâ, ad insigne Occasionis.

M. DC. LXXXIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO DELPHINO,

S. P. D.

AVGVSTINVS BABELONIVS.

CAium Suëtonium Tranquillum ſcriptorem politiſſimum Tibi offero, DELPHINE SERENISSIME. Interpretatione & Notis illuſtrandum illum ſuſceperam, ut aliquatenus tua ſtudia olim juvare poſſem; ſed ſero editus in lucem, qui Tibi nequit prodeſſe Liber,

Digitized by Google

idem tuo Filio Sereniſſimo Burgundiæ Duci jam jam uſui eſſe poterit. Regius Puer, quem Galli omnes, quia tuus, & quia Te dignus eſt Filius, unice amant, cariſſimumque habent, cum cæteris artibus quibus ſtuduiſti ſemper Ipſe, tum in primis imitatione tui erudietur. Nulla enim erit hac præſtantior diſciplinâ. Sic ergo continget feliciter Auctori noſtro, ut manibus Regiis pertractandus veniat. Imo, ſi licuerit, auſim affirmare Suëtonium Tibi, SERENISSIME DELPHINE, oblectationi etiam nunc eſſe poſſe. Præſertim vero cum a publicis negotiis, in ſecreta quandoque remotus, otii aliquid impertieris legendis iis, quæ a Iulio Cæſare, atque Auguſto geſta fortiter, vel a Tiberio acute excogitata, eleganter autem, & nitide ſunt deſcripta ab Auctore noſtro. Delectaberis, inquam,

Digitized by Google

cum Italii Cæsaris victorias innùmeras percurrens, Ludovici Magni Parentis tui Victorias quoque percurrere Te merito putabis. Gallias diversis factionibus distractas subegit Cæsar; easdem Ludovicus Magnus incredibili animi magnitudine, summa prudentia in antiquam ditionem redactas pene universas pacavit, atque adeo invictas effecit. Tot tantisque rebus utrinque gestis invicem collatis, SERENISSIME DELPHINE, triumphanti Galliarum imperio gratulaberis, & diffusa per universum orbem Augusti tui Parentis famâ perfrueris, qui sua magnanimitate, clementia, atque humanitate Cæsares ipsos terrarum dominos longe superavit. Innumerabilis hostium multitudo undique collecta depopulationem fertilissimæ nostræ Campaniæ parabat inferre: Sed statim in ipso regni limine oppressa & dissipata est. At-

Digitized by Google

que (ut alia tam multa , qua terra , qua mari , vel in ipsa America , & nuper in Africa prospere gesta prætermittam) Cæsaris celeritati , qua sæpius se magnifice jactavit , Ludovici Magni celeritatem in rebus bellicis conficiendis longissime anteponendam fato suo comprobavit. Iis inhærentem vestigiis , atque etiam sub tanto Patre Principe , amorem , ac delicias generis humani dicere Te non dubitarim. Vale , SERENISSIME DELPHINE.

LUT. PARIS. IDIBUS FEBRUARIIS.
M. DC. LXXXIV.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

AMPRIDEM monitus es, Auctores omnes Latinos tum Poëtas, tum Hiſtoricos, juſſu Regis in uſum Sereniſſimi Delphini Interpretatione & Notis ornandos fuiſſe ſuſceptos a pleriſque viris eruditiſſimis: Mihi vero contigerat illuſtrandus Caïus Suëtonius Tranquillus, qui tandem editus in lucem prodit. Quanta fuerit hujus Scriptoris brevitas atque accurata diligentia, & quam bene de poſteris meritus fuerit, norunt omnes qui lectione hiſtoriarum delectantur. Quæ omnia prætermitto, ut conſilii hujus rationem ego quoque tibi ſubjiciam breviter Ut juvarentur ſtudia Sereniſſimi Delphini magnis impenſis viros doctrina præſtantes accerſivit Ludovicus Magnus, qui laboribus aſſiduis in priſcæ vetuſtatis tenebris clariſſimum lumen præferrent. Quorum vigiliis uti tibi etiam commodè licet beneficio Regis noſtri munificentiſſimi. Sed referenda quoque gratia Nobiliſſimo, atque Illuſtriſſimo Carolo Sanctæ-Mauræo Duci Montauſerii, Viro, & domi, & militiæ præſtantiſſimo: cujus mores, antiquam virtutem, ac fidem vel ſanctior & vetuſtior ætas admirabunda comprobaret. Quo promovente, & mirum in modum moderante adoleſcentiam Sereniſſimi Delphini, cui informando a

Digitized by Google

Rege ſapientiſſimo fuit præfectus, humaniores Literæ floruerunt.

Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Epiſcopum Condomenſem olim, nunc Meldenſem, Jacobum Benignum Boſuëtium audivit Præceptorem Sereniſſimus Delphinus: Vir ille ſacrarum & humaniorum Literarum doctrina eximius lucubrationes noſtras etiam fovit, & promovit. In partem vero ſtudiorum Sereniſſimi Delphini adjunctus Petrus Daniel Huetius, Abbas Alnæus, Vir nobiliſſimus, atque in omni omnino diſciplinarum genere verſatiſſimus, & toti Europæ ſcientia notiſſimus; perficiendæ huic methodo, quam Dux Montauſerius erudiendo Sereniſſimo Delphino excogitaverat, opem præſtitit, atque auxilium attulit præſentiſſimum.

Tot ſapientiſſimis conſiliis, atque optimis artibus inſtructus Sereniſſimus Delphinus is evaſit, qui cæteros ætatis ſuæ Principes animi fortitudine, & prudentia facile ſuperet. In Lucullo tantam fuiſſe ingenii magnitudinem ſcribit Cicero, ut non deſideraverit indocilem vſus diſciplinam. Nam ad Mithridaticum bellum miſſus a Senatu Roma profectus eſt rei militaris rudis: Sed cum totum iter & navigationem conſumpſiſſet partim in percontando a peritis, partim in rebus geſtis legendis, in Aſiam factus Imperator venit. Quanta igitur a Sereniſſimo Delphino laus Imperatoria expectetur? Partim in percontando a peritiſſimo rei militaris Carolo Sanctæmauræo Duce Montauſerii, partim in rebus geſtis legendis pueritiam, atque adoleſcentiam

Digitized by Google

tiam consumpsit. Intellexerat videlicet Sagaciſſimus Moderator Sereniſſimi Delphini pueri mirificam indolem non deſiderare indocilem uſus diſciplinam, ſed in evolvendis Hiſtoricis Imperatorem illum fieri poſſe. Itaque non modo opinionem vicit omnium, quæ de ejus virtute eſt, ſed etiam gloriam Superiorum.

Uſus ſum Commentariis præſtantiſſimi Lævini Torrentii, Doctiſſimi Caſauboni, Beroaldi, & notis peritiſſimi Grævii, atque aliorum, quos paſſim honoris cauſa nominavi. Cujus beneficii memorem me lubentiſſime profiteor. Indicem omnium prorſus verborum hactenus ineditum addidi. Vale.

Digitized by Google

DE SUETONII GENERE, VITA, Studiis, & Scriptis, veterum Auctorum Teſtimonia, item Fragmenta quædam.

C. SUETONII TRANQUILLI VITA.

AVUS.

AVum meum narrantem puer audiebam, cauſſam operis ab interioribus aulicis proditam, quod Thraſillus Mathematicus anxio de ſucceſſore Tiberio, & in verum nepotem proniori, affirmaſſet non magis Cajum imperaturum, quam per Bajanum ſinum equis diſcurſurum. *Suet. Lib.* IIII. *in Caligula de ponte Bajano.*

PATER.

Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, tertiædecimæ legionis tribunus anguſticlavius. Is mox referre crebro ſolebat, &c. *Membranæ veteres non Lenem ſed Lætum patrem noſtri appellant. Lib.* VII. *in Othone, de pugna Bebriacenſi.*

ADOLESCENTIÆ TEMPORA.

Interfuiſſe me adoleſcentulum memini, cum à procuratore frequentiſſimo concilio inſpiceretur nonagenarius ſenex an circunſectus eſſet. *Lib.* VIII. *in Domitiano, de fiſco Judaico. c.* 12.

Denique cum poſt viginti annos adoleſcente me extitiſſet conditionis incertæ qui ſe Neronem eſſe jactaret, tam favorabile nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus, & vix redditus ſit. *Apparet incidere natalem Suetonii in principia Veſpaſiani: non longe certe abeſſe. Lib.* VI. *in Nerone extremo.*

Digitized by Google

EPISTOLARVM MAGISTER SVB ADRIANO.

Septitio Claro præfecto prætorii, & Suetonio Tranquillo epistolarum magistro, multisque aliis, quod apud Sabinam uxorem, injussu ejus, familiarius se tunc egerant, quam reverentia domus aulicæ postulabat, successores dedit. *Ælius Spartianus in Adriani vita.*

De vita studiisque Suetonii, item de amicitia, quæ summa illi cum Plinio intercessit, habes & non contemnenda quædam apud Plinium lib. I. *Ep.* XVIII. *&* XXIV. *lib.* III. *Ep.* VIII. *lib.* V. *Ep.* XI. *lib.* IX. *Ep.* XXXIV. *lib.* X. *Ep.* XCV. *quem vide.*

IVS TRIVM LIBERORVM.

Quam parce hæc beneficia tribuam utique, mi Secunde carissime, hæret tibi, cum etiam in senatu affirmare soleam, non excessisse me numerum quem apud amplissimum ordinem suffecturum mihi professus sum: tuo tamen desiderio subscripsi, & ut scias dedisse me jus trium liberorum Suetonio Tranquillo ea conditione qua assuevi, referri in commentarios meos jussi. *Trajanus Plinio S.*

CATALOGUS LIBB. SUETONII,

ELOGIA ET FRAGMENTA.

C. Suetonius dictus Tranquillus, Grammaticus Romanus scripsit de Græcorum ludis, lib. 1. de Romanorum spectaculis, & ludis lib. 2. de anno Romano, lib. 1. de librorum signis, lib. 1. de Ciceronis Republica lib. 1. Refragatur autem Didymo de nominibus propriis, & formis, vel generibus vestium, & calceorum, & cæteris indumentis, quibus quis induitur. De ominosis verbis, sive maledictis, & unde sit horum unum quodque, de Roma, & ejus institutis, & moribus lib. 2. gentem, familiamque Cæsarum. Continet autem hoc opus & vitas, & successiones ipsorum à Julio usque ad Domitianum lib. 8. stemma, stirpesque Romanorum illustrium. *Suidas* in voce Τραγχυλλο.

ELOGIA OPERVM.

Hæc quidem possunt & apud alios historicos inveniri diffusius, qui tyrannorum atrocitates & exitus miseros plenius scribunt. Quæ si quis diligentius recensere voluerit, legat ea quæ Trogus

Digitized by Google

Pompeius, Josephus, Egesippus, Q. Curtius, Cornelius Tacitus, T. Livius, Serenus & Suetonius Tranquillus, & alii historici, quos enumerare longum est, suis comprehenderunt historiis *Johannes Saresberiensis Policratico, sive de nugis curialium lib.* VIII. *cap.* XVIII.

Minusculos tyrannos scio plerosque tacuisse, aut breviter præteriisse. Nam & Suetonius Tranquillus emendatissimus & candidissimus scriptor, Antonium & Vindicem tacuit: contentus eo, quod eos cursim perstrinxerat. *Flavius Vopiscus. Ac mox;* Et de Suetonio non miramur, cui familiare fuit amare brevitatem.

Et mihi quidem id animi fuit, non ut Salustios, Livios, Tacitos, Trogos, atque omnes disertissimos imitarer viros in vita principum & temporibus differendis: sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargillium Martialem, Julium Capitolinum, Ælium Lampridium, cæterosque qui hæc & talia non tam diserte quam vere memoriæ tradiderunt. *Idem Vopiscus in Probo.*

Sed priusquam de eorum actibus loquar, placet aliqua dicere de moribus atque genere. Non eo modo quo Junius Cordus est prosecutus omnia, sed illo quo Suetonius Tranquillus & Valerius Marcellus. *Julius Capitolinus in Maximo & Balbino.*

Nam si omittantur quæ de titulis dictatoris invicti scripta Patavinis sunt voluminibus, quis opera Suetonii, quis Juvenci Martialis historiam, quisve ad extremum Balbi ephemeridem fando adæquaverit? *Sidonius Apollinaris Epistolarum lib.* IX. *epistola* XIV.

Hanc historiam Suetonius Tranquillus pleniſſime explicuit; cujus nos competentes portiunculas decerpsimus. *Auctor Historiæ Miscellæ libro* VI. *de Julio Cæsare loquens.*

Naturaliter enim Augustus igneos oculos habuisse dicitur adeo ut quidam eques Romanus interrogatus ab eo, cur se viso verteret faciem: dixerit, quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum, sicut ait Suetonius, *Servius in Æneid. lib.* VIII.

DE REGIBVS LIBER.

His longe jucundissimum poëma subdideras, quod de tribus Suetonii libris quos ille De regibus dedit, in epitomen coëgisti tanta elegantia, solus ut mihi videare assecutus quod contra naturam est, brevitas ut obscura non esset. In his versibus ego ista

Digitized by Google

cognovi :

Europamque Asiamque duo vel maxima terræ
Membra : quibus Libyam dubiè Sallustius addit,
Europæ adjunctam : posset cum tertia dici.
Regnatas multis, quos fama oblitterat & quos
Barbara Romanæ non tradunt nomina linguæ
Illibanum, Numidamque, Auelim, Parthumque Vononem.
Et Caranum, Pellæa dedit qui nomina regùm
Quique magos docuit mysteria vana Nechepsi
Et qui regnavit sine nomine mox Sesoostris.

Ausonius Paulino.

DE INSTITVTIONE OFFICIORVM LIBER.

Quod tamen comprobat etiam Suetonius, diversos ponens usus in libro qui est de institutione officiorum. *Priscianus lib.* VI.

PRÆTORVM LIBRI.

Suetonius autem passive protulit in quarto Prætorum. Lætoria quæ vetat minorem annis XXV. stipulari. *Idem libro* VIII.

Suetonius in iiij. Prætorum. Minor vigintiquinque annorum stipulari non potest passive dixit. *Idem libro* XVIII.

Suetonius in viij. Prætorum. Fasti dies sunt, in quibus jus fatur, id est, dicitur, ut nefasti in quibus non dicitur. *Idem lib.* VIII.

DE LVDIS ET SPECTACVLIS LIBER, AVT VARII LIBRI.

Sed de fidibus rarius dictu & mirabiliùs est; quam rem & alii docti viri & Suetonius etiam Tranquillus in libro ludicræ historiæ primo satis compertam esse, satisque super ea constare affirmat, Nervias in fidibus brumali die alias digitis pelli, alias sonare. *A. Gellius lib.* IX. *cap.* VII.

Et quibus Idolis ludos constituerunt, positum est apud Suetonium Tranquillum, vel à quibus Tranquillus accepit. *Tertullianus de spectaculis.*

Primis temporibus, ut afferit Tranquillus, omnia quæ in scena versantur, in comœdia agebantur *cætera vide ibi : quæ Suetonii è libris puto descripta. Diomedes grammaticus lib.* III.

Apud majores theatri gradus tantum fuerunt. Nam scena de ligno tantum ad tempus fiebat; unde hodieque permansit consuetudo, ut componantur pegmata à ludorum theatralium edito-

Digitized by Google

ribus. Scena autem quæ fiebat aut versilis erat, aut ductilis. Versilis tunc erat, cum subito tota machinis quibusdam convertebatur, & aliam picturæ faciem ostendebat. Ductilis tunc cum tractis tabulatis hac atque illac, species picturæ nudabatur interior. Unde perite utrumque tetigit, dicens, *Versis discedat frontibus*, singula singulis complectens sermonibus. Quod Varro & Suetonius commemorant. *Servius in* III. *Georgicorum.*

Ut ait Suetonius Tranquillus, Lusus ipse quem vulgo Pyrrhicam appellant, Troja vocatur: cujus originem expressit in libro *De puerorum lusibus*, ubi fortasse legendum, *De Græcorum l.* ex Tzetze, Suida, & Eustathio. *Idem in* V. *Æneidos.*

Bithus & Bacchius gladiatorum nomina celebrata apud Suetonium, *Commentator vetus Horatii ad Eclogam* VII. *libri primi Satyrarum.*

DE REBVS VARIIS LIBER.

Suetonius in libro de genere vestium dicit tria esse genera trabearum. Unum Diis sacratum, quod est tantum de purpura. Aliud regum, quod est purpureum, habet tamen album aliquid. Tertium augurale, de purpura & cocco. *Servius in* VIII. *Æneid.*

C. Julius Romanus de præpositionibus libro Ἀ'φορμῶν ita refert: Suetonius Tranquillus De rebus variis, Præpositiones, inquit, omnes omnino sunt Græcæ duodeviginti: qui numerus inter omnes Criticos Grammaticos perfecte convenit. *Sosipater Carisius libro* II.

Suetonius Tranquillus proverbium putat dici debere quod ante, vel adverbium, quod post verbum appellatio etiam nomenque ponatur. *Idem paullo ante.*

Suetonius Tranquillus de rebus variis, Præpositiones, inquit, omnes omnino sunt duodequadraginta, qui numerus inter omnes Criticos Grammaticos profecto convenit. *Servius in* VIII. *Æneid.*

Suetonius tria genera pileorum dixit quibus Sacerdotes utuntur, apicem, tutulum, galerum. Sed apicem, pileum sutile, circa medium virga eminente: tutulum, pileum lanatum metæ figura: galerum, pileum ex pelle hostiæ cæsæ. *Idem ad lib.* II. *Æneid.*

DE VOCIBVS OMINOSIS.

Hortatis Dexter, ut Tranquillum sequens, Ecclesiasticos scri-

Digitized by Google

ptores in ordinem digeram: & quod ille in enumerandis gentilium literarum viris fecit illustribus, ego in nostris faciam. *D. Hieronimus in præfatione Catalogi scriptorum Ecclesiasticorum.*

Scripsi librum de illustribus viris, ab Apostolis usque ad nostram ætatem imitatus Tranquillum, Græcumque Apollonium. *Idem in Epistola ad Desiderium tomo* IV.

Annum vertentem Romæ Licinius quidem Macer & postea Fenestella statim ab initio duodecim mensium fuisse scripserunt sed magis Junio Graccano, & Fulvio Varroni, & Suetonio aliisque credendum, qui decem mensium putaverunt fuisse, ut tunc Albanis erat, unde orti Romani. *Censorinus de natali die.*

INCERTA.

Eundem Bassum Suetonius Tranquillus præpositum esse à M. Antonio provinciis orientalibus, Parthosque in Syriam introrumpentes tribus ab eo præliis fusos scribit, eumque primum omnium de Parthis triumphasse, & morte obita publico funere sepultum esse. *A. Gellius lib.* XV. *cap.* IV.

Dicta ulna ἀπὸ τοῦ ὠλένου, id est à brachiis. Unde & λευκώλενος ἠρ. Licet Suetonius ulnam cubitum velit esse tantummodo. *Servius in Eclogam* III.

Quod autem ait, *Victorisque arma Quirini*, non est contrarium nam ut etiam in primo Æneidos diximus, Suetonius Tranquillus hoc de Augusto commemorat, quodam tempore tres partes populi consentiente senatu, obtulisse ei tria nomina: Quirini, Augusti, Cæsaris. Illene unum eligendo, alias offenderet partes, primo Quirinus est dictus: inde Cæsar: post in nomine permansit Augusti. *Idem in* III. *Georgicorum.*

Tranquillus quoque his assentiens, libello suo plenissime ædem inchoatam ita disseruit. *Diomedes Grammaticus libro primo.*

Hirqui autem sunt oculorum anguli, secundum Suetonium Tranquillum, in vitiis corporalibus. *Servius in Eclogam* III.

Nam hirci sunt oculorum anguli secundum Suetonium: &c. *Isidorus Originum lib.* XII.

Tranquillus autem triumphum Latine potius appellatum, quòd is qui triumphans urbem ingrederetur, tripartito judicio honoraretur. *Isidorus Orig. lib.* XVIII.

Tranquillus autem dicit: Dum cujusdam gladiatoris in ludum emissi gladius curvatus fuisset ex acie rectâ, procurrit unus ad eum corrigendum, tumque à pugnante responsum est, sic

Digitized by Google

pugnabo: inde ſicæ nomen datum eſt. *In lib. eodem.*

Rex qui vocabat ad cœnam, ſi ſibi ea res exhibenda indiceretur quam exhibere non poſſet, ideſt, non reſponderet ut Tranquillus refert, iſto viliu hominis erit cœna. *Lego:* erat moris reſpondere, ut Tr. refert, Iſto vilius hodie nobis cœna erit. *Soſipater Chariſius inſtitut. Gram. lib.* II.

Scriptor, librarius, bibliopola, ut veteres dicebant, quod & Tranquillus affirmat. *Commentator vetus Horatii ad carmen de arte poëtica.*

Corycos enim civitas eſt Ciciliæ in qua antrum illud famoſum pene ab omnibus celebratum. Et per tranſitum tangit hiſtoriam memoratam à Suetonio: Pompeius enim victis piratis Cilicibus, partim ibidem, partim in Græciâ, partim in Calabriâ agros donavit. *Servius* IV. *Georg.*

Homo rebellis dicitur: res ipſa rebellio, non rebellatio: Suetonius. *Idem in Æneidos* XII.

Itaque T. Imperator ab exercitu pronuntiatus templum in Hieroſolymis incendit ac diruit; quod à die conditionis primæ uſque ad diem everſionis ultimæ, manſerat annis MCII. Muros urbis univerſæ ſolo adæquavit. DC millia Judæorum eo bello interfecta, Cornelius & Suetonius referunt. *Paulus Oroſius lib.* VII.

Poetæ unde ſint dicti ſic ait Tranquillus. Cum primùm homines exutâ feritate rationem vitæ habere cepiſſent, ſeque ac Deos ſuos noſſe; cultum modicum ac ſermonem neceſſarium commenti ſibi, utriuſque magnificentiam ad religionem Deorum ſuorum excogitaverunt. Igitur, ut templa illis domibus pulchriora, & ſimulacra corporibus ampliora faciebant: ita eloquio etiam quaſi auguſtiore honorandos putaverunt: laudeſque eorum & verbis illuſtrioribus & jucundioribus numeris extulerunt. Id genus quia forma quadam efficitur, quæ ποίημα dicitur, poëma vocitatum eſt, ejuſque fictores poëtæ. *Iſidorus Originum lib.* VIII.

Digitized by Google

C. SVETONI TRANQVILLI

DE XII. CÆSARIBVS.

LIBER I.

A.V.C. DCLXX

DIVUS JULIUS CÆSAR.

CAPUT I.

JULIUS CÆSAR DIVUS, annum agens sextum decimum, patrem [1] amisit [2]: sequentibusque consulibus [3] flamen Dialis [4] destinatus, dimissa Cossutia, quæ, familia equestri, sed admodum dives, [5] prætextato desponsata fuerat, Corneliam Cinnæ quater consulis filiam, duxit uxorem: ex qua illi mox Julia nata est: neque ut repudiaret compelli a Dictatore Sylla ullo modo potuit. Quare & sacerdotio, & uxoris [7] dote [8], & gentilitiis hereditatibus multatus, [9] diversarum partium habebatur: ut etiam discedere e medio, & quanquam morbo quartanæ adgravante, prope per singulas noctes commutare latebras cogeretur, seque ab [10] inquisitoribus pecunia redimere: donec per virgines [11] Vestales, perque Mamercum Æmilium & Aurelium Cottam, [12] propinquos & affines suos, veniam impetravit. [a] Satis constat, Syllam, cum deprecantibus amicissimis & ornatissimis viris aliquamdiu denegasset, atque illi pertinaciter contenderent, expugnatum tandem proclamasse (sive divinitus, sive aliqua conjectura) *Vincerent, ac sibi haberent: dummodo scirent, eum, quem incolumem tantopere cuperent, quandoque optimatium partibus, quas secum simul defendissent, exitio futurum: nam Cæsari multos Marios inesse.*

INTERPRETATIO.

[a] *Satis certum est Syllam, postquam recusasset aliquamdiu viris sibi conjunctissimis, & illustrissimis, atque illi obstinate instarent, denique victum exclamasse (sive instinctu divino, sive aliqua conjectura) consequerentur, ac possiderent, modo scirent, nobilium factionem, quam una tutati essent, aliquando profligandam ab eo, quem salvum esse, adeo exoptarent, in uno enim Cæsare multos Marios existere.*

Digitized by Google

Notæ.

EXistimavere quidam hujus initium operis non extare, cum in vetustis aliquot exemplaribus Cæsaris nomen omittatur: futurum non fuisse arbitrati, ut eadem accuratione non fuisset usus in imperatorum principe Suetonius, qua in ejusdem successoribus. Verum præterquam quod Julia gens vel se ipsa, vel aliorum scriptis jam erat satis cognita; Casaubonus etiam Vitterbiensis codicis, aliorumque fide fretus, hoc principium dedit *Julius Cæsar*, &c. atque ideo negavit esse mutilum

1 *Patrem*] L. Cæsarem virum Prætorium, qui mortè subita cum Pisis mane calcearetur, extinctus est. Auctor Plinius lib. 7. cap. 53.

2 *Sequent. Conss.*] Hoc est sequenti anno. Consulatus enim magistratus erat annuus, unde anni a Consulibus vulgo numerati.

3. *Flamen Dialis.*] Ita nuncupabatur sacerdos Jovis. *Dio's.* Id est Jovis. Horatius Ode. 1. lib 1. *sub Jove frigido* quod Ode 2. lib. 3. *sub Dio* dixit; & Festus *Dium fulgur* pro fulmine diurno, quod Jovi tribuebatur, ut nocturnum Summano. Flamines erant plures, singuli ab eo Deo cui sacra faciebant nomen sortiti v g. Quirinalis, Martialis, &c

4. *Destinatus*] Tantum; nec enim sacerdotio functus videtur, a quo paulo post auctoritate Syllæ remotus est, ita ut nullus ab eo tempore ad Augusti finem flamen Dialis fuerit inauguratus.

5. *Prætextato*] Prætextam adhuc gerenti, proindeque puero; est enim illa vestis puerorum patritiorum, ab eo dicta, quod ipsi purpura prætexeretur, unde & Græcis περιφυρης appellata.

6. *Dictatore*] Sylla primus Romæ perpetuam induit dictaturam, cum semestris ante vix foret ea dignitas.

7. *Dote*] Potitus enim rerum Sylla, non Corneliæ tantum, sed & Cinnæ bona publicavit.

8. *Gentilitiis*] Obvenientibus vel a gente uxoris, vel a sua, Julia scilicet, quæ Julum Æneæ filium sui nominis auctorem asserebat. Gentilitia enim ea dicuntur nomina, quæ Originem Gentis, & familiæ declarant.

9. *Diversarum partium*] Anno a Roma condita 666. ante Christum circiter 88 & sequentibus, in duas factiones potentissimas distracta fuit Romana Respublica Nobilium scilicet, & plebis: illorum Sylla dux erat; hujus vero Marius, Optimatium hoc est Nobilium potentiæ, quoad vixit, infestus: maximis & rebus & muneribus gestis uterque clarissimus. Suspectus autem Syllæ Cæsar ideo fuerat, quod Mario nupsisset Julia Cæsaris amita.

10. *Inquisitoribus*] Cornelio præsertim Phagita, de quo infra cap. 74. Nam deprehensus ab illo duobus se talentis liberavit, auctore Plutarcho in Cæsare.

11. *Vestales*] Deæ Vestæ perpetuo vigil ignis consecrari solebat; cujus custodiæ, ac cultui Virgines e patrum primoribus electæ præficiebantur: quibus, ut eas ad consecrandam libentius Virginitatem invitarent (nec enim nisi 30. postquam captæ fuerant annis nubere poterant) varia indulserunt Romani: tantaque fuit earum auctoritas, ut nobiles, ac ipsi quandoque civitatis principes viri in periculis, delictisque suis Vestales solerent adhibere deprecatrices etiam post eversam Rempublic ut de Messalina Claudii Imperatoris conjuge fertur, quæ Silio nupsisset, de quo in Claudio cap. 26.

12. *Propinquos*] Aurelia C. Cottæ filia Cæsaris mater erat, hinc propinquitas, atque etiam sermonis in eo tam culta venustas: illa enim pure & eleganter loquebatur, ut pote cujus in familia præclari oratores extiterant. Et certe Cottæ, ut oratoris excellentis sæpe Cicero meminit.

Digitized by Google

CAPUT II.

STipendia prima [1] in Asia fecit, M. Thermi Prætoris [2] contubernio: a quo ad accersendam classem in Bithyniam missus, desedit apud [3] Nicomedem, non sine rumore prostratæ regi pudicitiæ: quem rumorem auxit, intra paucos rursus dies repetita Bithynia, per caussam exigendæ pecuniæ, quæ deberetur cuidam libertino [4] clienti suo. Reliqua militia, secundiore fama fuit: & a Thermo in expugnatione [5] Mitylenarum corona [6] civica donatus est. A.V.C. DC. LXXVI.

Notæ.

1. *In Asia*] Minore quæ hodie *Anatolia* & *Caramania* pars maxima: nec enim tota illa orbis quarta pars Romanæ ditionis provincia fuit.

2. *Contubernio*] Contubernium Castrense vocabulum est, qui enim expeditionum Comites iisdem tecti pellibus simul habitabant, Contubernales proprie appellati sunt, unde factum ut qui bellorum duces, aut provinciarum Præsides Comitum numero secuti, atque adeo honestiore loco apud ipsos essent, adolescentes præsertim in eorum tamen agere Contubernio & Contubernales esse dicerentur. Ut hoc & 42. cap. infra, & Vespas. cap. 4. Quin & de simplici cohabitatione *Calig* cap 10. & ad hanc similitudinem servile contubernium, ut apud Jurisconsultos *l.* 14 *ff. de ritu nuptiarum* Senecam lib 3. Controversiarum, & infra in Vespas. cap. 3.

3. *Nicomedem*] Bithyniæ quæ Asiæ minoris Regio est hodie *Bolli* regem, Romanis usque eò addictum ut eorum se libertum quondam appellaverit.

4. *Clienti*] Ex Romuli instituto plebeii quique unius inter primores pro arbitrio selecti, patrocinio fideique se committebant, à quo adversus potentiorum injurias defendebantur, multa vicissim eidem obsequii præstantes officia. De quibus fuse Halicarnasseus lib 3. & alii; illi clientes, hic vero Patronus dicebatur.

5. *Mitylenarum*] Civitas erat in Insula Lesbo, hodie *Metelin.* Maris Ægæi non longe ab Asiâ minore.

6. *Civica*] Corona erat e fronde querna quam imperatoris jussu, Civis Civi dabat ei a quo servatus erat in prælio, accepti signum beneficii. De qua Gellius lib. 5. cap. 6.

CAPUT III.

MEruit & sub Servilio Isaurico in Cilicia, [1] sed brevi tempore. Nam Syllæ [2] morte comperta, simul spe novæ dissensionis, quæ per M. Lepidum [3] movebatur, Romam propere rediit. Et Lepidi quidem societate, quanquam magnis conditionibus invitaretur, abstinuit; cum ingenio ejus diffisus, tum occasioni, quam minorem opinione offenderat.

Notæ.

1. *Cilicia*] Asiæ Minoris regio est. Hodie *Caramania* pars Orientalis.

2. *Sylla morte*] Qui profligatis Marianis usurpata dictatura se tandem abdicavit, ac anno sequenti pediculari morbo periit.

3. *In Lepidum*] Qui Consul de rescindendis Syllæ actis seditiosa molitus Consilia, a Catulo collega urbe pulsus est, & anno sequenti cum exercitu reversus ab eodem Catulo & C. Pompeio victus iterum, & fugere coactus in Sardiniam se recepit, ibique fato functus est.

Digitized by Google

CAPUT IV.

CÆterum compoſita ſeditione [1] civili, Cornelium Dolabellam, conſularem & triumphalem virum, repetundarum [2] poſtulavit: abſolutoque, Rhodum [3] ſecedere ſtatuit, & ad declinandam invidiam, & ut per otium ac requiem, Apollonio Moloni [4], clariſſimo tunc dicendi magiſtro, operam daret. Huc dum hibernis jam menſibus trajicit, circa Pharmacuſam [5] inſulam a prædonibus captus eſt: manſitque apud eos, non ſine ſumma indignatione [6], prope quadraginta dies, cum uno medico [7] & cubiculariis duobus. Nam Comites [8] ſervoſque cæteros initio ſtatim ad expediendas pecunias, quibus redimeretur dimiſerat. [9] Numeratis deinde quinquaginta talentis, [10] expolitus in litore, non diſtulit quin e veſtigio claſſe deducta [11] perſequeretur abeuntes: ac redactos in poteſtatem, ſupplicio, [12] quod illis ſæpe minatus inter jocum fuerat, adficeret. Vaſtante regiones proximas Mithridate [13], ne deſidere in diſcrimine ſociorum videretur, ab Rhodo, quo pertenderat, tranſiit in Aſiam: auxiliiſque contractis, & præfecto regis provincia expulſo, nutantes ac dubias civitates retinuit in fide.

NOTÆ.

1. *Seditione*] A Lepido excitata cap. proxime præcedenti.

2. *Repetundarum*] Pecuniarum ſcilicet, quo nomine omnia quibus divitiæ conſtant, intelligenda veniunt. Si quis in magiſtratu, legatione, vel alio quovis officio indebitum quidpiam exegiſſet, aut corruptus à provincialibus accepiſſet, hoc nomine accuſabatur, & repetundarum dicebatur accuſatus. Quod tamen quam inutile foret ſpoliatæ provinciæ ſatis innuit Juvenal Sat. 1.

Sed tu victrix provincia ploras.

quod ſcilicet adepta cauſa, neque reparato damno, nihil in calamitate levaminis acceperit, utpote cum reus duntaxat in exilium ageretur ſalvis opibus, quas magno provincialium damno congeſſerat.

3. *Rhodum*] Liberalium artium ac oratoriæ præſertim ſtudiis olim commendata eſt, ut patet etiam infra in Tiberio.

4. *Moloni*] Hunc audiverat quoque Cicero. Quidam legunt *Molonis*, filio ſcilicet locutione Græcâ: ſed cum hic Apollonius cognominatus quoque fuerit *Molo* celebrior habita eſt prior lectio. Siquidem Suetonium Romanum Romano more locutum vero ſimilius eſt. Cum tamen duo viri eodem loco nati Alabandæ ſcilicet in urbe Cariæ, eandem artem pari famâ docuerint Apollonius ſcilicet Malacus, quem Molonis filium fuiſſe contendit Caſaubonus; & Molo, ut auctor eſt Strabo lib. 14. ideo factum videtur, ut eos doctiores plerique confunderent; cujus erroris Caſaubonus accuſat Quintilianum lib 3. cap. 1. & lib. 12. cap. 6. Plutarchum in Cicerone, quin & Ciceronem ipſum aliqui: quos tamen quis nunc emendet?

5. *Pharmacuſam*] Inſula eſt Maris Ægæi quæ hodie *Parmoſa* Bellonio, aliis *Farmaco* Cariæ adjacens.

6. *Indignatione*] In ἀγανακτήσει hoc eſt iracundia quæ vulgata vocis illius acceptio? an vero καταφρονήσει hoc eſt *contemptui*? Poſterius mavult Caſaubonus: hoc ſenſu ut piratarum quamvis in poteſtatem redactus Cæſar illos tamen contemptui haberet. Legunt alii *Dignationi* hoc eſt *venerationi*: quo ſenſu vox illa Tacito quoque non ſemel uſurpata; & certe majoris indicium eſt animi; cui accedit etiam quod & Velleii & Plutarchi auctoritate nitatur hæc ſententia, ille quippe lib. 2. *Idem* (Cæſar ſcilicet) *poſtea admodum juvenis cum a piratis captus eſſet, ita ſe per omne ſpatium quo ab iis retentus eſt apud eos geſſit, ut pariter iis terrori venerationique eſſet.* Idem quoque Plutarchus in Cæſare: unde vulgatam non immerito Lectionem hic deſerit Caſaubonus.

7. *Medico*] Legitur in quibuſdam *amico*; quam lectionem tuentur aliqui quod paulo poſt addat *nam ab initio Comites ſervoſque cæteros* &c. inde enim colligunt amicum illum e comitibus unum fuiſſe, quod medici ut

Digitized by Google

plurimum inter servos essent. Quam tamen sententiam longa dissertatione Casaubonus impugnat.

8. *Comites*] Eos intellige e civium numero qui nobilibus & potentioribus adhærebant. Quemadmodum & magistratibus peregre proficiscentibus ut infra cap. 42. unde sub imperatoribus Comites Augusti de quibus Tiber. cap. 46.

9. *Dimiserat*] Hoc est alium alio miserat, non enim privata sua, sed publica civitatum pecunia redemptus est.

10. *Quinquaginta talenta*] Talentorum usus Græcis præsertim familiaris fuit. Multiplex est talentum Atticum scilicet magnum 83. librarum, parvum 60. Euboicum 40. Ægyptiacum 40 Rhodium 500. denariorum & Romanum 70 librarum &c. omnium maxime celebratur ab historicis Atticum parvum Libra autem seu quod idem est, mina & pondo centenis denariis vel drachmis constabat, denarius ipse decem assibus: unde nomen inditum. As vero qui & assis dicebatur nostræ monetæ valuit, ex Budæo, 4. denariolos & pauxillo plus, ita ut duo asses & dimidius qui proprie dicitur Semis, de cem denariolis & dimidio nostratibus æquivaleant; sestertium quoque constituunt hac nota HS, vel ista LLS designari solitum. Hoc posito secundum æstimationem Budæi denarius Romanus qui 10 assium Romanorum est, seu 4. sestertiorum æquabit tres asses nostræ monetæ cum semisse; qua servata proportione libra quæ 100. denariorum Romanorum est faciet nostræ monetæ 17 l. 10 s. quæ summa sexagies repetita dabit 1050 l. quantus est Attici talenti valor; unde cætera quoque exigere in promptu est. Si igitur Cæsar piratis Attica talenta 50. solverit, æstimabitur a nobis missionem redemisse 52500 l. Varie tamen varii denarium Romanum & sestertium nostræ monetæ conciliant Sunt enim qui denarium 7 s. 5 d. æstiment, alii qui sestertium 14 denariolis atque etiam 22. æstiment; unde cum non ita promptum sit fixum quid hac super re statuere, Budæum sequi satius videtur, ut pote qui materiam hanc tam docte quam laboriose tractarit.

11. *Classe deducta*] E portu in altum ducta.

12. *Supplicio afficeret*] Aiunt Cæsarem jugulandos jussisse piratas illos & cruci deinde suffigendos, quoniam dum in eorum potestate foret, suffixurum se juraverat infra cap. 74.

13. *Mithridate*] Ponti rex erat a Sylla, Lucullo, Pompeio aliisque Romanis ducibus toties victus.

CAPUT V.

TRIBUNATU[1] militum, cui primus Romam reverso per suffragia populi honor obtigit, auctores[2] restituendæ tribunitiæ[3] potestatis, cujus vim Sylla deminuerat, enixissime juvit. L.[a] etiam Cinnæ,[4] uxoris fratri, &, qui cum eo civili[5] discordia Lepidum secuti, post necem consulis ad Sertorium[6] confugerant, reditum in civitatem rogatione[7] Plotia confecit, habuitque & ipse super ea re concionem.[8]

INTERPRETATIO.

a *Per legem plotiam obtinuit quoque reditum in urbem Lucio Cinna fratri uxoris, & aliis qui in dissensione civili stantes cum eo a partibus Lepidi, se receperant ad Sertorium post mortem consulis* ejusdem Lepidi.

NOTÆ.

1. *Tribunatu militum*] Legunt alii *Tribunus militum*: quod melius videtur. Tribunorum autem ejusmodi, duo genera: alterum eorum qui comitiis designabantur a populo, qua ratione creatus Cæsar hic dicitur; alterum eorum qui ab imperatore in exercitu Rufuli a Consule quodam, nomine *Rufus* appellati, quod eos primus ita creandos instituisset: de illo gradu militari, qui etiam ad Senatorium ordinem gradus erat ut patet ex Senec. Epist 47 plura videsis apud Sigonium lib. 2 de Antiq. jure provinciarum cap. 2. & Lipsium lib. de militia 1. Dialog. 9.

2. *Auctores*] Pompeium præsertim ut tra-

Digitized by Google

dit lib. 2. Velleius, quo nomine postea multum tribunos criminatus est. Infestiorem enim illis habuit propemodum neminem, ut infra patebit.

5. *Tribunitia potestatis*] Hoc est tribunorum plebis. Cautum enim a Sylla fuerat, ne qui tribunus plebis fuisset, ad magistratum amplius ullum admitteretur, ne legum ferendarum vim haberet &c.

4. *L. etiam Cinna*] Ejus qui quater Consul fuerat, filio atque ideo Corneliæ fratri ut patet ex cap. 1.

5. *Civili discordia*] Catulum inter & Lepidum Consules dequa modo supra.

5. *Ad Sertorium*] Is fuit Marianarum partium, de quibus cap. 1. propugnator, quoad vixit, acerrimus, qui mortuo Mario, desperatisque factionis rebus, in Hispaniam ubi jam tum in honore habebatur se recepit, ibique eam adeptus est auctoritatem, qua multis postmodam Romanis ducibus a Sylla missis, aliisque post Syllæ mortem restitit fortissime, donec Perpennæ proditione interfectus est dequo Plutarch in Sertorio.

7. *Rogatione*] Rogatio pro ipsa lege hic & alibi sæpe accipitur, quanquam exacte distinguentibus, rogationem inter & legem discriminis illud esset, quod rogatio nil foret aliud, quàm rei quæ sancienda petebatur, propositio, his ve bis *velitis jubeatis, Quirites* &c. quæ si juberetur, lex fiebat ejus est ut plurimum appellata nomine qui proposuerat; ut patet ex hoc loco. Plotius enim tribunus plebis impellente Cæsare tulerat hanc legem de iis qui ad Sertorium confugerant revocandis

8. *Concionem*] Cujus exiguum fragmentum extat apud A. Gellium lib. 13. cap. 3.

CAPUT VI.

QUæstor [1] Juliam amitam, uxoremque Corneliam defunctas laudavit e more [2] pro Rostris: & in amitæ quidem laudatione, de ejus ac patris sui utraque origine sic refert, *Amitæ meæ Juliæ maternum genus ab regibus ortum, paternum cum Dis immortalibus conjunctum est. Nam* [3] *ab Anco Marcio sunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater: a Venere* [4] *Julii, cujus gentis familia est nostra. Est ergo in genere & sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent: & cærimonia Deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges.* In Corneliæ autem locum Pompeiam duxit, Q. Pompeii filiam, L. Syllæ neptem: cum qua deinde divortium fecit, adulteratam opinatus a P. Clodio: quem inter publicas [5] cærimonias penetrasse ad eam muliebri veste tam constans fama erat, ut senatus quæstionem de pollutis sacris decreverit.

A.V.C. DC.LXXXVII

Notæ.

1. *Quæstor*] Quæstura primus erat magistratus Urbanus; qui petebatur postquam quis annua stipendia decem feciisset, nec ante annum ætatis 24. vel 27. Quæstorum tria fuere distincta genera, alii quæstores Urbani seu Ærarii, alii quæstores parricidii seu rerum capitalium, alii denique provinciales, qui una cum prætoribus aut proconsulibus in provincias exibant: in singulas enim provincias singuli quæstores mittebantur quorum cura erat vectigalem pecuniam colligere, & in ærarium publicum referre, conventus provinciales ad jus dicendum adire, &c. hujus postremi generis quæstor fuit Cæsar.

2. *E more prorostris.*] Romæ in foro extructus erat suggestus quem rostris debellatorum Antiatium navibus detractis adornatum appellavere rostra: ex eo loco solebant concionari, ibique conjugem & amitam fato functas oratione funebri prosecutus est Cæsar. Moris enim erat apud Romanos non illustres modo viros, sed & ipsas matronas laudare post mortem. Ex eo quod, deficiente pecunia ad numerandam expacto Gallis summam, ut captam urbem obsessumque Capitolium relinquerent, matronæ suum aurum contulerint, inde Senatus-Consultum de illis laudandis, &c.

3. *Nam ab Anco Marcio*] Romæ familia fuit Marciorum, qui quod ab Anco Marcio IV. Romanorum rege ducerent originem, cognominati sunt *Reges*, ejus vero familiæ erat

Digitized by Google

Martia, Juliæ & C. Cæsaris mater, proindeque nostri Cæsaris avia

4. *A Venere Julii*] Venus ex Anchisa filium habuit Æneam, patrem Ascanii, qui Æneæ patri successit, & Albam condidit. Ascanio successit frater ejus consanguineus Sylvius Æneæ & Laviniæ filius posthumus, non vero filius ejus Julus, penes quem nonnisi sola cura religionis & sacrorum, remansit, & penes Juli sobolem, ex qua Julii. Hos Tullus hostilius Romanorum rex cum nobilissimis quibusdam Latii familiis Alba diruta Romam transtulit, ac in patres coptavit.

5. *Publicas cærimonias*] Intelligit sacra bonæ Deæ quoniam a matronis pro populo celebrari dicebantur: ritus autem illarum præcipuus erat ut inde omnes viri cura magna summoverentur, quin & ipsæ masculorum animalium imagines tegerentur. Cum autem fierent in domo Pontificis Maximi, Clodius Psaltriæ veste occultatus deprensus est in cubiculo unius ex Pompeiæ quam deperibat ancillis, Plutarchus non in cubiculo, sed alibi, & ab ipsa deprensum puella dicit. Qua de causa violatarum cærimoniarū accusatus est.

CAPUT VII.

QUæstori ulterior [1] Hispania obvenit: ubi cum mandatu [2] prætoris, [a] jure dicundo conventus [3] circumiret, Gadeisque [4] venisset, animadversa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuit: & quasi pertæsus [5] ignaviam [b] suam, quod nihil dum a se memorabile actum esset in ætate [6] qua jam Alexander orbem terrarum subegisset, missionem [7] continuo efflagitavit, ad captandas quamprimum majorum rerum occasiones in [8] urbe. Etiam confusum eum somnio proximæ noctis (nam visus erat per quietem matri stuprum intulisse) conjectores [9] ad amplissimam spem incitavetunt, arbitrium [d] orbis terrarum portendi interpretantes: *quando mater, quam subjectam sibi vidisset, non alia esset quam terra, quæ omnium parens haberetur.* A. V. C. DC.LXXXVIII

INTERPRETATIO.

a *Ad jus dicendum.* b *tarditatem.* c *somniorum interpretes ad amplissimam spem incitaverunt etiam eum turbatum somnio* &c. d *explicantes dominium orbis terrarum prædici.*

NOTÆ.

1. *Ulterior Hispania*] Bætica seu illæ sunt Hispaniæ regiones quæ Granatensi & Lusitaniæ regnis hodie continentur.

2. *Mandatu P. R* legunt alii populi Romani, alii vero prætoris: hoc pluribus arridet maxime cum sub Antistio prætore quæsturam exercuisse, constet ex Velleio.

3. *Conventus*] Ea nempe loca in quæ litium causa populi conveniebant & Juridici magistratus ad jus dicendum.

4. *Gadeisque &c.*] Urbs primaria ejusdem nominis insulæ 700. non amplius pedibus a Continenti sejunctæ extra freti Herculei angustias, unde dicta est illa civitas itinerum ac laborum Herculis terminus ubi templum sibi constituit, adoratique se jussit. Hodie parum immutato nomine dicitur *Cadis* vel *Caliz*. Eo loci duæ sunt ejusdem nominis insulæ stadio uno ab invicem remotæ.

5. *Pertæsus*] Participium est sine verbi origine saltem usitata cum apud Gellium solum reperiatur *pertæduissent.*

6. *In ætate*] 33. annorum, qua obiit Alexander.

7. *Missionem*] Hoc est discedendi veniam. Triplex missio honesta quæ stipendiis emeritis ab imperatore indulgetur, causaria, quæ propter valetudinem a militiæ laboribus liberat, & ignominiosa qua propter delictum sacramento quis solvitur. Præter has missiones erat & alia quæ extra ordinem & gratiæ causa, a Senatu vel ab imperatore concedebatur: hancque verisimile est impetratam a Cæsare.

8. *In urbe*] Varia est hujus loci lectio: alii enim legunt *in urbe etiam confusum*, &c. ut sensus sit reducem Cæsarem, in urbe som-

Digitized by Google

niasse. Alii vero legunt *ad captandas majorum rerum occasiones in urbe &c.* ut sensus sit Gadibus etiamnum degentem somniasse quod postremum, præter quam quod a Dione narratur, etiam vero videtur esse similius: Cæsarem nempe eodem tempore & Alexandri stimulatum exemplo, atque somnio suo maturásse reditum.

9 *Conjectores*] Somniorum interpretes, teste Festo.

CAPUT VIII.

DEcedens ergo ante tempus, [1] colonias Latinas [a] de petenda civitate agitantes, adiit: & ad audendum aliquid concitasset, nisi Coss. conscriptas in [2] Ciliciam legiones paullisper ob idipsum retinuissent: nec eo secius majora mox in urbe molitus est.

INTERPRETATIO.

a *Cogitantes de petendo* jure *civitatis.*

NOTÆ.

1. *Colonias Latinas*] Coloniis, alia aliis jura dabantur. Summum beneficium erat civitas Romana, qua donatæ suffragii honorumque Urbanorum participes erant non secus ac cives: secundo loco Latinitas, seu jus latii, quo nempe Romani Latinis aliisque deinceps vicinis suis perdomitis, ut imperio lubentius assuescerent, non militare modo in Romana legione sed & honores in ea gerere permiserunt quod jus Latii veteris appellatum est. Illis autem postea, si in sua civitate magistratum gessissent, concessum est jus civitatis & suffragii, ferendi tantum, non magistratus adipiscendi, ut existimant nonnulli: tertio denique loco ius Italiæ censebatur. Iis autem coloniis quæ hoc dumtaxat jure gaudebant, civitatis & suffragii honorumque jus nullum, sed immunes erant, nec stipendium aut tributum pendere cogebantur. Jura autem hæc omnia non solis coloniis aut Romanis aut Latinis, aut Italis, sed etiam populis aliquibus per privilegium concessa fuere, quemadmodum his de quibus hic agitur. Coloniæ enim illæ de petenda civitate agitantes fuere Galli Cisalpini Transpadani lege Pompeia post bellum Marsicum Latii jure donati, quo non contenti de petenda etiam civitate tunc temporis agitabant.

2. *In Ciliciam legiones*] Ad bellum Piraticum duce Pompeio confectum, A. V. C. 687.

CAPUT IX.

SI quidem ante paucos dies quam ædilitatem iniret, venit in suspicionem conspirasse cum M. Crasso consulari, item P. Sylla & [1] AVtronio, [2] post designationem consulatus, [3] ambitus condemnatis, ut principio anni Senatum adorirentur: & trucidatis quos placitum esset, [4] dictaturam Crassus invaderet, ipse ab eo [5] magister equitum diceretur; constitutaque ad arbitrium Rep. Syllæ & AVtronio consulatus restituerentur. Meminerunt hujus conjurationis [6] Tanusius Geminus in historia, [7] M. Bibulus in edictis, [8] C. Curio pater in Orationibus. De hac significatione videtur & Cicero in quadam ad [9] Axium epistola, referens, *Cæsarem in consulatu confirmasse regnum, de quo Ædilis cogitarat.* Tanusius adjicit, Crassum, pœnitentia vel metu, diem cædi destinatum non [b] obiisse, & idcirco ne Cæsarem quidem signum, quod ab eo dari convenerat, dedisse. Convenisse autem Curio ait, ut togam de humero dejiceret. Idem Curio, sed & [10] M. Actorius Naso, auctores sunt, conspirasse

A.V.C. DC. LXXXIX.

Digitized by Google

conspiraſſe eum etiam cum [11] Cn. Piſone adoleſcente: cui ob ſuſpicionem urbanæ conjurationis, provincia Hiſpania ultro extra ordinem data ſit: pactumque, ut ſimul foris ille, ipſe Romæ, ad res novas conſurgerent, [12] per Lambranos & Tranſpadanos: deſtitutum utriuſque conſilium morte Piſonis.

INTERPRETATIO.

[a] *Compoſitiſque Reipublica* negotiis, *ad arbitrium* [b] *præſto non fuiſſe ad diem deſtinatum.*

NOTÆ.

1. *P. Sylla & Autronio*] Utrum P. an *L. Autronio* legendum ſit certant interpretes, quod cum in conſularibus faſtis legantur P. Sylla & P. Autronius eodem anno, qui Urbis 688. fuit, ambitus condemnati, in omnibus tamen Suetonii codicibus, qui ipſis *fuerunt* ad manum, extet *L. Autronio*: quâ conſenſione Torrentius adductus eſt, ut ſuſpicaretur erraſſe Suetonium, cauſamque erroris indè ortam quod 36. annis poſt, anno ſcilicet 724. alterius *L. Autronii* qui ex Africâ triumphavit, nomen legerat in faſtis. Quæ ſententia non minus, ut opinor, debet eſſe ſuſpecta.

2. *Poſt deſignationem*] Conſules Prætoreſque deſignati ſub finem menſis Julii, vel initium Auguſti, non niſi calendis Januariis magiſtratum inibant, præſertim ab anno V. C. 601. Tempore autem intermedio, quinque circiter menſium, privati manebant, perque competitores, aut alios, de ambitu inquirebatur, num ſuffragia redemiſſent quomodo factum eſt in eos de quibus hic ſermo.

3. *Ambitus*] Ambitus eſt ſuffragiorum corruptio pecuniâ datâ: primitus enim deferebantur honores, tribuum ſuffragiis ſed quæ corrumpi omnino vetabant leges, quarum aliæ, ambitus convictum, vel capite, vel pecunia, vel dignitate, vel denique futuris multabant honoribus.

4. *Dictaturam*] Extraordinarius & ſummus fuit magiſtratus, qui idcirco non poterat ſervatis legibus ultra ſextum menſem retineri.

5. *Magiſter equitum*] Secundam a dictatore dignitatem gerebat: Et ab ipſo eligebatur.

6. *Tanuſius*] Legunt alii Tamiſius cujus (ſi idem utroque nomine deſignetur) hiſtoriam parvi factam ab antiquis ex Senecæ aliorumque ſententiâ conjicere eſt.

7. *M. Bibulus*] Hujus edicta Cicero vocat Archilochia edicta, hoc eſt maledica, obtrectationis plena quemadmodum Archilochi verſus: fuit autem ille Bibulus, Cæſaris in ædilitate & conſulatu collega.

8. *Curio Pater*] Ad diſtinctionem filii qui ſcripſiſſe quoque legitur.

9. *Ad Axium*] Vulgati codices habent *Aiticum*, ſed cum M. S. vel *Auxium* habeant vel *Axium* & etiam *Axſium* mavult Torrentius hanc lectionem ſervare, cum & hujus *Axii* meminerit Cicero.

10. *Actorius naſo*] de hoc ſibi nihil occurrere Torrentius ait.

11. *Cn. Piſone*] Piſo hic adoleſcens nobilis ſummæ audaciæ factioſus conjuravit cum Catilinâ & Autronio perſeverantibus poſt pœnitentiam P. Syllæ, & Craſſi: ſed miſſus in Hiſpaniam, ab equitibus Hiſpanis, Pompeii clientibus, interfectus non invito, ut creditum eſt, Pompeio.

12. *Lambranos*] Legunt alii *Ambranos* per quos Caſaubonus ſuſpicatur intelligi citerioris Hiſpaniæ barbarum aliquem populum cujus opibus ad res novandas abuteretur Piſo, ſicut & Cæſar Tranſpadanorum: quo poſito ſic foret contexenda phraſis. *Pactumque eſſe ut Piſo extra urbem per Lambranos, Cæſar in urbe per Tranſpadanos, res novas ſimul molirentur.* Verum cum ignorentur Hiſpani iſti Lambrani, malunt alii, Lambranos hic intelligi accolas Lambri flumenis, quod non longe a Mediolano in Padum influit.

Digitized by Google

CAPUT X.

ÆDilis,[1] præter [2] comitium ac forum, [3] basilicasque, etiam Capitolium ornavit porticibus ad tempus extructis: in quibus abundante rerum copia, [4] pars apparatus exponeretur. [5] Venationes autem, [6] ludosque, & cum collega, & separatim, edidit: quo factum est, ut communium quoque impensarum solus gratiam caperet: nec dissimularet collega ejus M. Bibulus, evenisse sibi quod [7] Polluci. Ut enim Geminis fratribus ædes in foro constituta, tantum Castoris vocaretur: ita suam Cæsarisque munificentiam, unius Cæsaris dici. Adjecit insuper Cæsar etiam [8] gladiatorium munus, sed aliquanto paucioribus, quam destinaverat, paribus. Nam cum multiplici undique [9] familia comparata inimicos exterruisset, cautum est [10] de numero gladiatorum, quo ne majorem cuiquam habere [11] Romæ liceret.

Notæ.

1. *Ædilis*] Ædiles ab ædibus nomen sortiti; illas enim, sicut & vias publicas, aquæductus, ludos & similia curabant. Sex fuere variis creati temporibus. Curules quatuor usque ad J. Cæsarem, qui Cereales duos addidit, priores sic dicti vel a sella curvos pedes habente, vel a solio eburneo altius elato, quo tanquam curru jus dicturi sedentes uterentur: posteriores vero a Cerere quod frumenti curam gererent & annonæ, cujus copiæ, cibariis, mensuris & ne qua fraus fieret, invigilare tenebantur; ut eorum jurisdictio dici queat non longe abfuisse ab eâ quam dicunt vulgo *la Police*. De ædilibus infra Vespas. cap. 2.

2. *Comitium ac forum*] Comitium inter & forum discriminis illud erat, quod partem inter & totum: forum enim Romanum locus erat amplissimus, in quo judicia fieri, cum populo agi, concionesque haberi solebant. Comitium vero pars fori superior ubi erant rostra. De quibus sup. ad cap. 6. de more comitii, ac fori ornandi vide Livium.

3. *Basilicasque*] Amplissima ædificia, circa forum ita construi solita, ut in altera parte Judicia, in altera negotia possent exerceri. In his & Senatores deliberare, & Judices causas cognoscere, & periti homines de jure clientibus respondere solebant.

4. *Pars apparatus*] Sensus est Cæsarem ut pote rerum magnificentiæ pompæque Ædilitiæ congruentium copia abundantem, in illis porticibus, populo proposuisse, quod forum capere non potuerat & comitium. Est & alia hujus loci lectio *scilicet par apparatus &c.* qua recepta, sensus esset in illis porticibus expositum parem apparatum ac in foro: quod potius videtur.

5. *Venationes*] Quibus feræ conficiebantur in theatro.

6. *Ludosque*] Hoc loco ita ludi sunt accipiendi, ut sint publicæ celebritates, vel *placandæ* deorum iræ, vel pro salute populi, vel ejus gratiæ promerendæ causa editæ: quales erant hominum certationes, luctationes, cursus, tam peditum, quam equitum, & curriculorum, &c.

7. *Polluci*] Nota fabula de Castore & Polluce, fratribus geminis Jovis & Ledæ filiis.

8. *Gladiatorum munus*] Illorum exhibuit paria 320. in honorem, auctore Plutarcho in Cæsare, fato functi patris, ut moris erat apud antiquos. Gladiatorias autem illas decertationes populo exhibitas *munus gladiatorium* dixit, ideo quod illis tanquam muneribus & largitionibus, Romani populares auram ambirent.

9. *Familia*] Ad gladiatoriam artem sub uno lanista plures instituebantur, quæ multitudo familia dicta est: familiæ enim nomine apud antiquos præsertim Jureconsultos servi sæpe sæpius intelligendi veniunt

10. *De numero gladiat.*] Auctor est Dio lib. 54. in actis anni 732. cautum ab Augusto ne plusquam 60. paria sæpius quam bis anno, darentur. Tib. cap. 44.

11. *Habere Romæ*] notat Torrentius dictionem *Romæ* in exemplari Tornacensi non extare; quæ tamen in aliis additur, nec immerito cum idem alibi quod Romæ periculum non subesset.

Digitized by Google

CAPUT XI.

COnciliato populi favore, tentavit [1] per partem tribunorum, ut sibi Ægyptus [2] provincia [3] plebiscito daretur: nactus [4] extraordinarii imperii occasionem; quod [5] Alexandrini [6] regem suum, socium atque amicum a Senatu appellatum, expulerant, [7] resque vulgo improbabatur. Nec obtinuit, adversante [8] optimatium factione: quorum auctoritatem ut quibus posset modis invicem deminueret, [9] tropæa C. Marii [10] de Jugurtha, [11] deque Cimbris atque Teutonis, olim a [12] Sylla disjecta, restituit: atque in exercenda de [13] sicariis quæstione, eos quoque [14] sicariorum numero habuit, qui [15] proscriptione ob relata civium Romanorum capita, pecunias ex ærario acceperant: quamquam exceptos [16] Corneliis legibus. A.V.C. DCIC.

NOTÆ.

1. *Per partem tribunorum*] Tribuni plebis 10. erant; ideo autem per aliquos ex ipsis consequi non potuit optata, quod ea sit lex Tribunitiæ potestatis, ut cæteris omnibus collegis volentibus; unus qui adversetur, plus possit: quippe quorum potestas magis adimpediendum foret quam ad agendum maxime ab *initio* ut ait Plutarchus.

2. *Provincia*] Provincia in universum accipitur pro quacumque muneris publici procuratione, atque etiam pro quolibet gerendo negotio etiam domestico ut apud Terentium *provinciam cepisti duram*, &c.

3. *Plebiscito*] Quasi plebis statuto: scisscere enim statuere est; plebis autem statuta seu plebiscita ea erant quæ sine patribus proprio suffragio plebs jubebat, interrogante plebeio magistratu, verbi gratia Tribuno.

4. *Extraordinarii Imperii*] Imperium duplex militare & civile. Hoc plerumque dicitur potestas & in judiciis præsertim consistebat; illud vero proprie dicebatur imperium & *bellicis* rebus agendis exercebatur. Extraordinarium autem Imperium illud intellige quod nec annuum est, nec singulis annis defertur, sed tantum ut improvisi rerum eventus exigebant.

5. *Alexandrini*] Nota Ægypti civitas Alexandria.

6. *Regem suum*] Fuit is Ptolomæus cognomento Auletes Cleopatræ pater, qui ut partum inique Ægypti regnum tueretur, populi Romani societatem & amicitiam ingenti pecunia sibi conciliavit: qua de causâ tributis atrocioribus Ægyptum onerans pulsus Romam se recepit, unde reductus est in regnum.

7. *Resque vulgo improbabatur*] Utrum per rem illam, facinus Alexandrinorum intelligitur, an vero Cæsaris petitio, posset ambigi; prior tamen sensus præferendus videtur.

8. *Optimatium factione*] Ratio, vel saltem prætextus optimatium hic esse poterat, quod magistratibus urbanis & provincialibus tribui deberet imperium lege Curiatâ (id est latâ Curiatis Comitiis de quibus paulo infra cap. 13.) non plebiscito, quo modo illud Cæsar contendebat obtinere.

9. *Tropæa C. Marii*] Ex instituto Græcorum qui τρόπαια scribunt, plures sunt qui legant *tropæa* quam *trophæa*: quippe cui lectioni repugnet analogia nominis à verbo τρέπω idest *verto* deducti; sunt autem tropæa, monumenta & insignia bellicæ laudis atque victoriæ, quæ erigebantur defixis in stipite victorum hostium spoliis; ea semel dedicata moveri, aut vetustate, vel quovis pacto, diruta & consumpta refici religio erat. Unde perspicuum fit, neque Syllam ea exturbare jure potuisse, neque Cæsarem exturbata restituere.

10. *De Jugurthâ*] Nota ex Salustio Jugurthæ Numidarum regis historia.

11. *Cimbris atque Teutonis*] Quæ vera fuerit illorum origo non convenit inter omnes: plerumque existimantur illas habitasse regiones quæ Daniæ & Holsatiæ partem efficiunt. Hi anno V. C. 645. ante Chr. 109. tantis in Italiam copiis irruperant, ut fusis Romanorum quatuor ducibus & exercitibus, actum esset de Imperio Romano, nisi Marius huic sæculo contigisset: hic enim quartum Consul, variis eos præliis omnino

Digitized by Google

profligavit, anno postquam venerant, septimo.

12. *A Sylla disjecta*] In vindictam & odium Marii: de his factionibus supra cap 1.

13. *De Sicariis quæstione*] Ex his verbis colligunt aliqui Prætorem tunc fuisse Cæsarem, quod ejusmodi quæstiones non nisi Prætoribus demandatas existiment Verum præterquam quod parum verisimile sit inversum ab auctore nostro temporum ordinem, cum ei, cæteroqui, tam constanter adhæserit; ex multis etiam antiquorum monumentis elici potest Judices, qui & principes quæstionum, & quæsitores dicti sunt, id muneris exercuisse, quod medium foret, ædilitatem inter & præturam, & ad hanc veluti gradus, ac ædilitiorum hominum ferme proprium munus: hi erant quasi Prætoris vicarii; cum enim ab anno V. C. 604. sua singulis Prætoribus demandaretur quæstio v. g. ambitus, repetundarum, inter Sicarios &c. Principes seu Judices quæstionum dicti sunt: ideo sortiebantur ut si eos quidem quorum opera in exercendis quæstionibus uterentur, tabulis videlicet suspiciendis, testibus audiendis, judicibus legendis aliisque *id genus a Judice* præstandis.

14. *Sicariorum*] Sicarius est qui telo aut ferro cædem facit dictus a sica breviore quodam Romanorum gladio seu cultro, quo in turba præsertim utebantur.

15. *Proscriptione*] Proscribere aliquando per scripturam venale proponere publice, aliquando relegare aut etiam damnare; hic autem proscriptio sumitur pro teterrimâ illâ licentiâ qua adversariorum licet civium Romanorum nomina palam Sylla victor exponebat in foro descripta, ut ad necem quærerentur; duorum talentorum præmio percussori proposito, extremoque occultatori supplicio.

16. *Exceptos Corneliis legibus*] Ex promulgatis a Cornelio Sylla variis legibus una fuit, quæ pœnas Sicariis irrogabat, a quâ fuerunt immunes quos hic recenset; Cautum enim illud fuerat Senatus-consulto, illo forte quod contra Lepidum Consulem latum est, de quo supra cap. 3. Sabellicus addit, una e Corneliis legibus cautum fuisse ne quis a Senatu legibus solveretur ni cum 200. Senatores adfuissent, hacque de lege intelligendum Tranquillum.

CAPUT XII.

SUbornavit etiam [a] qui C. [1] Rabirio [2] perduellionis diem diceret: quo præcipuo adjutore, aliquot ante annos L. Saturnini seditiosum tribunatum Senatus coërcuerat: ac sorte [3] judex in reum ductus, tam cupidè condemnavit, ut ad populum provocanti nihil æque ac judicis acerbitas profuerit.

INTERPRETATIO.

a C. *Rabirium læsa majestatis accusaret.*

NOTÆ.

1. *Qui Caio Rabirio*] Dum L. Saturninus Trib. Pl. Seditiosas leges asserere contenderet, a suis in tumultu, Rex fuerat appellatus. Verum nobiles sumptis armis illum oppressere, quo in facinore vel præcipuam navaverat operam C. Rabirius Senator, qui & illud aliorum vindictæ superaddidit quod Saturnini caput in ludibrium per convivia circumtuletit. Hunc ut Tribuni, cujus sancta erat persona, violatorem & interfectorem, Cæsar odio Senatorum ductus curavit accusari per T. Labienum, &c.

2. *Perduellionis*] Hujus criminis reus est, qui hostili animo adversum Principem aut Rempublicam animatus est. Perduellionis & majestatis crimina idem sonant apud plerosque, licet aliorum judicio discrepent.

3. *Sorte judex*] Intelligе de Sortitione illa dequa cap. proxime præcedenti. Vide infra in Aug. cap. 29.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

DEposita provinciæ spe, [1] Pontificatum maximum petiit, non sine profusissima largitione. In qua reputans [2] magnitudinem æris alieni, cum mane ad [3] comitia descenderet, prædixisse [4] matri osculanti fertur, domum se [5] nisi Pontificem non reversurum. Atque ita potentissimos duos [6] competitores, multumque & ætate & dignitate antecedentes, superavit, ut plura ipse in eorum [7] tribubus suffragia, quam uterque in omnibus, tulerit. A. V. C. DCXCI.

NOTÆ.

1. *Pontificatum maximum*] Numa Pompilius instituit collegium Pontificum, qui omnibus de caussis ad sacra pertinentibus judicarent, & novarum legum, si cubi scriptæ deficerent, condendarum auctoritatem haberent: quatuor duntaxat iique non nisi ex patribus legi consueverunt, à Numæ temporibus ad annum V. C. 654. quo tempore, plebi communicatus quoque fuit honos ille, & quatuor ex plebeis additi nec ita multo post à L. Sylla iterum septem qui minores, ad differentiam priorum, qui majores appellati. Ex quindecim his Pontificibus, *unus Pontifex Maximus* qui toti Collegio præesset, eligebatur; cujus scitis omnia publica privataque sacra erant subjecta, tantaque pollens auctoritate ut nullius potestati obnoxius, humanarum multarum æque ac divinarum omnium rerum judex foret & arbiter.

2. *Magnitudinem æris alieni*] Auctor est Plutarchus debitorem, Cæsarem fuisse 1300. talentorum, juxta supputationem supra cap. 4 ex Budæi principiis factam 1365000 l. hac æris alieni tanta magnitudine non immerito poterat in spem obtinendarum dignitatum adduci.. Hoc siquidem, pacto divites pariter & egenos obstrinxerat; illos metu ne repulsam passus solvendo non esset, hos vero tot ac tantis largitionibus.

3. *Comitia*] Conventus fuerunt universi populi ad ferendum aliqua de re suffragium: triplicis ea fuere generis, pro triplici populi distributione Romulus enim divisa multitudine universa in tres partes, quas ideo *Tribus* appellari voluit, singulas pattitus est in curias io, quibus sua erant separatim in urbe Regio, sacra, cærimoniæ. Servius Tullius duplicem iterum populi divisionem excogitavit, alteram attendens uniuscujusque bona in quinque classes, has vero in centurias: alteram ad urbis, & agri circum urbem, regiones, quas a tributo dando Tribus quoque appellavit, 4. scilicet urbanas, & 15. rusticas, ab iis locis ubi habitarunt, nominibus indictis. Hinc Curiata dum per Curias, Centuriata dum per Centurias, Tributa denique Comitia dicta sunt, dum per Tribus suffragia colligerentur, De Comitiis Gellius lib. 15. cap. 27.

4. *Matri*, De jure osculorum in Claud. cap. 26.

5. *Nisi Pontificem*] Videbat enim non obtenta dignitate creditorum metu sibi cedendum esse urbe.

6. *Competitores*] Scilicet. P. Servilium Isauricum, sub quo militaverat in Cilicia, & Catulum Luctatium ætatis provectæ & auctoritatis in Senatu maximæ, virum ipsi Cæsari ut ex Salustio & Plutarcho patet, infensissimum.

7. *Tribubus*] Insoliti favoris, aut corruptelæ magnæ summum indicium: tribulibus enim suis naturali propensione magis favebant. Tribus (ut ex supradictis colligere est) erant populi Romani partes distinctæ locis in urbe diversis & regionibus circum urbem per Italiam dispersis quæ licet initio pauciores, ad 35. successu temporis excreverunt,

Digitized by Google

CAPUT XIV.

PRætor [1] creatus, detecta conjuratione [2] Catilinæ, Senatuque universo in socios facinoris ultimam statuente pœnam, [3] solus [4] municipatim [5] dividendos, custodiendosque publicatis bonis, censuit. Quin & tantum metum injecit asperiora suadentibus, identidem ostentans quanta eos in posterum a plebe Romana maneret invidia, ut Decimum Silanum consulem designatum non piguerit, sententiam suam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire, velut gravius atque ipse sensisset exceptam: obtinuissetque adeo, transductis ad se jam pluribus, & in his Ciceronis consulis fratre, nisi labantem ordinem confirmasset [6] M. Catonis oratio. [8] Ac ne sic quidem impedire rem destitit, quoad usque manus equitum Romanorum, quæ armata præsidii causa circumstabat, immoderatius perseveranti necem comminata est: etiam strictos gladios usque eo intentans, [7] ut sedentem una proximi deseruerint, vix pauci complexu togaque objecta [8] protexerint. Tunc plane deterritus, non modo cessit, sed etiam in reliquum anni tempus Curia abstinuit.

INTERPRETATIO.

8 *Nec idcirco cessavit obstare damnationi* conjuratorum.

NOTÆ.

1. *Prætor*] Cum consules avocarentur bellis finitimis, neque esset, qui in civitate jus reddere posset, factum est ut prætor quoque crearetur, qui Urbanus appellatus est, eo quod in urbe jus redderet. Sic Pomponius cap. 24. unus ergo tantum ab initio fuit prætor, sed advenientibus in dies ad jus petendum peregrinis plurimis, creatus est illorum causa & alter, qui Peregrinus ideo dictus est; ad differentiam prioris, quem, quia nonnisi urbis Incolis jus redderet, Urbanum placuit appellari. Verum crescente cum Imperio Romano, negotiorum multitudine plures identidem additi sunt, ita ut octodecim fuisse reperiantur quorum sua singulis erat jurisdictio: de qua vide cap. 11. supra.

2. *Catilinæ*] Inter seditiosos ut perditissimus, sic & notissimus.

3 *Solus*] De hujus opinionis auctore inter historicos alios non convenit: sunt enim qui Cæsarem non modo non solum, sed ne quidem primum fuisse referant; utpote quo prior Domitius Nero primum discessisset a sententia, quo præsens supplicium decernebat teste Salustio.

4. *Municipatim*] Per municipia quæ erant oppida nonnullis donata privilegiis: duplicis ea fuere generis; ea nempe quibus cum suffragio data fuerat civitas, & ea quæ sine suffragio, solum civitatis honorem obtinuerant, hæc suis, illa Romanorum legibus utebantur. De his Gellius lib. 16. cap. 13. ubi docet quid differant a Coloniis.

5. *Dividendos*] Idque juxta legem Porciam quæ vetabat ne quis magistratus Civem Romanum verberaret, necaret ve; sed damnato permitteret exilium cum antea vivorum cervix infereretur furcæ, corpusque virgis ad necem cæderetur.

6. *Catonis oratio*] Ejus qui Uticensis postea dictus est: extat utraque hæc & Cæsaris & Catonis apud Salustium oratio, quam Cicero inventis tunc primum notis, excipiendam, ab iis, quos in id occultaverat notariis, curavit, de quo in Galb. cap. 3 & Tito c. 3.

7. *Sedentem una* &c.] Nec mirum leviori enim de causa cavebant Senatores ne homini obnoxio assiderent.

8. *Protexerint*] Plutarchus auctor est Cæsarem a Curione objecta toga servatum.

Digitized by Google

CAPUT XV.

PRimo [1] Prætoræ die Q. [2] Catulum [3] de refectione Capitolii ad [4] disquisitionem populi vocavit, [5] rogatione promulgata, qua curationem eam in [6] alium transferebat. Verum impar [7] optimatium conspirationi, quos, relicto statim novorum [8] consulum officio, frequentes obstinatosque ad resistendum concurrisse cernebat, hanc quidem actionem deposuit. A. V. C. DCXCII.

Notæ.

1. *Prætura die*] Calendis nempe Januariis quo die designati comitiis consules & Prætores magistratum inibant.

2. *Catulum*] Eum de quo supra cap. 13.

3. *De refectione Capitolii*] Quod bello Civili deflagraverat.

4. *Disquisitionem populi*] Utrum eam curam alii vellet, quam Catulo demandari.

5. *Rogatione promulgata*] Promulgari dicebantur leges, cum trinundino toto in vulgus edebantur, quo præterito tempore non licebat eas tolli nec intercedere, si latæ fuissent: de rogatione supra cap. 5.

6. *In alium*] Scilicet Pompeium, in quem voluit Cæsar non tam curationem illam quam inscriptionis honorem ambitiosè transferre, & Catulo eripere.

7. *Optimatium*] Horum appellatione, eos intellige, qui nobilitatisve, quod idem est, Syllanæ factioni faventes, popularibus id est Marianis, à quibus stabat Cæsar, adversabantur.

8. *Consulum officio*] Quod nempe novis Consulibus ab amicis præstabatur: Calendis enim Januariis, quibus magistratum inibant stipati amicis, qui frequentes pro more aderant; ipsoque sæpe populo, Capitolium sacrificaturi conscendebant.

CAPUT XVI.

CÆterum Cæcilio [1] Metello Trib. pleb. turbulentissimas leges adversus [2] collegarum intercessionem ferenti, auctorem propugnatoremque se pertinacissime præstitit: donec ambo [3] administratione Reip. decreto patrum summoverentur. Ac nihilo minus permanere in magistratu, & jus dicere ausus, ut comperit paratos qui vi ac per arma prohiberent, [4] dimissis lictoribus, abjectaque [5] prætexta, domum etiam refugit, pro conditione temporum quieturus. Multitudinem quoque biduo post sponte & ultro confluentem, operamque sibi in [6] asserenda dignitate tumultuosius pollicentem, compescuit. Quod cum præter opinionem evenisset, Senatus ob eundem [7] cœtum festinato coactus, gratias ei per primores viros egit: accitumque in curiam, & amplissimis verbis collaudatum, in integrum restituit, [8] inducto priore decreto.

Notæ.

1. *Cæcilio Metello*] Catilinæ conjurationis occasione plures excitati tunc temporis, ad novas res insurgebant, quapropter Metellus iste, cui Nepos cognomen fuit, petendi Tribunatus ergo reversus est ex Asia, ubi tunc degebat cum Pompeio. Dignitatem adeptus legem ferre nitebatur, qua jubebat accersiri cum exercitu Pompeium ex Asiâ hoc prætextu, ut videret, ne quid Respublica detrimenti caperet, sed revera, ut fretus exercitu Pompeius Rempub. arbitratu suo componeret. Metello autem ipsi Cæsar adfuit, ut Pompeii aucuparetur benevolentiam.

2. *Collegarum*] Catonis præsertim qui cum a tribunatu petendo, hortantibus licet amicis, se abstinuisset huc usque, illum com-

Digitized by Google

posito petierat, ut Metello quem turbulentum, & à Pompeio super hac re suspicabatur edoctum, intercederet: tribunitia enim potestas adimpediendum magis est quam ad agendum.

3. *Administratione Reipublicæ*] Prætura, nempe Cæsar, & Metellus tribunatu.

4. *Dimissis lictoribus*] Quo posset ignotus evadere.

5. *Prætextâ*] Magistratuum Sacerdotumque sicut & puerorum nobilium vestis hæc erat; quorum tamen omnium prætextæ utrum discriminis inter se quidpiam haberent, haud comperio.

6. *Asserendæ dignitatis*] Hoc est defendendâ seu vindicandæ dignitate, illam enim, si tumultuosius quid egerint, vulgo prætexunt optimates.

7. *Cœtum*] Hoc vocabulo peculiariter usi sunt auctores ut multitudinem seditiose coëuntem indicarent ut infra cap. 41. *ne qui novi cœtus recensionis causa moveri quandoque possent.* Et Livius, Cœtus nocturni plebis patribus suspecti, & aliis passim: quamquam non semper in malam partem acceptum reperias; Aug. cap. 64. & 85. & Calig. cap. 32.

8. *Inducto*] Hoc est antiquato: inducere enim est verbum Jurisconsultis familiæ apud quos idem est ac delere seu cancellare, &c. ab inverso stylo quo scribebant, de ducta appellatione.

CAPUT XVII.

RECIDIT rursus in discrimen aliud, inter socios Catilinæ nominatus, & apud [1] Novium Nigrum Quæstorem à [2] L. Vettio indice, & in Senatu à [3] Q. Curio: cui, quod primus consilia conjuratorum detexerat, constituta erant publice præmia. Curius e Catilina se cognovisse dicebat: Vettius etiam [4] chirographum ejus Catilinæ datum pollicebatur. Id vero Cæsar nullo modo tolerandum existimans, cum implorato Ciceronis testimonio, quædam se de conjuratione ultro ad eum detulisse docuisset, ne Curio præmia darentur, effecit. Vettium [5] pignoribus captis, & direpta suppellectile male multatum, ac pro Rostris in concione pæne discerptum, conjecit in carcerem: eodem Novium Quæstorem, quod compellari apud se [7] majorem potestatem passus esset.

NOTÆ.

1. *Novium Quæstorem*] Legunt alii Nonium, quæstorem autem hic intellige principem illum quæstionis, qui & quæsitor & quæstor dicebatur, de quo supra cap. 11.

2. *L. Vettio*] Legunt alii *Vettio Judice.* Ut *Judex* cognomen ejus fuerit. Sed cum index ideat Cæsaris accusator fuerit ille Vettius, indicemque dicat illum ipse Cicero in litteris ad Atticum (*Vettius illè noster index*) locus dubio relinqui non videtur.

3. *Q. Curio*] Curius hic homo perditus, Catilinariæ conjurationis ipse conscius, adductus est a Cicerone per Fulviam qua cum ipsi Curio vetus erat consuetudo, ut conjuratos detegeret

4. *Chirographum ejus*] Ideat cautionem; est enim Chirographus privata scriptura seu cautio manu alicujus scripta vel subscripta.

5. *Pignoribus*] Sic & aliquando coercebantur ii, qui in jus venire, & respondere contemnebant.

6. *Direpta Supellectile*] Sensus est Vettii Supellectilem vel inter capienda pignora direptam, vel diripere volentibus in turba, traditam aut asportatam. *Multatum* alii *mulctatum.*

7. *Majorem potestatem*] Nam à minore Imperio Majus rogari jure non potest ut habet Messala apud Gell. lib. 13. cap. 14.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

EX [1] prætura [2] ulteriorem fortitus Hiſpaniam, retinentes creditores [3] interventu ſponſorum removit: ac neque more, neque jure, [4] antequam provinciæ ornarentur, profectus eſt: incertum, metu-ne judicii, quod [5] privato parabatur, an quo maturius [6] ſociis implorantibus ſubveniret. [7] Pacataque provincia, pari feſtinatione, non [8] expectato ſucceſſore, ad [9] triumphum ſimul conſulatumque deceſſit. Sed cum [10] edictis jam comitiis ratio ejus haberi non poſſet, niſi privatus introiſſet urbem, & ambienti ut [11] legibus ſolveretur, [12] multi contradicerent, coactus eſt triumphum, ne conſulatu excluderetur, dimittere. A. V. C. DCXCIII.

NOTÆ.

1. *Et Prætura ſortitus*] Poſt geſtam enim *in urbe* prætu ram, decretas ipſis ante deſignationem provincias, Prætores inter ſe ſorticbantur.

2. *Ulteriorem Hiſpaniam*] Vide ſupra, cap. 7.

3. *Interventu ſponſorum*] Auctore Plutarcho 830. talentorum Craſſus pro Cæſare ſponſor factus eſt: quanta vero fuerit hæc ſumma ex ſupra dictis cap. 4. collige nempe 871500 l.

4. *Antequam provincia ornarentur.*] Finito magiſtratu annuo Prætores proficiſci non ante debebant in provincias, quam illarum termini, militum munerus, ſtipendium, aliaque ejuſmodi definita Senatuſconſulto forent. Quæ quia varie variis indulgebat Senatus, ideo provinciæ vel prætores ornari dicebantur: alii legunt *ordinarentur* quod in eundem ſenſum, licet meo quidem judicio minus commode, recidere debet. Idem enim erit atque decernerentur quæ ad provincias ſpectarent de quibus modo: quo ſenſu Horatius, lib. 2. Od. 1. *ubi publicas res ordinaris*; &c.

5. *Quod privato parabatur*] Delatum enim ibi magiſtratum non poterat exercere, niſi in provincia, quam ingreſſus utpote Reipublicæ cauſa abſens, condemnari non poterat, privatuſque eſſe deſinebat.

6. *Sociis implorantibus*] Infeſtabatur enim provincia latrociniis, diſſentionibus civitatum, & præſertim excitatis debitores inter & creditores controverſiis.

7. *Pacata provincia*] Compreſſis armorum vi latrociniis, & prudenti juriſdictione controverſiis.

8. *Non expectato ſucceſſore*] Neque more neque jure: quiſquis enim provinciæ præeſſet, diſcedere prius non debebat, quam ſucceſſor acceſſiſſet. *L. meminiſſe. π. De officio pro conſulis.*

9. *Ad triumphum*] Debellatis enim Luſitanis ad Oceanum uſque cuncta perdomuerat.

11. *Edictis*] Male quidam legunt editis; quis enim ſenſus?

12. *Ut legibus ſolveretur*] Quibus cautum erat ut triumphum petentes extra urbem manerent, conſulatum vero, in urbe præſentes adeſſent: qua conſtitutus in ambiguitate Cæſar, triumpho conſulatum antepoſuit.

13. *Multi contradicerent*] Cato præſertim Cæſaris conſiliorum & induſtriæ, ſeverus idem & perſpicax explorator.

CAPUT XIX.

EDuobus conſulatus competitoribus, L. Luccio, M. que Bibulo, Luccium ſibi adjunxit: pactus ut is, quoniam inferior gratia eſſet, pecuniaque polleret, nummos de ſuo communi nomine [1] per centurias [2] pronuntiaret. Qua cognita re, optimates, quos metus ceperat, nihil non auſurum eum in ſummo magiſtratu, concordi & conſentiente collega, auctores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi: ac plerique pecunias contulerunt, ne Ca- A. V. C. DCXCIV.

Digitized by Google

tone quidem abnuente eam largitionem [3] e Rep. fieri. Igitur cum **Bibulo** consul creatus est. Eandem ob caussam opera [4] optimatibus data est, ut provinciæ futuris Coss. minimi negotii, id est, [5] silvæ callesque decernerentur. Qua maxime injuria [6] instinctus, omnibus officiis Cn. Pompeium affectatus est, offensum patribus, quod Mithridate rege victo, cunctantius confirmarentur [7] acta sua: Pompeioque M. Crassum conciliavit, veterem inimicum ex consulatu, quem summa discordia simul gesserant: [8] ac societatem cum utroque iniit, ne quid ageretur in Rep. quod displicuisset ulli e tribus.

Nota.

1. *Per centurias*] Centuriatis enim Comitiis majores magistratus ordinarii creabantur. De comitiis cap. 15.

2. *Pronuntiaret*] Hoc est palam promitteret: quo sensu usurpatum videbis infra cap. 26. in Galba cap. 16. & in Domitiano cap. 4. &c.

3. *E Republica*] Id est in bonum publicum esse vel ipso Catone Judice licet antiquitatis & morum severo vindice, quibus honorum nundinatio vetabatur. Unde Lucanus lib. 1.

Hinc rapti fasces pretio, &c.

4. *Optimatibus*] Frustra quidam hic requirunt *ab*: hujus enim præpositionis apud auctorem hunc & alios omissio non infrequens est.

5. *Silva callesque*] Turnebum secutus Torrentius existimat hunc locum intelligi de administratione Silvarum publicarum, saltuumque: a pecuariis enim, ut in illis pecora pascerent, exigebatur in gregis vel armenti capita tributum, quod vectigalium partem efficiebat. Verum Beroaldo & Sabellico facilius arbitror assentiri, nempe silvarum callium-que, hoc est, itinerum securitas demandata consulibus intelligatur, eoque magis, quod silvas Italiæ, saltem quasdam publicis custodibus metu latronum fuisse occupatas ad securitatem viatorum, teste Juvenali constet Sat. 3. sub finem.

Armato quoties tuta custode tenentur
Et Pontina palus, & Gallinaria pinus.

Quod exactius mandatum ab Augusto. Aug. cap. 32.

6. *Instinctus*] Id est exstimulatus, incitatus, quidam legunt instructus, quasi ad declinandam cautius invidiam edoctus.

7. *Acta sua*] Varia in Oriente constituerat: aliis regibus retinendum permiserat regnum, aliis ademerat & similia.

8. *Ac Societatem*] Ex hac potentiæ societate orta Reipub. pernicies est: unde eleganter Lucanus lib. 1. initio.

Tu causa malorum
Facta tribus dominis communis Roma, &c.

CAPUT XX.

A. V. C. DCXCV. INito honore, primus omnium instituit, ut tam Senatus, quam populi diurna [1] acta conficerentur, & publicarentur. Antiquum etiam retulit morem, ut quo mense fasces non haberet, [3] accensus ante eum iret, lictores pone sequerentur. [4] Lege autem agraria promulgata, [5] obnuntiantem collegam armis foro expulit. [2] Ac postero die in Senatu conquestum, nec quoquam reperto qui super tali consternatione [6] referre, aut censere aliquid auderet, qualia multa sæpe in levioribus turbis decreta erant, in eam coëgit desperationem, ut quoad potestate abiret, domo abditus nihil aliud quam [7] per edicta obnuntiaret. Unus ex eo tempore omnia in Rep. ad arbitrium administravit: ut [8] nonnulli urbanorum, [9] cum quid per jocum testandi gratia signarent, non *Cæsare & Bibulo*, sed *Iulio & Cæsare* Coss. actum scriberent, bis eun-

Digitized by Google

dem præponentes, nomine atque cognomine: utque vulgo mox ferrentur hi versus.

Non Bibulo quidquam nuper sed Cæsare factum est:
Nam Bibulo fieri consule nil memini.

[10] Campum Stellatem majoribus consecratum, agrumque Campanum ad subsidia Reip. vectigalem relictum, divisit [11] extra sortem, ad XX. millibus civium, [12] quibus terni pluresve liberi essent. [13] Publicanos remissionem petentes, tertia mercedum parte relevavit: [b] ac ne in locatione novorum vectigalium immoderatius licerentur, propalam monuit. Cætera item quæ cuique libuissent, dilargitus est, contradicente nullo, ac, si conaretur quis, absterrito. [14] M. Catonem interpellantem extrahi curia per lictorem, ducique in carcerem jussit. L. Lucullo liberius resistenti tantum calumniarum metum injecit, ut ad genua ultro sibi accideret. Ciceronem in judicio quodam [c] deplorante temporum statum, P. Clodium inimicum ejus frustra jam pridem a [15] patribus ad plebem transire nitentem, eodem die, horaque nona, transduxit. Postremo in universos diversæ factionis induxit Vettium præmiis, ut se de inferenda Pompeio nece solicitatum a quibusdam profiteretur, productusque pro Rostris auctores ex compacto nominaret, sed uno atque altero frustra, nec sine suspicione fraudis nominatis, desperans tam præcipitis consilii eventum, intercepisse veneno indicem creditur.

INTERPRETATIO.

a *Postridie & Cæsar in tantum desperationem impulit* Bibulum *conquestum in Senatu, ut quoad consulatus finiretur, domo occultatus solummodo per edicta intercederet; quin nemo reperius erat, qui auderet referre vel censere super tali perturbatione, quod frequenter idem contigerat in minoribus motibus.*

b *Ac interdum & publice admonuit ne deferrent nimium pretium in conductione novorum vectigalium.*

c *Cum Cicero deploraſſet inquodam judicio temporum ſtatum P. Clodium inimicum ejus qui jam diu inutiliter conabatur transire a patritia familia in plebejam, Cæſar tranſtulit eodem die horaque nona.*

NOTÆ.

1. *Acta*] Populi Senatusque acta erant commentarii in quos referebantur quæcumque singulis diebus fierent. Horum cura conficiendorum erat uni e patribus.

2. *Quo mense fasces non haberet*] Et alia regiæ potestatis insignia consulibus post exactos reges concessa, fasces tamen non simul ambos, ne terror duplicatus videretur, sed alternis duntaxat mensibus habere voluerunt.

3. *Accensus*] Hic sumitur pro eo magistratuum ministro qui vel Quirites ad concionem, vel jus postulantes ad Prætorem acciret: alias accensus nomen est militiæ. (is nempe qui a tribuno militum Centurioni dabatur adjutor.)

4. *Lege autem agraria*] Satis notum quid illæ sint agrariæ leges quibus popularem auram ambientes, quosdam agros viritim plebi dividendo, acceptos se præbere nitebantur.

5. *Obnuntiantem collegam*] Ad hoc ut agri dividerentur Senatus consulto vel aliqua ad populum rogatione fuit opus, quorum utrumque legis agrariæ nomine pariter appellabant. Cum ergo Cæsari ad Senatum hac de divisione referenti plures adversarentur, in forum ad populum confugit ubi, ipse auxiliantibus Crasso & Pompeio legem accipiendam curavit, Bibulumque qui Senatus impulsu huc quoque resistendi causa se contulerat extortis fascibus reliquisque consulatus insignibus una cum Catone expulit.

Digitized by Google

6. *Referre*] Senatusconsultum non fiebat nisi consul aut alius, cui id juris erat, ad Senatum referret, h. e. rem qua de agebatur in consultationem adduceret, patrumque super ea sententiam rogaret. Cur igitur Bibulus tunc non retulerit haud liquet. Suspicatur quidem Casaubonus ejus forsan illo mense non fuisse fasces, nec nisi ab eo consule, cujus essent, referri potuisse. Sed neutri adstipulatur antiquitas. Dicit enim Appianus Bibulum extortis fascibus ejectum, & hos igitur habuisse debuit, sicque etiam Cæsar fasces non habens de his omnibus referebat: & sane mihi non apparet quid causæ fuerit, nisi tam ipsius Bibuli, quam Senatus universi consternatio.

7. *Per edicta obnuntiaret*] Ea sunt edicta de quibus supra cap. 9. quibus Cæsari multa molienti adversus auspicia obnunciando resistebat: est enim obnunciare verbum Auguribus ferme proprium nempe mali ominis aliquid nuntiare, quo decreta publica & comitiorum eventus impediebantur. Bibuli autem ut pote consulis erat vel auspicia observare vel iis non observatis obnuntiare.

8. *Nonnulli urbanorum*] vel civium urbem habitantium sermones intellige, vel facetorum potius, hoc est urbana & culta quadam dicacitate jocantium.

9. *Cum quid per jocum*] Torrentius hic ait inversum esse scripturæ ordinem, sicque reponendum censet; *cum quid testandi gratia signarent, per jocum, non Cæsare*, &c. ut sensus sit non per jocum testificationem exhibitam, sed illa exhibita, scriptum fuisse per jocum *non Cæsare* &c. verum cum dicacitates & joci parum congruant actibus quibus solennitates juris adhibentur, videntur illæ testationes intelligi tantum factæ inter jocosos illos, urbanos, & non nisi jocandi gratia, sicque remanebit communis & receptissima lectio *per jocum testandi gratia*, &c.

10. *Campum Stellatem*] Campum inter & agrum differentia est: campus enim agri pars, quo etiam sensu Cicero adversus Rullum: *atque his colonis agrum Campanum & Stellatem Campum dividi jubet*; Stellas enim Campus pars est agri Campani, qui hodie *terra di lavoro*: causam autem, cur consecratum illum dicat Suetonius, obscuram reddit Ciceronis auctoritas: loco enim supra laudato in agrariis adversus Rullum, illius, tanquam de campo, qui tunc temporis coleretur mentionem facit, dum appellat *horreum regionum, solatium annonæ* &c. cum tamen consecratum agrum coli non licuisse constet. Unde sequeretur non primum violatam a Cæsare illius agri religionem. Videtur ergo ager *consecratus* hic alio sensu intelligendus pro eo nempe qui a majoribus esset Reip. addictus ad copiam annonæ promovendam: quo sensu in lege 3. Cod. de bonis vacantibus & de incorporatione *nostris consecranda substantiis*, idest addicenda fisco: vel intellige secundum partem tantum forte consecratum.

11. *Extra sortem*] Sic interpretare divisit millibus civium ad viginti h. e. circiter. Sensus est viginti millia civium circiter in hac agri Campani & Stellatis Campi assignatione, prælatos a Cæsare & absque sorte in partem vocatos. Vulgo enim si plures vel pauciores quam lege præscriptum erat, nomina in coloniam professi fuissent, tunc ad sortem confugiebant, ut ex omnibus educerentur qui agrum acciperent.

12. *Quibus terni plurisve*] Antiqui præmiis & honoribus multis invitabantur ad matrimonia frequentanda, ut infra in Aug. cap. 34. & 44.

13. *Publicanos*] Notum est fuisse vectigalium conductores qui ordinis erant equestris. Remissionem autem ideo petentes quod vastata Mithridaticis bellis Asia solvendo non esset, sicque lege Censoria tegebantur qua ascriptum erat ut *si qui frui publico publicanus non posset, ne ei fraudi id esset.*

14. *Marcum Catonem*] Qui cum Cæsaris optata non posset impedire, ne tamen quidquam decerneretur dicendo diem eximebat, eoquod senatori jus esset ut sententiam rogatus prius diceret quid vellet & quoad vellet.

15 *A patribus*] E plebe enim facilius creabantur tribuni plebis, quam ex patribus. Vide Lipsium lib. 2 Electorum cap. 13. De Vettio indice lege Epistolam Ciceronis 24. lib. 2. ad Atticum.

Digitized by Google

CAPUT XXI.

SUb idem tempus Calpurniam L. Piſonis filiam, ſucceſſuri ſibi in conſulatu, duxit uxorem: ſuamque Juliam Cn. Pompeio collocavit, repudiato priore ſponſo [1] Servilio Cæpione, cujus vel præcipua opera paullo ante Bibulum impugnaverat. Ac poſt novam affinitatem, Pompeium primum rogare ſententiam cœpit, [2] cum Craſſum ſoleret: eſſetque conſuetudo, ut quem [3] ordinem interrogandi ſententias conſul [4] Kalend. Januariis inſtituiſſet, eum toto anno conſervaret.

NOTÆ.

1. *Servilio*] Cui Pompeii filiam ut duceret effecturum ſe promiſit.

2. *Cum Craſſum*] Ejus rei rationem reddidiſſe eum Senatui, Tiro Tullius Ciceronis libertus ſcriptum reliquit: ita que ſe a patrono ſuo audiviſſe ſcribit teſte Gellio lib. 4. cap. 10.

3. *Quem ordinem*] De hoc ordine ibidem ſic habet Gellius ordo rogandi ſententias varius fuit: alias primus rogabatur qui a cenſoribus princeps in Senatu lectus fuerat, alias qui deſignati conſules erant, quidam e conſulibus ſtudio aut neceſſitudine aliqua adducti quem iis viſum erat extra ordinem ſententiam primum rogabant. Obſervatum tamen eſt nequis quemquam ex alio quam ex conſulari loco ſententiam primum rogaret.

4. *Calendis Januariis*] Qui primus incundi magiſtratus dies.

CAPUT XXII.

SOcero igitur generoque ſuffragantibus, ex omni provinciarum copia Gallias potiſſimum elegit, cujus emolumento & opportunitate, [1] idoneaſit materia triumphorum. Et initio quidem [2] Galliam Ciſalpinam, [3] Illyrico adjecto, [4] lege Vatinia [5] accepit: mox per Senatum, [6] Comatam quoque: veritis patribus ne ſi ipſi negaſſent, populus & hanc daret. Quo gaudio elatus, non temperavit quin paucos poſt dies frequenti curia jactaret, invitis & gementibus adverſariis adeptum ſe quæ concupiſſet: proinde ex eo [7] inſultaturum omnium capitibus, ac negante quodam per contumeliam, *Facile hoc,* [8] *ulli fœminæ fore*, reſponderit, [9] quaſi alludens, [10] *In Aſſyria quoque regnaſſe* [11] *Semiramin, magnamque Aſiæ partem Amazonas tenuiſſe quondam.* A. V. C. DCXCVI.

NOTÆ.

1. *Idonea ſit materia*] Tot enim ac tantos vincenti populos divitiarum cumulus & honoris certo erat expectandus

2. *Galliam Ciſalpinam*] Hæc inter Alpes & Apenninum Anconam uſque porrigebatur. Hodie ſunt eæ ferme regiones quæ Longobardiæ & Pedemontii nomine cenſentur.

3. *Illyrico*] Regio quæ olim in duas partes Liburniam, ac Dalmatiam diviſa, nunc uno nomine *Dalmatia* appellatur, Tiber. cap. 16.

4. *Lege Vatinia*] Vatinii quem Cæſar Tribunum plebis fecerat rogatione lata.

5. *Accepit*] A populo ſcilicet idque quemadmodum & alia multa quæ Cæſar obtinuit: extraordinarium & contra leges fuit, omnimodo enim decernendæ erant a Senatu provinciæ.

6. *Comatam quoque*] Scilicet Galliam: hæc vero, ſi ex Narbonenſi provincia, quæ bracata Gallia dicebatur, Sabaudiam detraxeris Belgicæque Galliæ paucas partes, Francicum in Gallis Imperium hodie conſti-

Digitized by Google

[1]uit : tribus enim partibus Comata Gallia constabat, Aquitania nempe, Celtica sive Lugdunensi, & Belgica quæ omnes Comatæ nomen a Capillitii jam inde cultu sortitæ fuerant.

7. *Insultaturum*] Hoc vocabulo obscœnum latere quidpiam Torrentius bene, ut opinor, suspicatur. Tale enim quid jactare solebant in eos, quos infensiore contempru afficerent, patet ex aliis hujus auctoris locis infra Tiber cap. 45. quo tamen obscœno sensu acceptum concludi solummodo potest ex eo quod negavit quidam ille, *facile hoc ulli fœmina fore*, nonvero dictum a Cæsare ut constare videtur ex eo quod reposuit.

8. *Ulli fœmina*] Refertur ad id quod supra cap. 2. de Nicomede dictum.

9. *Alludens*] Vel serio vel per jocum innuens se de regno loqui : de utroque enim *alludere* potest intelligi.

10. *In Assyria*] Asiæ regio est.

11. *Semiramin & Amazonas*] Notæ ex multorum monumentis fœminæ, illa quod Babylone in Assyria, hæ quod in Pontica regione & in Asia minore regnaverint. Neque hic existimari debet Cæsar historiæ ignorantia lapsus, cum dixit *magnam Asiæ partem tenuisse*. Siquidem Justinus lib. 2. num. 4. de Orythia Amazonum Regina suas adversus Græcos exstimulante sic ait *frustraque & Ponti sinum & Asiam edomitam si Græcorum non tam bellis quam rapinis pateant*, &c.

CAPUT XXIII.

A. V. C. DCXCVII. FUnctus [a] consulatu, C. Memmio Lucioque [1] Domitio prætoribus, de superioris anni [2] actis referentibus, cognitionem Senatui detulit : ne illo suscipiente, triduoque per irritas altercationes absumto, in provinciam abiit, & statim [3] quæstor ejus in [4] præjudicium aliquot criminibus arreptus est. [b] Mox & ipse à L. Antistio Tribuno plebis [5] postulatus, [6] appellato demum collegio, obtinuit, cum Reip. causa abesset, [7] reus ne fieret. Ad securitatem ergo posteri temporis, in magno [8] negotio habuit obligare semper annuos magistratus, & e competitoribus, non alios adjuvare, aut ad honorem pari pervenire, quam qui sibi [9] recepissent propugnaturos absentiam suam : cujus pacti non dubitavit a quibusdam jusjurandum atque etiam [10] syngrapham exigere.

INTERPRETATIO.

a *Post gestum Consulatum a* Cæsare *cum* C. *Memmius Luciusque Domitius Prætores referrent ad Senatum* ut fieret *disquisi*[tio] *eorum quæ facta fuerant a* Cæsare *anno præcedenti*, *Cæsar consensit ut Senatus cognosceret de illis. Verum Senatu non admittente* illam cognitionem, *& tribus diebus elapsis per vanas disceptationes, discessit in provinciam.*

b *Statim ipse quoque accusatus a L. Antistio Trib. plebis cum provocasset ad collegium* Tribunorum *impetravit ne accusaretur, siquidem aberat publicorum negotiorum causa.*

NOTÆ.

1. *Domitioque*] Domitius hic Neronis fuit atavus de quo *plura* infra, in Nerone cap. 2.

2. *Actis*] An eorum simpliciter quæ facta fuerant a Cæsare mentio fiat, an vero eorum quæ eius auctoritate relata fuerant in Acta publica subobscurum est : de illius tantum actis videtur intelligere.

3. *Quæstor ejus*] An ille quem secum duceret in provinciam an vero quem consul habuerat, immerito ni fallor dubitatur ab aliquibus ; quo enim pacto posset reus fieri novus quæstor?

4. *In præjudicium*] Id est magno ardore accusatus est quasi in spem & exemplum futuri ejusdem de Cæsare judicii quod de eius quæstore fuisset propter eam animorum consensionem quæ magistratui vulgo inerat

Digitized by Google

suo cum quæstore. Apud Jurisconsultos varia significat præjudicium : sed hoc loco videtur definiendum cum Asconio in divinatione Cicer. in Verrem, id quod cum statum fuerit, judicaturis affert exemplum, quod sequantur.

5. *Postulatus*] In publico crimine postulatio fit proprie cum postulatur a prætore nominis deferendi h. e. accusandi venia: hic & apud historicos passim postulatus idem est atque accusatus.

6. *Appellato Collegio*] Ut Antistii rogationem intercessione reliqui tribuni summoverent. Ubi nota appellare Collegium & ad Collegium, principem & ad principem promiscue usurpari posse.

7. *Reus ne fieret.*] Hoc est obtinuit ne quis sibi litem intenderet, quod absentibus Reipublicæ caussa ne moveretur, lege Memmia cavebatur.

8. *In magno negotio*] Mallet Causaubonus *in magno habuit.*

9. *Recepissent*] In quibusdam codicibus legitur *pepigissent.*

10. *Syngraphum*] Legunt alii *Syngraphum.* Utrumque dicitur. Plautus in captivis Act. 2. sc. 3. sub fin. a Prætore *sumam Syngraphum*: est autem Syngrapha schedula conscripta in alicujus rei fidem a σὺν & γράφω simul scribo.

CAPUT XXIV.

SEd cum L. Domitius consulatus candidatus palam minaretur, Cos. se effecturum quod [1] prætor nequisset, ademturumque ei exercitus: [2] Crassum Pompeiumque in urbem provinciæ suæ Lucam extractos, compulit, ut detrudendi Domitii caussa, consulatum alterum peterent: & ut in quinquennium sibi imperium propagaretur: [3] perfecitque utrumque. Qua fiducia ad legiones quas a Rep. acceperat, alias privato sumtu addidit: unam etiam ex *Transalpinis* conscriptam, vocabulo quoque Gallico: ([4] Alauda enim appellabatur) quam disciplina cultuque Romano institutam & ornatam, postea universam [5] civitate donavit. Nec deinde ulla belli occasione, ne injusti quidem ac periculosi, abstinuit, [6] tam fœderatis quam infestis ac feris gentibus ultro lacessitis: adeo ut Senatus quondam legatos ad explorandum statum Galliarum mittendos decreverit, ac nonnulli dedendum eum hostibus censuerint. Sed prospere [7] decedentibus rebus, & sæpius & plurium quam quisquam umquam dierum [8] supplicationes impetravit. Gessit autem novem annis, quibus in imperio fuit, hæc fere.

NOTÆ.

1. *Quod prætor*] Ut scilicet Cæsar vocaretur ad disquisitionem eorum quæ in consulatu gesserat.

2. *Crassum Pompeiumque.*] Non hos modo, sed & alios complures primariæ nobilitatis viros etiam e magistratuum numero, ita ut Plutarchus referat tunc temporis, simul visos fuisse circa Cæsarem centum & viginti lictores cum fascibus & securibus; Senatoresque plusquam 200. omnes, illius vel largitionibus, vel favore devinctos quorum communi consilio decretum est, ut Crassus, Pompeiusque iterum consulatum peterent: ubi nota urbem Lucam Cisalpinæ Galliæ a Suetonio sicut & a Plutarcho assignari, quam tamen Etruriæ Plinius attribuit.

3. *Perfecit*] Sic emendandum censuit Torrentius ex Vaticano codice *propagaretur* legunt alii *prorogaretur*: posteriorem hanc lectionem sequiritur Casaubonus.

4. *Alauda.*] Et ipsi milites *Alauda* dicti a Galearum quibus utebantur forma: erat enim illarum summitas in quandam veluti cristam erecta ad similitudinem illius apicis qui in capite ejus aviculæ conspicitur quam Latini *galeritam* appellant: alauda enim vocabulum omnino Gallicum est etiamnum hodie *une aloüette.* Casaubonus ad galearum ornamenta refert veluti cristas, quas Romanis pinnatas fuisse Polybius ait.

Digitized by Google

3. *Civitate donavit*] Vide supra cap. 8.

6. *Fœderatis*] Fœderatæ gentes eæ erant quæ populo Romano debebant aliquid ex fœdere, quo soluto gaudebant sua libertate.

7. *Decedentibus*] *Prospere decedere* pro *prospere cedere* usurpatum raro reperire est.

8. *Supplicationes*] Qui feliciter imperium administraverunt iis præsentibus triumphus, absentibus vero Imperatoris nomen & supplicationes decernebantur. Hæ autem erant dies festi quos toti populo Senatus indicebat per quos pompa solenni in templa proficiscebatur, sacrisque peractis populo dabatur esculum. Quæ pompa modo plurium modo pauciorum fuit dierum, pro hominum dignitate aut victoriæ magnitudine. Verum ad Cæsaris usque tempora longe pauciorum fuerat quam postea, quapropter hæc verba *plurium quam quisquam unquam dierum* restringe ad tempora ante Cæsarem.

CAPUT XXV.

A.V.C. DCC. OMnem Galliam, quæ a [1] saltu Pyrenæo Alpibusque & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano continetur, patetque circumitu ad bis & tricies centum millia passuum, præter socios ac bene meritas civitates in [2] provinciæ formam redegit, eique quadringenties [3] in singulos annos stipendii nomine imposuit. Germanos, qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum, ponte fabricato aggressus, maximis affecit cladibus. Aggressus est & Britannos, ignotos antea: superatisque pecunias & obsides imperavit. Per tot successus ter, nec amplius, adversum casum expertus: in Britannia, classe vi tempestatis prope absumta: & in Gallia, ad [4] Gergoviam legione fusa: & in Germanorum finibus, Titurio & AUrunculeio legatis per insidias cæsis.

NOTÆ.

1. *A saltu Pyrenæo*] Satis noti sunt hi montes. *Gebenna* vero hodie, *Les Cevennes* mons est in longum maxime extensus inter Rhodanum & Garumnam flumina.

2. *In provinciæ formam.*] Legibus magistratibusque Romanis administrandam subjecit.

3. *Quadringenties.*] Quid sint sestertii supra dictum est cap. 4. Ut autem illorum ratio numerandorum clarior fiat, notandum est: modo numerorum ordinem simplici via ab antiquis observatum in numerando; modo brevitatis gratia multa legentibus intelligenda reliquisse. Nam ab unitate ad millenarium usque numerum simplici via procedebant hoc modo: sestertii 10. 20. 500. 1000. a millenario numero ad eum quem lingua vernacula dicimus *million*. Tribus modis. Primo, vel adhuc simpliciter ut mille sestertii, bis mille sestertii, &c. Secundo, Neutro plurali sestertia ut duo, tria sestertia, &c. Intelligendo millia: autpotius secundum Budæum nihil intelligendo quidquam. Sestertia enim singula in neutro plurali mille nummos sestertios valent: eaque sunt, quæ magna vocantur ab aliquibus: hi vero sestertii nempe dicuntur parvi, quod bis mille sestertii duo tantum sestertia valeant. Tertio denique modo per genitivum pluralem contractum v. g. *sestertium* pro *sestertiorum* additis numeralibus, ut *octo millia sestertium*, *centena millia sestertium*, &c. Et a millione indefinite procedendo utuntur adverbiis, ut decies, centies, millies, ubi semper intelligenda veniunt *centena millia nummum*, vel *sestertium nummum*. Nam sive separata, sive conjuncta idem sonant hæc tria. Postrema autem hæc numerandi ratio auctori nostro familiaris est, raroque ipsum, quoties de ingentibus summis agitur, aliter locutum invenias. Ut HS. millies intulit, quadringenties stipendii nomine imposuit, &c. Lipsius aliter censet Suetonium scripsisse nimirum hoc modo id est quater millies ea summa decem milliones reddit: Sed prior lectio videtur melior. Nec enim voluit Cæsar nimiis tributis statim exasperare Gallos subjectos.

Digitized by Google

subjectos. Adde & illud indicium, quod plures codices, omissa tributi quantitate, simpliciter habeant *stipendii nomen* alii *nomine* imposuit.

6. *Ad Gergoviam*] Arvernorum urbs fuit, quam aliqui asserunt esse hodie *Clermont en Auvergne*. Alii vero paulum distasse ab hac urbe affirmant. Obsidio illius fuse describitur in Commentariis Cæsaris, & quæ sequitur legatorum cædes.

CAPUT XXVI.

EOdem temporis spatio [1] matrem primo, deinde [2] filiam, nec multo post [3] neptem amisit. INTER QUÆ consternata P. [4] Clodii cæde Rep. cum Senatus [5] unum Cos. nominatimque Cn. Pompeium fieri censuisset, egit cum Tribunis plebis collegam se Pompeio destinantibus, id potius ad populum ferrent, [6] ut absenti sibi, quandoque [7] imperii tempus expleri cœpisset, petitio secundi Consulatus daretur: [8] ne ea causa maturius, & imperfecto adhuc bello decederet. Quod ut adeptus est, [9] altiora jam meditans, & spei plenus, nullum largitionis, aut officiorum in quemquam genus publice, privatimque omisit. [10] Forum de [11] manubiis inchoavit: cujus area super H S. [12] millies constitit. [13] Munus populo, [14] epulumque pronuntiavit in filiæ memoriam, [15] quod ante eum nemo. Quorum ut quam maxima exspectatio esset, ea quæ ad epulum pertinerent, quamvis [16] macellaris oblocata, etiam [17] domesticatim apparabat. [a] Gladiatores [18] notos, sicubi [19] infestis spectatoribus dimicarent, vi rapiendos reservandosque mandabat. Tyrones neque in [20] ludo, neque per [21] lanistas, sed in [22] domibus per equites Romanos, ac etiam per Senatores armorum peritos erudiebat: precibus enitens, quod epistolis eius ostenditur, [b] ut disciplinam singulorum susciperent, ipsique dictata exercentibus darent. Legionibus [23] stipendium in perpetuum duplicavit. Frumentum, quoties copia esset, etiam [24] sine modo mensuraque præbuit; [c] ac singula interdum mancipia & prædia viritim dedit. A. V. C. DCCII.

INTERPRETATIO.

a *Si gladiatores* peritiæ *cognita decertarent alicubi cum offensione spectatorum*, ne occiderentur, *jubebat ut eriperentur per vim, & reservarentur* sibi.

b *Ut instruerent singulos* tyrones *& data commenta illis traderent ore proprio.*

c *Et largitus est identidem unicuique militi unum servum, & unum fundum.*

NOTÆ.

1. *Matrem primo*] Aureliam insigni pudicitia mulierem, apud quam Cæsar educatus mirabilem illam Latini sermonis elegantiam non parum excoluit; pure enim & eleganter Romane loquebatur Aurelia, utpote cujus e familia, Cottarum scilicet, tot illustres prodierant Oratores.

2. *Filiam*] Juliam scilicet quæ Pompeio collocata, partus doloribus expiravit. *Atque omnia* (inquit Velleius) *inter destinatos tanto discrimini duces dirimente fortuna: filius quoque Pompeii Julia natus intra breve spatium obiit.* Hoc enim una mutuæ socerum inter & generum concordiæ pignus erat potissimum; unde Lucanus lib. 1.

Nam pignora juncti
Sanguinis, & diro ferales omine tædas
Abstulit ad Manes, Parcarum Julia sæva
Intercepta manu, &c.

3. *Neptem*] Et filia scilicet Julia & Pompeio, sed ab interitu Juliæ tam cito mortem obiit, ut cujusnam sexus esset inter veteres

Digitized by Google

non constiterit. Velleius enim, ut patet ex loco supra adducto, & Lucanus lib. 5. nepotem Julio natum affirmant, nec etiam utriusque testimonium, Dionis lib. 39. & Plutarchi in Pompeii vita, testimonio posthabendum existimarim, maxime cum Suetonius certo non adversetur, siquidem in Vaticano, & Memmiano codicibus legit Casaubonus *nepotem*; quæ lectio cæteris quoque anteponitur a Lipsio Elect. 2. c. 17.

4. *P. Clodii Cæde.*] A Milone perpetrata, cui facinori excusando, egregiam illam Cicero pro Milone orationem scripsit.

5. *Unum Consulem*] Quod Romanorum nulli hucusque contigerat, ut consulatus nomine tota Dictaturæ potestas obineretur; sed ideo tunc factum quod appareret periculum hoc motu Remp. nisi unius auctoritate, non posse stabiliri: quod consuli potius uni quam Dictatori credere fortasse maluerint, quia collegam illi poterant salvis legibus, adjungere, huic vero minime.

6. *Ut abjecit sibi*, &c.] Quamvis enim legibus id non liceret, Pompeii tamen exemplo præcedente facilius impetratum iri videbatur, Catone licet perpetuo repugnante.

7. *Imperii tempus*] Secundi nempe quinquennii in quod Gallias obtinuerat.

8. *Ne ea causa*] Ad petendum scilicet alterum consulatum.

9. *Altiora meditans*] Propter spem continuandæ tantæ auctoritatis.

10. *Forum de Manubiis*] Vocis illius significationes variæ sunt. Hic nil aliud est quam locus, tractandis civilibus negotiis comparatus; Basilicis insignibus, tabernisque circumdatus ad Cæsaris usque tempora solum fuerat Romanum forum, cui & illud addidit, de quo hic agitur. Sed crescente postea negotiorum multitudine, tertium extrui jussit Augustus. Et hæc tria sunt fora ab auctoribus præcipue celebrata, de quibus adhuc infra August. 29. 31. 56. 72. Claud. 33. &c.

11. *Manubiis*] Manubiæ sunt pecunia ex præda, per Quæstores Pop. Rom. vendita, contracta auctore Gellio lib. 13. cap. 23.

12. *Super sestertium millies* &c.] Hoc est nostro ritu quatuor, ut aiunt *milliones* cum trecentis & 75. librarum nostratium millibus; quanta summa merito deterritus, mihi videretur Egnatius, nisi tenuiorem ipse & minus etiam ex contraria ratione credibilem substitueret: vult enim loco *millies* legendum esse *mille* sestertios scilicet, quorum cum singuli non pluribus quam decem cum dimidio denariis nostratibus æquivaleant, ut supra cap. 4. fieret tantum 43. l. 25. s. summa, qua quid potuisset ad tantum opus, quale fuit Julium forum, soli comparari. Quod si lectionem immutare liceat longe tolerabilius fuerit legere *mille sestertia* quæ circiter 43750 l. efficiunt. Cum ergo doctissimi viri Torrentius & Casaubonus satis perfectam nolint Romanorum magnificentiam ei, cui credibilis non fit hic Suetonii locus, iis assentiri dubio procul satius est, cum præsertim omnium codicum auctoritate nitatur vulgata lectio. Cui accedit etiam quod in tanta urbis frequentia multorum domus privatorum coemendæ verosimiliter fuerint, idque non nisi magno pretio: invitis quippe tunc temporis adimere consiliorum ejus non erat.

13 *Munus*] Hoc est spectaculum gladiatorum de quo supra cap. 10.

14. *Epulum*] Convivium publicum quod in propatulo civibus exhibebatur, idque vulgo in dedicatione templorum, in honorem deorum, in pompis triumphantium, ludorumque solennitatibus, &c.

15. *Quod ante eum nemo*] De fœminis duntaxat intelligit; viris enim id honoris jam ante tributum. Sed sexum illum inusitatis honoribus, consulto, utpote qui a Venere ortus esset, illustrabat

16. *Macellariis*] Ii sunt obsoniorum omnis generis venditores, quibuscum Cæsar de epulo instituendo pepigerat.

17. *Domesticatim*] Non definiunt an per domos varias, an per domesticos proprios. Prius videtur intelligendum

18. *Gladiatores notos*] Quorum in tractandis armis peritia decertationibus multis inclaruisset.

19. *Infestis spectatoribus*] Si pugnantes in arena gladiatores populo non placerent, ii, licet fortissimi, spectantis & infesti populi jussu trucidabantur. Quod verso pollice faciendum indicabatur. Juvenal. Sat. 8.

Munera nunc edunt, & verso pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter.

Et Prudentius in Vestales quod talia spectarent.

Consurgit ad ictus
Et quoties ferrum victor jugulo inserit, illa

Digitized by Google

Delicias ait esse suas, pectusque jacentis
Virgo modesta jubet converso pollice rumpi.

Illos autem de quibus hic, vi rapiendos, servandosque sibi Cæsar jubebat, quo suum munus etiam gladiatorum peritia commendaret.

20. *Ludo*] Gladiatorio nempe ubi tyrones ad gladiaturam instituebantur: sic enim appellavere locum omnem discendi causa comparatum.

21. *Lanistæ*] Lanistæ sunt gladiatoriæ artis magistri, qui domi gladiatores instituebant quos deinde munerariis elocarent, aut venderent.

22. *In Domibus*] Privatis nempe vel ut peritiores fierent, vel ut docentium nobilitate major esset expectatio spectaculi, aut etiam magnificentia.

23. *Stipendium*] Notum est ex Livii lib. 4. decad. 1. stipendium per 300. & amplius annos militibus Romanis non concessum. Et ex Polybii lib. 6. Illud cum dari cœptum est, fuisse petexiguum; hujus siquidem auctoris tempore hoc est trecentis circiter post annis diurnus peditis quæstus oboli duo, Centurionis duplex, equitis ero drachma seu denarius fuisse reperiuntur. Oboli autem illi duo ex Lipsii supputatione lib. 1. Elect. cap 2. tribus tantum Romanis assibus & fortasse paulo amplius æquivalebant. Cum igitur auctum ab eo tempore ad Julium usque Cæsarem non reperiatur, conjicere est duplicatum illud de quo hîc agitur stipendium, non nisi sex aut septem utplurimum Romanorum assium fuisse in singulos pedites. Quod reliquæ urbis magnificentiæ meo quidem judicio parum congruit; nisi tamen debellatorum tot hostium spoliis tantisque triumphantium imperatorum largitionibus querimonias de stipendii vilitate cæteroqui futuras, atque seditiones etiam, retardatas fuisse suspiceris. De stipendii incremento & aliis circa hoc infra. August. cap. 49. & Domit. cap. 7.

24. *Sine modo mensuraque*] Stipendio militibus concesso, aliquot post annos conceſſus est & certus frumenti modus, qui annona dicebatur. Eratque in Romana legione milites quibus duplex ob virtutem annona dabatur. Cæsar autem ut efficacius omnes sibi devinciret, nullum in distribuendo militibus frumento modum servari voluit, sed quantum habuit sine mensuræ parcimonia dilargitus est.

CAPUT XXVII.

AD retinendam autem Pompeii necessitudinem ac voluntatem, [1] Octaviam sororis suæ [2] neptem, quæ C. [3] Marcello nupta erat, [4] conditione ei detulit, sibique [5] filiam ejus in matrimonium petiit, Fausto Syllæ destinatam. [6] Omnibus vero circa eum, atque etiam parte magna Senatus, gratuito, aut levi fœnore obstrictis, [6] ex reliquo quoque ordinum genere vel invitatos, vel sponte ad se commeantes, uberrimo [7] congiario prosequebatur: libertos insuper, servulosque cujusque, prout domino [8] patronove gratus quis esset. Tum reorum aut [9] obæratorum, aut prodigæ juventutis subsidium unicum ac promptissimum erat: nisi quos gravior criminum, vel inopiæ luxuriæve vis urgeret, quam ut subveniri posset a se. [10] His plane palam bello civili opus esse dicebat. A. V. D. DCCIII.

INTERPRETATIO.

2 *Cum autem* Cæsar *pecuniis creditis, vel sine usura, vel cum exigua, obligasset* sibi *omnes, quibus molestus fuerat familiaris, & etiam magnam partem Senatus, afficiebat quoque maximis donis* alios *ex cæteris Ordinibus qui vel invitati, vel ultro ad illum se conferebant.*

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Octaviam*, &c.] Cæsaris Augusti soror hæc fuit de qua plura in Aug. cap. 4. & alibi.

2. *Sororis neptem*, &c.] Julia enim Julii Cæsaris soror ex Attio Balbo genuerat Attiam, quæ Octavio nupta Augusti mater fuit & Octaviæ minoris. Aug. cap. 4.

3. *Marcello*] De cujus filio tam præclara Virgilii carmina lib. 6. Æneid. & infra Aug. cap. 63. 66. & Tib. cap. 6.

4. *Conditione*] Sumi videtur pro nuptiarum sponsaliorumve pactione: quo sensu vox illa familiaris est Jureconsultis. Sic Cajus in renunciatione nuptiarum hæc verba fuisse solennia auctor est: *conditione tua non utar*, &c. Claud. cap. 26. & pro ipso quoque matrimonio apud Plin. *Lib.* 1. *Ep.* 14. *in conditionibus deligendis hic quoque ponendus est calculus, ut sensus hominum spectetur.* Sed & pro stupris etiam ut Aug. cap. 69. Sed hæc loquendi ratio *conditione deferre* nova Bernecero visa est: unde *conditionem* scribendum existimat, ut pro ipsa nupta accipiatur quod novum non minus esse videtur, & firmata consensu codicum lectio servanda ut phrasibus quæ nostro auctori peculiares sunt, annumeretur.

5. *Sibique filiam*] Eam de qua supr. cap. 21.

6. *Ex reliquo ordinum genere*] Equestris & plebei de quibus adhuc non semel infra.

7. *Congiario*] Congiarium commune est liberalitatis atque mensuræ, ut ait lib. 6. Quintilianus. Congius enim sex sextariorum capax erat. Hic vero significat munera quæ Cæsar commeantibus ad se largiebatur. Cum autem congiarium proprie sit munus illud quod a viris magnificis populo præstabatur universo, minus proprie locutus videri potuerit Suetonius; nisi hac voce de industria usum dixeris, ut *privatorum* subornationes tantas, *vocabulo* quo vel ipsius populi subornatio *posset exprimi*, melius indicaret. Numquid enim congiarium dici potuerit uberrimum quod auctore Valerio Maximo lib. 9. cap. 1. uni Curioni H S. sexcenties hoc est 2580000 l. ad dissolvendum, ut innuit cap. 29. *æs alienum*, dederit Paulo Æmylio 1500. talenta referente Plutarch. in Cæs. ac tot aliis de quibus Appianus & Plutarch.

8. *Patronove*] Ad libertos refertur, sicuti *Domino* ad servulos: notum enim est patronum eum esse qui libertate donavit servum, hunc que mutato nomine *dici libertum*.

9. *Obæratorum*] Hoc est ære alieno obstrictorum, sive oppressorum, hoc enim etiam nomine dicebantur, qui apud creditores suos erant in servitute, usque *dum* solvissent.

10. *His plane palam*] Hoc est obæratis & luxuriosis. Duplex esse potest hujus loci sensus, vel necessarios esse ejusmodi viros in bellis civilibus, utpote semper novandis rebus acerrimos; vel necessarium eis esse bellum civile utpote quorum fortunæ *sic* erant profligatæ, crimina tot, vel tam atrocia; ut illæ restaurari, hæc aboleri sine summa rerum perturbatione non possent quod postremum videtur esse longe vero similius.

CAPUT XXVIII.

NEc minore studio reges atque provincias per terrarum orbem adliciebat: aliis captivorum millia dono offerens: aliis citra Senatus populique auctoritatem quo vellent, & quoties vellent, auxilia submittens: superque Italiæ, Galliarumque & Hispaniarum, Asiæ quoque & Græciæ potentissimas urbes præcipuis operibus exornans: [a] donec attonitis jam omnibus, & quorsum illa tenderent reputantibus, M. Claudius Marcellus Cos. edicto præfatus de summa se Repub. acturum, retulit ad Senatum ut ei succederetur [1] ante tempus: quoniam bello confecto pax esset, ac dimitti deberet victor exercitus: & ne absentis ratio [2] comitiis haberetur, [3] quando nec plebiscito Pompeius postea abrogasset. Acciderat autem, ut is legem de jure magistratuum ferens, eo capite quo a petitione honorum absentes summovebat, ne

Digitized by Google

Cæsarem quidem exciperet, per oblivionem : ac mox lege jam [4] in æs incisa, & in ærarium condita, corrigeret errorem. Nec contentus Marcellus [5] provincias Cæsari & [6] privilegium eripere, retulit etiam, ut colonis quos rogatione [7] Vatinia [8] Novumcomum deduxisset, civitas adimeretur : quod per ambitionem & [9] ultra præscriptum data esset.

INTERPRETATIO.

a *Quousque cum omnes jam obstupescerent, & considerarent scopum ejusmodi Consiliorum, Claudius Marcellus per edictum præfatus, se tractaturum* cum Senatu *de maximo negotio Reipublicæ, adduxit in consultationem ut successor mitteretur Cæsari ante tempus* concessum illi a populo, *si quidem bello peracto, pax erat, & dimitti debebat exercitus victor; nec absentis meminissent in comitiis, quandoquidem Pompeius* ipse *postea non antiquaverat plebiscitum.*

NOTÆ.

1. *Ante tempus*] Alterum nempe quinquennium de quo supra cap. 26.

2. *Comitiis*] Quæ de creandis consulibus habenda erant, quibus ut petere posset consulatum licet absens, biennio ante per Tribunos obtinuerat, sed a populo, unde Marcellus a Senatu volebat id immutari.

3. *Quando nec Plebiscito*, &c.] Sic in M. S. omnibus Casaubonus. Ita in tribus e suis Torrentius. Adversar. tamen lib. 24. cap. 14. Turnebus præfert *ne*; sed utramque lectionem obscuram faciunt hæ particulæ *nec vel ne* ut Torrentius neutram admitti debere censeat, vel earum loco substituendum *ei* quo sane difficultas evanesceret; apertus enim hic sensus, plebiscitum illud quo Cæsari, licet absenti, permissa fuerat consulatus petitio, abrogatur per subsequentem Pompeii legem &c. Dicitur enim *abrogare legi*, & *legem*; quanquam illud usitatum sit minus: sed repugnat codicum auctoritas quorum tamen plures *nec* habent, quam *ne*: hoc sensu removendum a consulatus petitione Cæsarem, siquidem Pompeius non abrogasset plebiscito, hoc est per plebiscitum illam legis suæ partem qua absentes a magistratuum petitione submovebat; sed tantum auctoritate propria, cum lex illa sua foret jam in ærarium relata, quapropter censeri non debebat id abrogasse Pompeius, quod abrogare non potuerat, cum æque intervenire populi debuit auctoritas ut legi Pompeianæ derogari posset, quam ante, cum factum est in gratiam Cæsaris plebiscitum. Cui tamen legi locum fuisse colligas ex Cicerone in literis ad Atticum, ubi auctum a Pompeio Cæsarem conquestus hæc habet *ille* (Pompeius) *provinciæ propagator* (Galliæ scilicet pro Cæsare) *absentis in omnibus adjutor, idem etiam tertio consulatu postquam esse defensor Reipub. cœpit, contendit ut decem Tribuni ferrent, ut absentis ratio haberetur, quod idem ipse sanxit lege quadam sua.* Unde sic intelligendum videtur, ut in nostra interpretatione.

4. *In æs incisa*, &c.] Ænea scilicet tabula aut etiam columna pro more populi Romani: sic enim aliæ leges publice exponebantur ut de lege 12. tab. apud Livium lib. 3. aliæ in ærario, quod in Saturni templo erat, recondebantur asservandæ. Quo facto nil ex illis absque nova ad populum rogatione mutari poterat.

5. *Provincias*] Gallias Togatam & Comatam ac Illyricum de quibus supra cap. 22.

6. *Privilegium*] Illud enim plebiscitum in unius gratiam Cæsaris emissum fuerat, ut iis nempe solveretur legibus, quibus absenti petere consulatum non licebat.

7. *Rogatione Vatinia*] Hoc est lege quæ Vatinio Tribuno plebis de quo supra cap. 22. rogante lata erat.

8. *Novumcomum*] Civitas est Galliæ Comatæ h. e. Cisalpinæ Transpadanæ hodie *Come* prope lacum ejusdem nominis, quinque illuc millia colonorum lege Vatinia deduxerat, ac civitatis jure donaverat.

9. *Ultra præscriptum*] Legis agrariæ, qua & agri limites, & colonorum numerus, &c. definiebantur, quæ tamen Cæsar suo dispositerat arbitrio, non autem juxta legis præscriptum.

Digitized by Google

CAPUT XXIX.

A.V.C. DCCIV. COmmotus his Cæsar, ac judicans, quod sæpe ex eo auditum ferunt, difficilius se principem civitatis a primo ordine in secundum, quam ex secundo in novissimum detrudi, summa ope restitit, partim per [1] intercessores Tribunos, partim per [2] Servium Sulpicium alterum consulem. [a] Insequenti quoque anno, C. Marcello, qui fratri [3] patrueli suo Marco in consulatu successerat, eadem tentante, collegam ejus [4] Æmilium Paullum, Cajumque Curionem violentissimum Tribunorum, ingenti mercede defensores paravit. Sed obstinatius cum omnia agi videret, & [5] designatos etiam Coss. e parte diversa, Senatum literis deprecatus est, ne [6] sibi beneficium populi adimeretur: aut ut [7] cæteri quoque imperatores ab exercitibus discederent: confisus, ut putant, facilius se, simulatque libuisset, [8] veteranos convocaturum, quam Pompeium novos milites. Cum adversariis autem [9] pepigit, ut *dimissis* octo legionibus, Transalpinaque Gallia, duæ sibi legiones, & Cisalpina provincia, vel etiam una legio cum Illyrico, concederetur, quoad Cos. fieret.

INTERPRETATIO.

a *Cum etiam anno sequente eadem molieretur C. Marcellus qui in consulatu successerat M. Marcello filio patrui sui, &c.*

NOTÆ.

1. *Intercessores Tribunos*] Hoc est sese Marcelli conatibus opponentes, propria enim Tribunorum est intercessio, utpote ad quam unam non ad jus dicendum, quod tamen postea factum est, creati videantur antiquitus auctore Gellio lib. 7. cap. 19. Colligas & ex Plutar in Cæsare.

2. *Per Servium Sulpitium*] Creatus hic fuerat consul propter eximiam qua pollebat, juris scientiam, de quo Cicero Philippica 9. numero 11 ait omnes qui ex omni ætate in civitate Romana intelligentiam juris habuerint, si unum in locum conferantur, cum Servio Sulpicio non esse comparandos. Illius opiniones non paucæ sparsæ sunt in libris digestorum.

3. *Patrueli suo Marco*] De quo cap. proxime præcedenti.

4. *Æmylium Paullum, Cajumque Curionem* &c.] Ii ipsi sunt de quibus capite præcedenti. Æmylius accepta a Cæsare pecunia egregiam illam Basilicam extruxit, quæ inter præstantissima urbis opera post modum numerata est: ejus nomine Basilica Paulli appellata est. Curio autem Cæsaris quondam inimicus acerrimus & ut ait Lucanus lib. 1.

Vox quondam populi, libertatemque tueri
Ausus, &c.

Tunc vero in servitium accepta pecunia etiam præceps, *qui*, ut ait lib. 2. Paterculus, *salubertimas coalescentis conditiones pacis discussit ac rupit, homo male publico facundus* & de cujus vitiis plura ibidem.

5. *Designatos Consules*] Hi erant M. Marcellus & Lentulus, ubi notatu dignum *videtur* tribus annis continuis cum tribus Marcellis Consulibus disceptationem fuisse Cæsari.

6. *Beneficium populi*] Intellige de hoc plebiscito quo permissa fuerat ei absenti consulatus petitio, supra cap. 26.

7. *Cæteri imperatores*] Pompeium in primis innuit.

8. *Veteranos*] Cæsaris inter & Pompeii milites discriminis id fuit, quod ille paucos quidem, sed usu diuturno & continuo armorum peritissimos & laboris omnis tolerantissimos haberet; hic vero Pompeius nempe, multos quidem, sed tyrones ut plurimum & armorum tam rudes quam laboris parum patientes. Unde apud Lucanum lib. 7. ver. 270. Cæsar ad suos.

Graiis delecta juventus
Gymnasiis aderit, studioque ignava palæstra

Et paulo post.

Civilia pauca
Bella manus facient, &c. ac tandem

Ite per ignavas gentes, famosaque regna
Et primo ferri motu prosternite mundum.

9. *Pepigit*] Hoc est pactionem obtulit, vel tentavit ubi nota a Suetonio etiam alibi adhibitum hoc verbum pro pactione oblata duntaxat, non accepta ut Vitell. cap. 15.

CAPUT XXX.

a VErum neque Senatu interveniente, & adversariis negantibus ullam se de Repub. facturos pactionem, transiit in [1] citeriorem Galliam : [2] conventibusque peractis, Ravennæ substitit, bello vindicaturus si quid de [3] Tribunis plebis intercedentibus pro se, gravius a Senatu constitutum esset. Et prætextum quidem illi civilium armorum hoc fuit : causas autem alias fuisse opinantur. b Cn. Pompeius ita dictitabat, quod neque [4] opera consummare quæ instituerat, neque populi [5] expectationem, quam de adventu sui fecerat, privatis opibus explere posset, turbare omnia ac permiscere voluisse. Alii timuisse dicunt, ne eorum, quæ primo consulatu adversus [6] auspicia legesque & intercessiones gessisset, rationem reddere cogeretur : cum M. Cato idemtidem, nec sine jurejurando, denuntiaret [7] delaturum se nomen ejus, simul ac primum exercitum dimisisset : cumque vulgo fore prædicarent ut si privatus redisset, [8] Milonis exemplo circumpositis armatis caussam apud judices diceret. Quod probabilius facit [9] Asinius Pollio, [10] Pharsalica acie cæsos profligatosque adversarios prospicientem, hæc eum ad verbum dixisse referens ; *Hoc voluerunt : tantis rebus gestis, C. Cæsar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petiissem.* Quidam putant captum [11] imperii consuetudine, pensitatisque suis & inimicorum viribus, usum occasione rapiendæ dominationis, quam ætate prima concupisset. Quod existimasse videbatur & Cicero, scribens, de officiis tertio libro, semper Cæsarem in ore habuisse [12] Euripidis versus, [13] quos sic ipse convertit ;

A. V. C. DCCXV.

Nam si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est : aliis rebus pietatem colas.

Interpretatio.

a *Sed cum Senatus non veniret in partem negotii, & inimici Cæsaris dicerent se non audituros ullam conditionem de eo quod spectaret ad Rempublicam.*

b *Cn. Pompeius frequenter sic dicebat Cæsarem voluisse perturbare & permiscere omnia, quia non poterat propriis divitiis conficere ædificia quæ destinaverat, neque præstare quæ expectabantur de adventu ejus.*

Notæ.

1. *Citeriorem Galliam*] Togatam sive Cisalpinam, *Lombardie* hodie.

2. *Conventibusque*] Quid ii sint supra cap. 7. Legionibus in hiberna deductis, Transalpina relicta Gallia, in Cisalpinam se conferebat, hoc quidem prætextu, sed ut majora moliretur, patet ex eo quod Ravennæ commoratus sit, quæ provinciæ suæ ab illa parte terminus erat, & omnium minime ab urbe dissita, ejusdem hodie nominis & ejus regionis quæ *Romagna* nuncupatur.

3. *Tribunis plebis*] Hi diu cum Cæsaris inimicis, intercessionibus luctati, urbe demum cedere coacti sunt acerbissime in ipsos decernente Senatu. Hanc Tribunorum ejectionem speciosum Cæsari prætextum fuisse notat Plutarchus : eis quippe nunquam ablata fuerat intercedendi libertas, quin & eo usque

Digitized by Google

eis licebat intercedere, ut consules ipsos intercessionibus reluctantes mittere possent in carcerem. Qua occasione Lucanus lib. 1.

Justos fortuna laborat
Esse ducis motus, & causas invenit armis.

Et Cæsar ipse lib. 1. de bello civilli.

4. *Opera*] Forum inchoatum, &c. de quibus cap. 26.

5. *Expectationem*] Epuli, muneris gladiatorii &c. de quibus omnibus ibid.

6 *Adversus auspicia*] Ea omnia enumerantur supra cap. 20.

7. *Delatorumque nomen ejus*] Alicujus nomen deferre & accusare distingunt Jureconsulti: prius enim est apud magistratum de aliquo crimine denunciare, posterius vero est adducto in judicium reo causam agere. Quæ cæteri auctores usurpant promiscue.

8. *Milonis exemplo*] Notæ judicii Miloniani turbæ, quod, cum fieret, clausæ tota urbe tabernæ, milites in foro & in omni fori aditu circumpositi fuerint, &c.

9. *Asinius Pollio*] Orator idem & Historiarum, civilis præsertim belli scriptor, ut patet ex Horatio Ode 1. lib. 2. *Motum ex Metello consule civicum.* Illustribus Ætatis suæ viris commendatus: Virgilius Eclog. 3. v. 19. 21. 23.

Pollio amat nostram, quamvis sit rustica, musam
Pollio & ipse facit nova carmina.
Qui te Pollio, amat, veniat quo te quoque gaudet:
Mella fluant illi, &c.

Ac præsertim egregia illa Ecloga cui nomen *Pollio* quæ est quarta. Horatius lib. 2. Ode 1.

Insigne mœstis præsidium reis
Et consulenti Pollio curiæ, &c.

de quo adhuc infra cap. 55. & 56.

10. *Pharsalica acie*, &c.] Pharsalici item & Philippici Thessaliæ Campi Romanorum cladibus notissimi de quibus adhuc infra in Aug. cap. 9. 13. 22. 29.

13. *Capium imperii consuetudine*, &c.] Decem enim paulo minus annis continuis *perpetuum* obtinuerat in bellicosissimos populos imperium ut de ipso non injuria dici queat quod de Miltiade propter occupatam Chersonesum Athenienses. *Miltiades multum in imperiis magistratibusque versatus videbatur non posse esse privatus cum consuetudine ad imperii consuetudinem trahi videretur.* Ait in Miltiade Æmylius Probus.

12. *Euripidis versus*, &c.] In Euripidis poëtæ Græci tragedia cui nomen Phœnissæ. Græcos autem versus ab erudito quodam margini adscriptos tractu temporis in textum irrepsisse, interpretum omnium una consensio est, quare Casaubonus illos eodem rejicit, nec immerito parum enim Suetonii brevitati convenit ut bis idem dicatur. Vulgati codices legunt *in Phœnissis* cujus eadem est causa quæ Græcos versus textui miscuerat.

13. *Quos sic ipse*] Cicero nempe Offic. lib. 3. quos ad verbum sic exponas. *Nam si injustum esse opus est, regni causa pulcherrimum est injustum esse, quoad alia pium esse oportet.*

CAPUT XXXI.

CUm ergo sublatam [1] Tribunorum intercessionem, [2] ipsosque urbe cessisse nuntiatum est, præmissis confestim clam [3] cohortibus, ne qua suspicio moveretur, & spectaculo publico per dissimulationem interfuit, & [4] formam, qua [5] ludum gladiatorium erat ædificaturus, consideravit, & ex consuetudine convivio se frequenti dedit. Dein post Solis occasum, mulis e [6] proximo pistrino ad vehiculum junctis, occultissimum iter modico comitatu ingressus est: & [7] cum luminibus extinctis, decessisset via, diu errabundus, tandem ad lucem duce reperto, per angustissimos tramites pedibus evasit: consecutusque cohortes ad [8] Rubiconem flumen, qui provinciæ ejus finis erat, paullum constitit: ac reputans quantum moliretur, conversus ad proximos, *Etiam nunc*, inquit, *regredi possumus: quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt.*

Notæ.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Tribunorum*, &c.] Curionis, Antonii & Cassij.

2. *Ipsosque urbe cessisse*] A Coss. ejectos. Quam injuriam eximie verbis extulit Cæsar, dum concionabundus conquerebatur apud milites intercedendi libertatem Tribunis ademptam, quam ne ipse quidem Sylla sustulerat Tribunitiæ dignitati, licet omnium retro infestissimus, ut supra cap. 5. notatum est.

3. *Cohortibus*] Cohors Romanæ legionis pars decima quadringentorum & 20. hominum ab initio: quod si quandoque pleniores manipuli (tribus enim constabat) tum plenior & ipsa, inde quingenarias & sexcenarias etiam legere est. Vegetius quidem lib. 2. cap. 6. primæ cohorti mille centum quinque pedites, equites vero 135. assignat; unde milliaria dicebatur, reliquis autem 555. sed hæc recentioris militiæ fuerunt procul a prisca illa, quemadmodum & cohortes Prætoriæ de quibus infra. De his quoque fuse Lipsius de militia lib. 2. Dialogo 4.

4. *Formam*] Quam delineandam jusserat. *le plan, le dessein.*

5. *Ludum*] Locum erudiendis gladiatoribus: de hac voce jam supra cap. 26.

6. *E proximo pistrino*] Mulos enim non exportandæ duntaxat farinæ, habebant in pistrinis; sed & molæ versandæ: nec enim ejusdem apud antiquos artificii, quo apud nos, fuere pistrina: mola siquidem servis aut equis vel mulis circumagebatur, quod cum operosissimi laboris esset huc pœnæ loco trudebantur servi, Terentius in Andria Act. 1. Sc. 2.

Verberibus casum te in pistrinum Dave dedam usque ad necem

Et heautontim. Act. 3. Scena 2.

Hominem pistrino dignum.

De mulis pistrinensibus adhuc Sueton. in Calig. cap. 39.

7. *Luminibus extinctis*, &c.] Nocturnis enim itineribus lumina deferebant ut alio hujus auctoris loco patet. Aug. cap. 29. & Ovidii 4. fast. diluculum describentis.

Semiustamque facem vigilata nocte viator
Ponet, & ad solitum rusticus ibit opus.

Et Metamorph. 1.

Ut facibus sæpes ardent, cum forte viator
Vel nimis admovit vel jam sub luce reliquit.

Quod multis antiquorum testimoniis hic pererudite confirmat Casaubonus ac laternarum etiam, quibus prælata sibi lumina tuebantur a ventis, hæc enim præcipua cura, alioqui periculum erat ne via decederent ut ex hoc loco patet, laternarum inquam artificium ex Plutarcho, Julio Africano &c. graphice prorsus exprimit.

8. *Ad Rubiconem*] Hodie *Pisatello* Cisalpinæ Galliæ terminus est Lucanus lib. 1.

Fonte cadit modico parvisque impellitur undis
Puniceus Rubicon, &c. Paulo post *Gallica certus*
Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis.

9. *Omnia armis*, &c] Decretam enim a populo provinciam, ejusdem injussu egredienti vel subeundum judicium, vel salus non alia quam armorum opera defendenda.

CAPUT XXXII.

CUnctanti[1] ostentum tale factum est. Quidam eximia magnitudine & forma in proximo sedens repente apparuit, [2] arundine canens: ad quem audiendum, cum præter pastores, plurimi etiam ex [3] stationibus milites concurrissent, interque eos & [4] æneatores, rapta ab uno tuba prosiluit ad flumen: & [5] ingenti spiritu classicum exorsus, pertendit ad alteram ripam. Tunc Cæsar, *Eatur*, inquit, *quo Deorum[5] ostenta & inimicorum[6] inquitas vocat. 7 Jacta alea est*, inquit.

Digitized by Google

INTERPRETATIO.

8 *Et magno flatu canens signum* bellicum; &c.

NOTÆ.

1. *Ostentum*] Quo sensu hic sumitur, illud omne est, quod præter naturam videtur.

2. *Arundine*] Hoc est Tibia ex arundinibus compacta Virgil. Eclog. 6. v. 10.

Agrestem tenui meditabor arundine musam.

Vel etiam ex stipulæ calamis ut Ecclog. 1.

Silvestrem tenui musam meditaris avena.

3. *Stationibus*] Stationes hic sunt militares custodiæ, *les corps de gardes, ou leurs postes.*

4. *Æneatores*] Tubicines ab ænea tuba sic dicti, quanquam Festo æneatores proprie sint qui cornu, non ænea tuba canunt; cornicines scilicet de classico. Vide in Vitellio c. 11.

5. *Ostenta*] Vel vera, vel militibus excitandis conficta, quod probabilius est.

6. *Inimicorum iniquitas*] Refertur ad prætextum illum dequo supra cap. 30.

7. *Jacta alea est*] Proverbialiter dictum, h. e. constitutum est, & fortunæ commissum, quemadmodum alea ubi primum jacta est, irrevocabiliter ad nutum fortunæ volvitur & cadit: Lucanus lib. 1.

Credidimus fatis utendum est judice bello.

Quod æque de transituro quam prætervecto Cæsare potest intelligi. Quod & Petronius in carmine de hoc bello civili *judice fortuna cadat alea*, &c.

CAPUT XXXIII.

ATque ita trajecto exercitu, adhibitis Tribunis plebis, qui pulsi supervenerant, pro concione fidem militum, flens, ac [1] veste a pectore discissa, invocavit. Existimatur etiam [2] equestres census pollicitus singulis; quod accidit opinione falsa. Nam cum in alloquendo exhortandoque, sæpius [3] digitum lævæ manus ostentans, affirmaret se ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem suam defensurus esset, [4] anulum quoque æquo animo detracturum sibi: extrema concio, cui facilius erat videre concionantem, quam audire, pro dicto accepit quod visu suspicabatur: [5] promissumque jus anulorum cum [6] millibus quadringenis fama distulit.

NOTÆ.

1. *Veste discissa*] Hoc doloris & illatæ signum injuriæ frequenter usurpatum ut Neron. cap. 42. & Vitell cap. 17.

2. *Equestres census*] H. e. tantam pecuniam quantam in bonis habere Romanum equitem oportebat: equites enim, Senatores, quin & ipsi milites censu legebantur ut inf. August. cap. 41. Vespas. cap. 17.

3. *Digitum lava manus*] Eum, qui minimo proximus est, utpote quem anulo insignire moris est.

4. *Anulum detracturum sibi*] Hoc est ad extremam se potius egestatem redigendum, bonorum enim omnium novissimus vendebatur vel oppignerabatur anulus, ut in eos qui patrimonium decoxere Juvenal. Sat. 11. v. 43.

Talibus a dominis post cuncta novissimus exit
Anulus & digito mendicat Pollio nudo.

5. *Promissum jus anulorum*] Hoc est jus anulum aureum gerendi, in quatuordecim de quibus infra cap. 39. sedendi: quæ Romanorum equitum prærogativa fuit, ad quam quadringenta ut minimum in bonis habere oportebat, ut patet ex hoc loco quæ qui dilapidaverant, hoc jure excidebant. Unde Martial. lib. 8. Epig. 5. in ganeonem ejusmodi perlepide.

Dum donas Macer anules puellis
Desisti Macer anules habere.

Digitized by Google

6. *Cum millibus quadringenis*. &c.] Quæ juxta institutam supputandi rationem 1705o L. nostrates efficiunt, qui census erat equestris de quo hujus initio capitis. Et innuit Juvenal. Sat. 1. v. 105.

Sed quinque taberna
Quadringenta parant, &c. Et Sat. 5. v. 132.

Quadringenta tibi si quis Deus aut similis diis
Aut major fato donaret homuncio, quantus
E nihilo fieres? quantus Virronis amicus.

Quæ de reditu annuo intelligenda evincit tum hic Juvenalis locus, tum Martialis Epig. 37. lib. 5. vide-sis & infra in Neron. cap. 44.

CAPUT XXXIV.

ORdo & summa rerum quas deinceps gessit, sic se habent. [1] Picenum, [2] Umbrium, [3] Etruriam occupavit: & [4] L. Domitio, qui per tumultum successor ei nominatus, [5] Corfinium præsidio tenebat, in deditionem redacto, atque dimisso, secundum [6] superum mare [7] Brundisium tetendit, [8] quo Coss. Pompeiusque confugerant, quamprimum [9] transfretaturi. Hos frustra per omnes moras [10] exitu prohibere conatus, [11] Romam iter convertit, [12] appellatisque de Repub. patribus, validissimas Pompeii copias, quæ sub tribus legatis [13] M. Petreio, & L. Afranio, & [14] M. Varrone in Hispania erant, invasit: professus ante inter suos, *ire se ad exercitum sine duce, & inde reversurum ad ducem sine exercitu.* Et quamquam [15] obsidione Massiliæ, quæ sibi in itinere portas clauserat, summaque frumentariæ rei penuria retardante, brevi tamen omnia subegit. A. V. C. DCCVI.

NOTÆ.

1. *PICENUM.* 1. *Marchia Anconitana.*] Ad mare superum.
2. *UMBRIAM.* 2. *Ducatus Spoletinus.*] Sed finibus si Magino fides angustioribus.
3. *ETRURIAM.* 3. *Toscana.* De quibus, Lucanus lib. 2.

Gens Etrusca fugit, trepidi mandata Libonis
Fusque sui pulso iam perdidit umbria Thermo.

4. *Domitio*] Eo de quo capitibus 24. & 25. de quo Paterculus lib. 2. *Cæsar Domitio legionibusque Corfinii qua una cum eo fuerant petitus duce, alisque qui voluerant abire ad Pompeium sine dilatione dimissis*, &c. Et Lucan. lib. 2. de hac venia, invito Domitio data: mortem enim præferebat.

Scit Cæsar ferrumque peti, veniamque timeri
Vive licet nolis, & nostro munere, dixit,
Cerne diem, victis iam spes bona partibus esto
Exemplumque mei, &c.

Et Cicero multis hac super re Epistolis ad Atticum.

5. *Corfinium*] Oppidum erat in Pelignis hodie pagus cui nomen *S. Pelino*, in Aprutio non longe a Sulmone ejusdem regionis urbe Ovidii natalibus celebranda ut ipse Trist 4. Eleg. ultima testatur: opem illuc Domitio ferre Pompeius non potuit ut ipse testatur Epistola ad Coss. quæ apud Ciceronem inter Epistolas ad Atticum 161. est. lib. 8. 16. *Nunc scitote me esse in summa solicitudine, nam tot & tales viros periculo obsidionis liberare cupio, neque subsidio ire possum.*

6. *Superum mare*] Hadriaticum scilicet *Golfe de Venise.*

7. *Brundisium*] Sic ex M. S. & servato ubi marmore Torrentius & Casaubonus emendarunt pro quo vulgo legebatur *Brundusium*: quibus adde Festum, antiqua Salentinorum hodie *Terra d'Otranto*, civitas quæ etiam *Brindes* vel *Brindizzo* nuncupatur; e cujus portu transitus erat in Græciam. Lucan. lib. 2

Hinc late patet omne fretum, seu vela ferantur
In portus Corcyra tuos seu lava petatur
Illyris, &c.

Digitized by Google

8. *Quo consules*] Marcellus & Lentulus, ut supra notatum cap. 29. hunc magna mercede Cæsar invitandum jusserat per occultos nuntios, sed qui occurrere illi ante non potuerunt quam Pompeio Brundisii conjungeretur. Senserat enim Cæsar offensum Pompeio Lentulum propter desertum Corfinii Domitium, teste ipso Cicerone Epist ad Atticum 151. 155. 160. quæ libri 8. sunt 8. 10. & 15.

9. *Transfretaturi*] In Epirum scilicet quo brevis trajectus Brundisio solventibus.

10. *Exitu prohibere conatus*, &c.] Portu propemodum intercluso magnis variisque operibus quæ ipse lib. 1. de bello civili describit & de eo Florus lib. 4. cap. 2. *Peractum erat bellum sine sanguine si Pompeium Brundisii opprimere potuisset ut cœperat, sed ille per obsessi claustra portus nocturna fuga evasit*, &c.

11. *Romam iter convertit*] 60. dierum spatio sine sanguine tota potitus Italia.

12. *Appellatus*] Hoc est in Curiam vocatis, vel ut censet Beroald. *Imploratis* ipse enim ait in Commentariis lib. 1. *Pro quibus rebus erat ac postulat Remp. suscipiant atque sua secum administrent*, &c. Eodem sensu Velleius lib. 2. *In urbem revertit, reddiitaque ratione consiliorum suorum in Senatu, & in concione ac miserrima necessitudinis, cum alienis armis ad arma compulsus esset*. &c.

13. *M. Petreio & L. Afranio*] Hos apud Ilerdam Citerionis Hispaniæ oppidum aquatione intercluſa, ad deditionem adegit.

14. *M. Varrone*] Hic Pompeii, in Hispania ulteriore legatione functus Cæsarem convenit, eique legiones suas pecuniamque publicam dedidit. Hunc ipsum esse vulgo sentiunt qui tantæ eruditioni totque scriptis bellicam laudem conjunxit, ut pote qui jam ante in bellis piraticis corona rostrata donatus erat a Pompeio: de eo infra, cap. 44. & Plin. lib. 7. cap. 30. & lib. 16. cap. 4.

15. *Obsidione Massilia*] Dequa & ipse fuse lib. 1. de bello civili, & Velleius lib. 2. *Festinationem itineris ejus aliquandiu morata Massilia est, fide melior quam Consilio prudentior, intempestive principalium armorum arbitria captans, quibus, ei se debent interponere, qui non parentem coercere possunt.*

CAPUT XXXV.

A.V.C. DCCVII. HInc urbe repetita, in [1] Macedoniam [2] transgressus, Pompeium per quatuor pene menseis [3] maximis obsessum operibus, ad extremum [4] Pharsalico prælio fudit: & fugientem Alexandriam persecutus, ut occisum deprehendit, cum [6] Ptolomæo rege, a quo sibi quoque [7] insidias tendi videbat, bellum sane difficillimum gessit: neque loco, neque tempore æquo, sed [8] hieme anni, & [9] intra mœnia copiosissimi ac [10] solertissimi hostis, inops ipse rerum omnium, atque imparatus. Regnum Ægypti victor, [11] Cleopatræ [12] fratrique ejus minori permisit: [13] veritus provinciam facere, ne quandoque violentiorem præsidem nacta, novarum rerum materia esset. Ab Alexandria in [14] Syriam: & inde [15] Pontum transiit, urgentibus de Pharnace nuntiis: quem [16] Mithridatis Magni filium, ac tunc occasione temporum bellantem, jamque [17] multiplici successu præferocem, intra quintum, quam adfuerat, diem, quatuor, quibus in conspectum venit, horis, una [18] profligavit acie: [19] crebro commemorans Pompeii felicitatem, cui præcipua militiæ laus, de tam imbelli genere hostium contigisset. Dehinc [20] Scipionem ac [21] Jubam, reliquias partium in Africa refoventeis, devicit: Pompeii [22] liberos in Hispania.

NOTÆ.

1. *Macedoniam*] Non quidem proprie dictam (hujus enim nomen angustius sumitur lib. 3. de bello civili, postridie siquidem cum Brundisio solverat Cerauniorum terram attigit, qui montes sunt in Epiro, sed Macedoniam dixit ex divisione Romano-

Digitized by Google

tum, qui cum Græciam universam in duas partes divisissent Macedoniam scilicet & Achaiam: Macedoniæ nomine Epirum aliasque regiones comprehenderunt. Epirus autem hodie Albaniæ pars est quam Cluverius lib 4 cap. 7. alii enim aliter, appellat *Canina* Macedonia unum hodie nomen non habet: qua enim Epiro jungitur, reliquam efficit Albaniam, aliis regionibus alia nomina sortitur de quibus Geographi.

2. *Transgressus*] Hoc verbo quod in eodem significatu nempe pro *transfretari* usus esse Sallustius arguebatur a Pollione; cujus reprehensionem multis diluit Gellius lib. 10. cap. 16. hoc inter alia exemplo quod sicuti cursus navium dici solet, ita & transgressus etiam navibus esse factus dici possit.

3. *Maximis operibus*] Ingentia illa opera quibus Pompeium intercludere conatus est vallo nempe 1200. stadiorum a mari ad mare circumducto, fuse describuntur lib. 3. de bello civili, & a Lucano lib. 6. & propter eximias hinc, & inde commissas oppugnationes, poëtice quidem sed non vane.

4. *Pharsalico prælio*] Vide cap 50. numero 10. hujus pugnæ diem vix est qui certo assignarit: alii enim alium narrant ut de industria factum dicas quod Lucanus lib. 7.

Tempora signavit leviorum Roma malorum
Hunc voluit nescire diem, &c.

Levi admodum narrationis transcursu multa perstringit hic auctor, quæ multis aliorum voluminibus enarrantur. Nam bellum civile tribus his capitibus 33. 34. & 35 exequitur; de quo fuse Cæsar ipse, Florus. Dio, Plutarch. Appianus, & Lucanus, &c.

5. *Occisum*] Nota est Historia de Septimio & Achilla Ptolemæi satellitibus, qui Pompeium scapham ingressum conjuge & filiis duobus quibus cum fugerat, videntibus occiderunt. Lucanus lib. 8. secundum Historiæ veritatem sic describit homicidium illud.

Tum stringere ferrum
Regia monstra parant: ut vidit comminus enses
Involvit vultus: atque indignatus apertum
Fortuna prabere caput; tunc lumina pressit
Continuitque animam, ne quas effundere voces
Posset, & æternam moriens corrumpere famam.

In tantum, ait Iib. 2. Velleius, *in illo viro à se discordante fortuna, ut cui modo ad visendam terra defuerat, deesset ad sepulturam.*

6. *Ptolemæo Rege*] Recensitis, qui cum Pompeio evaserant, Velleius addit. *Alius ut Parthos, alius ut Africam peteret suadentibus Ægyptum petere proposuit memor beneficiorum, qua in patrem ejus Ptolemæi, qui tum puero quam juveni propior regnabat Alexandria, contulerat.* Illum seditione pulsum, restituendum a Romanis curaverat de quo supra cap. 11.

7. *Insidias tendi*, &c] De quo Velleius ibid. *non fuit major in Cæsarem quam in Pompeium fuerat Regis aliorumque quorum is auctoritate regebatur, fides, quippe cum venientem eum tentassent insidiis, ac deinde bello lacessere auderent; utrique summo Imperatorum, alteri superstiti, meritas pœnas luere supplicio.* De quo & Cæsar sub finem lib. 3. de bello civili, & Hirtius, ut vulgo existimant lib. de bello Alexandrino.

8. *Hieme*] Qua occasione Cæsarem ante sperabant opprimendum, quam transmarina recipere potuisset auxilia, ut Hirtius sub initium operis notat.

9. *Intra mœnia*] Alexandriæ scilicet ut patet ex libris modo laudatis.

10. *Solertissimi hostis*] Idem Hirtius enumeratis Alexandrinorum operibus. *Ipsi homines ingeniosissimi atque acutissimi qui qua à nobis fieri viderant, ea solertia efficiebant ut nostri illorum opera imitari viderentur, & sua sponte multa reperiebant*, &c.

11. *Cleopatra*] Reginæ multis rebus ab eo tempore notissimæ.

12. *Fratrique minori*] Major enim, de quo supra, in acie ceciderat.

13. *Veritus provinciam facere*] Tacitus lib. 2. Annal. *Nam Augustus inter alia dominationis arcana vetitis nisi permissu ingredi Senatoribus, aut equitibus Romanis illustribus seposuit Ægyptum: ne fame vrgeret Italiam, quisquis eam provinciam clausstraque terra ac maris quamvis levi præsidio adversum ingentes exercitus insedisset.* Tamen Augustus præfecit Ægypto præsides, sed non valentes ut ipse Tacitus lib. 1. Histor. ubi alias quasdam causas addit. Cujus cautionis exemplum ab Alexandro fuisse sumptum, videre est apud Arrianum lib. 3. Ægyptum enim Alexander in plures præfectos distribuit miratus & naturam regionis & munimenta, neque tutum existimans unius imperio totam credi; quæ ipsa ferme sunt Arriani loco citato verba Latine facta.

14. *Syriam*] Asiæ regionem hodie *Souria*

ſed jam inde ab illis temporibus longe arctior erat, quamvis Paleſtinam, aliaſque regiones non paucas includeret, quam antea priſcis temporibus, Semiramidis nempe, & Aſſyriorum.

15. *Pontum*] Quæ ante fuerunt duæ regiones Pontus, ad ortum ſolis, ad occaſum Bithynia ut ait Cluverius lib. 5 cap. 17. eæ unicam hodie conſtituunt quam Maginus quibuſdam *Burſia*, pluribus *Becſangial* teſtatur appellari.

16. *Mithridatis Magni*] Qui quindecim ante annis undique profligatus a Pompeio, dum fugam in Gallias meditaretur, ipſius filii, hujus nempe, de quo hic eſt ſermo, Pharnacis proditione in deſperationem actus ipſe ſibi necem intulerat.

17. *Multiplici ſucceſſu*] Fuſo enim Domitio Calvino, expugnatis ac direptis pluribus oppidis, Pontum paternum regnum, ſed nullo deffendente, recepiſſe gloriabatur.

18. *Una profligavit acie*] Florus lib. 4. cap. 2. *Nec vana de ſe prædicatio eſt Cæſaris ante victum hoſtem eſſe quam viſum* : quod cum Hirtii narratione cohærere non videtur, nec enim opinantem & loci fiducia fretum Cæſarem, aggreſſus Pharnaces prope perturbaverat; & vicit Cæſar *multum juvante natura loci; plurimum Deorum immortalium benignitate, qui cum omnibus caſibus belli interſunt; tum præcipue eis quibus nihil ratione potuit adminiſtrari.* Et eo modo rem narrat quo vix quatuor non amplius horis tranſactam credideris.

19. *Crebro commemorans*] Ipſa Cæſaris verba refert Appianus: Ὠμακάριε πομπηΐε, τοιῦτοις ἄρα, κατὰ Μιθριδάτην τὸν ἓξ πατέρα αἰδοέσιν, Μέγας τε ἐνομίσθης καὶ Μέγας ἐπικλήθης. *O beate Pompei talibus igitur viris adverſus Mithridatem hujus patrem, & habitus & vocatus es Magnus.* Qua tamen appellatione Pompeium juvenem inſignitum a Sylla Plutarchus auctor eſt in Pompeio.

20. *Scipionem*] Ingens partium Pompeianarum favor bellum excitaverat Africum, ut ait lib. 2. Velleius *Quod ciebat Rex Juba, & Scipio vir conſularis, & biennio antequam extingueretur Pompeius, lectus ab eo ſocer, eorumque copias auxerat M. Cato.* Adquem Scipio, Pharſalo fugiens contenderat Corcyram, & inde uterque in Africam auxiliis Vari Jubæque confidentes, ait lib. 2. Appianus.

21. *Jubam*] Mauritaniæ rex erat Pompeio addictiſſimus. Hi omnes Scipio ſcilicet, Juba, Cato, Petreius voluntaria nece, deſperatis rebus occubuerunt.

22. *Pompeii liberos*] Cneum ſcilicet, & Sextum quos periculoſiſſimo illo ad Mundam commiſſo prælio profligavit; altero, Cneo ſcilicet, vulnerato & in fuga cæſo, altero ad alia bella, de quibus in Auguſto, ſuperſtite. De hoc prælio Cæſarem dicere ſolitum ferunt, ſæpe pro victoria; ad Mundam vero pro vita dimicaſſe.

CAPUT XXXVI.

A. V. C. DCCVIII.

OMnibus civilibus bellis nullam cladem, niſi per legatos ſuos, paſſus eſt: quorum [1] C. Curio in Africa periit: C. Antonius in Illyrico in adverſariorum devenit poteſtatem: P. Dolabella claſſem in eodem Illyrico, Cn. Domitius Calvinus in Ponto exercitum amiſerunt. Ipſe proſperrime ſemper, ac ne ancipiti quidem umquam fortuna, præterquam bis, dimicavit: ſemel ad [2] Dyrrachium, ubi pulſus, non inſtante Pompeio, negavit eum vincere ſcire: iterum in Hiſpania ultimo prælio, cum deſperatis rebus, etiam de [3] conſciſcenda nece cogitavit.

NOTÆ.

1. *C. Curio C. Antonius*] Tribuni illi de quibus ſupra, de Illyrico cap. 22.

2. *Dyrrachium*] Hodie *Durazzo* in Albania.

3. *Conſciſcenda nece*, &c.] Ad Mundam ſcilicet de quo prælio ſuperiori cap. num. 22. unde Lucanus lib. 1.

Ultima funeſta concurrant prælia Munda.

Quæ Hiſpaniæ Bæticæ civitas eſt etiam hodie *Munda* vel ut cenſet Mariana *Runda la Vieja* tribus a Munda nova leucis diſſita.

Digitized by Google

CAPUT XXXVII.

CONfectis bellis, quinquies triumphavit, poſt [1] devictum Scipionem quater eodem menſe, ſed interjectis diebus: & rurſus ſemel poſt ſuperatos Pompeii liberos. Primum & excellentiſſimum triumphum egit Gallicum, ſequentem Alexandrinum, deinde Ponticum, huic proximum [2] Africanum, noviſſimum [3] Hiſpanienſem, diverſo quemque apparatu & [4] inſtrumento. Gallici triumphi die, [5] Velabrum prætervehens, pene curru [6] excuſſus eſt, axe diffracto: [7] adſcenditque Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque ſiniſtra [8] lychnuchos geſtantibus. [9] Pontico triumpho [10] inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum, *Veni. Vidi. Vici.* non acta belli ſignificantem, [11] ſicut cæteri, ſed celeriter confecti notam. A. V. C. DCCIX.

NOTÆ.

1. *Poſt devictum Scipionem.*] Ab Africano bello ad Hiſpanienſem victoriam tres aut ferme quatuor anni fluxerant.

2. *Africanum*] De Juba debellato non vero Scipione, Catone &c quamquam eodem fato, peremptis: civem enim de cive triumphare nefas, cum lugubres ſemper habitæ fuerint victoriæ civiles.

3. *Hiſpanienſem*] Re quidem vera ob victos Pompeios, ſub ſpecie tamen debellatorum Celtiberorum qui cum illis erant; quamquam his triumphis, non levi civium dolore delatæ ſint illuſtrium quoque Romanorum imagines Scipionis, v. g. pectus ſuum ferro configentis Catonis, Petreii, &c.

4. *Apparatu & inſtrumento*] His verbis intelliguntur ſigna, tabulæ, Imagines aliaque ejuſmodi pompæ tam ſolennis inſtrumenta, de quibus fuſe Velleius lib. 2. Quintil. lib. 6. cap. 3. & alii.

5. *Velabrum*] Urbis locus erat non longe a macello ubi oleum aliaque vænibant; caſei præſertim ſaporis probatiſſimi. Martial. in Xeniis Epig. 31.

Non quemcunque focum; nec fumum caſeus omnem
Sed velatrenſem qui bibit ille ſapit.

6. *Excuſſus eſt*] Majore periculo cum triumphalis currus eſſet. Locum hunc vero ſimiliter innuit Plinius lib. 28. cap. 2. *Cæſarem Dictatorem poſt unum ancipitem vehiculi caſum ferunt ſemper ut primum conſediſſet, id quod pleroſque nunc facere ſcimus, carmine ter repetito ſecuritatem itinerum aucupari ſolitum.*

7. *Aſcendit Capitolium*] Notus hic mos triumphantium, illuc enim pompa noviſſime traducebatur. Notandum vero quod Gallici triumphi die gradus Capitolinos genibus emenſum Cæſarem, Dio refert lib. 43. quod & Claudius Britannico triumpho retinuit, idem lib. 58.

8. *Lychnuchos*] In ſuis M. S. Caſaubonus legebat *lychnos*. Torrentius in ſuis & *lychnios* & *lychnucos* Politianus & Egnatius ultimum prætulere, quos deinde cæteri ſecuti ſunt unanimes. Hic autem lychnuchos intelligunt vel inſtrumentum cui aptatur lychnus ut Lucerna candelabro: quo ſenſu Cicero Quinto fratri ait *hæc ſcripſi ad lychnucum ligneolum*, &c. vel pueros veros aut effictos lumina geſtantes quo ſenſu Lucretius.

Si non aurea ſunt juvenum ſimulacra per ædes
Lampades igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut ſuppeditentur,
&c.

Unde & *lychnuchi penſiles* apud Plinium lib. 34. cap. 3. & lychni quoque apud Virgil. lib. 1. Æneid. in convivio.

Dependent lychni laquearibus aureis
Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.

De more accendendi in publico gaudio lumina Calig. cap. 13. &c.

9. *Pontico triumpho*] Ex Pharnace c. 35. quo debellato, eadem illa verba ſcripſit ad amicos quæ etiam retulit Appianus ἦλθον. εἶδον ἐνίκησα. de quo & Plutar. in Cæſare

Digitized by Google

10. *Pompa fercula*] Ea ſunt quæcunque in hac ſolenni pompa deferebantur, ut ſpolia hoſtium, coronæ, ſimulacra deorum: dicuntur etiam ludorum fercula, & ſacrificiorum. His Budæus prioribus in pandectas annotationibus, ſimilia quodammodo eſſe ait geſtariola illa, quibus apud nos Sanctorum Relliquiæ in ſupplicationibus circumferuntur.

11. *Cæteri.*] Tituli ſcilicet, & inſcriptiones quibus pro cæterorum more triumphantium deſcriptæ res bello præclare geſtæ videbantur. Beroaldus & Sabellicus legebant *cæteris*, ut habetur etiam in editione Rob. Steph. ita ut verbum illud referatur ad triumphos.

CAPUT XXXVIII.

A. C. V. DCCIX.

[a] VEteranis [1] legionibus prædæ nomine in pedites, ſingulos ſuper bina ſeſtertia, quæ initio civilis tumultus numeraverat, in [2] equites vicena quaterna millia nummum dedit. Aſſignavit & agros, ſed [3] non continuos, ne quis poſſeſſorum expelleretur. Populo præter frumenti [4] denos modios, ac [5] totidem olei libras, [6] trecenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim diviſit: & hoc amplius, centenos pro mora. [7] Annuam etiam habitationem Romæ uſque ab bina millia nummum, in Italia non ultra quingenos ſeſtertios remiſit. [8] Adjecit epulum ac viſcerationem, & poſt Hiſpanienſem victoriam [9] duo prandia. Nam cum prius parce, neque pro liberalitate ſua præbitum judicaret, quinto poſt die aliud larguiſſimum præbuit.

INTERPRETATIO.

[a] *Manubiarum loco largitus eſt unicuique peditì veteranarum legionum, pluſquam duo millia ſeſteriiorum*, quæ jam *dederat illis incipiente bello civili, ſingulis equitibus, vicena quaterna millia ſeſtertiorum.*

NOTÆ.

1. *Veteranis legionibus*] Corruptum hunc locum, Suetonii interpretes quotquot vidi, exceptis Beroaldo & Sabellico qui illum aggreſſi non ſunt, unanimi conſenſu fatentur. Caſaubonus in Vaticano, & Pithœi codicibus has voces *in equites* & *quaterna* non legit in Viterbienſi, & Memmiano duas tantum priores, in Groſſotiano poſteriores duas: quo recepto fieret *veteranis legionibus prædæ nomine, in pedites ſingulos, ſuper bina ſeſtertia, quæ initio civilis tumultus numeraverat, vicena millia nummum dedit.* Sed quia in antiquiſſimis Suetonii codicibus reperiuntur omnes hæ voces, ideo inducendas noluit idem Caſaubonus; & leviuſcula mutatione, *quaterna* in *quadragena*, locum ſic reſtituit *veteranis legionibus prædæ nomine in pedites ſingulos (ſuper bina ſeſtertia quæ initio civilis tumultus numeraverat) vicena: in equites quadragena millia nummum dedit.* Quod nec admiſerit Torrentius priorem ſiquidem lectionem rejicit quod, licet alioqui ſenſus pateat, ſumma tamen incredibilis ipſi videatur. Quæ certe talis viſa non eſt Dioni & Appiano quorum ille lib. 43. hic lib. 3. *bellorum Civilium* unanimiter aiunt πενταισχιλίας δραχμὰς hoc eſt *quinque millenas drachmas* ſingulis militibus datas, quæ ſupradicta vicena M. H. S. efficiunt. Quod & ita legendum ac intelligendum Lipſius pronuntiat lib. de magnitudine Rom. 2. cap. 12. ubi veterum largitionum & divitiarum imperitum dicit, ſi quis adverſetur. Cui & ipſe lubens acceſſerim; vix enim eſt ut ſtare queat ſenſus, ut vulgo legitur, & interpretatum eſt; cum & eadem largitio ab Octavio & Antonio poſt Philippenſe prælium facta legatur apud Plutarch. in Antonio.

2. *In equites*] In donativis ſicut & in ſtipendiis præmium ferebat quiſque pro ratione ſui in militia loci; ut Centurio militis duplum, eques vero triplum acciperet: quæ proportio longe abeſt ut obſervata fuiſſet a Suetonio ſi pedites, duo millia equites viginti quatuor accepiſſent. Quod & vulgatam

Digitized by Google

gatam lectionem atque etiam Casauboni emendationem suspectas fecerit : nec enim refert quod altera recepta prætermittendi sint equites, cum neque de centurionibus ulla mentio, nec opus sit: ex militum quippe dono, promptum est uniuscujusque gradus donum colligere ; & de millitibus indicasse, Dio satis habuit, quanquam Appianus hac parte diligentior tribunorum & præfectorum expresserit.

3. *Non continuos*] Hoc est aliis atque aliis locis præter majorum consuetudinem; quos enim agros veteranis militibus in mercedem laborum assignabant, in eos ; *legiones simul universa deducebantur cum Tribunis & Centurionibus & sui cujusque ordinis militibus ; ut consensu & charitate Rempublicam efficerent*, ut ait Tacitus Annal. 14.

4. *Denos modios*] Modius mensura est *tertiam* amphoræ partem continens, hæc autem quarta pars est ejus quam Parisiensem *sextarium* vulgo *sextier* indigitant. Amphoram enim unam Budæus ipse quemadmodum ex versibus quibusdam qui apud Priscianum incerto auctore leguntur, & aliis argumentis, imaginatus erat, faciendam locavit & probavit, ut refert initio lib. 5. de asse qua *ratione deni frumenti modii* unum nostratem sextarium, quadrante ferme minus, æquaverint.

5. *Totidem olei libras*] Decem scilicet, quæ librarum nostratium non erunt nisi septem cum dimidia libra: quippe Romana 12. tantum unciis, nostra vero 16. constat, quas tamen Romanis pauxillo minores, sed modo vix explicando, comperit Gassendeus, ut refert in vita Peireskii.

6. *Tricenos nummos*] 14 l. 2 s. 6 d. Hi autem cum centenis pro mora additis quadringentos efficiunt. Appianus minam unam Atticam datam ait quod idem, & cum principiis supra ex Budæo ad cap. 5. positis apprime congruit ut nempe mina Attica & libra seu pondo Romanum idem omnino sint, 400 siquidem utrumque nummos valet. Prodigiosam hanc Cæsaris impensam in unam collegerunt summam Budæus lib 3. de asse & Lipsius lib. 2. de magnitudine Rem. cap. 12. ille milliones quos vocamus 22. cum octingentis septuaginta quinque librarum nostratium millibus absque augmento pro Centurione, equite, & Tribuno dequo hoc eodem capite, & habitationibus etiam gratuitis. Lipsius vero milliones octodecim, & ducenta librarum millia præter idem augmentum, ac insuper oleum & frumentum.

7. *Annuam habitationem*] Hæc verba quidam intelligunt de vectigali seu pensione quadam ab iis pendi solita qui cum Cives Romani non essent, Romæ tamen vel in Italia negotiarentur. Torrentius hic & Budæus 3. de asse & Casaubonus etiam sic. Qui Cives Romani in conducto habitabant Romæ, modo plusquam bina millia annua non solverent, & in Italia quingentos nummos ; iis omnibus remisit pensionem unius anni, hoc est unius anni pensione liberavit: commode quidem, modo Cæsar intelligatur quoque locatorum indemnitati prospexisse, cæteroqui foret hæc de alieno liberalitas.

8. *Epulum ac visceration.*] De illo supra cap. 26. hoc erat carnis crudæ distributio domesticatim facta, viscera enim appellabantur quæcumque carnes crudæ : hoc & in funebri pompa virorum illustrium usitatum est.

9. *Duo prandia*] Notandus locus ; existimant enim e Grammaticis alii, prandia veteribus Romanis prorsus inusitata ut Servius Æneid. 4. quem secutus est Isidorus Etymol. cap. 20. alii contra omnino ; diversis omnes auctorum locis freti. Certe sumptuosiora & liberaliora prandia festis diebus solita erant usurpari, aut etiam nuptiarum gratia ; largitionis aut ambitionis. Secus brevia & parca fuisse, di ertis verbis Plutarchus refert in Symposiacis lib. 8. quæst. 6. priscos nempe Romanos moderate privatimque prandere, cœnare vero cum amicis consueviss, ideoque cœnam quasi Κοινὴν *hoc est communem* ipsis appellatam ; quod tamen Cæsaris temporibus, in tanta rerum affluentia, jam immutatum fuisse, vero videtur simillimum.

Digitized by Google

CAPUT XXXIX.

A. V. C. DCCVIII.

EDidit spectacula varii generis : [1] munus gladiatorium , [2] ludos etiam [3] regionatim urbe tota , & quidem [4] per omnium linguarum histriones : item [5] Circenses , [6] athletas , [7] naumachiam. [8] Munere in foro depugnavit [9] Furius Leptinus , stirpe prætoria, & Q. [10] Calpenus Senator quondam , actorque caussarum. [11] Pyrricham saltaverunt Asiæ Bithyniæque principum liberi. [12] Ludis Decimus Laberius eques Romanus [13] mimum suum [14] egit : [15] donatusque quingentis sestertiis , & [16] anulo aureo , sessum [17] in quatuordecim [18] e scena per [19] orchestram transiit. Circensibus , [20] spatio circi ab utraque parte producto , & in gyrum [21] EUripo addito , [22] quadrigas bigasque & [23] equos desultorios agitaverunt nobilissimi juvenes. [24] Trojam lusit [25] turma duplex , [26] majorum minorumque puerorum. [27] Venationes editæ per dies quinque : [a] ac novissime pugna divisa in duas acies : quingenis peditibus , elephantis vicenis , tricenis equitibus hinc & inde commissis. Nam quo laxius dimicaretur , sublatæ [28] metæ , inque earum locum bina castra ex adverso constituta erant. [29] Athletæ , [30] stadio ad tempus extructo in regione Martii campi certaverunt per triduum. Navali prælio [31] in minore Codeta defosso [32] lacu , biremes ac triremes , quadriremesque , [33] Tyriæ & Ægyptiæ classes , magno pugnatorum numero conflixerunt. Ad quæ omnia spectacula tantum undique confluxit hominum , ut plerique advenæ aut inter vicos , aut inter vias tabernaculis positis manerent : ac sæpe præ turba elisi exanimatique sint plurimi : & in his duo Senatores.

INTERPRETATIO.

[a] *Et postremo , dimicatio distincta est in duo agmina , quingentis peditibus , trecentis equitibus , & viginti elephantis in pugnam adactis ab unaquaque parte.*

NOTÆ.

1. *Munus gladiatorium*] Promissum jam inde cum esset in Gallia cap. 26.

2. *Ludos*] Tragœdias , comœdias , mimos & quæ ad Circensium differentiam ludi Scenici dicebantur.

3. *Regionatim*] Per singulas urbis regiones quæ 14. præcipue fuerunt in Aug cap. 30. ut unaquæque suos quasi peculiares ludos haberet.

4. *Per omnium linguarum histriones*] Ut toti illi multitudini quæ Romam in dies commigrabat , melius gratificarerur.

5. *Circenses*] Ludos scilicet equestres pugnas & exercitationes , de illis enim videtur hic tantum intelligendus auctor noster, proxime siquidem addit *Athletas* , quorum exercitatio pedestris ut cursus lucta, &c. licet alioqui pedestres una & equestres fuerint ludi Circenses , unde & gymnici quoque dicti sunt , quod nudi , vel magna parte vestium ad agilitatem exuta , fierent ab initio.

6. *Athletas*] Horum appellatione gymnicos omnes Pollux intelligi voluit; sunt autem παλαισταὶ idest luctatores , δρομεῖς cursores πυκτοὶ pugiles pugnis ab initio deinde cestis pugnantes de quibus lib. 5. Æneidos. Quanquam horum nomen non speciei, sed generis ut Athletarum esse contendunt alii : δισκοβόλοι qui discum in sublime jactabant , ἅλτικοι qui saltus pernicitate contendebant , quæ omnia a Græcis accepere Romani.

7. *Naumachiam*] Navalem pugnam, Græcum vocabulum est.

8. *Munere*] Hoc est gladiatorum spectaculo, ut c. 10 notatum est. Hoc autem in Romano foro voluit exhiberi ea magnificentia ut totum non modo forum , sed sacra etiam via ab sua domo ad clivum usque Ca-

Digitized by Google

picolinum velis obtenderetur, quod ſpectaculo ipſo creditum eſt admirabilius, ut habet Plinius lib. 19. cap. 1.

9. *Furius Leptinus, ſtirpe prætoria*] Cujus e familia Prætores lecti fuerant.

10. *Calpenus quondam Senator*] Senatu ut vulgo ſuſpicantur motus, multis enim ignominia notatis dedecus id inſuper adjectum eſt: quanquam non niſi ſuſpicio. Nero enim 400. Senatores & 600. equites, alioſque fortunæ ac exiſtimationis integræ ad ferrum exhibuit in Nerone cap. 12.

11. *Pyrrhicam*] Ea ſaltationis ſpecies eſt, nomen ab inventore ſortita quem alii Pyrrhum Achillis filium, alii Pyrrhum quemdam Cretenſem vel etiam a ratione ſaltandi quod Pyrrichii pedis modulo ſoleret agitari, de quo pede Quint. lib 9. cap. 14. hæc fuit ſaltatio, ut plures exiſtimant, armata pro juvenibus ad militarem diſciplinam exercendis: varii enim illius motus & flexus, vitandæ vel inferendæ plagæ reddebant idoneos.

12. *Ludis*] Scenicis, ut patet.

13. *Mimum ſuum*] Scaliger lib. Poëtices 1. cap. 10. Mimum dicit eſſe poëma, quod vis genus actionis imitans ita ut ridiculum faciat. Unde enim nomen habet μιμεῖσθαι imitari Laberius ille hoc genere poëmatis excelluit ejuſque, verſus quibus excuſat factum ipſum de quo hic agitur, extant apud Macrobium Saturnal. lib. 2. c. 7. planipedium quoque dixere mimicum poëma quod nudis pedibus agerent mimi, cum Tragœdi Cothurno, Comœdi ſocco calcearentur.

14. *Egit*] Verbum eſt theatro proprium hoc eſt repræſentavit, quo facto equeſtri dignitate ceciderat; ludicram enim facere equiti Romano nemini licebat. *Sed poteſtas non ſolum ſi invitet, ſed etiam ſi ſupplicet; cogit.* Ut ait loco citato Macrobius & de ſe ipſe Laberius ibidem in eo proëmio quo factum hoc excuſabat.

Etenim ipſi Dii negare cui nil potuerunt,
Hominem me demegare quis poſſet pati?

15. *Donatus quingentis*] 21875 l. quæ ſumma eſt equeſtri etiam cenſu major ut ſupra cap. 33. notatum.

16. *Anulo aureo*] Quo a plebe diſtinguebatur, & ſtatum equeſtrem recuperabat, de eo jam cap. 33. & adhuc infra Galbæ cap. 14. & Vitellii 12. &c.

17. *In quatuordecim*] Subſelliorum ſcilicet ordinibus, qui etiam dicebantur *equeſtria*, quibus autem ſedebat populus, *popularia*. Hic igitur Laberius e Scena in qua egerat, tranſivit per orcheſtram, qui locus Scenæ proximus, ut inde in 14. equeſtrium locorum gradus aſcenderet, ibi ſeſſurus, in ſignum recuperati honoris & prærogativæ equeſtris, quæ juſſu Cæſaris mimum agens amiſerat.

18. *E Scena*] Anterior theatri pars erat, umbraculis olim & frondibus arborum tecta unde nomen, σκηνὴ quippe Græcis umbra eſt, poſt tabulatis deinde contignationibus duabus, vel tribus, donec ipſa cum theatro e lapide exædificata eſt.

19. *Orcheſtram*] Hæc apud Latinos proprie ſignificat Senatorum in ludis Scenicis locum unde tranſlata eſt appellatio in alios quoque ludos: erat autem inter gradus imos, ut pote Scenæ in theatro, & arenæ in amphitheatro proximus locus, auditionique & ſpectationi maxime omnium idoneus: unde Horat. Ep. 1. lib. 1. *Ut propius ſpectes lacrimoſa poëmata Puppi.* Et Petronius, *Ex hac nota domina eſt mea: uſque ab orcheſtra quatuordecim tranſilit, & in extrema plebe quærit.* &c. Vide in Aug. c. 44.

20. *Circi*] Notus eſt urbis locus in quo curſus, & agitationes equorum ſpectabantur.

21. *Euripo addito*] Euripi ſunt aquæ ductus grandes & aperti, quos dixerunt etiam Nilos. His autem totum Circi ſpatium cinxerat, ne quis e ſpectatoribus ferarum impetu lædi poſſet ut quondam contigerat, cum eruptionem tentaſſent ut ait Plinius lib. 8.

22. *Quadrigas bigaſque*] Bigarum & quadrigarum curſus, quorum meminit Dionyſius Halicarn. ſub finem lib. 7. ubi & trigarios quoque commemorat. Apud eorum omnium aurigas ſedebant viri quidam quos ut ait idem auctor, poëtæ parabatas, Athenienſes apobatas vocabant, quaſi tranſgreſſores & deſcenſores, quod & inter certamen, & finito certamine deſilientes in pedes curſu contenderent, vel currum rurſus inſilirent.

23. *Equos deſultorios*] Similiter binos ducentes equos, ab altero in alterum, vel armis onuſti identidem inſiliebant. Quod & in ipſis pugnis Numidæ factitarunt. Livius lib. 3. Decad. 3. *Nec omnes Numida in dextro locati cornu, ſed quibus deſultorum in me-*

dum, binos trahentibus equos inter acerrimam ſæpe pugnam, in recentem equum ex feſſo tranſultare mos erat, tanta velocitas ipſis, tamque docile equorum genus eſt. Quod & de gentibus Iſtro vicinis refert Ælianus.

24. *Trojam*] Certaminis equeſtris genus eſt a Trojanis deductum, quod equis in orbem agendis & reducendis, pluribuſque gyris ejuſmodi perficiebatur, Virgil. 5. Æneid.

Inde alios incunt curſus, alioſque recurſus
Alternis ſpatiis, alternoſque orbibus orbes, &c.

25. *Turma*] Triginta conſtabant equitibus ſingulæ turmæ.

26. *Majorum & minorum*] Erat enim illa nobilium puerorum & ætate paulo provectiorum exercitatio: quod Virgilius ibidem innuit.

Vade age & Aſcanio ſi jam puerile paratum
Agmen habet ſecum, &c.

Et paulo poſt.

Una aries juvenum, &c.

Quibus verbis majores illi minoreſque pueri videntur indicari

27. *Venationes*] Quibus feræ conficiebantur in arena a ſervis, in ludo venatorio ad id inſtitutis, quemadmodum gladiatores in gladiatorio, ut ſupra cap. 28. & 31. inde beſtiarii dicti de quibus infra Calig. c. 27.

20. *Meta*] In Circo conſtitutæ ut ea agitatorum curſus definirent, ne ſuos alii, aliis magis contraherent: de his plura vide in Claud. cap. 21.

29. *Athleta*] De his num. 6. hoc cap.

30. *Stadio*] Hoc eſt loco ad currendum comparato; quod etiam inde *ſtadiodromum* & *curriculum* appellavere: ſecus enim eſt menſuræ nomen ut Romanis milliarium Ægyptiis Schœnus, &c.

31. *In mimere Codeta.*] Legunt Beroald. & Sabellicus & Torrentius *in morem cochleæ* quæ lectio admitteretur, ni priorem, tot codicum ſtabiliret auctoritas. Codeta autem ex Feſto & Victore in regione 14. erat quidam ager ad Tiberim circa Martium Campum. Unde conjiciunt interpretes, duplicem fuiſſe codetam quarum altera ad alterius differentiam minor diceretur, non ſecus ac velabrum majus & minus reperire eſt.

32. *Lacu*] Foſſa in quam aquæ Tiberinæ derivarentur.

33. *Tyria Ægyptiaque claſſes*] Emendat Caſaubonus. *Tyria & Ægyptia claſſis* ſive ut eſt in Memmiano Codice quem omnium antiquiſſimum prædicat *biremes ac triremes, Tyria & Ægyptia claſſis.* Eæ autem erant vel ad Tyriarum & Ægyptiarum ſimilitudinem & imitationem factæ quod illi populi Nauticæ artis peritiſſimi forent, vel accerſitæ, vel bello captæ & in id ſervatæ. Idem de Rhodiis & Siculis Claud. cap. 21.

CAPUT XL.

CONVERSUS hinc ad ordinandum Reip. ſtatum, [1] faſtos correxit; jam pridem [2] vitio Pontificum per [3] intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque [4] meſſium feriæ æſtati, neque vindemiarum autumno, competerent. Annumque ad [5] curſum Solis accommodavit, ut [6] trecentorum ſexaginta quinque dierum eſſet: & [7] intercalario menſe ſublato, [8] unus dies quarto quoque anno intercalaretur. Quo autem magis in poſterum ex Kalendis Januariis nobis temporum ratio congrueret, inter Novembrem ac Decembrem menſem, [9] interjecit duos alios: fuitque is annus, quo hæc conſtituebantur, XV. menſium cum intercalario, qui ex conſuetudine in eum annum inciderat.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Fastos correxit*] Hi fasti sunt libri quibus, anni descriptio, & causæ festorum explicantur. Calendaria more nostro dicere possumus.

2. *Vitio Pontificum*] Ut pote quorum duntaxat custodiæ fasti credebantur ut & ipse Cicero ait lib. de Orat. 2. Pontifex enim maximus res singulorum annorum omnes scriptis mandabat, in album referebat, denique quo cognoscendi potestas populo foret exponebat: cap. 13.

3. *Intercalandi licentiam*] Intercalare idem est ac interserere, seu interconvocare cum enim Romani ad Cæsaris usque tempora breviore usi fuissent anno, necesse habebant dies multos addere & eos mensibus suis interserere ne perturbarentur anni tempestates, quod quia calatis comitiis populo convocato nuntiabatur, *intercalare*, dictum est quasi interconvocare. Enim vero cum intercalandi modus solis Pontificibus innotesceret, ideo factum est ut hi, superstitionis quandoque gratia, vel potius, publicanis gratificantes, plus minusve quam par esset, *intercalarent*, prout publicanorum rationibus expediebat, minui annum; vel proferri, inde nata perturbatio; quam emendavit Cæsar.

4. *Messium feria*] Nec mirum prout enim plures, vel pauciores dies intercalabantur hoc est addebantur, citius vel tardius recurrebant feriæ, ita ut quæ dum messis fieret, celebrandæ veniebant, eæ vel non dum maturis vel jam repositis frumentis contingerent; sole scilicet neutiquam retardato.

5. *Cursum solis*] A Numa enim non ad Solis, sed ad Lunæ cursum dies fuerant accommodati.

6. *Trecentorum*] De hac anni correctione vide Josephi Scaligeri diatribam initio lib. 4. de emendatione temporum: & Macrobium lib. 1. cap. 13.

7. *Intercalario*] Vide Macrobium lib. 1. cap. 14.

8. *Unus dies quarto quoque anno*] Qui bissextilis etiamnum hodie dicitur: sed nova adhuc fuit opus reformatione, de qua consule librum de reformatione Calendarii Romani.

9. *Interjecit duos alios*] Quam additionem fieri existimavit, ut cœli habitus is foret, quem Decembri mense esse convenit.

CAPUT XLI.

[1] SEnatum supplevit, [2] patricios adlegit: [3] prætorum, ædilium, quæstorum, [4] minorum etiam magistratuum numerum ampliavit: [5] nudatos [6] opere censorio, aut sententia judicum de [7] ambitu condemnatos, restituit. [8] Comitia cum populo [9] partitus est: ut exceptis consulatus competitoribus, de cætero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur: pro parte altera, quos ipse edidisset. Et edebat per libellos circum tribus missos scriptura brevi, *Cæsar dictator illi tribui.* [10] *Commendo vobis illum, & illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneant.* Admisit ad honores & [11] proscriptorum liberos. Judicia ad duo genera [12] judicum redegit, equestris ordinis ac Senatorii: [13] Tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit. [a] Recensum [14] populi, [15] nec more, [16] nec loco solito, sed vicatim [17] per dominos insularum egit: atque ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico, ad centum quinquaginta retraxit. Ac ne qui novi [18] cœtus recensionis caussa moveri quandoque possent, instituit, quotannis in demortuorum locum ex his qui [19] recensiti non essent, [20] subsortitio a prætore fieret.

Digitized by Google

INTERPRETATIO.

a *Recensuit populum, non modo consuete, sed per propriatarios insularum, nec loco solito sed per vicos urbis.*

NOTÆ.

1. *Senatum supplevit*] Centum Senatorum a Romulo institutorum, numerum Tarquinius ad 300. auxit; verum qua ratione postea creverit ille numerus, apud antiquitatis investigatores aliud non constat nisi quod Syllæ temporibus plures quam 400. fuerint. Cum vero Senatorum numerus, quisquis fuerit ille civilibus bellis haud mediocriter esset imminutus, in mortuorum locum suffecit alios usque ad 900. quod non levem illi conflavit invidiam propter causas infra cap. 80. relatas.

2. *Patricios adlegit*] In Viterb. codice legerat Casaubonus *elegit*. Notum est patricios primum eos duntaxat appellatos, qui e centum illis quos Romulus elegerat, oriundi essent: hic autem dubio procul esse videtur, quin id honoris in novos quosdam contulerit, de patriciis adhuc infra non semel. Aug. 2. cap. 10. Tib. 1. &c.

3. *Prætorum*] De prætoribus c. 14. Ædilibus c. 10. Quæstoribus c. 6.

4. *Minorum magistratuum*] Ii sunt præter Coss. Prætores, & Censores; qui majores ordinarii, reliqui omnes Romani magistratus.

5. *Nudatos*] Censores proprie notare dicuntur eos quos dignitate sua privant: verum cum ab hac lectione, codicum nullus dissentiat, dicendum est hoc verbum *nudatos* ex iis unum esse quæ Suetonio peculiaria sunt. *Nudos equites* pro sceleratis & probrosis dixit Cicero lib. 1. ad Atticum Epist. 13.

6. *Opere Censorio*] Censorum enim erat ut Senatorus legere & Senatu movere, aliaque implere maximæ potestatis officia. *Censorium opus* hic sumitur pro nota censoria.

7. *Ambitu*] De ambitu quid esset supra cap. 9.

8. *Comitia*] Supra cap. 13.

9. *Partitus est*] Hoc est jus creandorum magistratuum sic divisit, ut dimidiam candidatorum partem populo relinqueret eligendam, alteram sibi reservaret. Hinc Juvenalis Satyr. 10. subactum ridens populum.

Quidabat olim
Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
Continet, atque duas tantum res anxius urget
Panem, & Circenses, &c.

10. *Commendo vobis*, &c.] Formula est qua usi sunt quoque cæteri post Cæsarem Imperatores. Vide Tacitum. Annal. 1. de Tiberio *tum primum e campo comitia ad patres translata sunt: nam ad eam diem etsi potissima arbitrio principis, quædam tamen studiis tribuum fiebant.* Paulo post *moderante Tiberio ne plures quam quatuor candidatos commendarent, sine repulsa & ambitu designandos.*

11. *Proscriptorum liberos*] Non a se, nulla enim a Cæsare facta proscriptio, Sed a Sylla qui rerum potitus ut supra notatum est cap. 1. num 9. truculenta illa quam fecit proscriptione, non parentes modo necandos mandavit, sed leges quoque tulit ut contra morem antiquum, ne ipsorum quidem liberi ad honorum petitionem admitterentur, aut legi possent in Senatum. De proscriptione dictum cap. 4.

12. *Judicum*] De iis ut eorum Decuriis. Aug. c. 32. Caliz. 16. &c.

13. *Tribunos ararios*] Quibus pecunia quam militibus distribuerent, erat attributa; quique pecuniam quæstori publice numerarent, quos & inter judices annumerat Cicero Epist. 11. ad Attic. lib. 1.

14. *Recensum populi Censum* non dixit, quod nomine illo intelligenda veniat illa populi recognitio quæ fit per Censores, scribas, &c. adhibitisque ceremoniis pluribus, quas hic defuisse satis indicat.

15. *Nec more*] Non enim Censorem se dixit, sed præfectum morum, de quo Cicero Epist. 15. lib. 9. famil. *quandiu hic erit noster, hic præfectus moribus, parebo auctoritati tuæ*: & infra cap 76.

16. *Nec loco*] Fiebat enim vel in foro vel in campo Martio.

17. *Per Dominos insularum*] Non vero per scribas censorum. Insulæ sunt ædificia, vel ædificiorum multitudo, quæ aliis non conjunguntur ad earum similitudinem terra-

Digitized by Google

tum quæ mari vel fluminibus eminent. Sed hic Insulas intelligit Suetonius quasiuis ædes locatitias: sic enim post Neronem dictæ fuerunt quemadmodum ex Tacito Casaubonus existimat, earum igitur dominos intellige ipsos locatores.

18. *Cœtus*] Supra de hac voce c. 16.

19. *Qui recensiti non essent*] Qui Cæsaris recensione ad frumentationem admissi non erant.

20. *Subsortitio*] Hoc est secundaria quædam sortitio in eorum solatium qui prima sortitione fuerant excluſi, ut nempe in mortuorum loca subrogarentur.

CAPUT XLII.

OCtoginta autem civium millibus in [1] transmarinas colonias distributis, ut exhaustæ quoque urbis frequentia supperetet, sanxit, Ne quis civis major annis viginti, minorve XL. qui [2] Sacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abesset, neu quis Senatoris filius, nisi [3] contubernalis, aut [4] comes magistratus, peregre proficiscereturt: neve hi qui pecuariam facerent, [5] minus tertia parte puberum ingenuorum inter pastores haberent. Omnesque medicinam Romæ professos, & liberalium artium doctores, quo libentius & ipsi urbem incolerent, & cæteri appeterent, civitate donavit. De [2] pecuniis mutuis, disjecta [6] novarum tabularum expectatione, quæ crebro movebatur, decrevit tandem, ut debitores creditoribus satisfacerent, per æstimationem possessionum, quanti quasque [7] ante civile bellum comparassent, deducto summæ æris alieni, si quid usuræ nomine [8] numeratum, aut perscriptum fuisset: qua conditione [9] quarta pars fere crediti deperibat. [10] Cuncta collegia, præter antiquitus constituta, distraxit. Pœnas facinorum auxit: & [11] cum locupletes eo facilius scelere se obligarent, quod [12] integris patrimoniis exsulabant, [13] parricidas, ut Cicero scribit, bonis omnibus, reliquos dimidia parte multavit.

INTERPRETATIO.

2 *Quod ad pecunias mutuas* attinet *ademptæ spe remissionis debitorum quæ sæpe excitabatur*; *statuit demum ut debitores solverent* debita *creditoribus*, facta *æstimatione prædiorum juxta pretium quo singula empta fuerant ante civiles tumultus*; *detrahendo de sorte si aliquid solutum fuisset*, *fœnoris loco*; *quæ pactione propemodum quarta pars pecuniæ creditæ amittebatur.*

NOTÆ.

1. *Transmarinas colonias*] Quarum præcipuæ Corinthus & Carthago.

2. *Sacramento*] Jurejurando sese Romani milites astringebant ad parendum duci quocumque duceret.

3. *Contubernalis*] Supra cap. 2.

4. *Comes*] De iis quales sub Magistratibus erant supra cap. 4. num. 8. & sub Imperat. infra: Tib cap. 46.

5. *Minus tertia parte*] Cum enim illis matrimonium inire liceret, non autem legionariis militibus; futurum erat ut plures a bello avocarentur ad pecuariam, quorum matrimonio procuranda erat urbis frequentia.

6. *Novarum tabularum*] In more positum erat ut unusquisque sibi domesticam rationem totius vitæ suæ scriberet per singulos dies, in quo appareret quid de redditibus suis, fœnore, lucrove sepositisset, aut expendisset ad hæc scribenda tabulis ligneis cera illitis utebatur, inde *tabulæ accepti & expensi*, &c. novæ igitur tabulæ, de quibus hic, sunt eæ in quas nomina hoc est eæ

Digitized by Google

quæ sibi debebantur referebant : quæ si deleri & expungi jubeantur, ut novæ fiant, idem est ac omnia debita prorsus aboleri, quod quamquam maxime populare esset, noluit tamen Cæsar populo condonare: de quo ipsemet tertio de bello civili statim ab initio ubi ea quæ narrat hic Suetonius facta dixit. *Hoc & ad timorem novarum tabularum tollendum minuendumque, qui fere bella & dissentiones civiles sequi consuevit, & ad debitorum tuendam existimationem esse aptissimum existimavit.* Et de perturbationibus a Cœlio super hac re motis paulo infra illo eodem lib. 3. de tabulis vero adhuc infra Tib. cap. 15. quæ etiam omnia de tabulariis publicis, nomina describentibus melius intelligas. Apud ipsos enim sumebatur quoque pecunia mutua, quemadmodum ferme apud eos quos vulgo *notarios* appellamus.

7. *Ante bellum civile*] Vastati enim illo durante agri, proventum reddebant longe viliorem, ac proinde longe minoris æstimati fuissent.

8. *Numeratum aut perscriptum*] *Numerare* est præsentem pecuniam solvere, & naturæ potius, quam juris verbum. *Perscribere* vero contra juris est, significatque sumendam apud argentarium seu tabularium debitum adhuc Aug. cap. 3. & alibi pecuniam permittere, quo sensu Terentius Phormione Act. 5. Scen. 8.

Argentum jube rursum rescribi Phormio

Hoc est fac reddatur ab eo mensario a quo sumendum illud tibi concessimus, cui respondet parasitus ille Phormio.

Quod? ne ego perscripsi porro illis quibus debui.

Significat quoque ejus nomine se obligare ut Cicero lib. 16. ad Attic. Ep. 2. quæ est omnium 332. *Sed cum videas quantum de jure nostro decesserimus qui de residuis quadringentis sestertiis ducenta præsentia solverimus, reliqua perscribamus.*

9. *Quarta pars*] Rationem inire facile est : civile bellum anno ab v. c. 705. incœperat, lata lex est anno 707. cum primum Cæsar victo Pompeio venit in urbem & Dictator est factus ; Si igitur ut fieri consueverat centesimam fœnoris loco solverent, hoc est centesimam in singulos menses debiti partem (usuras enim singulis mensibus exigebant) pro 100. v. g. aureis, annui solvebantur aurei 12. unde patet biennio quo exactæ fuerant usuræ 24 numeratos fuisse, quæ fere quarta pars est.

10. *Cuncta Collegia*] Sunt societates quædam & conventus vel artificum, vel etiam ejusdem nationis hominum ad Deorum honorem constitutæ. Collegiorum primus auctor Numa Pompilius, qui ea per artes pleraque distinxit, sed cum aliis atque aliis identidem additis supra modum crevissent, sublata jam ante nonnulla fuerant, ac postmodum a P. Clodio restituta, ac multa ex servitio ac fœce urbis, insuper addita, quæ Cæsar iterum dissoluit ex iis quos servatos voluit, fuere Judæi quibus concessit ut more patrio, Romæ convenirent, sodalibus aliis interdictis Joseph. Antiquit. lib. 14. cap. 17.

11. *Locupletes*] Idem suo quoque tempore querebatur de præsidibus provinciarum Juvenalis Satyr. 1. v. 48.

Et hic damnatus inani
Judicio : quid enim salvis infamia nummis
Exul ab octava Marius bibit, & fruitur Dis
Iratis : at tu victrix provincia ploras.

12. *Integris patrimoniis*] Libera quippe Repub. cuicumque civi Romano accusato, abeundi potestas fuit, priusquam sententia pronunciaretur, quam hoc pacto, cum bonorum jactura, simul evadebant : quod & de Athenienſibus probat hic ex Demosthene Casaubonus. Sed ea libertatis insignia cum aliis, imperatores ademerunt.

13. *Parricidas*] Patet hic non intelligendos patrum, sed parium interfectores : sic enim homicidas quoscunque dixerunt antiquitus ; & de parricidis, lege Cornelia gravius cautum fuerat, & videbitur infra Aug. cap. 33. parricidas autem eos duntaxat intellige qui scientes scelus patrant. Sic enim lex Numæ *si quis hominem liberum sciens morti duit, parricida esto.* Et Festus in voce *sacer si quis eum qui plebiscito sacer sit occiderit, parricida ne sit.* Voce *reliquos* Torrentius intelligit eos qui non scientes occiderint. *Qua pœna videntur locupletibus irrogata facinorosis.* Quod vero de Cicerone addit, suspectum Torrentio est ne aliunde intrusum fuerit, cum in ejus operibus non reperiatur. Casaubono secus videtur, cum ea non habeantur hodie quæcumque scripserat Orator.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XLIII.

JUs laboriosissime ac severissime dixit. [1] Repetundarum convictos etiam ordine Senatorio movit. Diremit nuptias prætorii viri, qui [2] digressam à marito post biduum statim duxerat, quamvis sine probri suspicione. Peregrinarum mercium [3] portoria instituit. [4] Lecticarum usum, item [5] conchyliatæ vestis, & margaritarum, nisi [6] certis personis & [7] ætatibus, perque [8] certos dies, ademit. Legem præcipue [9] sumtuariam exercuit: [a] dispositis circa [10] macellum custodibus, qui obsonia contra vetitum retinerent, deportarentque ad se, submissis nonnumquam lictoribus atque militibus: qui si qua custodes fefellissent, jam adposita [11] e triclinio auferrent.

INTERPRETATIO.

a *Collocatis custodibus circa macellum, ut retinerent & ad se afferrent cibaria* quæ essent *contra interdictum* legis, *quandoque immissis clanculum lictoribus & militibus, ut si aliqua latuissent custodes, ea auferrent, jam subministrata mensa.*

NOTÆ.

1. *Repetundarum*] De hoc crimine supra cap. 4. ejus pœnam Asconius fuisse notat exilium & publicationem bonorum: quod & Cicero non semel innuit in Verrinis. Huic videtur Cæsar amissionem ordinis addidisse, quam tamen existimat Lipsius cum exilio commutatam. Ut ut est sub imperatoribus pœna illa obtinuit ut patet Othon cap. 2. & Tacit. lib. 1. hist. *Redditus Cadio Rufo, Pædio Blaso Senatoribus locus, qui repetundarum criminibus sub Claudio & Nerone*, &c.

2. *Digressam*] Soluto nempe per divortium matrimonio.

3. *Portoria*] Vectigalia sunt quæ portitoribus hoc est conductoribus tributorum, quæ ad importandas merces peregrinas e portubus colligebantur.

4. *Lecticarum*] His gestabantur viri dignitate conspicui, & primariæ nobilitatis matronæ, idque a servis, qui ideo lecticarii servi, sex ut plurimum vel octo. Unde lectica ipsa hexaphorum & octaphorum. De quibus adhuc infra Tib. cap. 64. Calig. cap. 58. Domit. cap. 2. & 8.

5. *Conchyliatæ*] Hoc est purpureæ, infectæ scilicet, pretioso illo muricis sive ostrei succo, hæc enim duo plerique pro eodem accipiunt atque Conchyle sive Conchylium: alii vero diversa conchatum esse genera sentiunt; de his plura Baisius de re vestiaria cap. 3. & Calig. cap. 17.

6. *Certis personis*] v. g. Magistratibus.

7. *Et ætatibus*] Eusebius in Chronico verba sunt: *In anno proximo post devictam a Cæsare Ægyptum: prohibita lecticis margaritisque uti, quanec viros, nec liberos haberent, & minores essent annis quinquaginta quinque.*

8. *Certos dies*] Eos nempe qui peculiari quodam festo solennes essent, ut Idibus, Calendis, &c.

9. *Sumtuariam*] Fanniam primum deinde Liciniam, quibus senio & situ obliteratis complures, ut inquit Gellius, in patrimoniis amplis helluarentur, & familiam pecuniamque suam prandiorum gurgitibus proluissent, immoderatæ huic conviviorum impensæ modum adhibuit Sylla, ac tandem has leges vim habere curavit Julius Cæsar, non novas instituit. Juliam enim sumtuariam Augusto tribuit Gellius lib. 2. cap. 24. de quo & Macrob. lib. 3. cap. 17.

10. *Macellum*] Locus in urbibus ubi venount quæcumque ad victum pertinentia.

11. *Triclinio*] Patet triclinium hîc accipi pro ipsa mensa, huic enim non illi, apponebantur cibi. Triclinium, ut per se nomen indicat tribus lectis constabat, quibus singulis in formam semicirculi, circum mensam dispositis accumbebant terni; vel si plures, sordidum erat: unde Cicero in Pisonem id ipsum dedecoris loco enumerat: *Græci stipati, quini in lectulis sæpe plures, ipse solus, bibitur usque eo*, &c. Et Horatius Satyr. 4. lib. 1. eodem sensu.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos, &c.

Digitized by Google

CAPUT XLIV.

JAm de ornanda instruendaque urbe, item de tuendo ampliandoque imperio, plura ac majora in dies destinabat. [a] In primis Martis templum, quantum nusquam esset, exstruere, repleto & complanato lacu, in quo [1] naumachiæ spectaculum ediderat: [2] theatrumque summæ magnitudinis [3] Tarpeio monti accubans. [4] Jus civile ad certum modum redigere, atque ex immensa diffusaque legum copia, optima quæque & necessaria in pauciſſimos conferre libros. Bibliothecas Græcas & Latinas, quas maximas posset, [5] publicare, data [6] M. Varroni cura comparandarum ac digerendarum. Siccare [7] Pomptinas paludes: emittere [8] Fucinum lacum: [9] viam munire à mari supero per [10] Apennini dorsum ad Tiberim usque: [11] perfodere isthmum: [12] Dacos, qui se in [13] Pontum & [14] Thraciam effuderant, coërcere; mox [15] Parthis inferre bellum per [16] Armeniam minorem, [b] nec nisi ante expertos aggredi prælio. Talia agentem atque meditantem mors prævenit: de qua prius quam dicam, [17] ea quæ ad formam & habitum, & cultum & mores, nec minus quæ ad civilia & bellica ejus studia pertineant, non alienum erit summatim exponere.

Interpretatio.

a *Præsertim ædificare eadem Martis* tanta magnitudine *quanta nullibi* foret *postquam* repleviſſet *& exæquaſſet* solo *lacum, in quo exhibuerat pugnam navalem.*

b *Et* cum iis *prælium non committere antequam experientia aliqua tentaſſet* illorum peritiam.

Notæ.

1. *Naumachia*] De qua supra cap. 39.

2. *Theatrum ſumma magnitudinis*] Huc enim usque non nisi temporanea fuerant quotannis e ligno fieri solita, ut notat ex lib 5. Vitruvii Lipsius Amphitheat. cap. 5. & colligitur etiam ex Dion. lib. 37. & lib. 43. quo postremo refert extructa a Cæsare in campo Martio theatrum & amphitheatrum inventi quidem novi fuisse, sed lignea.

3. *Tarpeio*] Unus est e septem Romanis montibus, qui & Capitolinus a Capitolio dictus est Theatrum postea Marcelli nomine extruxit Augustus cap. 29. in Aug.

4. *Jus civile*] Id quoque tentatum a Cicerone testis est Gellius lib. 1. c. 22. ubi fragmenta quædam ex illius libro, qui inscriptus est *de jure civili in artem redigendo*, adducit in testimonium. Sed tam immensum opus tandem feliciter adimplevit Justinianus, & quidem singulari industria: tanta est enim titulorum, qui toto jure civili continentur, inter se connexio, ut suus sit singulis locus, nec aptior vel a peritissimo quocunque potuerit excogitari. Et sane cuilibet viro bonæ mentis valde natura sua malevolus videbitur ille, qui de Jurisprudentia Romana tam nitide in ordinem redacta, & petulanter & improbe detraxerit. Præsertim vero postquam Ludovici Magni sapientia incredibili, ac pene divina contigit, ut promovente Michaële Tellerio Cancellario superilluſtri studia juris civilis diu sopita per universas Gallias in pristinum splendorem restituerentur. Tanti nempe momenti negotium Illustrissimis Togæ proceribus, comitibus consistorianis Ludovico Boucheratio, Claudio Basinio Besontio, Claudio Peleterio, & Hieronymo Bignonio a Rege sapientissimo nominatim mandatum est conficiendum. Quorum omnium solertiam, & prudentiam eximiam præscripta singulis totius regni Academiis juris Romani publice docendi forma cumulatissime demonstravit.

5. *Publicare*] Publice utendas permittere.

6. *M. Varroni*] Illi, qui doctissimus togatorum habitus est.

7. *Pomptinas paludes*] Alii *Potinas* alii

Digitized by Google

Pontinas legunt hodie *l'Anfente palude*. tam grandes erant ut eas vel arte magica exficcari Plinius optaret. Ut lib. 26. cap. 4. ait *ut tantum agri ſuburbana redderetur Italia*: erant enim in Latio. Nunc aiunt ferme totas exficcatas, quamvis id præter Cæſarem conati quoque ſint fruſtra ſemper. alii Imperatores & reges, Aufidio flumine & vicinarum montium radicibus, perennes aquas, & quæ derivari in perpetuum alio non potuerant immittentibus, quod à Cornelio Cethego Conſule ante Cæſaris tempora factum narrat Livius lib. 47.

8. *Fucinum lacum*] Hodie ab oppidis circumſtantibus varia habet nomina *Lago di Celano*, *Lago di Marſo*: erat enim in finibus Marſorum: de hoc eodem Conſilio Claud. cap. 20.

9. *Viam munire*] Sternere vel conficere.

10. *Appenninis*] Notus mons, ab Alpibus juxta totam Italiæ longitudinem porrectus.

11. *Perfodere Iſthmum*] Quod & ante ipſum Demetrius Rex; & poſt illum Caligula cap. 21. & Nero cap. 19. infauſto omnes eventu tentaverunt. Hodie Corinthiacus ille iſthmus Nigro & Volaterrano dicitur *hexamili*.

12. *Dacos*] Hos inter Scythiæ Europeæ populos Cluverius annumerat eaſque regiones tenuiſſe dicit, quas hodie Valachi & Moldavi ferme omnes; atque etiam Tranſilvani & Hungarorum pars lib. 4. cap. 17. Introduct. in Geogr.

13. *Pontum*] Supra cap. 35.

14. *Thraciam*] Hodie *Romania* eſt, propter inſtauratam in ea regione novam Romam, nempe Conſtantinopolim.

15. *Parthis*] Apud eundem Cluverium lib. 5. cap. 13. hodie *Arach*.

16. *Armeniam minorem*] Nigro eſt hodie *Anaduole* aliis *Pegian*; & ubi Colchorum fines attingit *Acoionlu*. Plutarchus in Cæſare deſtinaſſe illum ait, pervenire ad Caſpium mare, inde ſupra Pontum per Scythiam in Germaniam & Gallias ad repetendam Italiam tranſire, Romanum hoc terrarum ſpatio concluſurus imperium.

17. *Ea quæ ad formam*, &c.] Hæc omnia eodem quo hic propoſita ſunt ordine refert Suetonius: quam ſcribendi rationem familiarem eſſe noſtro auctori animadvertere eſt, ut nempe ea generatim proponat quæ ſigillatim poſtmodum explicet.

CAPUT XLV.

FUiſſe traditur excelſa ſtatura, colore candido, [1] teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetiſque oculis, valetudine proſpera: niſi quod tempore extremo, repente animo linqui, atque etiam per [2] ſomnum exterreri ſolebat. [3] Comitiali quoque morbo bis inter res agendas correptus eſt. Circa corporis curam [4] moroſior, ut non ſolum tonderetur diligenter, ac raderetur, ſed [5] velleretur etiam: ut quidam exprobraverunt: calvitii vero deformitatem iniquiſſime ferret, ſæpe [6] obtrectatorum jocis obnoxiam expertus. Ideoque & deficientem capillum revocare à vertice aſſueverat: & ex omnibus decretis ſibi à Senatu populoque honoribus, non aliud aut recepit aut uſurpavit libentius quam [7] jus laureæ perpetuo geſtandæ. Etiam cultu notabilem ferunt. Uſum enim [8] lato clavo ad manus [9] fimbriato, nec ut umquam aliter quam ſuper eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura. Unde emanaſſe Syllæ dictum, optimates ſæpius admonentis, *ut male* [10] *pracinctum puerum caverent*.

NOTÆ.

1. *Teretibus*] Teres dicitur illud quod rotundum eſt & oblongum: intelligit ergo membra Cæſaris fuiſſe quidem ſuculenta non obeſa; qualia Caſaubonus ex Ariſtotele vocat εὐσαρκα nos *en bonne chair, ni gras ni maigre*. Quem tamen Plutarchus macilentum fuiſſe ſcripſit.

2. *Somnum*] Alii ſomnium emendarunt ex aliis M. S. Torrentius & Caſaubonus & bene: ſomni enim inquieti minus proſpera

Digitized by Google

valetudinis indicia.

3. *Comitiali morbo*] Caducum vulgus appellat, Græco vocabulo Epilepsia dicitur: qui etiam sacer vel divinus, quia ut ait Apuleius in Apologia *partem animi rationalem qua longe sanctissima est, eam violet.* Comitialis vero quod inauspicatus esset Comitiis habendis; aliquo enim concidente ex hoc morbo dum haberentur Comitia, dirimebantur. Herculeus quoque dictus est, ab Hercule: hoc Cæsar correptus traditur a Plutarcho dum aciem ordinaret in Africa, quem simul ac persensit delatus in proximam turrim quieti se dedit.

4. *Morosior*] Hoc est tam exquisite corpus curabat ut vel minimo defectu offenderetur, & morosus fieret.

5. *Velleretur*] Delicatiorum mos erat ut pilos vellellis evelli sibi juberent; quod vitio dabatur, unde corpora vulsa muliebriter fœdissima dicit Quintilianus lib. 3. & Martialis molles carpit non semel.

6. *Obtrectatorum*] Ut patet ex dictis paulo infra de militibus canentibus in triumpho.

7. *Jus Laurea corona*] Non modo quod triumphantium insigne, verumetiam quod hac ratione calvitium occultaret: qui Suetonii locus cum eo quod hic etiam dixit consuevisse nempe capillum a vertice revocare, maxime favet iis qui Romanos aperto vulgo capite, in urbe fuisse contendunt: de quo infra cap. 57. & Aug. cap. 82. Certe mirum est Cæsarem occultandæ calvitiei non usum comis illis fictis, quibus tot alios paulo post usos patet Oth. cap. 12. & Calig. cap. 11. & Ner. 26. &c. Cum nec ante ipsius tempora populis aliis incognitæ essent, ut potequibus usos vulgo Medos constat ex Xenoph. lib. 1. de Institutione Cyri.

8. *Lato clavo*] Tunica erat purpura prætexta, vulgari tunica latior, cui toga superinduebatur, Senatorium ordinem ab equestri distinguens, ut Plin lib. 33. c. 2. auctor est sic dicta quod quibusdam veluti clavis distingueretur aureis, de qua adhuc infra Aug. cap. 38. & 94. erat & angustus clavus de quo Oth. cap. 10.

9. *Fimbriato*] Fimbriæ sunt ornamenti genus *de la frange*, quæ ad manus usque pertingebant. Cujus moris vestigium Casaubonus esse notat quod hodie dicimus *des manchettes*. ex hac parte notabilis Julii cultus quod fimbriatæ ad manus usque forent, ejus quem gestabat lati-clavi manicæ: nec enim adducor ut doctissimo Gothofredo assentiar dicenti *ad legem 42. ff. de donationibus inter virum & uxorem* Colobium idem cum ejusmodi tunicis fuisse. Cum enim Servius ad 9. Æneidos, Colobiis hoc est sine manica tunicis usos dicit veteres, alios intelligere non videtur, ab eis qui manicatas Phrygibus tunicas exprobrabant.

Et tunica manicas & habent redimicula mitra.

Romanis autem tunicis non nisi longiores manicas probro fuisse aperte, ni fallor, indicat Gellius lib. 7. cap. 12. *Tunicis usi virum prolixis ultra brachia & usque in primores manus, ac prope in digitos Roma atque omni in Latio indecorum fuit; eas tunicas nostri Græco vocabulo Chiridotas appellaverunt* quibus, de industria Cæsar usus videtur ut suam à Phrygibus hoc est Trojanis originem ostentaret. Ut supra cap. 6. & infra c. 49.

9. *Male præcinctum puerum*] Patet hoc etiam ipsi peculiare, & hac quoque cinctura notabilem fuisse eaque jam inde a teneris ita cinctum Cæsarem; idem enim habet Macrobius lib. 2. cap. 3. quod totum de Ciceronis jocis est, & Dio lib. 43. & qua cinctura consulto usum suspicantur ut hac mollitiei specie animum occultaret. Unde Cicero interrogatus cur in electione partis errasset: *præcinctura* inquit *me fefellit.* Jocatus in Cæsarem ut habet loco laudato Macrobius, an vero togam ipsam an suppositam illi tunicam, cingere moris esset longius est quam ut possit hoc loco disputari.

Digitized by Google

CAPUT XLVI.

HAbitavit primo in [1] Subura modicis ædibus : poſt autem [2] pontificatum maximum, in [3] Sacra via [4] domo publica. [5] Munditiarum, lautitiarumque ſtudioſiſſimum multi prodiderunt. Villam in [6] Nemorenſi à fundamentis [7] inchoatam, magnoque ſumptu abſolutam, quia non tota ad animum ei reſponderat, totam diruiſſe, quamquam tenuem adhuc & obæratum. In expeditionibus [8] teſſellata & [9] ſectilia pavimenta circumtuliſſe.

NOTÆ.

1. *Suburæ*] Urbis vicus eſt dequo Horatius Epod. 5.

Senem, quod omnes rideant, adulterum, Latrent Suburana canes.

Erat & Tribus Suburana celeberrima de qua Varro 4. de L. L. &c.

2. *Pontificatum*] De quo ſupra cap. 13.

3. *Sacra via*] Sic dictam volunt vel quod in ea Romulum inter & Tatium fœdus ictum eſt, vel quod per eam præcipue Circenſes pompæ traducerentur.

4. *Domo publica*] Non enim alia Pontificem habitare fas erat.

5. *Munditiarum*] In habitatione, ſicut & lautitiarum in conviviis.

6. *Nemorenſi agro*] Hoc eſt Aricino : nemus enim appellatur lucus quidam prope Ariciam in Latio : unde Nemorenſis ager & lacus qui propter amœnitatem, Dianæ ſpeculum appellatus eſt, Sabellicus ait ibidem oppidum adhuc extare veteri appellatione dictum *Nemus* quinque ab urbe leucis diſſitum.

7. *Inchoatam*] Variant in hujus vocis orthographia: alii enim ſcribunt *incoho* alii *inchoo*.

8. *Teſſellata*] Hoc eſt teſſellis ſeu parvulis quibuſdam quadris per modum teſſeræ in varios colores diſtincta, ſtrata, qualia dici nobis *marquetterie* teſtis eſt Caſaubonus, qui ſuper hac re plurima eaque doctiſſima congeſſit ; tum ſuper pavimentorum ejuſmodi forma, tum ſuper hac non Cæſaris modo, ſed & aliorum quoque in caſtris metandis & ſternendo prætorio, magnificentia, quæ tanta fuit ut prætorium templo comparet Joſephus, &c.

9. *Sectilia*] Sic dicuntur tenues quædam marmoris cruſtæ diverſi generis & coloris, non tinctæ, ut de teſſellatis exiſtimant, eaque fere non niſi in pavimentis adhibita, cum teſſellata etiam in cameras tranſierint, & *muſivi operis* appellatione nuncupata. Plura vide apud Caſaub. hîc.

CAPUT XLVII.

[a] [1] BRitanniam petiſſe ſpe margaritarum, quarum amplitudinem conferentem, interdum ſua manu [2] exegiſſe pondus. Gemmas, [3] toreumata, [4] ſigna, tabulas operis antiqui ſemper [5] animoſiſſime comparaſſe : [6] ſervitia recentiora politioraque, immenſo pretio, & cujus ipſum etiam puderet, ſic ut [7] rationibus vetaret inferri.

INTERPRETATIO.

a Fertur *Cæſar iviſſe in Britanniam* allectus *margaritis quarum magnitudinem cum compararet* inter ſe, *ſua manu aliquando exacte repériſſe pondus.*

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Britanniam*] Britannicum Oceanum margaritis feracem alii quoque narrant, sed eas parvas, & decolores Plinius lib. 9. cap. 35. & in Agricolæ vita Tacitus annotarunt.

2. *Exegisse*] Hoc est librasse manu & examinasse pondus, quanquam non nisi semunciæ sint maxime ponderosæ.

3. *Toreumata*] Cælatas figuras, & tornatiles τορευτικὴν artem appellant Græci, quæ in aureis & argenteis præsertim vasis apud antiquos efloruit, & sculpturam una cum cœlatura complectebatur.

4. *Signa*] Inter hæc & statuas id vulgo discriminis assignant, quod licet utrumque solida materia similitudinem dei vel hominis exprimat, signum tamen de brutorum quoque animantium similitudine dicatur, non vero statua; a qua etiam loco differt: quæ enim in foro aut alio quovis publico profanoque loco statuæ dicuntur, eas in templis & privatis domibus ferme non nisi signa nuncupaverunt.

5. *Animosissime*] Notanda vis hujus adverbii quemadmodum, & à Jureconsultis dicitur *animosus emptor*, & Cæsar ipse a Tacito *animosus corruptor*. Hujus luxuriæ exemplum retulit Plinius lib. 35. cap. 11. ubi Ajacem & Medeam pictos 80. a Cæsare talentis emptos ait: hoc est 84000 l. nostro itu, ut supra positum est cap. 4.

6. *Servitia recentiora*] Hoc est servos elegantia & ætatis flore commendabiles, quorum cum servitus recens foret, vultum formamque nullus adhuc labor deturparet: cujusmodi mancipia, magno erant apud lautos illos in pretio. Unde Juvenal. Sat. 5. vers. 55.

Flos Asiæ ante ipsum, pretio majore paratus.
Quam fuit & Tulli census, pugnacis & Anci.

Legit in Vaticano Codice Torr. *retiora* & margini ascriptum *rectiora*, ut sani intelligantur homines erecto & firmo corpore quo sensu Catullus de lecticariis.

Non, inquam, mihi tam fuit maligne
Ut provincia quod mala incidisset
Non possem octo homines parare rectos.

Et Juvenal Sat. 3. vers. 251.

Quas recto vertice portat
Servulus infelix, &c. Et idem de amica sua Horatius Sat. 2. lib. 1. *candida rectaque sit.*

7. *Rationibus*] Hoc est in tabulis illis de quibus cap. 42. describi: in his enim conficiendis tanta fuit Romanorum diligentia, ut dispensatorem domus ob id ipsum haberent, qui quacunque ex causa quidpiam expendissent, id omne referret in rationes (*l'escrivoit sur le Livre de compte.*) Unde nec frugi habebantur qui nullas conficerent, sæpe que usuvenit ut scelus pecunia redemptum aliaque ejusmodi ex ipsis auctorum tabulis probarentur; quod ne sibi contingeret, male & nequiter empta, cautiores vel omnino vetabant, vel falsis titulis jubebant inferri.

CAPUT XLVIII.

CONvivatum assidue, per provincias duobus [1] tricliniis: uno, quo [2] sagati palliative: altero, quo [3] togati cum illustrioribus provinciarum discumberent. Domesticam disciplinam in parvis ac majoribus rebus diligenter adeo severeque rexit: ut [4] pistorem, alium quam sibi panem convivis subjicientem, compedibus vinxerit: libertum gratissimum, ob adulteratam equitis Romani uxorem, quamvis nullo querente, capitali pœna adfecerit.

NOTÆ.

1. *Triclinii*] Vide cap. 43.

2. *Sagati palliative*] Sagum militare vestimentum erat quod armis superinduebatur. Gallorum proprium fuisse quidam ideo contendunt quod Gallicum sit vocabulum, teste Strabone lib. 4. Imo etiam nunc hodie dicitur *une saie*. Et Virgilius sic canit. 8. Æneid. Gallorum describens habitum.

Aurea Cæsaries ollis: atque aurea vestis
Virgatis lucent sagulis, &c.

Digitized by Google

Sed & eo usos Hispanos idem Strabo & insuper Appianus in Ibericis tradidere; pallium vero Græcorum erat ex earum genere vestium quæ totum corpus a scapulis ad pedes contegebant quadratum, quæ præsertim a toga differebat cujus figura semicircularis, elegantioribus utrinque regestum fuit in humeros, ibique ut induta sub eo tunica pateret, fibulæ morsu adstrictum Turnebus adverf. 2. lib. cap. 27. hoc loco Gallos intelligi & Græcos existimat, quem secutus est Torrentius: ab utroque dissentit Casaubonus nec immerito: *Sagati* enim vocabulo non minus ut patet intelligi possunt Hispani & ipsi Romani; quos & Sago usos dubio procul est Horat. Epod. 9. de Antonio.

Terra marique victus hostis punico
Lugubre mutavit sagum.

Palliati igitur vere erant Græci quos inter Comites Cæsarem habuisse nullus dubito, medicos v. g. philosophos, eruditosque homines quorum consuetudine tantopere delectabatur. Sagati vero Cæsari e comitatu minus conspicui, ad differentiam Togatorum.

3. *Togati*] Honestiores e Cæsaris comitatu Romani Senatores v. g. & alii magistratibus functi quibus propria toga.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam. Ut Virgil. lib. 1. Æneid. illisque vitio dabatur, si alio publice vestimento uterentur Aug. cap. 40. & Cicero pro Rabirio, &c.

4. *Pistorem*] Qui panem conficeret: ministros enim ejusmodi inter servos habebant Romani tunc temporis; antiquioribus enim pistor omnino nullus, mulierumque id opus erat, ad bellum usque Persicum nempe ad annum v. c. circiter 586.

CAPUT XLIX.

PUdicitiæ ejus famam nihil quidem præter [1] Nicomedis contubernium læsit, gravi tamen & perenni opprobrio, & ad omnium convitia exposito. Omitto Calvi Licinii notissimos versus,

Bithynia quidquid
Et pædicator Cæsaris umquam habuit.

Prætereo [2] actiones Dolabellæ & Curionis patris: in quibus cum Dolabella *pellicem reginæ*, [3] *spondam interiorem regiæ* [4] *lecticæ*, ac Curio *stabulum Nicomedis*, & *Bithinycum fornicem* dicunt. Missa etiam facio [5] edicta Bibuli, quibus proscripsit collegam suum, *Bithynicam reginam: eique regem antea fuisse cordi, nunc esse regnum.* Quo tempore, ut M. Brutus refert, Octavius etiam quidam, valetudine mentis liberius dicax, conventu maximo cum Pompeium regem appellasset, ipsam reginam salutavit. Sed C. Memmius etiam ad cyathum & vinum Nicomedi stetisse objecit, cum reliquis exoletis, pleno convivio, accusantibus nonnullis urbicis negotiatoribus, quorum refert nomina. Cicero vero non contentus in quibusdam epistolis scripsisse, a satellitibus eum in cubiculum regium eductum, in aureo lecto, veste purpurea decubuisse, floremque ætatis a [6] Venere orti, in Bithynia contaminatum: quondam etiam in Senatu defendenti [7] Nysæ caussam, filiæ Nicomedis, beneficiaque regis in se commemoranti, *Remove*, inquit, *isthæc ora te: quando notum est, & quid ille tibi, & quid illi tu dederis.* Gallico denique triumpho milites ejus inter cætera carmina, qualia currum prosequentes [8] joculariter canunt, etiam vulgatissimum illud pronunciaverunt:

Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem:
Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.

Pronum & sumtuosum in libidines fuisse constans opinio est, plurimaque &

Digitized by Google

illustres fœminas corrupisse : in quibus Postumiam Servii Sulpicii, Lolliam AUli, Gabinii, Tertullam M. Crassi, etiam Cn. Pompeii Muciam.

NOTÆ.

1. *Nicomedis*] Supra cap. 2.

2. *Actiones Dolabellæ*] Eundem esse de quo supra, cap. 4. vero simillimum est, qui ut Cæsaris accusationi responderet, una cum Curione actiones edidit in Cæsarem maledicentissimas. De Curione supra cap. 9. *actiones* dixit hic quemadmodum ibi *orationes* & *actiones* Ciceronis v. g. in Verrem, &c.

3. *Spondam interiorem*] Quæ pars lectorum parieti proxima erat apud antiquos hæc dicebatur sponda interior ad differentiam alterius quæ exterior, hinc Tibullus.

Et pressus prior est, interiorque torus.

Isidorus lib. 20. de Originibus cap. 11. exterius duntaxat lecti latus *spondam* appellat, interius vero *pluteum*, quod nempe tabulis quibusdam muniretur; pluteus enim apud Festum *tabula quibus quid præsepitur*, & Martialis interiorem hanc lecti partem *plutei* indigitatam nomine aperte indicat lib. 3. Epig. 89. *namque puer pluteo vindice tutus erat* hac enim parte mulieres & pueros cubare moris fuit : viros autem parte priore quam *spondam priorem* Nonius Marcellus dicit, *si spondam priorem qua vir cubat perrunxeris*, & unde, atque ex hoc Suetonii loco patet, latus lecti utrumque *spondam* appellatum.

4. *Lectica*] Isidorus ibid. *lectica plutei lecti.*

5. *Edicta bibuli*] Supra cap. 9. & cap. 11. ubi quid sit proscribere.

6. *A Venere orti*] Cæsaris nempe per Julium Ascanium de quo cap. 6.

7. *Nisa*] Nicomedis alii filium fuisse volunt, alii omisso nomine scribunt *enixe.*

8. *Joculariter*] Impune quippe jocari licebat militibus in triumphantes, Martial. lib. 1. Epig. 5.

Consuevere joces vestri quoque ferre triumphi
Materiam dictis nec pudet esse ducem.

Eo ut aiunt consilio ut præmia virtutis accipiens triumphator de vitiis quoque suis moneretur.

CAPUT L.

NAm certe Pompeio, & a Curionibus patre & filio & a multis exprobatum est, quod *cuius eanssa post tres liberos exegisset uxorem, & quem gemens* [1] *Ægisthum appellare consuesset, eius postea filiam potentiæ cupiditate in matrimonium recepisset.* Sed ante alias dilexit M. Bruti matrem [2] Serviliam : [a] cui & proximo suo consulatu [3] sexagies HS. margaritam mercatus est : & bello civili super alias donationes, amplissima prædia [4] ex auctionibus hastæ [5] nummo addixit. Cum quidem plerisque utilitatem mirantibus; facetissime Cicero, *Quo* [6] *melius*, inquit, *emtum sciatis*, [7] *Tertia deducta est:* existimabatur enim Servilia, etiam filiam suam Tertiam Cæsari conciliare.

INTERPRETATIO.

a *Cui ultimo suo consulatu emit margaritam sexagies* centenis millibus sestertiorum: *& tumultu civili adjudicavit ex subhastatione maximas possessiones, minimo* pretio, *præter alia munera.*

NOTÆ.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Ægisthum*] Apposita comparatione: Sacerdos enim Ægisthus absentis & bellum Trojanum gerentis Agameminoni; uxorem Clytemnestram vitiavit: Cæsar autem absentis & Mithridatico bello occupati Pompeii conjugem Mutiam maximus ipse Pontifex adulteravit: utriusque historia apprime quadraverit, si consanguinitatis nexum, & domesticas cædes exceperis; nota quippe Pelopis domus historia.

2. *Serviliam*] Ea fuit soror Catonis Uticensis, quam quia juvenis adhuc Cæsar amavit, ideo Bruti patrem creditum fuisse Plutarchus ait & infra cap. 82. ex Cæsaris *ipsius verbis* innuitur.

3. *Sexagies*] Circiter 219000 l.

4. *Auctionibus hasta*] Ex sunt venditiones auctoritate publica factæ, quarum signum erat hasta in foro posita, unde *subhastare* & *subhastatio* etiam gallice *subhaster, vendre à l'encan*. Vide in Aug. cap. 36.

5. *Nummo*] Hoc est minimo pretio sic enim Horat. Sat. 5. lib. 2. in fine.

Huic tu
Dic ex parte tua seu fundi sive domus, sit
Emptor, gaudentem nummo te addicere, &c.

Valer. lib. 5. cap. 2. *Quod nostrates dicunt fragmento panis vendere, quod donationis est instar, cum obtentu venditionis rem donantes invidiam donationis vitamus, & pudori accipientis consulimus.* Budæus in Pandectas tit. de in diem addictione. Beroaldus in omnibus quos vidit libris, & in aliquibus Torrentius ut & in Turonensi Casaubonus legerunt *minimo*; quod videtur esse melius: has namque, veras venditiones fuisse recte colligas; pretii siquidem vilitatem mirabantur omnes; licet enim *viliore pretio res donationis causa distrahatur, dubium non est venditionem valere l. 38. ff. de contrah. empt.* Cum e contrario addictiones quæ nummo fiebant, nugatorias venditiones appellent Jureconsulti, & pro donationibus habeant ad l. 46. ff. *Locati conducti.* Vide & l. 10. *ff. de adquirenda, vel amittenda possessione*, quanquam quod addit Suetonius, *super alias donationes* omnia donationis fuisse loco, suadere videatur.

6. *Melius emptum*] Hoc est vilioti pretio: bene enim emere est vili pretio emere: legitur in quibusdam *vilius* nec minus salse.

7. *Tertia deducta est*] Urbanitas tota in horum vocabulorum æquivocatione sita est: deducere enim significat & *detrahere* seu *imminuere* aliquid e pretio & etiam *comitari* seu *domum* v. g. *perducere*. Unde perductores Plauto & Ciceroni sunt amoris conciliatores; non multum a lenonibus discrepantes & *perducere* Horatio idem ac in stuprum impellere Sat. 5. lib. 2. ubi de Penelope loquens.

Putas ne
Perduci poterit tam frugi tamque pudica.

De hujus verbi vi infra Tib. cap. 45. & Vespas. cap. 22. Jam vero *Tertia* & Serviliæ filiam significabat & partem pretii; quo etiam alludum existimant aliqui ad legem Cæsaris dequa supra cap. 42. quibus verbis legem una & libidinem notasset, quod tamen Casauboni judicio subtilius quam verius nec mirum: hac quippe lege *quarta pars crediti deperibat*, non tertia.

CAPUT LI.

NE provincialibus quidem matrimoniis abstinuisse, vel hoc distichо appareret, jactato æque a militibus per Gallicum triumphum.

Urbani servate uxores, mœchum calvum adducimus,
Aurum in Gallia effutuisti: hoc sumpsisti mutuum.

NOTÆ.

1. *Aurum in Gallia*] Hoc est Matronas in Gallia auro corrupisti: at Romæ sine pretio stuprum exercuisti, ut quidam intelligunt. Sed potius ita interpretare: nempe par pari repensum fuisse. Cum enim Cæsar alienas uxores adulteraret, suam quoque a Clodio adulteratam non patienter tulit.

Digitized by Google

CAPUT LII.

Dilexit & reginas, inter quas EUnoen Mauram, [1] Bogudis uxorem: *cui* maritoque ejus, plurima & immensa tribuit, ut [2] Naso scripsit: sed maxime Cleopatram, cum qua & convivia in primam lucem sæpe protraxit, & eadem nave [3] thalamego pene Æthiopia tenus Ægyptum [4] penetravit, nisi exercitus sequi recusasset. Quam denique accitam in urbem, non nisi maximis honoribus præmiisque auctam remisit: filiumque natum appellare nomine suo passus est. Quem quidem nonnulli Græcorum similem quoque Cæsaris & forma & incessu tradiderunt. M. Antonius agnitum etiam ab eo, Senatui adfirmavit: quæ scire C. Matium, & C. Oppium, reliquosque Cæsaris amicos: quorum C. Oppius, quasi plane defensione ac patrocinio res egeret, librum edidit, [5] *Non esse Cæsaris filium, quem Cleopatra dicat.* Helvius Cinna Trib. pleb. plerisque confessus est, habuisse se scriptam pararamque legem, quam Cæsar ferre jussisset, [6] cum ipse abesset, uti uxores liberorum quærendorum causa, [7] quas & quot [8] vellet ducere, liceret. Ac ne cui dubium omnino sit, & impudicitiæ eum, & adulteriorum flagrasse infamia, Curio pater quadam eum oratione, *omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem* appellat.

Nota.

1. *Bogudis*] Bogud Mauritaniæ rex erat, a quo plurimum auxilii bello Africo Cæsar accepit.

2. *Naso*] An idem ille de quo supra c. 9. probabiliter quidem suspicantur interpretes, qui tamen ne affirment, obstat codicum M. S. diversitas, quorum alii *Naso* alii *Vasso* habent & *Vaso*.

3. *Thalamego*] In tribus M. S. legit Torrentius *thalamoque*, aperto quoque sensu; priorem tamen præfert lectionem, erat autem *thalamegus* navis quædam ingens, qualem Athænæo teste Ptololomæus Philopator ædificandam jussit, ut ea intra thalamum ipsaque in regia esse sibi videretur: magnitudine erat semistadii latitudine 30. cubitorum, altitudine paulo minus 40. de simili nave Plinius lib. 7. cap. 30.

4. *Penetravit*] Pro *penetrasset*, quomodo adhuc loquitur Galb. cap. 10.

5. *Non esse Cæsaris filium* &c.] Glareano absque negatione legendum videtur, ut is libro titulus fuerit *esse Cæsaris filium* & qua recepta lectione Oppius idem ac Antonius asseveraverit, cui sententiæ cohærere hæc verba non videntur *quasi defensione res egeret*, id est quasi ea fuisset accusatio cui defensio parari debuisset, innuit enim editum ab Oppio Octavianarum partium homine *singularem* librum in Octavii hoc est Augusti gratiam, ut mentitum in Senatu probaret Antonius quod & probabilius futurum est, si affirmatum id Senatui dicatur, quo tempore ante bellum Actiacum Octaviano adversabatur Antonius, ipsumque verum Cæsaris heredem censendum negabat, ut pote cui superstes esset Cæsario filius ex Cleopatra. Quod si Triumviratu stante dictum id Senatui ponatur, cum simile vero non videatur contradicturum tum temporis Oppium fuisse, recipienda erit Glareani lectio absque negatione; cui defendendæ nec etiam deerit deprompta ex antiquis verisimilis conjectura, maxime si eo tempore, quo hæc gerebantur, de quibus hîc sermo est, a Triumviris, ac proinde durante adhuc Augusti (quitum Octavianus dicebatur) & Antonii amicitia Cleopatræ concessum fuerit ut *filius* ejus Ptolemæus cognomine Cæsario, rex appellaretur, ut narrat Dio lib. 49.

6. *Cum ipse abesset*] An legem ferre cum abesset, an vero uxores ducere, subobscurum reliquit: utrumque potest divisim intelligi; ut scilicet, præsente se legem hanc ferri noluerit, aut Romanas leges, dum Romæ degeret, infringere.

Digitized by Google

7. *Quas & quot*] Nec enim alias quam Romanas ingenuas & sanguine propius non junctas, nec plures quam unam eodem tempore uxorem habere ulli civi Romano licebat.

8. *Vellet*] Alii *vellent*; sed testis est Dio, soli id sibi sumpsisse Cæsarem.

CAPUT LIII.

VIni parcissimum ne inimici quidem negaverunt. Verbum M. Catonis est, *Unum ex omnibus Cæsarem ad evertendam Rempubl.* [1] *sobrium accessisse.* Nam circa victum C. Oppius adeo indifferentem docet, ut quondam ab hospite [2] conditum oleum, pro viridi adpositum, adspernantibus cæteris, solum etiam largius dicat appetisse: ne hospitem aut negligentiæ, aut rusticitatis videretur arguere.

Notæ.

1. *Sobrium*] Hoc est vini parcum, non vero moderatum. Cato enim ambiguum hoc vocabulum de industria adhibuit, ad sententiæ acumen.

2. *Conditum*] Si media producta tanquam a *condio* deductum legeris, Plutarchi mens est affirmantis unguentum olei loco Cæsari manducandis asparagis appositum: si vero media correpta *conditum* idem erit ac *vetustum*, oleum nempe intra domus penum servatum & reconditum, ac proinde minime jucundum quod opponitur viridi, saporis longe laudabilioris, ideo viride dictum quod ex olea nondum matura premeretur.

CAPUT LIV.

ABstinentiam neque in imperiis, neque in magistratibus præstitit. Ut enim quidam monumentis suis testati sunt, in Hispania a [1] proconsule, & [2] a sociis pecunias accepit, emendicatas in auxilium æris alieni: & [3] Lusitanorum quædam oppida, quamquam nec imperata detrectarent, & advenienti portas patefacerent, diripuit hostiliter. In Gallia fana templaque Deûm donis referta expilavit: urbes diruit, sæpius ob prædam quam ob delictum: unde factum ut auro abundaret, [4] terniisque millibus nummum in libras promercale, per Italiam provinciasque divenderet. In primo consulatu tria millia pondo auri [5] furatus e Capitolio, tantumdem inaurati æris reposuit. [6] Societates ac regna pretio dedit: ut qui uni [7] Ptolemæo prope [8] sex millia talentorum suo Pompeiique nomine abstulerit. Postea vero evidentissimis rapinis ac sacrilegiis, & onera bellorum civilium, & triumphorum ac [9] munerum sustinuit impendia.

Notæ.

1. *Proconsule*] Qui gesto per annum in urbe consulatu, provinciam altero anno regendam sortiebatur, is proconsul dicebatur ut de prætoribus supra cap. 14.

2. *Sociis*] Hispanis, populo Romano fœdere junctis.

3. *Lusitanorum*] Hodie *Portugais*.

4. *Ternis millibus promercale*] Hoc est vendendum 131 l. 5 s. nostræ monetæ in libras auri singulas, qua proportione septem argenti libræ & selibra uni aureæ æquivaluerint, hoc enim duntaxat argenti pondus invenias, si libris singulis 400. nummos sestercios assignes, ut supra cap. 4. relatum est, assignandos. Quæ proportio longe abfuisset a nostra, est enim auri ad argentum qua-

Digitized by Google

tuor decupla aut ut minimum duodecupla, non igitur male suspicatus fuerit aliquis, aut abundantiam, aut forte crassitudinem, nempe propter æs admixtum, viliratis causam extitisse in uno *quaternis*, Quod pro *ternis* legit Casaubonus, quod longe abest, ut accederet ad justam auri cum argento proportionem. Martialis enim lib. 3. Epig. 62. pluris emptam a Quincto notat argenti libram. *Libra quod argenti millia quinque rapit.* Sed prodigum Quinctum notat, aut cælatura pretium auctum videtur.

5. *Furatus e Capitolio*] Idem a Crasso Consule factum notavit Plinius. Id Cæsar eo facilius potuit, & occultius quod erat pontifex maximus, & simile in Vitellio narrat cap. 3. ubi pro ære inaurato auri chalchum est.

6. *Societates ac regna*] Tanti enim censebant socium vel Regem a populo Romano appellari, ut quocumque pacto id ambirent quapropter ut sua gratia Cæsar honoris ejusmodi cupidos adjuvaret, non sine pecuniis erat agendum.

7. *Ptolemæo*] Auleti dequo supra cap. 11.

8. *Sex millia talentorum*] 9000000 l. quantam summam exigere promptum ex supradictis cap. 4.

9. *Munerum*] Supra cap. 39. ut & triumphorum cap. 7.

CAPUT LX.

1 ELoquentia militarique re aut æquavit præstantissimorum gloriam, aut excessit. 2 Post accusationem Dolabellæ, haud dubie principibus patronis annumeratus est. Certe Ciceto ad Brutum oratores enumerans, 3 negat *se videre cui Cæsar debeat cedere:* aitque eum *elegantem, splendidam quoque, ac etiam magnificam ac generosum quodam modo rationem dicendi tenere.* Et ad 4 Cornelium Nepotem de eodem ita scripsit: *Quid? oratorum quem huic antepones eorum qui nihil aliud egerunt? Quis sententiis aut acutior, aut crebrior? Quis verbis aut ornatior, aut elegantior?* Genus eloquentiæ duntaxat adolescens adhuc 5 Strabonis Cæsaris secutus videtur: cujus etiam ex oratione, quæ inscribitur *Pro Sardis*, ad verbum nonnulla transtulit in 6 *Divinationem* suam. Pronuntiasse autem dicitur voce acuta, ardenti motu, gestuque, non sine venustate. Orationes aliquas reliquit, inter quas temere quædam feruntur: ut 7 *Pro Q. Metello:* quam non immerito AUgustus existimat magis ab 8 actuariis exceptam, male subsequentibus verba dicentis, quam ab ipso editam. Nam in quibusdam exemplaribus invenio, ne inscriptam quidem *Pro Metello*, sed, *quam scripsit Metello*, cum ex persona Cæsaris sermo sit, Metellum seque adversus communium obtrectatorum criminationes purgantis. *Apud milites* quoque *in Hispania*, idem AUgustus orationem esse vix ipsius putat: quæ tamen duplex fertur: una, quasi 9 priore habita prælio: altera, posteriore: quo 10 Asinius Pollio ne tempus quidem concionandi habuisse eum dicit, 11 subita hostium incursione.

NOTÆ.

1. *Eloquentia militarique re*] Corruptum hunc locum sic restituunt Lipsius Elect. lib. 1. cap. 20. & Casaubonus: cum vulgo legeretur *eloquentia militari qua re* & male, nec enim militari duntaxat eloquentia Cæsar valuit sed & forensi; utpote qui causas egerit, ipso Cicerone teste in oratione pro Ligario, *causas Cæsar egi multas, & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum*, &c. Hac igitur eloquentia præstantissimorum gloriam æquavit, & re militari, hoc est bellica laude, longe superavit ut patet ex

tota hujus loci ſerie, & multis Ciceronis ipſius, aliorumque teſtimoniis.

2. *Poſt accuſationem*] De qua ſupra cap. 4. Hoc & ſequenti capite de Cæſaris eloquentia agit Suetonius ut ſupra cap. 44. actorum ſe promiſerat.

3. *Negat ſe videre*] Hæc habet ibidem Cicero, ſcilicet in Bruto numero 261.

4. *Cornelium*] Ciceronis amicum cui cognomen Nepos, adquem quæ Cicero ſcripſerat periiſſe teſtatur Beroaldus.

5. *Strabonis Cæſaris*] Gentilis, ſui cujus Cicero divinatione in Verrem, & oratione in Piſonem meminit, Cajumque Julium appellat; qui pro Sardis adverſus Aſbutium, non ſecus ac Cicero pro Siculis in Verrem peroravit.

6. *Divinationem*] Si duo pluresve accuſationem alicujus permitti ſibi peterent, quas orationes, ut id ſibi concederetur, adhibebant, eas divinationis appellari nomine viſum eſt; quod, ut aiunt, diſceptatione ejuſmodi ſine tabulis teſtibuſve tranſacta, judicibus prope divinandum eſſet, ſeu potius auditoribus, utri cauſa foret adjudicanda: quod patet prima in Verrem qua præſertim quæritur uter accuſare debeat Cicero an Cæcilius.

7. *Pro Q. Metello*] De hujus tribunatu ſupra cap. 16. deerat in vulgatis ut quod reſtituit Caſaubonus appoſitiſſime.

8. *Auguſtus*] Quodam ſuo opere quod Suetonii temporibus vero ſimiliter adhuc extabat. Actuarii porro qui acta publica deſcribebant, unde & notarii, qui notis ad ſcribendi celeritatem utebantur, ut ſupra cap. 14. & in Galba cap. 5. & Tito cap. 3. adde & Aug. cap. 88.

9. *Priore prælio*] Ad Cordubam, poſteriore ad Mundam: utroque adverſus Pompeii liberos, ut jam ſupra c. 35. notatum num. 22.

10. *Aſinius Pollio*] Hic inter amicos quoque Cæſaris: unde poteſt eſſe dubium, an ipſe belli Civilis hiſtoriam, an vero filius ejus ſcripſerit; fuit enim uterque ſummus Orator, qui autem illius hiſtoriæ ſcriptorem laudaverunt Auguſto ferme Coætanei Virgilius puta, & Horatius Ode 1. lib. 2.

Motum ex Metello Conſule civicum
Bellique cauſas & vitia & modos, &c.

Ut ſupra cap. 30. & Aug. cap. 43. & Claud. cap. 41.

11. *Subita hoſtium ineurſione*) Aliter auctor qui bellum Hiſpanienſe ſcripſit: *itaque noſtri addimicandum procedunt, id quod adverſarios exiſtimabamus eſſe facturos, qui tamen a munitione oppidi mille paſſibus longius non procedebant*, &c. Unde patet non niſi ægre ad prælium allici potuiſſe.

CAPUT LVI.

RElIquit & rerum ſuarum Commentarios, Gallici civiliſque belli Pompeiani. Nam Alexandrini, Africique & Hiſpanienſis, incertus auctor eſt. Alii enim [1] Oppium putant, alii Hirtium: qui etiam Gallici belli noviſſimum impertectumque librum ſuppleverit. De commentariis Cæſaris [2] Cicero in eodem Bruto ſic refert: *Commentarios ſcripſit valde quidem probandos: nudi ſunt, recti, & venuſti, omni ornatu orationis, tanquam veſte detracta: ſed dum voluit alios habere* [3] *parata unde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam, ineptis gratum fortaſſe fecit, qui illa volunt* [4] *calamiſtris inurere, ſanos quidem homines a ſcribendo deterruit.* De iiſdem commentariis Hirtius ita prædicat; *Adeo probantur omnium iudicio, ut prærepta, non præbita, facultas ſcriptoribus videatur. Cuius tamen rei maior noſtra, quam reliquorum eſt admiratio. Ceteri enim quam bene atque emendate, nos etiam quam facile atque celeriter eos perſcripſerit, ſcimus.* [5] Pollio Aſinius parum diligenter, parumque integra veritate compoſitos putat: cum Cæſar pleraque & quæ per alios erant geſta, temere crediderit: & quæ per ſe, vel conſulto, vel etiam memoria lapſus, perperam ediderit: exiſtimatque reſcripturum & correcturum fuiſſe. Reliquit & *De* [6] *analogia* libros duos, & [7] *Anticatones* totidem: ac præterea poëma quod inſcribitur *Itr.* Quorum librorum primos, in tranſitu Alpium, cum ex citeriore [8] Gal-

Digitized by Google

lia, [9] conventibus peractis, ad exercitum rediret: sequentes, sub tempus [10] Mundensis prælii fecit: novissimum, dum ab urbe in [11] Hispaniam ulteriorem [12] IV. & XX. die pervenit. *Epistolæ* quoque ejus *ad Senatum* exstant, quas primum videtur [13] ad paginas & [14] formam memorialis libelli convertisse, cum antea Coss. & duces nonnisi transversa charta scriptas mitterent. Exstant & *ad Ciceronem*, item *ad familiares* domesticis de rebus: in quibus si qua occultius perferenda erant, per notas scripsit, id est, sic structo literarum ordine, ut nullum verbum effici posset: quæ si quis investigare & persequi vellet, quartam elementorum literam, id est, [15] *d* pro *a*, & perinde reliquas commutet. Feruntur & a puero, & ab adolescentulo, quædam scripta: ut *Laudes Herculis*: tragœdia [16] *Oedipus*: item *Dicta collectanea*, quos omnes libellos vetuit AUgustus publicari, in epistola quam brevem admodum ac simplicem, ad Pompeium Macrum, cui ordinandas bibliothecas delegaverat, misit.

NOTÆ.

1. *Oppium putant alii Hirtium*] Cæsaris amicos, quorum prior absentis negotia cum Balbo Cornelio curabat; ut auctor est Gellius lib 17. cap. 9. quod Hirtium operum illorum auctorem fuisse probabilius reddiderit: hic enim Cæsarem comitabatur, si non Africano & Alexandrino saltem aliis bellis, nisi orationis diversitas non unius duntaxat viri opus fuisse argueret, Africum præsertim & Hispaniense bellum; hoc enim Lipsius Elect. 2. cap. 22. ait esse *militari quodam & horrido stylo*, cum illud Africum nempe, non inter alia tantum emineat, sed inter pleraque Romana scripta: *ita tersa*, inquit, *in eo & ad Comicum morem pura dictio simplex cohærens, & candida narratio*, &c. eo usque ut Cæsare dignius esse putet illud opus, quam ipsi Commentarii, de novissimo, octavo scilicet belli Gallici libro, constare videtur ex præfatione, Hirtii esse, ibi enim eadem leguntur quæ hic ex eo retulit Suetonius.

2. *Cicero in eodem Bruto*] Sic in membranis regiis, & Pithoei Casaubonus legit, & in duobus e suis codicibus Torrentius: deerat in vulgatis vox *Bruto*. Apud Ciceronem ibidem reperias in Bruto, nempe num. 262.

3 *Parata*] Ad scribendam historiam argumenta Commentarii quippe Cæsaris *sunt editi, ne tantarum rerum scientia scriptoribus deesset*. Ut ait Hirtius in eadem præfatione, vulgati legunt *paratam*.

4. *Calamistris inurere*] Hoc est imperito orationis fuco exornare: calamister, unde tota hæc metaphora ducitur, ferrum est tonsorium, quo calefacto capilli in anulum torquentur.

5. *Pollio*] De eo cap. proxime præcedenti & hîc nota *rescribere* sumi pro recensere, & corrigere ut lib. de Illust. Gramm. num. 19. infra.

6. *Analogia*] Hæc Isidoro lib. 1. originum cap. 27. *Latine similium comparatio, sive proportio nominatur. Cujus hæc vis est, ut quod dubium est, ad aliquod simile quod non est dubium referatur, ut incerta certis probentur* &c. *nam regularitas est, dum quaris utrum* trames *masculinum an femininum sit, similis est illi in omni declinatione* limes, *& erit masculinum. Item* funis *si incerti generis esse credis, similis est illi* panis *in declinatione & erit masculinum* &c. extant apud Gellium lib. 19. cap. 8. nonnulla ex eo Cæsaris libro decerpta, & ad Ciceronem scriptum hoc opus fuisse auctor ibidem est Gellius, cujus auctoritate Torrentius existimat referenda huc verba *ad Ciceronem*, quæ mox leguntur infra. Angeli vero Politiani liber habet *de Analogia ad Neronem*, &c.

7. *Anticatones*] Hos contra editam Catonis laudationem scripsit, vituperationem suam esse laudes illius existimans. De horum numero librorum Suetonio adstipulatur Juvenalis. *Majores quam sint duo Cæsaris Anticatones*. Hujus operis meminit etiam Plutarc. in Cæsare statim ab initio.

8. *Citeriore Gallia*] Cisalpina seu Togata. *Lombardie*.

9. *Conventibus peractis*] De his quid sit

Digitized by Google

ſupra cap. 5. videntur hæc verba ex initio lib. 5. Comment. excerpta,

10. *Mundenſis prælii*] Omnium ultimi Lucanus lib 1. ab initio *ultima funeſta conſerunt prælia Munda* dequo c. 35. & c. 55.

11. *Hiſpaniam ulteriorem*] Cap. 7.

12. *IV. & XX. die*] Hic in omnibus codicibus mendum irrepſiſſe ſcribit Caſaubonus, & auctoritate Græcorum Straboniis ſcilicet, & Appiani emendat VII. & XX uterque enim ἑπτὰ καὶ εἴκοσιν ἡμέρας ſcripſit. Unde facilis in Latinos numeros error ut V. pro II. exſcriptor quidam acceperit.

13. *Ad paginas*] Caſaub. & Torr. mallent hîc *primum*, quod & cognovit Urſini M. S. Cum autem pluribus non uterentur in ſcribendo præſertim ad Senatum, vel Conſules, *paginis*, ſed charta ſimplici tranſverſa, ut tota ſimul ob oculos epiſtola poneretur, hoc Cæſar immutavit, charta ſic, ut paginas plures efficeret, complicata.

14. *Et formam memorialis*] An chartæ ſolummodo formam, an etiam rerum ſcriptarum intelligit, ut ad epiſtolas Senatui ſcribendas ejuſdem formæ, hoc eſt eodem modo complicata charta ſit uſus, qua in memorialibus *libellis*, vel etiam eadem ratione & ſtylo ſcriptitarit epiſtolas qua libellos. Memoriales quippe libelli ii ſunt, quibus ſumma rerum, de quibus meminiſſe volumus, capita annotamus; unde nomen etiamnum hodie apud nos, quo ſenſu Cæſar intelligeretur primus ſcripſiſſe literas, quibus ſummas rerum membratim duntaxat, non vero continenti perpetuaque ſtructura orationis exprimeret; quanquam prior explicatio, ipſo Suetonii contextu patere videatur, poſteriorem tamen, ſcribendarum rerum copia forte perſuaſerit.

15. *D. pro A*] Et E. v. g pro B. F. pro C. &c. ponendo ſemper loco pingendæ literæ, quartam, quæ ſequitur ordine; ſed quid ſi V. ſcibendum ſit, aliæque, quas nullæ aut quatuor non ſequuntur? ſilent interpretes; at vel ut eſt in promptu: videtur ut, nempe diſpoſitis in circulum caracteribus repetatur initium v. g. pro V. ſcribatur A. pro X. B. & c. vel ut in ſuis notis Auguſtus, ubi recurrendum fuerit ad initium, duplex adhibeatur, A. A, ſcilicet & duplex B. B. &c. Aug. cap. 88. de quo & Iſidorus lib. 1. Originum cap. 24. & Probus Grammaticus de ipſa Cæſaris methodo. *Perſequi* hîc ſignificat legendo aſſequi, ſeu intelligere.

16. *Oedipus*] Tragœdia, cui titulus erat *Oedipus*, vulgati legebant *Oedipi*. Minus bene, & Torrentius voces *a puero* non legit in duobus melioris notæ codicibus; ſed *feruntur vero ab adoleſcente*, &c. Ejuſdem Argumenti Tragœdiam Græce Sophocles, Latine Seneca ſcripſerunt. Cæſaris quoque Tragœdiarum meminit & Aſconius.

CAPUT LVII.

ARmorum & [1] equitandi peritiſſimus, laboris ultra fidem patiens erat: in agmine, nonnunquam equo, ſæpius pedibus, anteibat, [2] capite detecto, ſeu ſol, ſeu imber eſſet. Longiſſimas vias incredibili celeritate confecit, [a] expeditus, [3] meritoria rheda, [4] centena paſſuum millia in ſingulos dies: ſi flumina morarentur, nando trajiciens, vel innixus [5] inflatis utribus, ut perſæpe nuntios de ſe prævenerit.

INTERPRETATIO.

1 *Abſque impedimentis, rheda conductitia.*

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Equitandi*] Ut pote qui a Plutarcho dicitur solitus a pueritia velocissimum equum reflexis in tergum manibus concitare.

2. *Capite Detecto*] Quamvis alii in peregrinationibus, militia, ludis, aliisque ejusmodi capite tecto forent: de quo more c. 45. & in Aug. c. 82. & Calig. c. 51.

3. *Rheda*] Casaubono Gallicum est hoc vocabulum, significatque vehiculi quoddam genus quatuor habentis rotas, quemadmodum *Cisium* duas, ait Isidorus. Nonius vero c. 6. ubi de impropriis pro *curru* a Varrone usurpari ait.

4. *Centena passuum millia*] 30. & amplius leucas tanta hac celeritate octavo die ex quo Roma profectus erat, pervenit ad Rhodanum.

5. *Inflatis utribus*] Hi sunt hircinæ pelles ut hîc dicitur, vel stramentis infertæ ut Curtii lib. 5. *utres quam plurimos stramentis refertos dividit*, &c. His incubantes, & pedibus iter adgubernantes, flumina tranabant; invento non Romanorum duntaxat; sed & Græcorum antiquissimo, cujus loco inventi postea sunt a Romanis ascogephri, hoc est pontes junctis utribus constantes de quibus in Notitia Imperii.

CAPUT LVIII.

IN obeundis expeditionibus, dubium cautior an audentior. Exercitum neque per insidiosa itinera duxit umquam, nisi perspeculatus locorum situs: neque in Britanniam transvexit, [1] nisi ante per se portus & navigationem, & accessum ad insulam explorasset. At idem [2] obsessione castrorum in Germania nuntiata, per stationes hostium, Gallico habitu penetravit ad suos: A [3] Brundisio Dyrrachium inter oppositas classes hieme transmisit. Cessantibusque copiis, quas subsequi jusserat, cum ad accersendas frustra sæpe misisset, novissime ipse clam noctu parvulum navigium solus obvoluto capite conscendit: neque aut quis esset ante detexit, aut gubernatorem cedere adversæ tempestati passus est, quam pene obrutus fluctibus.

NOTÆ.

1. *Nisi ante per se*, &c.] Cæsar ipse lib. 4. Comm. per Caium Volusenum cum navi longa præmissum, portus exploratos dicit, unde Casaubono suspecta hic Suetonii memoria.

2. *Obsessione Castrorum*] Tum vero similiter cum Q. Cicero Tullii frater Cæsaris legatus communi Gallorum conspiratione cum reliquis omnibus Hibernis obsessus est, ut videre est lib. 5. de bello Gallico.

3. *A Brundisio Dirrachium*] De his urbibus cap. 34. hæc est celebris illa occasio, qua Cæsar renuenti Amiclæ, (id erat gubernatori nomen) apprehensa dextra: *perge* ait *Cæsarem vehis; Cæsarisque fortunam* de quo fuse Plutarchus in Cæsare: & suo more Lucanus lib. 5. ubi hæc etiam pluribus describit

Fisus cuncta sibi cessura pericula Cæsar
Sperne minas, inquit, pelagi, ventoque furenti
Trade sinum, &c.
Sola tibi causa hæc est justa timoris
Vectorem non nosse tuum, &c.

CAPUT LIX.

[1] NE religione quidem ulla a quoquam incepto absterritus umquam vel retardatus est. Cum [2] immolanti aufugisset hostia, profectionem adversus [3] Scipionem & Jubam non distulit. [4] Prolapsus etiam in egressu navis, verso ad melius omine, *Teneo te*, inquit, *Africa*. Ad eludendas autem vaticinationes

Digitized by Google

vaticinationes, quibus felix & invictum in ea provincia [5] fataliter Scipionum nomen ferebatur, despectissimum quendam ex [6] Corneliorum genere, cui ad opprobrium vitæ [7] Salutioni cognomen erat, in castris secum habuit.

NOTÆ.

1. *Religione*] Hoc est omnibus, quibus infausta fore consilia, religio suadebat; quod nobis dicitur *scrupule*.

2. *Immolanti aufugisset*] Quod cæteros ab incepto deterrebat, ut pote signum infausti, nec diis accipiendi sacrificii: cujus meminit & Lucanus lib. 7.

Discussa fugit ab ara
Tauros, &c. De hoc omine vide & in Galb. cap. 18.

3. *Scipionem & Jubam*] De his supra c. 35.

4. *Prolapsus*] Omen cæteroqui triste in expeditionibus incipiendis.

5. *Fataliter*] Quasi fatorum necessitate fieri oporteret, ut Scipiones in Africa vincerent propter victorias illic a Scipionibus majore & juniore partas.

6. *Corneliorum genere*] Unde & Scipiones ducebant originem.

7. *Salutioni*] Varie isto de cognomine varii legunt & conjiciunt, sed vel relinquendum videtur *Salutioni* mimi cujusdam nomen, ita ut illi quoque nomine similis esset, quem moribus & etiam vultu referre dicebatur, vel si quid immutari debeat, Lipsio lib. Elect. 2. cap. 17. assentiendum legendo *Salacioni* pro spurco & impuro, a *Salax*, quemadmodum a *Senex Senecio*. Omissis aliis lectionibus *Saluitoni Salutationi*, &c. Neque tamen adeo contemnendus ille, quin loco postmodum aliquo fuerit apud Cæsarem, opesque magnis eo favente comparaverit, ut auctor est Plinius lib. 7. cap. 12. & 35. lib. cap. 2.

CAPUT LX.

[2] PRælia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat: ac sæpe ab itinere statim, interdum spurcissimis tempestatibus, cum minime quis moturum putaret: nec nisi tempore extremo ad dimicandum cunctantior factus est. Quo sæpius vicisset, hoc minus experiendos casus opinans: nihilque se tantum acquisiturum victoria, quantum auferre calamitas posset. Nullum umquam hostem fudit, quin castris quoque exueret: ita nullum spatium perterritis dabat. Ancipiti prælio equos dimittebat, & [1] in primis suum, quo major permanendi necessitas imponeretur, auxilio fugæ erepto.

INTERPRETATIO.

2 Inibat pugnas non tantum præparatus, sed etiam e re nata, ac frequenter nulla data mora post iter confectum, *identidem per violentissimas procellas præter omnium opinionem.*

NOTÆ.

1. *In primis suum*] Adversus Helvetios pugnans suum equum primo deinde alios e conspectu removit.

Digitized by Google

CAPUT LXI.

UTebatur autem equo insigni, pedibus prope humanis, & in modum digitorum [1] ungulis fissis: quem natum apud se, cum haruspices imperium orbis terræ significare domino pronuntiassent, magna cura aluit: nec [a] patientem sessoris alterius, primus ascendit: cujus etiam instar pro [2] æde [3] Veneris genitricis postea dedicavit.

INTERPRETATIO.

a *Et primus ascendit* illum, *cum non paterentur alium insidere* sibi, *ad cujus similitudinem* | *postea consecravit effigiem, ante templum Veneris matris.*

NOTÆ.

1. *Ungulis fissis*] Priores tantum pedes similes humanis fuisse dicit 8. lib. cap. 42. Plinius, qualis erat etiam effigies ante templum collocata: de illo equo Plutarchus quoque non pauca in Cæsare.

2. *Æde*] Ædes, templum, fanum promiscue quandoque sumuntur, licet ceremoniarum ratione differant: dequo fuse Gellius lib. 14. cap. 7. Videsis in August. c. 29. num. 2.

3. *Veneris Genitricis*] A qua oriundum se prædicabat cap. 6. hoc ædificium in foro suo, de quo cap. 26. jussit erigi ex voto, quod Pharsalicum prælium initurus fecerat; quemadmodum autem & deos patres appellabant, ut *Mars pater*. Ovid. 1. de arte. *Janus pater* Virgil. 8. Æneid. & innumeri alii. *Liber pater*, Georgic. 1. quo etiam loco deorum omnium generale nomen fuisse Servius censet, ita & deas matres, ut *Vesta mater* Cicero in oratione de haruspicum responsis, magna mater in Tib. cap. 75. ita & Venus genitrix Macrob. 1. Satur. cap. 12. *Cum hodie quoque in sacris Martem patrem, Venerem genitricem vocemus*, &c. Sed Cæsar genitricem dixit Venerem, quod ab ea genus duceret.

CAPUT LXII.

INclinatam aciem solus sæpe restituit, obsistens fugientibus, retinensque singulos, & contortis faucibus convertens in hostem, & quidem adeo plerumque trepidos, ut [1] aquilifer moranti [2] cuspide sit comminatus: alius in manu detinentis reliquerit signum.

NOTÆ.

1. *Aquilifer*] Ab Aquila primo legionis Romanæ signo, quod in unaquaque legione non nisi unum, jam inde a Marii temporibus, qui aquilas Romanis legionibus proprias dicavit: erant autem aurea aquilarum simulacra hastis suffixa; alia vero cohortium signa vulgo minotauri, lupi, equi, &c. de quibus Plinius lib. 10. cap. 4. quin & dracones, ut ex Claudiano aliisque.

Stent bellatrices aquilæ, sævique dracones.

2. *Cuspide*] Hoc est posteriore parte hastilis, quo gestabatur aquila, qua nempe terræ infigebatur.

Digitized by Google

CAPUT LXIII.

NOn minora illa constantiæ ejus, immo majora etiam indicia fuerunt: post aciem Pharsalicam, cum præmissis in Asiam copiis, per angustias [1] Hellesponti [2] vectoria navicula trajiceret, [3] L. Cassium partis adversæ cum decem rostratis navibus obvium sibi, neque refugit: & cominus tendens, ultro ad deditionem hortatus, supplicem ad se recepit.

NOTÆ.

1. *Hellesponti*] His angustiis Europa sejungitur ab Asia.

2. *Vectoria navicula*] Sic in duobus ex suis libris Torr. sic ex Cujacii & Pithœi codicibus Casaubonus, *vectoria* enim *navicula* dicitur eodem sensu, quo cap. 57. *meritoria rheda*. Torrentius tamen vulgatam lectionem retinet, scilicet *victor navicula*, victoria quippe animum, ut ait, addebat.

3. *L. Cassium*] Qui postea unus fuit e conjuratis, cum alio Cassio qui *Cajus* dicebatur, de quo cap. 82.

CAPUT LXIV.

ALexandriæ, circa oppugnationem pontis, eruptione hostium [1] subita compulsus in scapham, pluribus eodem præcipitantibus, cum desiliisset in mare, nando per CC. passus, evasit ad proximam navem, elata læva, ne libelli quos tenebat, madefierent: [2] paludamentum mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis.

NOTÆ.

1. *Subita*] Legunt quidam *facta subito*.

2. *Paludamentum*] Consulum cum imperio militari proficiscentium insigne vestimentum, coccini coloris. Hoc auspicato, & in Capitolio, sumi moris erat, ducesque exercituum nonnumquam unius hujus ceremoniæ celebrandæ caussa revocaverunt. Ut de Flaminio Livius lib. 22. auctor est. Hic autem a Suetonio longe diversi abeunt Dio & Appianus; nam ille lib. 42. idem de libellis habet, verum de paludamento non modo non consentit, sed & eo & reliquis vestibus, quarum pondere & hostium telis obruebatur, potitos ait Ægyptios & ad tropæum appendisse; cui assentitur 2. Civilium Appianus, sed libellorum non meminit; utrumque silentio prætermisit Hirtius lib. de bello Alex.

CAPUT LXV.

[1] MIlitem neque a moribus neque a fortuna probabat, sed tantum a viribus: tractabatque pari severitate atque indulgentia: non enim ubique ac semper, sed cum hostis in proximo esset, coërcebat: tum maxime exactor gravissimus disciplinæ, ut neque itineris neque prælii tempus denuntiaret; sed paratum & intentum momentis omnibus, quo vellet, subito educeret. Quod etiam sine caussa plerumque faciebat, præcipue [2] pluviis & festis diebus. Ac subinde observandum se admonens, repente interdiu vel nocte subtrahebat; fugebatque iter, ut serius subsequentes defatigaret.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Militem neque a fortuna*] Torr. mallet *a forma*; sed repugnant codices. Cæsarem igitur intellige, non a divitiis æstimasse, & legisse suos milites, quemadmodum a Romanis fieri solitum erat: Polybius quippe lib. Hist. 6. in equitum delectu census habitam rationem auctor est, quod & in peditibus legendis usurpatum videre est ex Dionysii Halicarnassei lib. 4. ubi de censu instituto sermonem habet; ac præsertim Livii lib. 34. ubi Nabidis Spartani ad Quinctium Romanum verba hæc refert. *Vos* (Romani scilicet) *a censu equitem, a censu peditem legitis, & paucos excellere opibus, plebem subjectam esse illis vultis*, &c. quod autem de moribus ait, Cæsari ipsi consentire non videtur: hic enim lib. 7. de bello Civili refert non *minus se in milite modestiam & continentiam, quam virtutem atque animi magnitudinem desiderare*, sed milites reprehendebat, quod temere iniquo loco pugnassent, nec *signo recipiendi dato constitissent*, &c.

2. *Pluviis ac festis diebus*] Ut paratiores forent adversus insidias, quibus aptissima ejusmodi tempora, & frequenter structas multis exemplis probant stratagematum scriptores.

CAPUT LXVI.

FAma vero hostilium copiarum perterritos non negando, [1] minuendove, sed insuper [2] amplificando, ementiendoque confirmabat. Itaque cum expectatio adventus Jubæ terribilis esset, convocatis ad concionem militibus, *Scitote*, inquit, *pauciſſimis his diebus regem adfuturum cum* X. [3] *legionibus, equitum* XXX. [4] *levis armaturæ* C. *millibus*, [5] *elephantis* CCC. [a] *Proinde desinant quidam quærere ultra, aut opinari, mihique qui compertum habeo, credant: aut quidem vetustiſſima nave impositos, quocumque vento, in quascumque terras* [6] *jubebo* [7] *avehi.*

INTERPRETATIO.

a *Quapropter cessent aliqui ista inquirere amplius, aut judicare* de illis *& fidem habeant mihi, qui certo scio: sin minus jubebo illos imponi vetustissima navi, & hinc exportari in quascumque regiones tulerit ventus quilibet.*

NOTÆ.

1. *Minuendove*] In Cujacii codice Casaubonus legebat *inhibendove*. Quod & potest; rumores enim inhibere noti apud politicos moris est.

2. *Amplificando*] Eadem Cyri in occasionibus ejusmodi ratio, hic enim auctore Xenophonte satius ducebat, ut minora expectatis invenirentur, non contra.

3. *X. Legionibus*] Eæ ex Romanis: Jubæ quippe Scipio, sese conjunxerat, ut supra cap. 36. & 37. & totidem legiones habebat, ut testis locuples est Hirtius lib. de bello Afric. copias adversariorum enumerans Scipionis legiones decem, &c.

4. *Levis armaturæ*] Torrentius rejicit has voces, retinet Casaubonus; & certe merito ut videtur; Hirtius enim ibidem, *equitatus infinitus legiones Regia IV. levis armaturæ magna vis*, &c. Levis armaturæ milites iidem & velites, sic dicti quod neque loricam induerent, neque ocreis aliisque ejusmodi munirentur, sed jaculis aut funda duntaxat armati pugnarent; contra vero gravis armaturæ.

5. *Elephantis CCC.*] Illud est præsertim quod ementiendo Cæsar augebat, nec enim plures elephantos quam CXX. in hostilibus exercitibus esse Labienus jactabat, & fama ipsa ferebat, quæ etiam vulgo res ejusmodi in majus auget; ut statim ab initio belli Africani & adhuc paulo post legere est. Appianus non nisi sexaginta Elephantorum meminit.

Digitized by Google

6. *Jubebo*] In duobus M. S. legit Torr. *Jubeo*, quod magis est imperantis: quo loco Casaub. legendum censet *equidem vetustissima navi impositos*, &c.

7. *Avebi*] Hoc inter supplicii genera fuisse notat Casaubonus, & a Tito usurpatum colligit ex cap. 8. in ejus vita; sed præsertim a Trajano in delatores, de quibus Plinius in Panegyrico *congesti sunt in navigia raptim conquisita, ac tempestatibus dediti*, &c. Et Tyranni Christianorum osores id quoque crudelitatis exercuerunt, ut refert Victor de Geiserico Vandalo. *Tunc vero memorata urbis episcopum, id est Carthaginis, Deo & hominibus manifestum, nomine, Quod vult Deus, & maximam turbam Clericorum, navibus fractis impositum nudos atque exspoliatos expelli præcepit.* Cujus generis plura legere est in Martyrologio.

CAPUT LXVII.

[a] DElicta neque observabat omnia, [1] neque pro modo exsequebatur: sed [2] desertorum ac seditiosorum & inquisitor & punitor acerrimus, connivebat in cæteris. Ac nonnunquam post magnam pugnam atque victoriam, remisso officiorum munere, licentiam omnem passim lasciviendi permittebat: jactare solitus, *milites suos etiam unguentatos bene pugnare posse*: nec *milites* eos pro concione, sed blandiori nomine [3] *commilitones* appellabat: habebatque tam cultos, [4] ut argento & auro politis armis ornaret: simul & ad speciem, & quo tenaciores eorum in prælio essent metu damni. Diligebat quoque usque adeo, ut audita clade [5] Tituriana, barbam capillumque [6] summiserit: nec ante dempserit, quam vindicasset. Quibus rebus & devotissimos sibi, & fortissimos reddidit.

INTERPRETATIO.

a *Neque explorabat omnes culpas, neque puniebat illas pro gravitate cujusque*, &c.

NOTÆ.

1. *Neque pro modo*] Modus hic Casaubono est jus consuetum, & disciplinæ militaris institutum: ut *pro modo* & *pro more* idem sint. Quod etiam legendum volebat Gabriel Faernus apud Torrentium: *exequi* vero idem ac *punire*, seu potius ad strictos juris apices expendere. Tacit. in Agricolæ vita. *Omnia scire, non omnia exequi.* Cæsar igitur, desertoribus & seditiosis exceptis, in reliquos delinquentes lenior erat.

2. *Desertorum*] Desertores, & Emansores, fugitivorum militum nomina, hi qui diu vagati ad castra revertuntur, illi qui non nisi per vim reducti, unde etiam gravius, capite scilicet, plecti soliti.

3. *Commilitones*] Apud Lucanum lib. 1. milites hortaturus.

Bellorum ô socii, qui mille pericula Martis
Mecum, ait, experti.

Qui mos Augusto post bella civilia improbatus, ut in ejus vita cap. 25.

4. *Auro & argento*] Arma pelle vel corio tecta habere moris fuit apud Romanos; quæ prælii, lustrationis, aut cujusdam pompæ tempore nudabant: quod & de Titi exercitu narravit Josephus lib. de bello Judaic. 5. cap. 25.

5. *Tituriana*] Supra cap. 25.

6. *Summiserit*] Idem de Augusto accepta clade Variana in ejus vita c. 23. Quod apud ipsos in luctu solitum fuit, sive ob acceptam cladem, sive rei facti, unde notatu dignum visum est, quod P. Scipio Pauli filius a Tribuno plebis accusatus, neque barbam posuerit, neque candida veste uti desierit, neque vestitu solito reorum indutus fuerit, ut notat Gellius lib. 3. cap. 4. vel supplicum more impense quidpiam postulantes, ut de Alexandrinorum legatis Livius lib. 4. decade 5. contra vero Barbari quidam barbam in luctu ponebant, ut in Calig. cap. 5. videre est, quam cæteroqui alebant infra cap 71.

Digitized by Google

CAPUT LXVIII.

A. V. C. DCC. INgresso civile bellum, [1] centuriones cujusque legionis singulos equites [2] e viatico suo obtulerunt: & universi milites gratuitam & sine frumento stipendioque operam, cum tenuiorum [3] tutelam locupletiores in se contulissent. Neque in tam diuturno spatio [4] quisquam omnino descivit: pleriquecapti [5] concessam sibi sub conditione vitam, si militare adversus eum vellent, recusarunt. Famem & cæteras necessitates, non cum obsiderentur modo, sed & si alios ipsi obsiderent, tantopere tolerabant, ut [6] Dyrrachina munitione Pompeius, viso [7] genere panis ex herba, quo sustinebantur, *cum feris sibi rem esse* dixerit: amoverique ocyus, nec cuiquam ostendi, jusserit: ne patientia & pertinacia hostis, animi suorum frangerentur. Quanta fortitudine dimicaverint, testimonio est, quod adverso semel apud Dyrrachium prælio, pœnam in se [8] ultro depoposcerunt: ut consolandos eos magis imperator, quam puniendos habuerit. Cæteris præliis innumeras adversariorum copias, multis partibus ipsi [9] pauciores, facile superaverunt. Denique una sextæ legionis [10] cohors præposita castello, quatuor Pompeii legiones per aliquot horas sustinuit, pene omnis confixa multitudine hostilium sagittarum: quarum [11] centum ac triginta millia intra vallum reperta sunt. Nec mirum, si quis singulorum facta respiciat, vel [12] Cassii Scævæ centurionis, vel C. Acilii militis, ne de pluribus referam. Scæva, [13] excusso oculo transfixus femore & humero, centum & viginti ictibus scuto perforato, custodiam portæ [14] commissi castelli retinuit. Acilius navali ad [15] Massiliam prælio, injecta in puppem hostium dextra, & abscissa, memorabile illud apud Græcos [16] Cynægiri exemplum imitatus, transiluit in navem, [17] umbone obvios agens.

Nota.

1. *Centuriones*] Tres in una cohorte manipuli, ut supra cap. 31. notatum est: singulis duo centuriones præerant, alter altero prior: constat ex Dionysii Halicarn. lib. 9. & Taciti Annal. 1. de militibus in centuriones suos seditiose sævientibus *repente lymphati in centuriones invadunt ea vetustissima militaribus odiis materies, & saviendi principium prostratos, verberibus mulcant*, (ut legendum vult Lipsius, alias mulctant) *sexageni singulos ut numerum centurionum. adæquarent*, &c. de quibus fuse Lipsius lib. 2. Dialog. 8. de militia. Cohortis primæ centurio primus primipilus dicebatur de quo Tib. c. 37.

2. *Viatico*] Viaticum dixere pecunias, aliaque itineri faciendo impendenda. Quin & pro sumptu in rem quamcumque faciendo, a Jurisconsultis accipitur. Ulpianus *l.* 17. *ff. de rebus creditis*. filiifamilias Romæ studiorum caussa agentis pecuniam ad alimenta a patre missam, *viaticum* dixit. Et *magnum viaticum*. quanquam nove, dictum tamen refert Gellius lib. 17. cap. 2. *pro magna facultate, & paratu magno, videturque Græcos secutus, qui ἐφόδιον sumptum via ad aliarum quoque rerum apparatus traducunt*, &c. Quare *viaticum* hîc est, vel cujusque centurionis peculium, vel pecunia aliaque in sumptus itineris distributa, quorum quæ superabant, in instruendo alendoque equite, impenderent, quo sensu Horat. lib. 2. Epist. 2.

Luculli miles collecta viatica, multis
Ærumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem
Perdiderat, &c.

3. *Tutelam*] Alimenta & necessitatum omnium exhibitionem Casaubonus intelligit: id enim *tueri* interdum significat Macrob. lib. 2. cap. 2. *Interrogavit (quia suorem sciebat,) quo artificio se tueretur.* &c.

4. *Quisquam omnino*] De militibus dun-

Digitized by Google

taxat intelligendum; Labienum enim a se defeciſſe ipſe ſatis innuit lib. 3. de bello Civili. *At Labienus, quum ab eo* (Pompeio intellige) *impetraſſet, ut ſibi captivos transdi juberet, omnes productos oſtentationis, ut videbatur, cauſa, quo major perfugæ fides haberetur, commilitones appellans. &c. interfecit.* Et diſerte Lucanus lib. 5. ubi Cæſarem inducit loquentem.

Fortis in armis
Cæſareis Labienus erat, nunc transfuga vilis.

5. *Conceſſam ſibi vitam*] Ut centurio ille, qui cum veteranis quibuſdam ſuis commilitonibus captus, & ad Scipionem miſſus, ei vitam condonanti, & pro ſuo beneficio gratias ſibi agendas expectanti reſpondit. *Pro tuo ſummo beneficio, Scipio, tibi gratias ago (non enim imperatorem te appello) quod mihi vitam incolumitatemque, belli jure capto polliceris: & forſan iſto uterer beneficio, ſimon ei ſummum ſcelus adjungeretur. Ego ne adverſus Cæſarem imperatorem meum adverſus armatuſque conſiſtam.* lib. 5. de bello Africano. Et Granius ille Petronius qui auctore Plutarcho Cæſaris Quæſtor Scipioni vitam quoque condonanti reſpondit Cæſaris milites vitam dare, non accipere conſueviſſe; & ſuo ſe pugione confodit.

6. *Dyrrachina obſidione*] De qua c. 35.

7. *Genere panis ex herba*] Lapſanam fuiſſe refert Plinius lib. 19. cap. 8. *Nec non olus ſilveſtre eſt triumphorum Divi Julii carminibus præcipue, jocis militaribus celebratum: alterius quippe verſibus exprobravere lapſana ſe vixiſſe apud Dyrrachium, præmiorum parſimoniam cavillantes.* Hanc inter ſilveſtres braſſicas lib. 2. cap. 9. annumerat, & napi ſimillima ejus eſſe folia dicit. Cæſar ipſe lib. 3. de bello Civili, *caram* appellat radicem illam ex qua lacte commixta panem efficiebant. Hujuſmodi panes in Pompeianos ſibi per colloquia famem exprobrantes conjiciebant, addebantque ſe, quoad herbas ejuſmodi terra produceret, obſidionem Pompeii non derelicturos: hinc Lucanus lib. 6.

Cernit miſerabile vulgus
In pecudum cecidiſſe cibos. &c.

Paulo poſt.

Plurimaque humanis antehac incognita menſis
Diripiens miles, ſaturum tamen obſidet hoſtem.

8. *Ultro depoposcerunt*, &c.] Appianus lib. 2. de bellis Civilibus dicit ipſos petiiſſe, more patrio decimari: quo negato, ſaltem aquiliferos morte plecti & primos fugæ auctores; hocque iterum negato, Cæſarem ſatis habuiſſe, ut quoſdam, eoſque paucos ſupplicio afficeret ipſe lib. 3. de bello Civili militum dolore expoſito & repetendi, prælii ardere, non nullos ſigniferos infamia notatos & loco motos refert

9. *Pauciores*] Sic apud Arvernos ubi Vercingetorix non minus, quam 400000. in armis habebat, & apud Æduos, ubi non minorem Helvetiorum multitudinem ſuperarunt.

10. *Cohors*] Hoc eſt quingenti vel utplurimum ſexcenti, viginti ad minimum Pompeianorum millibus reſtiterunt ut ex ſupra dictis cap. 1. colligere eſt, & notavit Lipſius Dialogo 4. lib. 2. de militia.

11. *Centum ac triginta millia*] Cæſar ipſe lib. 3. de bello Civili ubi iſta pluribus enarrantur, de centurionibus ejus cohortis loquens, *Et cum laboris ſui periculique teſtimonium afferre vellent, millia ſagittarum, circiter* XXX. *in caſtellum conjecta Cæſari remunerarunt:* quo Cæſaris, aut hoc Suetonii loco manifeſtus error eſt. Urſinus apud Cæſarem pro *circiter* legi debere putat *centum.*

12. *Caſſii Scævæ*] Cæſar ibidem idem narrat *quem*, ait, *Cæſar donatum millibus ducentis aris* (hoc eſt 8750 l. cap. 4) *ab octavis ordinibus ad primipilum ſe tranſducere pronunciavit; cohortemque poſtea duplici ſtipendio, frumento, vel ſpeciariis, militaribuſque donis ampliſſime donavit.* Hunc Lucadus pugnantem deſcribens lib 6. ait ſuo more.

Famque hebes, & craſſo non aſper ſanguine mucro
Percuſſum Scævæ frangit, non vulnerat hoſtem
Perdidit enſis opus, frangit ſine vulnere membra &c.
Illum tota premit moles; illum omnia tela.

13. *Excuſſo oculo*] Quatuor ejus cohortis centurionibus id acciditſſe dicit Cæſar, & de Scæva Lucanus ibidem.

Affixam vellens oculo pendente ſagittam
Intrepidus, bellumque ſuo cum lumine calcat.

Et paulo poſt.

Perdiderat vultum rabies: ſtetit imbre cruento
Informis facies.

14. *Commiſſi caſtelli*] Unius ex illis qui-

Digitized by Google

bus Pompeii castra circumdederat, cum illum prope Dyrrachium magnis operibus teneret obsessum, ut supra cap. 35. & Lucanus lib. 6.

Turritaque summis
Disponit castella jugis, &c.

15. *Massiliam*] Quæ proficiscenti in Hispaniam portas clauserat cap. 34. & Cæsar lib. 1. de bello Civili.

16. *Cynagiri*] Athenienſis illius qui post pugnam Marathoniam in Persas, fugatos hostes insecutus alternis manibus in navem onustam injectis, & abscissis, morsu navem ad postremum detinuit: de quo Justinus lib. 2. cap. 9. Simile quid a L. Glauco Romano factum narrat. Scævæ & Acilii Valerius quoque meminit lib. 3. cap. 2. mutatis non nihil prænominibus.

17. *Umbone*] Umbo media clypei pars in rotundum instar umbilici eminentior: erro vel ære munita, qua cominus pugnantes hostem impellebant.

CAPUT LXIX.

SEditionem per [1] x. annos Gallicis bellis nullam omnino moverunt, civilibus aliquas: sed ut celeriter ad officium redierint: nec tam indulgentia ducis, quam [2] auctoritate. Non enim cessit umquam tumultuantibus, atque etiam obviam semper iit. Et nonam quidem legionem apud Placentiam, quamquam adhuc [3] in armis Pompeius esset, totam cum [4] ignominia missam fecit: ægreque post multas & supplices preces, nec nisi exacta de [5] sontibus pœna, restituit.

NOTÆ.

1. *Decem annos*] Non quidem absolutos ut supra cap. 25. notatum.

2. *Auctoritate*] Lucanus lib. 5. de Cæsare milites allocuturo super hac ipsa seditione.

Stetit aggere fultus
Cespitis intrepidus vultu, mersusque timeri
Nil metuens.

Et paulo post Cæsar ipse.

Vadite, meque meis ad bella relinquite fatis
Invenient hac tela manus, vobisque relictis
Tot reddet fortuna vires, quot tela vacabunt.

3. *In armis adhuc*] Dictionem *adhuc* mallet abesse Torrentius, & sane merito. Seditio enim illa contigit tum, cum ex Hispania rediret, victis Petreio & Afranio sicque ante pugnam Pharsalicam; quare eo magis probabile est redundare hoc adverbium, quod arma Pompeius, nisi cum vita, non reliquerit.

4. *Cum ignominia*] De missione honesta & ignominiosa cap. 7.

5. *Sontibus*] Hoc est seditionis auctoribus præsertim in seditione: quippe sontes sunt omnes.

CAPUT LXX.

[1] DEcumanos autem Romæ cum ingentibus minis, summoque etiam urbis periculo, [2] missionem & præmia flagitantes, ardente tunc in [3] Africa bello, neque adire cunctatus est, quamquam deterrentibus amicis, neque dimittere: sed una voce, qua [4] *Quirites* eos pro militibus appellarat, tam facile circumegit & flexit, ut ei *milites* esse confestim responderint: & quamvis recusantem ultro in Africam sint secuti: ac sic quoque seditiosissimum quemque & [5] prædæ & agri destinati tertia parte multavit.

NOTÆ.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Decumanos*] Decimæ legionis milites *decumum* antiqui non secus ac *decimum* dixere. Huic præsertim legioni Cæsar indulserat multum propter virtutem, & confidebat. Notum est autem Romanis legionibus, nomina a numero atque ordine ut-plurimum indita, ut *prima*, *secunda*, &c. inde *primani* & *secundani*, &c.

2. *Missionem*] Honestam nempe, qualis post expleta stipendia cap. 7. notatum: de præmiis, quæ ut-plurimum erant agri, qui eis dabantur colendi, supra c. 20. & in Aug. cap. 13. & 24.

3. *In Africa*] Adversus Scipionem, & Jubam cap. 36.

4. *Quirites*] Hoc est cives Urbanos, per ironiam, quasi molles & ignavos, otii, quo Urbani delectantur, ut-plurimum cupiditatem taxans: quo sensu Lucanus.

Tradite vestra viris ignavi signa Quirites.

5. *Præda & agri Destinati*] Hæc sunt præmia de quibus num. 2.

CAPUT LXXI.

STudium & fides erga [1] clientes, ne juveni quidem defuerunt. [2] Masinissam nobilem juvenem, cum adversus [3] Hiempsalem regem tam enixe defendisset, ut [4] Jubæ regis filio in altercatione [5] barbam invaserit, stipendiarium quoque [6] pronunciatum, & abstrahentibus statim eripuit, occultavitque apud se diu: & mox ex [7] prætura proficiscens in Hispaniam, inter [8] officia prosequentium, fasces que lictorum, lectica sua avexit,

NOTÆ.

1. *Clientes*] Quid ii sint cap. 2. nota quatuordecim continuis capitibus de studiis bellicis, ut proposuerat, egisse Suetonium, nunc studiorum Civilium partem alteram, administrandæ scilicet Reipublicæ rationem persequitur. Vide cap. 44.

2. *Masinissam*] Quis ille fuerit tacent tam historici, quam interpretes. Casaubonus existimat fuisse quemdam e stirpe regia alicujus ex illis Africæ regibus, qui quod Romanis restitissent, periere amisso regno cum illum veteris adhuc umbram splendoris aliquam retinentem, ad pendenda sibi tributa cogere vellet Hiempsal, res ad Senatum delata fuit, ubi juvenem illum quamvis tutatus Cæsar, tamen facere non potuit, quin stipendiarius, hoc est vectigalis pronunciaretur. De stipendiariis cap. 25. in Galb c. 12. Vesp. 16. Domit. 12.

3. *Hiempsalem*] Hunc a Pompeio adnitente Sylla regem institutum, auctor est Plutarch. in Pompeio.

4. *Jubæ Regis filio*] Hiempsalis regis scilicet. Dio lib. 46.

5. *Barbam*] Hanc patet a barbaris excultam cap. 67. num. 6. animadvertimus.

6. *Pronunciatum*] Torr. legit in optimo e suis codicibus *pronunciavit*. Quo sensu intelligeretur Cæsar pronunciasse stipendiarium, hoc est militem, ut hoc saltem jure protegeretur, sed dubitat, an quemadmodum *stipendiaria provincia* Latine dicitur, ita ut *stipendiarius miles* recte dici possit. Certe alia prorsus est sententia: provincia stipendium tribuit, miles accipit.

7. *Ex Prætura*] Cap. 18.

8. *Officia*] Profecturos in provincias magistratu functos, amici, clientesque honoris causa, ad portam usque salutarem prosequebantur, ibique salutabant.

Digitized by Google

CAPUT LXXII.

AMicos tanta ſemper facilitate indulgentiaque tractavit, ut C.[1] Oppio comitanti ſe per ſylveſtre iter, correptoque ſubita valitudine, & in[2] diverſorio loco, quod unum erat, ceſſerit: ac ipſe humi ac[3] ſub divo[4] cubuerit. Jam autem rerum potens, quoſdam etiam infimi generis ad amplisſimos honores provexit. Cum ob id culparetur, profeſſus eſt palam, *ſi*[5] *graſſatorum & ſicariorum ope in tuenda ſua dignitate uſus eſſet, talibus quoque ſe parem gratiam relaturum.*

Notæ.

1. *C. Oppio*] Illo Cæſaris amico de quo cap 52. & cap. 56.

2. *Diverſorio loco*] F. Urſinus in veteri codice legit, *& in diverſorio quod unum erat, loco ceſſerit*, apertiore multo ſenſu, quem vix ullum eruas e vulgata lectione, unde Torrentius emendat *& loco in diverſorio, quod unum erat*, &c. Caſaub. forte legendum opinatur. *Diverſoriolo* particulæ enim illæ, *&* in non extant in Vitterbienſi codice.

3. *Sub divo*] Paulo narrat aliter Plutarch. in Cæſare, quem cubuiſſe dicit ὑπὸ προσκίῳ τινὶ τοίχου. eſt autem προσκίον, *Protectum* ſeu tecti projectura, quæ aliquantum ante januam ſpatii tegit, quæ *ſuggrundia* Latinis, nobis *ſaillie de la couverture*, nec mirum tam anguſte eo loci habitatum, tunc enim tempeſtate adactus in pauperis cujuſdam tugurium diverterat, ubi non niſi cubiculum unicum fuiſſe notat ibidem Plutarchus.

4. *Cubuerit*] In aliis *accubuerit*.

5. *Graſſatorum*, &c.] Vide infra. in Aug. cap. 32.

CAPUT LXXIII.

SImultates contra nullas tam graves excepit umquam, ut non occaſione oblata libens deponeret. [1] C. Memmii cujus aſperrimis orationibus non minore acerbitate reſcripſerat, etiam ſuffragator mox in petitione conſulatus fuit. C. Calvo poſt famoſa epigrammata de reconciliatione per amicos agenti, ultro ac prior ſcripſit. Valerium [2] Catullum, a quo ſibi verſiculis de [3] Mamurra perpetua [4] ſtigmata impoſita non diſſimulaverat, [5] ſatisfacientem, eadem die adhibuit cœnæ: [6] hoſpitioque patris ejus, ſicut conſueverat, uti perſeveravit.

Notæ.

1. *Caii Memmii*] De hujus prætura cap. 23. ac rurſus de illo & Calvo de quo hic, cap. 49. hunc vero ſimiliter intellexit Ovidius hoc verſu.

Et tu cum Calvo docte Catulle tuo.

2. *Catullum*] Hic ille Veronenſis eſt, cujus extant opera licet non omnia. Ciceroni, Pompeio aliiſque ætatis illius præſtantiſſimis viris familiaris, uſque eo liber in Epigrammate ſcribendo, ut ne Cæſari quidem pepercerit. Vide illius Epigramma 30.

3. *Mamurræ*] Fuit ille formianus Cæſaris quondam exoletus, & in Gallia fabrorum præfectus, qui tantas congeſſit divitias, ut Romæ primus, auctore Cornelio Nepote, totius domus ſuæ parietes marmore incruſtaverit, cujus meminit & Plinius lib. 36. c. 6. ſed locus ibi corruptiſſimus. Catullus Ep. 30.

Quis hoc poteſt videre? quis poteſt pati
Niſi impudicus & vorax & helluo
Mamurram habere quod Comata Gallia,
&c.

Et adhuc infra Ep. 58.

Pulcre convenit improbis

Digitized by Google

Mamurra . . . . . Cæsarique.

4. *Stigmata*] Hoc est infamiæ notas; ducta metaphora a stigmatis, sive notis quibusdam, quas vultui vel fronti nocentium servorum ferro inurebant, quandoque literas: unde Plautus in Casina servum his literarum notis insignem, appellat *literatum* Actu 2. Sc. 6 vers. 48. Martial.

Quatuor inscripti portabant vile cadaver.

5. *Satisfacientem*] Satisfacere dixerunt, cum qui verbis læserat alterum, juraret coram testibus nolle se ea dicta. Terent. in Adelphis Act. 2. Scen. 1.

Jusjurandum dabitur te esse
Indignum injuria hac.

Et Donat. ad hunc locum & Plautus in Amphitryone. Act. 3. Scen. 2. Jupiter sub persona Amphitryonis.

Mane arbitratu tuo jusjurandum dabo,
Me meam pudicam esse uxorem arbitrarier.

Ulpianus l. 5. §. 8. ff. de injuriis & famosis libellis. *Hac lege permittitur actori jusjurandum deferre, ut reus juret, injuriam se non fecisse*, &c. In Tib. 27. & Claud. 38.

6. *Hospitioque patris*] De Verona intelligendum videtur, sed in Transpadanas regiones post triumphos iviſse Cæsarem nemo antiquorum auctoritate dixerit, paulo enim post occisus est. Hac & aliis rationibus adducti Casaub. hic, & Joseph. Scaliger in notis ad Eusebii Chronicon num. MDCCCCLX. Suetonii hac parte negligentiam accusant. Verum quid si scripta ante triumphos & condonata dicantur epigrammata? licet enim Ponticæ & Hispanicæ prædæ mentio, quæ in illis habetur, confectis adversus Pharnacem, & Pompeios bellis, scripta fuisse persuadere videatur, nihilo tamen minus cum direpta ab eo fuerint ante id tempus Lusitanorum oppida, ut supra cap. 54. retulit Suetonius, & Rhodi etiamnum agens Mithridatis præfectos expulerit, ut etiam supra cap. 5. de illis temporibus forte posset intelligi. Sin minus, aliam quoque Catulli patri, quam quæ erat in regione Transpadana domum fuisse supicor, in quam Cæsar post reconciliationem occasione data diverterit.

CAPUT LXXIV.

SEd & in ulciscendo natura leniſſimus: [1] piratas, a quibus captus est, cum in ditionem redegisset, quoniam suffixurum se cruci ante juraverat: jugulari prius jussit, deinde [2] suffigi. [3] Cornelio Phagitæ, cujus quondam nocturnas insidias æger ac latens ne perduceretur ad Syllam, vix præmio dato evaserat, nunquam nocere sustinuit. Philemonem a [4] manu servum, qui necem suam per venenum inimicis promiserat, non gravius quam simplici morte puniit. In P. Clodium Pompeiæ uxoris suæ [5] adulterum, atque eadem de caussa pollutarum cerimoniarum reum, testis citatus, negavit se quidquam comperisse: quamvis & mater AUrelia, & soror Julia, apud eosdem judices, omnia ex fide retulissent. Interrogatusque, cur igitur repudiasset uxorem, [6] *Quoniam*, inquit, *meos tam suspicione quam crimine judico carere oportere.*

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Piratas*] Supra cap. 4.

2. *Suffigi*] Idem quia Tarquinius Priſcus fecerat, Romani criminati ſunt; quamvis ob majorem infamiam ſceleratis inurendam ab imperatoribus poſtea factitatum ſit. Quin & Ptolemæus Cleomenis corpus unguentis fartum ne cito corrumperetur, dutiuſque agnoſci quiret, affigi cruci juſſerit; hoc enim modo Plutarchum in Cleomene Caſaubonus explicat. Feneſtella Epitom. 2. decollatos dixit.

3. *Cornelio Phagita*] Vide cap. 1.

4. *A manu*] Vel ad manum, ex illorum numero quorum manu ad conſcribendas epiſtolas utebatur, qui & *amanuenſes* dicuntur in Nerone cap. 44. quin & *libertarum amanuenſium* ad fœminarum uſum mentio ſit Veſp. cap. 3.

5. *Adulterum*] Vide ſupra c. 6.

6. *Quoniam inquit meos*] Idem habet & Plutarchus, dixit tamen ſupra cap. 6. Cæſarem opinatum fuiſſe, illam a Claudio adulteratam. Sed eo tempore de quo hîc agitur, ei adverſari, utile ſibi non ducebat, utpote quem optimatibus contradicete exoptaret.

CAPUT LXXV.

MOderationem vero clementiamque, cum in adminiſtratione, tum in victoria belli civilis, admirabilem exhibuit. Denuntiante Pompeio, pro hoſtibus ſe habiturum, qui Reip. defuiſſent: ipſe medios & neutrius partis, ſuorum ſibi numero futuros pronuntiavit. Quibus autem ex commendatione Pompeii, [1] ordines dederat poteſtatem tranſeundi ad eum omnibus fecit. Moris apud [2] Ilerdam deditionis conditionibus, cum aſſiduo inter utraſque partes uſu atque commercio, Afranius ac Petreius deprehenſos intra caſtra Julianos ſubita pœnitentia interfeciſſent, admiſſam in ſe perfidiam non ſuſtinuit imitari. Acie Pharſalica proclamavit, *ut civibus parceretur:* deincepſque nemini non ſuorum quem vellet unum partis advetſæ ſervare conceſſit: nec ulli periiſſe, niſi in prælio reperiuntur, exceptis duntaxat Afranio & [3] Fauſto & [4] L. Cæſare juvene: ac ne hos quidem voluntate ipſius interemtos putant: quorum tamen & priores poſt impetratam veniam rebellaverant; & Cæſar libertis ſerviſque ejus ferro & igni crudelem in modum enectis, [5] beſtias quoque ad munus populi comparatas contrucidaverat. Denique tempore extremo etiam quibus nondum ignoverat, cunctis in Italiam redire permiſit, magiſtratuſque & imperia capere. Sed & ſtatuas L. Syllæ atque Pompei, a plebe [6] disjectas, repoſuit. Ac ſi qua poſthac aut cogitarentur gravius adverſus ſe, aut dicerentur, inhibere maluit, quam vindicare. Itaque & detectas conjurationes, conventuſque nocturnos, non ultra arguit, quam ut [7] edicto oſtenderet eſſe ſibi notas: & acerbe loquentibus [8] ſatis habuit pro concione denuntiare, ne perſeverarent. [9] AUlique Cæcinæ criminoſiſſimo libro, & [10] Pitholai carminibus maledicentiſſimis, laceratam exiſtimationem ſuam, [11] civili animo tulit.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Ordines*] Ducendos scilicet, singulorum manipulorum qui tres in cohorte supra cap. 31. singulis, singuli centuriones præerant cap. 68. ordines igitur dare, idem est ac centurionis gradum.

2. *Ilerdam*] Citerioris Hispaniæ oppidum hodie *Lerida*; ubi hac occasione, de qua hîc agitur, factis quibusdam induciis, utrinque miles alter in alterius castra parvo ab invicem spatio sejuncta transgressus erat. Petreii crudelitatem nedum imitari Cæsar non sustinuit, ut etiam diligenter conquisitos Petreianos remiserit, quos inter aliqui sponte remanserunt: de quo fuse lib. 1. bell. Civil. Cæsar ipse.

3. *Fausto*] Cui cognomen Sylla, de quo supra cap. 26. Syllæ Dictatoris filius erat, Pompeiique gener qui, post profligatas omnium in Africa vires cum Afranio per Mauritaniam, iter in Hispaniam tendens a P. Sitio captus est, & paucis post diebus dissensione in exercitu orta uterque, ut habetur in ipso libro de bello Africano interfectus est. Unde Suetonius ait, Cæsaris voluntate interfectos esse quibusdam non videri, eos etiam rebellasse, quia victi & dediti in Hispania post perfidiam illam Petreii, sese in Africa Cæsaris hostibus junxerant, imperio Cæsaris peremisse dicit Florus lib. 4. cap. 2.

4. *Lucio Cæsare*] Julii hîc erat cognatus Catonis Uticæ Quæstor, qui mortuo Catone, Cæsaris ad genua projectus vitam sibi nec amplius quidquam deprecatus facile obtinuerat, teste Hirtio in fine belli Africani: sed Dio per insidias a Cæsare interemptum ait, cum prius condemnare judicio voluisset.

5. *Bestias ad munus.*] Spectaculum populo exhibendum de quo cap. 39.

6. *Disjectas L. Sylla & Pompeii statuas*] Quamvis ille Cæsarem vix pueritiam egressum, ad necem tanta cura quæsivisset, c. 1. de repositis a Cæsare Pompeii statuis dicere solitum Ciceronem Plutarchus refert. Πομπηίου, Καίσαρ, ἀνδριάντας, ἐπὶ τὰς ἐμὰς πηγυίας. *Pompeii statuas erigens ô Cæsar, tuas ipsius constabilis, seu defigis.*

7. *Edicto*] Hoc est scripto publice affixo. Vide supra cap. 9. & 11. & infra sæpe.

8. *Satis habuit*] Auctor est Velleius longe aliam fuisse mentem Hirtii & Pansæ, (in Aug. cap. 10. & 11.) Cæsaris amicissimorum, suadebant enim, quam poterant enixe, ut quæsitum armis principatum armis retineret, sed dum ipse amari quam timeri malle se dicitat, occupatus est.

9. *Auli Cæcina*] Hujus extant ad Ciceronem epistolæ, quarum una, quæ est lib. 6. septima ait, de libro a se scripto, quem celeriter non missum excusat, *Cum non tam interest, quo animo scribatur, quam quo accipiatur, ne ea res inepte mihi noceret, cum præsertim adhuc styli pœnas dem, qua quidem in re singulari sum fato*, &c. *Cujus summa criminis est, quod armatus adversario maledixi*, &c. Paulo post de Cæsare. *Quid iracscitur ei, qui aliquid scripsit contra suam voluntatem? cum ignorit omnibus, qui multa deos venerati sunt contra ejus salutem.*

10. *Pitholai*] Hujus meminit Macrobius lib 2. cap 2. jocum referens in eum consulem, quem Cæsar dixit in paucas horas, de quo Cap. proxime sequenti.

11. *Civili animo*] Hoc est æquo & remisso, qualem inter cives esse decet. Tib. cap. 10 *genus vita civile*, & Aug. cap. 51. civilitas commendatur Claud. cap. 35. quo etiam sensu Juvenal Sat. 5.

Noscimus ut cœnes civiliter.

Digitized by Google

CAPUT LXXVI.

A.V.C. DCCIX. PRægravant tamen cætera facta, dictaque ejus, ut & abusus dominatione, & jure cæsus existimetur. Non enim honores modo nimios recepit, ut [1] continuum consulatum, [2] perpetuam dictaturam, [3] præfecturamque morum, insuper [4] prænomen imperatoris, cognomen patris patriæ, [5] statuam inter reges, [6] suggestum in orchestra: sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est: [7] sedem auream in Curia & pro Tribunali, [8] thensam & [9] ferculum [10] Circensi pompa, templa, aras, [11] simulacra juxta Deos, [12] pulvinar, [13] flaminem, [14] Lupercos, [15] appellationem mensis e suo nomine. Ac [16] nullos non honores ad libidinem cepit, & dedit. Tertium & quartum consulatum [17] titulo tenus gessit, contentus Dictaturæ potestate decretæ cum [18] consulatibus simul: atque [19] utroque anno binos consules [20] substituit sibi in ternos novissimos menses: ita ut medio tempore [21] comitia nulla habuerit, [22] præter Tribunorum & Ædilium plebis: [23] præfectosque pro prætoribus constituerit: qui [24] præsente se res urbanas administrarent. [25] Pridie autem Kalend. Januarias repentina [26] consulis morte cessantem honorem [27] in paucas horas petenti dedit. Eadem licentia [28] spreto patriæ more, magistratus in plures annos ordinavit. Decem prætoriis viris [29] consularia ornamenta tribuit. Civitate donatos, & quosdam e [30] semibarbaris Gallorum recepit in curiam. Præterea [31] monetæ, publicisque vectigalibus, [32] peculiares servos præposuit. Trium legionum, quas Alexandriæ relinquebat, curam & [33] imperium [34] Rufini liberti sui filio, exoleto suo, demandavit.

NOTÆ.

1. *Continuum consulatum*] Qui magistratus duntaxat annuus, nec nisi interjecto decennio postquam semel gestus erat, obtinendus.

2. *Perpetuam Dictaturam*] Quam ultra sex menses retineri vetabant leges, sicut & extra Italiam esse, qui ea præditus esset.

3. *Præfecturam morum*] Quæ cura Censoriæ dignitatis pars una. Cicero 3. de legib. *mores populi regunto*, &c. Vide cap. 41. num. 15. & 5. 6. & 14.

4. *Prænomen imperatoris*] De prænominibus Tib. cap. 1. vox autem *imperator* nullius ante Cæsarem prænomen fuit, multorum vero cognomen. Stante Rep duplicis generis imperatores. Primo quicumque exercitus duces imperio, hoc est belli gerendi jure accepto, suis auspiciis rem gererent: secundo cum re bene gesta, & occiso hostium numero, eo qui lege definitus erat (Appian. 2. civil. X M. assignat.) præsentes salutabantur. Tacitus Annal. 3. rem describit; *Tiberius id quoque Blaso, tribuit ut imperator a legionibus salutaretur: prisco erga duces honore qui Repub. bene gesta, gaudio atque impetu victoris exercitus, conclamabantur; erantque plures simul imperatores, nec super caterorum æqualitatem.* His multa honoris insignia, cognomen imperatoris præsertim. Quod si sæpius contigisset; in inscriptionibus eorum in memoriam positis numerum exprimebant. Hinc in veteribus marmoribus tam frequenter *Imperator bis, ter*, &c. Adde & lictores perpetuos, ut aperte innuit Cicero lib. 2. Ep. 15. num. 4. *accedit molesta hæc pompa lictorum & nomen imperii quo appellor.* Tum denique *Imperator* prænomen fuit & ejusdem auctoritatis ac nomen regium.

5. *Statuam inter reges*] Septem erant in Capitolio septem regum Romanorum statuæ, quibus adjuncta fuerat octava Bruti, qui illos ejecerat, juxta quam & Cæsaris statuam fuisse testatur Dio lib. 43.

6. *Suggestum in orchestra*] De orchestra supra cap. 39. num. 19. suggestum Cæsar primus in ludos invexit, quem morem cæteri quoque principes tenuere; dicebatur & cubiculum in Ner. cap. 12. erat enim tribunal

Digitized by Google

sive locus quidam eminentior ad modici cubiculi formam tectus, & inædificatus. Morem hunc eleganter indicat Plinius in Panegyr. Trajanum laudans quod sine illa dominationis prærogativa & discrimine spectaret. *Visenda cum cætera species, tum quod æquatus plebis ac principis locus: siquidem per omne spatium una facies, nec magis proprius spectandi Cæsari suggestus*, &c. Et paulo post. *Dabitur non cubiculum principis, sed ipsum cernere.*

7. *Sedem auream*] Hoc est sella aurea sedebat, ubi alii magistratus curuli utebantur, scilicet in Senatu, in foro pro rostris, ut Casaub. ex Dione suspicatur. *Suggestus in curia* a Floro dicitur lib. 4. cap. 2. in fine.

8. *Thensam*] Sacri cujusdam vehiculi genus est, quo solennibus ludorum pompis, deorum simulacra vehebantur: pro ipsa quandoque pompa sumitur.

9. *Ferculum*] His simile de quibus cap. 39. num. 10. Torrent. tamen ex Grammaticis quibusdam colligit pulpitum sive suggestum fuisse in thensa positum, cui simulacra deorum imponebant. Sensus igitur est, Cæsarem voluisse, ut cum deorum statuis sua quoque gestaretur honore pari. Qui mos Romanis inauditus huc usque, circa principum honores postea solitus est usurpari. Quamquam nec ante Græcis foret incognitus, ut ex quodam Athenæi lib. 5. loco eruit Casaubonus.

10. *Circensi pompa*] Hoc est celebritate illa maxima ludorum Circensium, qua deorum simulacra solenniter gestabantur, auro argentoque, ac pretiosissimis vestibus undique splendentibus: hanc totam fuse & graphice descripsit Halicarn. lib. 7.

11. *Simulacra juxta Deos*] Testatur Dio collocatum ipsi in Capitolio currum, qui Jovem spectaret adversum, ubi Cæsaris imago videbatur super orbis imagine posita cum inscriptione *semideus est.*

12. *Pulvinar*] Pulvinaria lecti fuere, in templis strati, diis dicati: unde ipsa quoque templa, & loca sacra, pulvinaria dicuntur: inde etiam *lectisternia* cum nempe placandæ deorum iræ, illorum imaginibus, si plures essent, super pulvinaribus impositis convivium apponebant, quod sæpe factum, ut ex multis Livii locis præsertim lib. 5. colligere est. Pulvinaria & apud Græcos in usu fuisse, primus observavit Casaubonus, ut ipse testatur, sed pulvinaria, non lectisternia qualia apud Livium.

13. *Flaminem*] Quid sint Flamines cap. 1. cum tres tantum Numa Flamines instituisset, temporis progressu ad 15. creverat illorum numerus. Et post Julium Cæsarem singulis imperatoribus, cum inter Divos referrentur, singuli Flamines attributi sunt. Cicero 2. Philippica Antonium taxat, quod primus Julii Flamen fuerit; *est ergo Flamen, ut Jovi, ut Marti, ut Quirino*, (qui tres a Numa instituti) *sic D. Julio M. Antonius.*

14. *Lupercos*] Ii Romanorum Sacerdotum antiquissimi jam inde ab Evandro ad Romulum, atque ab eo ad extrema illa Reipub. tempora conservati, Pani Lycæo sacra faciebant bina sodalitate distincti Fabianorum, & Quintilianorum, quibus in Cæsaris honorem addita tertia Julianorum. Ceremoniæ erant, ut pastoritio & fero more nudi per lasciviam discurrentes in orbem, cæderent obvios incisis in corrigias caprarum jugulatarum pellibus, quin & ad ejusmodi verbera ultro se mulieres offerebant ratæ, id ad fœcunditatem conducere, quo nomine 2. Philippica multis exagitatur Antonius.

15. *Appellationem mensis*] Julius hic est, de quo sic Macrob. lib. 1. cap. 12. *Sequitur Julius, qui cum secundum Romuli ordinationem Martio anni tenente principium, Quintilis a numero vocaretur: nihilominus tamen post prapositos a Numa Januarium ac Februarium retinuit nomen..... Sed postea in honorem Julii Cæsaris Dictatoris legem ferente M. Antonio Marci filio consule Julius appellatus est, quod hoc mense ad quartum Idus Quintilis Julius procreatus sit.*

16. *Nullos non*] Codices vulgati, *non nullos*, habent, quod nec ineptum est: nec enim omnes honores prorsus sibi usurpavit, siquidem aliquos titulo tenus exercuit & eos duntaxat cepit, deditque, quorum hîc fit enumeratio.

17. *Titulo tenus*] Habenti quippe majorem potestatem, dictaturam nempe, inutilis erat consulatus.

18. *Cum consulatibus*] Id quoque contra leges, duos enim magistratus gerere vetitum.

19. *Utroque anno*] Hoc est tertio, & quarto ejus consulatu; Quo loco non convenit Suetonius cum iis qui fastos concinnarunt. Tertio quippe Cæsaris consulatu neminem illi substituunt, solusque hoc anno reperitur cum Cæsare M. Æmylius Lepidus, qui collega idem & Magister equitum ei

Digitized by Google

fuerit. In quarto consulatu substitutum omnes consentiunt: sed alii, ut Dio lib. 43. ad annum 708. Q. Scilicet Fabium Maximum, & C. Trebonium: alii, quos inter Cassiodorus, solius Fabii meminere.

20. *Substituit sibi*] Hic dupliciter Cæsar prævaricatus est contra majorum instituta, primo quod consulatus neque toto anno, neque reliquo anni tempore gestus est; sed ipse vivus, nec jussus, eo se abdicavit aliumque subrogavit. Deinde quod Caninius ille de quo modo, eodem tempore & consul creatus est, & iniit & deposuit magistratum.

21. *Comitia nulla habuerit*] Vel quod Ægypti, Ponti, & Africæ bellis distineretur: vel ut Magistratus suo, non populi beneficio, dignitatem adepti sibi forent obsequentiores; de Comitiis cap. 13.

22. *Prior Tribunorum*] Singulorum magistratuum, qui populi suffragiis eligebantur, singula erant comitia: v. g. Consularia, Prætoria Tribunitia, &c. Consulibus, prætoribus, &c. creandis.

23. *Præfectos pro prætoribus*] Non modo qui prætorum, sed & quæstorum, aliorumque, quorum comitia non habuerat magistratuum vice fungerentur: pro prætoribus autem ideo dixit, quod prætoria illis concessa sunt ornamenta.

24. *Præsente se*] Torr. legit *absente se* vel addit *etiam præsente se*] Lipsius Elect. lib. 2. c. 17. *pro se*. Dio enim lib. 44. refert ad Hispanicum bellum proficiscentem Cæsarem Lepido, præfectisque illis custodiam urbis, negotiorumque curam reliquisse: neque tamen hoc modo convenire videtur Dio cum Suetonio; hic siquidem quo tempore habita quædam a Cæsare comitia memorat, Romæ tunc fuisse satis innuit; tribunorum autem & Ædilium habita disertis affirmat verbis. Unde præferenda videtur posterior Torrentii lectio *etiam præsenti se* quaqua via cæteroqui conveniant auctores illi non hoc uno loco discrepantes.

25. *Pridie Calendas Januarias*] His Calend's magistratum inibant destinati jam inde a mense Sextili; ut cap. 14. & 15. notatum est: quamquam non perpetuo hoc die magistratum inierint, ut ex 3. & 4. Livii colligere est.

26. *Consulis morte*] Fabii illius de quo hic.

27. *In paucas horas petenti*] Huic Caninius Rebulus nomen fuit Ner. cap. 15. de quo Epist. 31. lib. 7. Cicero. *Ita Caninio consule scito neminem prandisse, nil tamen eo consule mali factum est, fuit enim mirifica vigilantia, qui toto suo consulatu somnum non viderit.* &c. nec minus elegans de eodem Jocus apud Macrob. lib. 2. cap. 2. Pitholai illius dequo cap. proxime præcedenti num. 10. *ante Flamines nunc consules Dialis fiunt.*

28. *Sprete patrio more*] Id ipsum deplorat ibidem Cicero.

29. *Consularia ornamenta*] Ea fuere sella Curulis, regia, & eburnea, in qua jus dicebatur, trabea, seu prætexta, ac præsertim præeuntes cum fascibus lictores in Claud. cap. 5.

30. *Semibarbaris Gallorum*] Sxildius hæc verba de Narbonensibus intelligit: sed quid ni de Æduis aut de Togatis Gallis, quibus antiqua cum Romanis societas, ac proinde ut diuturnus usus, ita & barbari minus. Equidem notavit Sigonius lib. 1. de antiquo jure provinciarum cap. 6. Cæsarem de Narbonensi Gallia tam bene meritum, ut multos ex ea Senatores allegerit: unde ductum illud emanavit *Galli bracas*, &c. quod legitur cap. 80. hæc enim eadem erat ac Braccata c. 25. verum hos speciatim hîc designari vix crediderim, cum de supradictis quoque pari jure vel potiori possit intelligi.

31. *Moneta*] Hujus cudendæ cura trium ab initio virorum erat, qui inde Triumviri monetales dicti sunt hac nota designati Triumviri A. A. A. F. F. Hoc est *Ære Argento Auro Flando Feriundo*. Æs enim primo, deinde argentum, denique aurum signatum est.

32. *Peculiares servos*] Peculiares servi si ad strictos juris apices vim vocis exigas, ii fuere qui peculio servorum aut filiorum familias annumerabantur: Pater enim familias peculium habere non potest, quemadmodum nec servus bona. Unde cum nec servus, nec filius familias esset Cæsar, aliter hîc intelligendum patet pro eo nempe, quod proprium est, non publicum aut commune, quo eodem sensu Galb. cap. 12. *loculi peculiares* accipiendi: nec enim etiam tunc is erat Galba, qui peculium habere posset: quamvis apud antiquiores, *peculiare* pro eo, quod peculii est, accipiatur. Plaut. Mercat. Act. 3. Sc. 1.

Quin tibi ecce illam dabo, natam annos sexaginta
Peculiarem, &c.

Cum autem publicari equites Romani vectigalia quæ ex portoriis, metallis, pascuis, &c

conducerent, propriis, nedum publicis, servis, curam hanc Cæsar demandavit.

32. *Imperium*] Cum ne admissi quidem in militiam essent liberti priscis Romæ temporibus.

33. *Rufini*] Casaub. & Torr. variant M. S. alii *Rusioni*, alii *Rufoni*, *Rusioni*, &c. hoc præfert Torr. quod Rufinus Corneliæ gentis cognomen Cæsaris liberto male convenire videatur, quamquam & *Rufio* Trebatiorum sit.

CAPUT LXXVII.

NEc minoris impotentiæ voces propalam edebat, ut [1] T. Ampius scribit: *Nihil esse Remp.* [2] *appellationem modo, sine corpore, ac specie.* [3] *Syllam nescisse literas, qui* [4] *Dictaturam deposuerit. Debere homines consideratius jam loqui secum, ac pro legibus habere quæ dicat.* Eoque arrogantiæ progressus est, ut haruspice tristia & [5] sine corde exta sacro quodam nuntiante, [6] *futura* diceret *lætiora, cum vellet: nec pro ostento ducendum, si* [7] *pecudi cor defuisset.*

Nota.

1. *T. Ampius*] Alii *Ampritus, Ampirius, Amplius*, &c. extat ad Ampium Ciceronis epistola, & ejus meminit Cæsar ipse lib. de bell. Civil. 3. unde præferendum censuerunt.

2. *Appellationem*] Id ipsum Cicero conqueritur in Epistolis ad Atticum, nullum scilicet esse colorem, nullum succum, nullam formam relictam Reip. quo sensu Lucanus.

Omnia Cæsar erat, privata curia vocis
Testis adest, &c.

3. *Syllam*] Plutarchus in Sylla, & Gellius lib. 1. cap. 12. relictum ab eo tradunt rerum suarum commentarium, Salustius bello Jugurthino literis Græcis & Latinis doctissime eruditum refert, & inde colligas rudem non fuisse, qui tam vera de Cæsare conjecisset c. 1. sed rudis in eo visus ac imperitus, qui tanta se dignitate abdicasset. Cæsar quippe difficilius seu periculosius ducebat deponere principatum, quam occupare: quod & alii multi, ut passim legere est. Et de Cæsare ipso sup. c 29.

4. *Dictaturam*] De hac cap. 9. rerum potitus hanc in annos 120. sumpserat, cum non nisi semestris esset, ac postmodum, urbe proscriptionum (de quibus cap. 11.) cædibus exhausta sponte deposuit, ita felicitati suæ confidens, ut privatus medio in foro versaretur. Hac autem voce Cæsar ludebat in ambiguo, quasi dictare Dictatoris esset, quemadmodum & Grammaticorum discipulis suis dictantium quæ reddant, Horat. lib. 1. Epist. 18. vers. 14.

Ut puerum sævo credas dictata magistro
Reddere.

Et Dictatura dictandi munus hoc, ad quod nosse oportet literas, æque significaret ac magistratum illum in Repub. summum.

5. *Sine corde exta*] Cor non semper in extis habitum est, sed tantum ab eo tempore, quo victus a Romanis est Pirrhus. Hoc si deesset immolantis vitæ periculum portendi vulgo nuntiabant haruspices. Unde scribit Plinius lib. 11. cap. 37. magnam de divinatione tunc temporis argumentantibus fuisse quæstionem, num potuisset hostia sine corde vivere. Hoc ipsum de quo hic sermo est, ridens Cicero lib. de divinatione 2. postquam multis impugnavit extispicium, tandem subjungit *ego enim possum vel nescire qua vis sit cordis ad vivendum, vel suspicari contractum aliquo modo bovis exile, & exiguum & vietum eor, & dissimile cordis fuisse.*

6. *Futura lætiora*] Responsum hoc in Hispania factum Sabellicus existimat, ubi simile quid ipsi contra Pompeios pugnaturo contigit. Conjectura ducta ex Appiano, qui Romæ degentem Cæsarem Haruspici respondisse ait, *necesse est eveniat quod evenire necesse est.*

7. *Si pecudi cor*, &c.] Cicero ibidem: *tu vero quid habes quare putes, si paulo ante cor fuerit in tauro opimo, subito idem in ipsa immolatione interiisse; an quod aspexerit vestitu purpureo excordem Cæsarem ipse corde privatus est*, &c. Hoc ulli animanti contingere posse, ut sine corde vivere queat nusquam accepi, & contra sentiunt Cicero loco citato, Aristoteles & Plutarchus. Appianus tradit illis extis non cor, sed caput defuisse. Cum igitur extorum caput sit in jecore, ut Cicero ibidem tradit, minus mirum est, animal sine illo vivere potuisse, tum ex antiquorum, tum ex recentiorum præsertim sententia medicorum, hi siquidem jecoris obeundo muneri, repurgandæ scilicet bili, lienem sufficere posse putant, & certe (ut ut est de munere) ipsa probavit experientia, ut de Mathia Ortelio refert Thomas Bartolinus lib. 1. cap. 14. anatomiæ reformatæ.

Digitized by Google

CAPUT LXXVIII.

VErum præcipuam & [1] inexpiabilem sibi invidiam hinc maxime movit: Adeuntes se cum plurimis honorificentissimisque [2] decretis universos patres conscriptos, sedens pro [3] æde Veneris genitricis excepit. Quidam putant retentum a [4] Cornel. Balbo, cum conaretur assurgere: alii, ne conatum quidem omnino, sed etiam admonentem [5] C. Trebatium, ut assurgeret, minus familiari vultu respexisse. [a] Idque factum ejus tanto intolerabilius est visum, quod ipse triumphanti, & [6] subsellia Tribunitia prætervehenti sibi, unum e [7] collegio [8] Pontium Aquilam non assurrexisse adeo indignatus sit, ut proclamaverit, [9] *Repete ergo a me Aquila Remp. Tribunus*: & nec destiterit per continuos dies quidquam cuiquam, nisi sub exceptione polliceri, *si tamen per Pontium Aquilam licuerit.*

INTERPRETATIO.

a *Et hac agendi ratio visa est eo magis intoleranda, quod ipsemet adeo succensuer.t, quia Pontius Aquila solus e collegio* Tribunorum *non assurrexisset sibi triumphanti, & pratereunti per Sedes tribunitias, ut exclamaverit.* O *Aquila* tu *Tribunus reposce igitur a me* administrationem *Reip. & diebus consequentibus, si aliquid* promitteret *alicui, non cessaverit promittere tantum sub hac adjunctione*, si tamen Pontius Aquila non prohibuerit.

NOTÆ.

1. *Inexpiabilem*] Tres Torrentii codices habent *exitiabilem*, & vetus quoque Politiani, & Turonensis, sed priorem lectionem habent plures, ex quibus unum e regiis antiquissimum laudat Casaub.

2. *Decretis*] Illis quibus honores supra memorati deferebantur. Senatus decreta a Senatusconsultis hoc distingunt aliqui, quod hæc generalia, illa vero specialia, & alicujus caussa emissa, ut si cui provincia vel honores decernerentur.

3. *Pro æde Veneris genitricis*] Supra c. 61.

4. *Cornelio Balbo*] Hic Cæsari affinis erat, M. enim Accius Balbus Juliam Cæsaris sororem duxerat. Balbum illum dixisse ferunt *memineris esse te Cæsarem*. Cæsar tamen ipse postea caussatus est se tunc temporis comitiali morbo (de quo supra c. 45. & 50.) correptum assurgere non potuisse.

5. *C. Trebatium*] Hic ille juris peritus qui Cæsarem in Gallias comitatus erat, ad quem tot Ciceronis Epistolæ.

6. *Subsellia Tribunitia*] Moris erat, ut magistratus populi Romani expectarent triumphantes in aliqua porticu, ut de octavia narrat Joseph. lib. Bellor. 7. c. 16. ubi notandum ex Asconio subsellia fuisse Tribunorum, & minorum magistratuum, majorum vero Sellas Curules.

7. *Collegio*] Decem erant Tribuni plebis invicem collegæ.

8. *Pontium Aquilam*] Hunc Dio tradit Mutinensi bello, de quo in August c. 9. Decii Bruti legatum occubuisse, unde acerrimum libertatis propugnatorem fuisse colligas.

9. *Repete*] Contumeliæ caussa dictum, quasi exprobraret Pontio, quod ambitiosa illa libertatis ostentatione se publicæ fortunæ arbitrum non agnosceret, vel quasi rationem Reip. gestæ reposceret.

Digitized by Google

CAPUT LXXIX.

ADjecit ad tam insignem despecti Senatus contumeliam, multo arrogantius factum. Nam cum sacrificio [1] Latinarum revertente eo inter immodicas ac novas populi acclamationes, quidam e turba statuæ ejus coronam lauream [2] candida fascia præligatam imposuisset: & Tribuni plebis Epidius Marullus, Cæsetiusque Flavus coronæ fasciam detrahi, hominemque duci in vincula jussissent, dolens seu parum prospere motam regni mentionem, sive, ut ferebat, ereptam sibi gloriam recusandi, Tribunos graviter increpitos, potestate privavit: neque ex eo infamiam affectati etiam regii nominis discutere [3] valuit, quamquam & [4] plebi regem se salutanti, *Cæsarem se, non Regem* esse responderit: & [5] Lupercalibus, pro Rostris a consule Antonio admotum sæpius capiti suo diadema [6] repulerit, atque in Capitolium Jovi Opt. Max. miserit. Quinetiam varia fama percrebuit, migraturum [7] Alexandriam vel [8] *Ilium*, translatis simul opibus imperii, exhaustaque Italia delectibus, & procuratione urbis amicis permissa: proximo autem Senatu L. Cottam [9] Quindecimvirum sententiam dicturum: ut, quoniam libris [10] fatalibus contineretur, Parthos, nisi a rege, non posse vinci, [11] Cæsar rex appellaretur.

NOTÆ.

1. *Sacrificio Latinarum*] Supple feriarum. Dionysius Halicarnasseus lib. 4. ferias Latinas a Tarquinio Superbo institutas refert icto cum Latinis fœdere, quod ut sempiternum esset, ejus consilio designatum est fanum in Albano monte loco populis utriusque ad coveniendum accommodo. Illuc singulis annis commune sacrificium celebraturi omnes conveniebant, suam quique ex compacto portionem, agnos v. g. caseos, &c. afferentes, & accipientes, ut hac epularum & sacrorum communicatione invicem assuescerent. Romani sacrificio præerant, eratque moris, ut Consul antequam paludatus ad exercitum proficiscereturLatinas indiceret, iisque in Albano monte cum Latinarum civitatum magistratibus operam daret. Quod Cæsar ut pote consul tunc temporis observabat.

2. *Candida fascia*] Hæc erat insigne regium, seu regium diadema, ut vertit Plutarchus διάδημα βασιλικόν. Tali fascia candida ornatæ causiæ regum Macedoniæ, ut nostri hodie galeri loris quibusdam: sic Casaub.

3. *Valuit*] Torr. quatuor in libris legit *voluit* & præfert.

4. *Plebi*] Alii *plebei* alii *plebeio*, quod Gifanio probatum notat Sxildius, rejicit tamen Casaubonus, & partem hic pro toto sumptam existimat, perditissimum scilicet e plebe quemque pro tota plebe. Notum enim e 2 Philippica 2. Ciceronis, quanto hoc populi dolore factum fuerit. Appianus dicit quibusdam, illum circa portas gradientem salutantibus ut regem responsum illud esse factum, quo confirmatur explicatio Casauboni.

5. *Lupercalibus*] De his ludis c. 76.

6. *Repulerit*] De quo Velleius lib. 2. (*Cui* (Cæsari nempe) *magnam invidiam conciliarat M. Antonius omnibus audendis paratissimus, imponendo capiti ejus Lupercalibus Sedentis insigne regium, quod ab eo ita repulsum erat, ut non offensus videretur.* Meminit & hujus loci Cicero 2. Philippica, & ideo Antonium sectatur.

7. *Alexandriam*] Præter urbis pulchritudinem & situs commoditatem accedebat forte & causa Cleopatræ.

8. *Ilium*] Propter suam & Romanorum originem ad hoc respexisse videtur Horatius lib. 3. Od. 3.

Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico: ne nimium pii,
Rebusque fidentes, avita
Tecta velint reparare Troja.

9. *Quindecimvirum*] Libros Sybillinos

ab alio quam ab eo, qui publice ad id erat constitutus inspici nefas erat, quare duo tantum illis inspiciendis viri ab initio creati, qui *Duumviri*, tum decem, denique quindecim viri, qui ab hujusmodi munere Sybillini dicti sunt.

10. *Fatalibus*] His Sybillinis libris populi Romani fata continebantur.

11. *Cæsar Rex*] Idem de Sybillinis refert Appianus, ac insuper hac de causa censuisse quosdam in Senatu, ut Cæsar, quemadmodum antea dictator fuerat appellatus, ita & Rex diceretur, & quocumque alio nomine reges appellantur, nec regis nomine ullum alium appellarent, quæcunque gentes Romanæ ditioni subiicjebantur.

CAPUT LXXX.

QUæ causa [1] conjuratis maturandi fuit destinata [2] negotia, ne assentiri necesse esset. Consilia igitur dispersim antea habita, & quæ sæpe bini ternive ceperant, in unum omnes contulerunt: ne populo quidem jam præsenti statu læto, sed clam palamque detrectante dominationem, atque [3] assertores flagitante. Peregrinis in [4] Senatum allectis, [5] libellus propositus est. [6] *Bonum factum. Ne quis Senatori novo curiam monstrare velit.* Et illa vulgo canebantur.

[7] *Gallos Cæsar in triumphum ducit:* [8] *iidem in curia*
Galli [9] *bracas deposuerunt, latum clavum sumserunt.*

Q. [10] Maximo suffecto, [11] trimestrique consule Theatrum introeunte, cum lictor [12] animadverti ex more jussisset, ab universis conclamatum est: [13] *Non esse consulem eum.* [14] Post remotos Cæsetium & Marullum Tribunos, reperta sunt [15] proximis comitiis complura suffragia, consules eos declarantium. Subscripsere quidam [16] L. Bruti statuæ, *Utinam viveres.* Item ipsius Cæsaris statuæ: [17] *Brutus, quia reges ejecit, consul primus factus est: Hic quia consules ejecit, rex postremo factus est.* Conspiratum est in eum a LX. amplius, [18] C. Cassio, [19] Marcoque & Decimo Bruto principibus conspirationis. Qui primum cunctati, utrumne illum [20] in campo per comitia [21] tribus ad suffragia vocantem [22] partibus divisis e ponte dejicerent, atque exceptum trucidarent: an in [23] Sacra via vel in aditu [24] theatri adorirentur; postquam Senatus [25] Idibus Martiis in [26] Pompeii curiam edictus est, facile tempus & locum prætulerunt.

NOTÆ.

1. *Conjuratis*] *Conspiratos* vocat cap. 82. & hoc eodem *conspirationis principes.* Unde patet promiscue usurpari voces illas, nec enim ullo sese jurerando aut sacrificio astrinxisse leguntur, quo tamen proprie fiebat conjuratio.

2. *Negotia*] Vocem hanc abundare nec esse Suetonii Casaub. existimat. & certe apud Ciceronem *perficere cogitat*, & apud Livium *maturare cœpta* fine addito non semel occurrunt.

3. *Assertores*] Qui se in libertatem asserebant, hoc est vindicarent, libertatis vindices.

4. *In Senatum allectis*] Allectos Senatores ex festo *Budæus annot. in pandectas* eos fuisse dicit, *qui propter inopiam ex equestri ordine in Senatus sunt numerum assumpti.* Et ita locum hunc intelligit: sed cum Senatores illi novi fuerint, illi Gallorum semibarbari, de quibus cap. 76. divitiis indiguisse non videntur, & vox *allecti* latiori quadam accipienda significatione.

5. *Libellus propositus est*] Publice affixus ut

Digitized by Google

omnibus innoteſceret, nimirum ne peregrini illi locorum urbis ignari curiam invenire poſſent.

6. *Bonum factum*] Boni ominis cauſſa ſic præfari ſolitum in edictis proponendis, ut adhuc *infra in Vitellio cap.* 14. & Plautus in Pœnulo Prolog. ubi jocoſum proponitur hiſtrionum edictum bonum factum *edicta ut ſervetis mea*; & Iſidorus lib. 1. cap. 22. ubi compendii cauſſa literis B. & F. tantum deſignari ſolitum notat: de quo plura habet Briſſonius *lib.* 3. *de Formulis*, ſtatim ab initio.

7. *Gallos Cæſar*] Trochaici duo, ut pridem Turnebus annotavit adverſ. 3. cap. 22. quorum in altero *ſumpſerunt*, legitur penultima *breri* quemadmodum apud Virgilium *ſteterunt* Æneid. 2. & 3. *obſtupui, ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.*

8. *Iidem in Curia*] In duobus M. S. Torr. legit *idem in Curiam*; & probat hoc ſenſu, ut *idem* Cæſar, qui Gallos in Triumphum duxerat, eoſdem duxiſſe in Curiam intelligatur. In Codice Salmaſ. Sxiidius *Iidem in Curiam.*

9. *Bracas.* Bracæ veſtimenti genus Gallis Narbonenſibus proprii, ut ſupra cap. 22. & 76. ſed quodnam veſtimentum illud fuerit obſcurum eſt, cum & alii quoque populi ejuſdem nominis veſtimento uſi ſint Scythæ v. g. ut teſtatur Ovidius in Triſtib. lib. 5. Eleg. 7.

Pellibus & laxis arcent mala frigora bracis.

Et Sarmatæ, ut Pomponius Mela *bracati ſunt* inquit, *Sarmata totum corpus; niſi qua vident etiam ora veſtiti.* Unde colligas tunicarum loco fuiſſe bracas, quod Suetonio convenit, pro iis ſiquidem latum clavum ſumptum narrat, quem fuiſſe tunicam ex cap. 45. ſupra & ex cap. 38. Aug. Conſtat. Quamquam ſint, qui bracas pro periſcelidis accipiant, hoc eſt, pro femoralibus, quibus cura velabantur. De quibus in Aug c 82.

10. *Quinto Maximo*] De quo ſupra c. 76. num. 19.

11. *Trimeſtri*] Pridie Calend. Janu. obiiſſe ſupra cap. 76. notatum eſt, & ex Cicerone loco mox laudato conſtat. Uno igitur menſe ſuffectum oportuit, quo eti m tempore ex Hiſpania Cæſarem rediiſſe Dio annotavit.

12. *Animadverti*] Solenne verbum eſt lictoris turbam adveniente conſule ſummoventis, & ſui quemque officii admonentis. Horat. Od. 16. lib. 2.

Non enim gaza, neque conſularis
Summovet lictor miſeros tumultus
Mentis.

Lictorem quandoque conſul ipſe jubebat animadvertere, ſi quid quod contra dignitatem eſſet, omitteret exemplum habes Livii lib. 24. de Fabiis patre & filio. Et Valer. lib. 2. cap. 2.

13. *Non eſſe conſulem*] Propter rationes ſupra cap. 76. num. 19. & 28. allatas. Hinc Cicero Famil. lib. 7. Epiſt. 31 *Comitiis Quæſtoriis inſtitutis ſella Q. Maximi, quem illi conſulem eſſe dicebant*, &c. abſentibus enim honoris cauſſa ſua ſella ponebatur.

14. *Poſt remotos*,] Malejquidam non diſtinguebant has voces a præcedentibus: puncto enim ſeparandæ ſunt omnino; in illam ſiquidem offenſam tribuni nondum incurrerant, cum Fabius obiit.

15. *Proximis Comitiis*] Hoc eſt quæ proxime inſecuta ſunt exauctorationem Cæſetii & Marulli: Calendis nempe Januariis indicebantur feriæ Latinæ, & recenti etiamnum tantæ ſuperbiæ odio procliviores ad ejuſmodi ſuffragia fuerunt animi. Quo confirmatur Caſauboni ſententia exiſtimantis hæc comitia legitimo tempori non reſervata, ſed ante menſem Martium, aut ipſo ejus initio habita & accelerata propter feſtinationem Parthici belli, ad quod primo vere profecturus erat. Si quidem illum quatuor non amplius diebus occupavere conſpirati.

16. *L. Bruti ſtatua.*] De qua ſupra ad cap. 76. ubi de regum ſtatuis.

17. *Brutus*] Duo ſunt itidem Trochaici. Nota eſt ex Livii lib. 1 aliiſque hiſtoria Junii Bruti regum expulſoris, qui pulſo Tarquinio ſuperbo, primus conſul factus eſt cum Tarquinio Collatino.

18. *Caio Caſſio*] Hunc ipſum eſſe, de quo c. 63. Beroaldus, & Sabellicus Appiano auctore exiſtimant: ſed Tranquillus aperte diverſos indicat, illum ſiquidem *Lucium* hunc *Caium* appellat: ſuperioris tamen frater erat, unde erroris anſa facile potuit arripi.

19. *Marcoque & decimo Brutis.*] Illius tribunali (tunc enim beneficio Cæſaris, cum Caſſio prætor erat) aſcripſerant *Brute dormis, neque vere es Brutus*, hunc Cæſar inter ſecundos heredes teſtamento ſcripſerat, provinciamque Celticam ei dederat.

20. *In campo*] Martio nempe, ubi comitia habebantur.

Digitized by Google

21. *Tribus ad suffragia vocantem*] Convocato comitiis populo, factaque ab eo magistratu, cujus auctoritate habebantur, oratione; tribuum omnium nomina in quandam cistellam conjiciebant, quæ singula postmodum educentes, ut unumquodque prius exierat, tribus illa per præconem ad ferendum suffragium vocata, e loco in quem ab initio discesserat (suus quippe singulis locus assignabatur) transibat in ovile, seu septum, huic usui cancellis inclusum, ubi tribunal erat magistratus.

22. *Partibus divisis e ponte*, &c.] Ita ut alii super, alii sub ponte collocati essent: pontes autem illi erant extructæ ad tempus quasi quædam mensæ, per quas tribus in ovile admittebantur. Harum in parte prima duas suffragii tabellas a diribitoribus accipiebant, quas Rogatoribus in extrema parte redderent, alteruttram, ut visum fuerat, mittentes in Cistam propositam. Notandum vero Tributorum comitiorum (de quibus c 13.) sermonem hîc esse, ne mirum videatur Cæsarem in Ponte, non in Ovili, ubi tribunal vulgo ponebatur, constitisse, qui enim hæc habebat comitia Magistratus, cistam ipse Rogatoris loco deferebat, quod in centuriatis vel curiatis, de quibus cap. 13. non obtinebat.

23. *Sacra via*] De qua c. 46.

24. *Theatri*] Pompeiani, ibi enim ludi tunc agitabantur; quo de opere in August. cap. 31.

25. *Idibus Martiis*] Hunc diem magna hilaritate Romani transigebant; ut potè sacrum Annæ Perennæ, quam Didonis alii sororem, Lunam alii, alii denique aliud quid esse dicebant. Largioribus enim poculis indulgentes pro numero cyathorum annos mutuo sibi precabantur Ovidius 3. fastorum de illo die ubi festivitatem populi describit.

Sole tamen vinoque calent annosque precantur
Quot sumunt cyathos, ad numerumque bibunt
Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos
Quæsit per calices facta Sybilla suos.

26. *Pompeii curiam*] In qua Senatum haberi moris erat, quoties in eo usdem theatro ludi erant habendi, testatur Appianus factum hoc enarrans. Cur autem in ea Senatus haberi potuerit Aug. c. 29. num. 2.

CAPUT LXXXI.

SEd Cæsari futura cædes evidentibus prodigiis denuntiata est. Paucos ante menses cum in colonia Capua deducti [1] lege Julia coloni, ad extruendas villas sepulcra vetustissima disjicerent, idque eo studiosius facerent, quod aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant: tabula ænea in monumento, in quo dicebatur [2] Capys, conditor Capuæ, sepultus, inventa est, conscripta literis verbisque Græcis, hac sententia, [3] *Quandoque ossa Capyis detecta essent*, [4] *fore ut Iulo prognatus*, [5] *manu consanguineorum necaretur, magnisque mox* [6] *Italiæ cladibus vindicaretur.* Cujus rei, ne quis fabulosam aut commenticiam putet, auctor est Cornelius Balbus, familiarissimus Cæsaris. Proximis diebus equorum greges, [7] quos in trajiciendo Rubicone flumine consecrarat, ac [8] vagos & sine custode dimiserat, comperit pertinacissime [9] pabulo abstinere, [10] ubertimque flere. Et immolantem haruspex Spurinna monuit, caveret periculum quod non ultra [11] Martias Idus proferretur. Pridie autem easdem Idus, [12] avem regaliolum, cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ se inferentem, volucres varii generis ex proximo nemore persecutæ, ibidem discerpserunt. Ea vero nocte cui inluxit dies cædis, & ipse sibi visus est per quietem interdum supra nubes volitare, alias cum Jove dextram jungere. Et [13] Calpurnia uxor imaginata est, [14] collabi fastigium domus, maritumque in gremio suo confodi: ac subito cubiculi fores sponte patuerunt. Ob hæc simul & ob infirmam valitudinem diu

Digitized by Google

cunctatus [15], an se contineret, & quæ apud Senatum proposuerat, agere differret: tandem [15] D. Bruto adhortante, ne frequentes ac jam dudum [16] opperientes destitueret, [17] quinta fere hora progressus est: libellumque insidiarum indicem, ab [18] obvio quodam porrectum, [19] libellis cæteris quos siniſtra manu tenebat, quasi mox lecturus, commiscuit. Dein [20] pluribus hostiis cæsis, cum [21] litare non posset, introiit curiam, spreta religione: Spurinnamque irridens, & ut falsum arguens, quod sine ulla noxa Idus Martiæ adessent: quamquam is *venisse quidem eas* diceret, *sed non praterisse*. A V. C. DCCX.

NOTÆ.

1. *Lege Julia*] De qua c. 20.

2. *Capys conditor Capuæ*] Virgil. lib. 10. *Et Capys: hinc nomen Campana ducitur urbi* Livius tamen Samnitium hunc ducem fuisse *lib.* 4. auctor est. Capuam alii dictam volunt, quod circumjectarum esset caput urbium: alii a situ campestri, de quo Festus in voce *Capuam*. Ejus hodie ruinæ visuntur duobus amplius passuum millibus dissitæ a nova Capua.

3. *Quandoque*] Vulgati legebant *quando*. Ex tribus M S. Torrentius emendavit. Sumitur enim pro *quandocumque*: quo sensu alias etiam apud Jurisconsultos.

4. *Fore ut Julo*] Torrentius uno libro legit *Ilio*: quid enim, ait, Capys ad Cæsarem, aut cur in ejus sepulcro de Juli posteris? sed ex Virgilii loco mox laudato & ex Dionysii Halicarn. lib. 1. constat Capyn unum ex Æneæ sociis: quin & ex eodem Dionysio Æneæ propinquum fuisse verosimillimum est: Capys enim Assaraci filius Anchisæ pater fuit: quo minus mirandum videtur, si quorum origo communis, communia quoque fata significentur, cum & Turnebus adversar. 24. lib. c. 14. legat *illo*.

5. *Manu consanguineorum*] Obscura est illa consanguinitas apud auctores: nullum enim e conjuratis hoc modo Cæsari junctum referunt, nisi de Bruto, cujus pater existimatus est cap. 50. sive de Cæsaris adulteriis, quæ multa fuerunt, intelligas. Aut potius latiori significatione consanguinei dicuntur Romani ejusdem inter se sanguinis.

6. *Italia cladibus*] Augusti bella innuit, de quibus mox in Aug.

7. *Quos in trajiciendo Rubicone consecrasti*] Turnebus adversar. 24. cap. 14. legit *Rubiconi flumini* qua ratione Plutarchus ait immolatum Euphrati taurum a Lucullo exercitum traducturo; sed de tauris videtur hoc esse convenientius quam de equis: tauriformes quippe a poëtis dicuntur fluvii Hor. lib. 4. Od. 14.

Sic tauriformis volvitur Aufidus.

Et Torr. ad illum locum. Unde hîc existimat non flumini, sed Marti consecratos, quales Virgiliani illi Minervæ de quibus lib. 3. Æneid.

Quattuor hic primum omen equos in litore vidi
Tundentes late campum.

Sed solita fuerunt hoc modo consecrari & libera dimitti generis omnis animalia, atque ea præsertim, quæ dominis aut utilia maxime, aut grata fuerant, ut libertatem quasi præmium ferrent. Ursæ nempe, elephanti, equi, aves, quin & pisces, quibus affundi unguentum moris erat, ut ex Athenæo, Æliano, &c. fuse hic probat Casaubonus. De illis equis Luc. lib. 1.

Primus in obliquum sonipes opponitur amnem
Excepturus aquas, molli tunc cætera rumpit
Turba vado faciles jam fracti fluminis undas.

8. *Vagos ac sine custode*] Græci ἄρτια dicunt, ut Plutarchus in Lucullo de bobus Dianæ perficæ sacris narrat.

9. *Pabulo abstinere*] Ad hoc Virgilius alludens Eclog. 5. qua Julii, ut censent, mortem deflet sub persona Daphnidis.

Nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam

Illis nempe diebus, quibus mortuum fingit Daphnida.

10. *Ubertimque flere*] Huc quoque respexisse Virgilium lib. 11. Æneid. in Pallantis funere Torrentius existimat.

Post bellator equus positis insignibus, Æthon

Digitized by Google

It lacrymans, guttisque humectat grandibus ora.

Quod ne poëtice fictum videatur, obstiterit Plinius, qui lib. 8. c. 42. de equis ait, *præsagiunt pugnam & amissos lugent dominos, lacrymasque interdum desiderio fundunt.*

11. *Martias Idus*] Quas etiam ipse sibi Scorpionis occasu ferales fore annotarat, auctore Plinio lib. 18. c. 26.

12. *Regaliolum*] Casaubonus notat scriptum in Glossario *Regaviolum*, nec inepte: Regem enim avium, aviculam hanc appellari dicit Plinius lib. 8. c. 25. medicis Græcis passerem troglodyten dici, atque inimicitias eum aquila exercere: lib. 10. c. 74. trochylum indigetat, nos *roitelet*.

13. *Calpurnia*] L. Pisonis filia, de qua supra c. 21. *imaginata* dicitur, pro *somniasse*. Ut & Plinius in epist. *imaginatus venisse Neronem* de somnio Fannii.

14. *Collabi fastigium*] Simpliciter hîc accipiendum non est pro summa ædium parte, sed pro ornamento aliquo, quod domui Cæsaris Senatusconsulto ad majestatem impositum fuit, quo etiam templorum tecta distinguebantur a cæteris; nec mirum, illi siquidem aras, templa, pulvinaria &c. tanquam Deo decreverant Plutarchus in Cæsare ἀκρωτήριον vocat Latinus interpres *Pinnaculum*. Et Florus lib. 4. c. 2. fastigium domus inter honores Cæsari delatos recenset.

15 *Bruto adhortante*] Plutarchus qui hæc pluribus narrat, arteptum manu & deductum ait, injecto metu ne hoc & inter cætera convitia calumniatores objicerent, Senatores scilicet alias redituros cum meliora fuissent Calpurniæ somnia, &c.

16. *Opperientes*] Ad faciendum solenne illud, ut inquiebat Brutus, Senatusconsultum, quo diadema ubicumque extra Italiam gestare Cæsari liceret.

17. *Quinta fere hora*] Circiter undecimam ritu nostro; diem enim in duodecim duntaxat horas dividebant, ut satis notum est.

18. *Obvio*] Torrentius in optimo lib. legit *Ovio*, unde suspicatur *Ovinio* quod Romanum nomen est: Plutarchus in Cæsare traditum ait libellum hunc ab Artemidoro natione Gnidio, qui, cum Cæsar alios libellos ministris suis statim tradebat, vehementer petiisset, ut statim legeret; magna quippe contineri, sed præ nimia turba impeditum, ac frustra conantem, manu denique servasse non lectum: Quod tamen ipsum aliter ab aliis referri subjungit idem auctor. Simile quid de Archia Thebanorum tyranno refert in Pelopidæ vita Plutarchus: & de Nicephoro Cedrenus.

19. *Libellis*] Libellos supplices intelligo, quibus principes adire moris erat, ad quos rescribere & principes solebant. Vide & cap. 53. in Aug. de Domitiano, sic Martial. lib. 8. Epig. ultimo.

Dante tibi turba querulos Auguste libellos.

20. *Pluribus hostiis cæsis*] De hoc sacrificandi more antequam Senatum ingrederentur, infra in Aug. c. 35.

21. *Litare*] Solenne verbum hoc est rite sacrificare & impetrare. Cujus rei signum erat, si mancum monstrosumve nihil in sacrificio adfuisset: si enim victimæ viscera pallere, tetrisve suffusa maculis apparuissent, si tabidum jecur; aridæ vel nullæ pulmonum fibræ, &c. tunc non litatum existimabant. Hinc Martialis epig. 73. lib. 10.

Non quacunque cadit victima cæsa litat.

Verbum hoc tam de hostiis, quam de diis ipsis dicitur. Hostiæ quippe *litantur* hoc est *sacrificantur*, & dii ipsi *litantur* hoc est *placantur*. Vide quod notatum est ex Servio in August. cap. 96. & in Othone cap. 8.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT LXXXII.

ASſidentem [1] conſpirati, ſpecie officii circumſteterunt, illicoque [2] Cimber Tullius, qui primas partes ſuſceperat, quaſi [3] aliquid rogaturus, propius acceſſit: renuentique, & geſtis in aliud tempus differenti, ab utroque humero [4] togam apprehendit: deinde clamantem, [5] *Iſta quidem vis eſt*, [6] alter Caſſius adverſum vulnerat, paullum infra jugulum. Cæſar Caſſii brachium arreptum [7] graphio trajecit: conatuſque proſilire, alio vulnere tardatus eſt. Utque animadvertit undique ſe ſtrictis [8] pugionibus peti, toga caput obvolvit: ſimul ſiniſtra manu [9] ſinum ad ima crura deduxit, quo honeſtius caderet, etiam inferiore corporis parte velata. Atque ita tribus & viginti plagis confoſſus eſt, uno modo ad primum ictum gemitu ſine voce edito. Etſi tradiderunt quidam, M. [10] Bruto irruente dixiſſe, [11] Καὶ σὺ τέκνον, καὶ σὺ τέκνον: Examinis [12] diffugientibus cunctis, aliquamdiu jacuit, donec lecticæ impoſitum, [13] dependente brachio, tres ſeruuli domum retulerunt. Nec in tot vulneribus, ut [14] Antiſtius medicus exiſtimabat, lethale ullum repertum eſt, niſi quod ſecundo loco in pectore acceperat. Fuerat animus conjuratis, corpus occiſi in Tiberim trahere, bona publicare, [15] acta reſcindere: ſed metu [16] M. Antonii conſulis, & [17] magiſtri equitum Lepidi, deſtiterunt.

NOTÆ.

1. *Conſpirati*] Quidam *conſpicati*, male; vide cap. 80.

2. *Cimber Tullius*] Pulmannus ſcripſit *Tillius*, Græci enim Plutarchus & Appianus τίλλιος ſed conſenſum Latinorum M. S. præfert Caſaubonus; hujus ut Julianarum partium propugnatoris acerrimi meminit Seneca 3. de ira cap. 30. & Cicero 2. Philipp.

3. *Aliquid rogaturus*] Re quidem ipſa fratris exulantis reditum rogaſſe Plutarchus cenſet.

4. *Togam apprehendit*] Ut illam ab humeris demitteret, quod ſignum invadendi conſpiratis erat, ut ait idem Plutarchus hac veriſimiliter de cauſſa, ut facilius cohiberentur ejus brachia, maxime ſi, ut quidam cenſent, clauſa undique toga foret.

5. *Iſta quidem vis eſt*] Hoc proverbii loco uſurpatum, ſi quando premerentur arctius. Plautus in Captivis 3. 5.

Vis hac quidem hercle eſt, & trahi, & trudi ſimul.

6. *Alter Caſſius*] Torr. ex tribus M. S. & Plutarcho emendat *Caſca*, quod Servilio-rum cognomen eſt, unde Bruto materna ſtirpe conjunctos Caſcas veroſimiliter colligere eſt; ſed Pulmannus & Caſaubonus ex veteribus membranis contra vulgatas editiones reſtituerunt: cui accedit etiam quod licet duo *Caſca*, ut & *Caſſii* duo conjuraverint, unus tamen *Caſca* tunc exularet.

7. *Arreptum graphio*] Caſaubonus in M. S. quibuſdam legit *arrepto*. Sed veroſimilius eſt arreptum brachium. Graphium ſtylus quidam ferreus eſt, ab una parte peracutus, ab altera planus, illa qua literas in cera exararent, hac qua delenda inducerent, ceramque rurſus complanarent: unde, *ſtylum vertere* apud Horatium pro delere: his autem ſæpe abuſi ſunt ad cædem, ut ex Plutarcho in Gracchis conſtat. Quapropter cautum aliquando fuit, ne ferrea graphia quiſquam haberet, ſed oſſea tantum.

8. *Pugionibus*] Quos (quia ferrum gerere vetitum erat) in ſcriniis ſuis, libellorum loco deferendos curaverant.

9. *Sinum*] Togæ ſinus hic nihil aliud eſt, quam ima ejus pars dextro collecta brachio; ita ut tunica ſubtus appareret, hanc, obvo-

M

luto prius capite deduxit ad imas partes, ne quid inhoneſte nudaretur. Quod enim ex Quintiliano, Apuleio, &c. colligas, ſinus togæ duos fuiſſe, eoſque non attextos, ſed aſſutos: quorum alter ſuperior a dextro latere ad ſiniſtrum humerum tanquam balteus oblique duceretur, alter inferior ab umbilico ſic demitteretur, ut infra imam togam non defluereret, poſteriorum inventum fuiſſe Manutius affirmat; & tales veteribus non fuiſſe, ipſe Quintilianus auctor eſt. Videſis non nihil ſuper hoc loco in Aug. c. 99.

10. *M. Bruto irruenti*] Cæſarem ab eo genitalibus percuſſum tradit Plutarchus: ut participes cædis omnes eſſent: convenerat inter illos ut ſuum quiſque vulnus inferret.

11. Καὶ σύ] Hoc eſt *tu quoque ex illis es, tu quoque fili?* alii legunt, καὶ σὺ τέκνον alii καὶ σὺ εἷς ἑταίρων, &c. quæ tamen lectiones tanti affectus non ſunt ac prior. Et illa non ſunt ad Bruti vel ætatem, vel familiaritatem ſimpliciter referenda, ſed ad Serviliam de qua c. 50.

12. *Diffugientibus*] Cum enim hoc peracto Brutus rationem Senatui vellet reddere, omnes horrore correpti, diffugienteſque undique, urbem metu & tumultu complevere.

13. *Dependente Brachio*] Lectica enim a tribus tantum ſervis bajulata, propendebat, cum ſex vulgo ſoleant lecticas bajulare in Claud. c. 25. &c.

14. *Antiſtius*] In uno libro Torrent. legit *Antius*, & probat, niſi & medicus ille libertus dicatur cujuſdam ex Antiſtiorum familia, hanc enim illuſtriorem fuiſſe exiſtimat, quam ut quiſquam ex ea medicus.

15. *Acta reſcindere*] De quibus c. 3.

16. *M. Antonii*] De eo plura modo in Aug. hunc ut pote Cæſari conjunctiſſimum & robore corporis validum Brutus Albinus extra Senatum detinuerat, prolixos conſulto ſermones miſcens, donec cædes peracta foret.

17. *Magiſtri equitum*] Cæſar enim dictator erat c. 76.

CAPUT LXXXIII.

POſtulante ergo L. [1] Piſone ſocero, teſtamentum ejus aperitur: recitaturque in Antonii domo, quod [2] Idibus Septembribus proximis in [3] Lavicano ſuo fecerat, demandaveratque virgini [4] Veſtali [5] maximæ. Q. Tubero tradit, heredem ab eo [6] ſcribi ſolitum ex conſulatu ipſius primo, uſque ad initium civilis belli, Cn. Pompeium, idque militibus pro concione recitatum. Sed noviſſimo teſtamento tres inſtituit heredes [7] ſororum nepotes, C. [8] Octavium [9] ex dodante, & L. Pinarium & Q. Pedium ex quadrante: [10] reliquos in ima [11] cera. C. Octavium etiam in familiam nomenque [12] adoptavit: pluresque percuſſorum in tutoribus filii, ſi quis ſibi naſceretur, nominavit: D. Brutum etiam in [13] ſecundis heredibus. Populo [14] hortos circa Tiberim publice, & viritim [15] trecenos ſeſtertios, legavit.

NOTÆ.

1. *Piſone ſocero*] Vide ſupra c. 21.

2. *Idibus Septembribus*] Menſe Octobri reverſum in urbem ex Hiſpania ſcribit Velleius, unde in villa ſua conſtitiſſe vero ſimile eſt, vel interea dum triumpho neceſſaria pararentur, vel ut feſſum ſe tot bellis, ruſticatione relaxaret. Ut ut eſt, totos ſex menſes potitus non eſt parta illa tot laboribus auctoritate; ſiquidem Idibus Martiis proxime ſecutis occiſus eſt.

3. *In Lavicano ſuo*] Villa ſeu prætorium fuit in agro Lavicano, quemadmodum dicitur *in Formiano, in Tuſculano*, &c. Lavici hodie *Valmontone* in agro Oſtienſi. Alii Suburbanum fuiſſe aiunt ad portam Lavicanam, quæ hodie dicitur *di ſanta Croce*.

4. *Veſtali*] Sæpe ab aliis factum, ut de Aug. infra c. 101. & de Antonio Plutarchus.

5. *Maximæ*] Ætate tantum maximam intelligo, non etiam dignitate, Abbatiſſarum inſtar noſtrarum; quod tamen Beroaldus cenſet; illis Veſtalibus enim præfuiſſe alium a Pontifice neminem indicant Plutarchus in Numa. Gellius lib. 1. c. 12. & Dionyſius lib.

Digitized by Google

2, 3. Equidem cum in ejusmodi ministerio primum decennium in addiscendis sacris, alterum in exercendis, tertium denique in edocendis insumerent, quin aliqua inter ipsas fuerit ordinis hujus prærogativa, & dignitas negandum non videtur, sed hac ratione non nisi antiquissimæ in Sacerdotio dignitas maxima. Nec alio modo Valer. Maximus, & Capitolinus in Valerianis intelligendi videntur.

6. *Scribi solitum*] Testamentum enim conditum semper & paratum habebant, quod pro varia rerum mutatione immutarent; nota hic voce *novissimus* numquam usum Ciceronem, & rationem reddit Gellius lib. 10. c. 25.

7. *Sororum Nepotes*] De illis Sororibus præterquam de Julia Augusti avia, pauca reperiuntur, ut & de Nepotibus earum Q. Pedius postea cum Augusto Consul fuit. Pinarii meminit Appianus lib. 3. bellor. Civil. ubi dicitur Augustus ab illis partem hereditatis requisivisse: nota quidem est ejus familiæ antiquitas propter sacra Herculis Virgil. lib. 8. Æneid.

Et domus Herculei custos Pinaria sacri.

8. *Octavium.*] Qui postea Augustus appellatus est, de quo toto lib. sequente.

9. *Ex Dodrante*] Hereditatem totam in 12. utplurimum uncias, instar assis dividebant, unde inductus loquendi usus, *ex asse heres.* Hoc est ex 12. unciis, sive ex toto. Mediam igitur hereditatis, partem, quasi medium assem, semissem vocavere; quarta pars sive tres unciæ, quadrans; tertia sive quatuor unciæ triens dicebatur. Dodrans vero dicitur, quasi deest quadrans, ad totum nempe complendum assem, qua ratione Octavius, ex hereditate Julii Cæsaris, tres quadrantes obtinebat, hoc est uncias seu hereditatis partes novem; Pinarius autem & Pedius ambo non nisi tres uncias, quas proprio nomine quadrantem appellavit Suetonius.

10. *Reliquos in ima*] Lipsius elect. lib. 1. c. 10. sic distinguit, *L. Pinarium, & Q. Pedium ex quadrante reliquo.* Quem contra codices omnes, & vulgatas editiones sequitur Casaub. cum Torrentio, ut sit sensus reliquum ex hereditate quadrantem illis concessum, vel addit *aliosque in ima cera*, &c. ut de substitutionibus intelligatur, ex quippe in inferiori utplurimum tabularum parte scribebantur. Unde potius multo videtur, nil quicquam mutato, *reliquos* eodem sensu atque *alios*, relinquere: per se quippe facis intelligitur supereste quadrans, dodrante dempto.

11. *Cera*] Hac illitæ fuerunt tabulæ quibus testamenta describebant.

12. *Adoptavit*] Hoc est in familiam suam ascivit: nec enim si rem ad strictos juris apices revocaveris, propria hæc fuerat adoptio: quia legandi verbo in lege 12. tabularum, quæ testamentorum jus constituit, adoptiones non significantur; sed ut adoptiones ejusmodi verarum instar censerentur, debebat is qui nomen ferre jussus erat, delato prius ad Prætorem Urbanum testamento, obtinere insuper a populo, lege Curiata, (& post modum ab Imperatore,) ut sibi in defuncti familiam nomine mutato, transire liceret. Quod & ab ipso Augusto præstitum est, adnitente contra, quantum potuit, Antonio, ne scilicet ille pro legitimo filio Cæsaris haberetur. Dione lib. 45. & Appiano 3. de bellis Civilibus auctoribus. Quæ tamen omnes Juris solennitates impedimento non erant, quominus Historicis & Oratoribus, illi dicerentur testamento adoptati. Quo sensu *adoptandi* verbo usum hîc patet Suetonium. Talis adoptionis exemplum non male forte subjicias ex l. facta 65. §. 10. ff. ad Sc. Trebell. Vide *l. Adoptio* 18. π. de Adoptionibus & Cujacium lib. Observ. 7. c. 7.

13. *In secundis heredibus*] Intestatos mori cives Romanos, nec sibi heredes extare; ignominiosum videbatur, quapropter plures gradus heredum constituebant, nimirum ut deficientibus, qui primo gradu instituti dicebantur, vocarentur substituti; qui secundo gradu erant, nominati, & sic deinceps. Vide titulum ff. de Vulgari & pupillari substitutione. Notat Appianus de D. Bruto miserandum præsertim id populo visum esse.

14. *Hortos*] Quibus publice populus uteretur meminit Horat. Sat. 9.

Trans Tiberim longe cubat is prope Cæsaris Hortos.

Et Cicero ad Attic. lib. 11. Epist. 6.

15. *Trecenos sestertios*] Hoc est singulis e plebe dedit 13 l. 2 s. Plutarchus ait 75. drachmas quod æqualem drachmæ ac denarii valorem, & quatuor in utroque sestertios, ut supra ex Budæo posuimus c. 4. fuisse, manifeste confirmat.

Digitized by Google

CAPUT LXXXIV.

[1] FUnere indicto, rogus exſtructus eſt in Martio campo, juxta [2] Juliæ tumulum: & pro [3] Roſtris aurata ædes ad ſimulacrum templi Veneris Genitricis collocata: [4] intraque lectus eburneus, auro ac purpura ſtratus: & [5] ad caput tropæum, cum veſte in qua fuerat occiſus. Præferentibus [6] munera, quia ſuffecturus dies non videbatur, præceptum eſt ut [7] omiſſo ordine, quibus quiſque vellet itineribus urbis, portaret in campum. [8] Inter ludos cantata ſunt quædam ad miſerationem, & invidiam cædis ejus, accommodata ex [9] Pacuvii Armorum judicio.

[10] *Men' me ſervaſſe, ut eſſent qui me perderent?*

Et ex Electra [11] Attii alia ad ſimilem ſententiam. Laudationis loco conſul Antonius [12] per præconem pronunciavit [13] Senat. conſ. quo omnia ei divina ſimul atque humana decreverat: item jusjurandum, quo ſe cuncti pro ſalute unius adſtrinxerant: quibus perpauca a ſe verba addidit. [14] Lectum pro Roſtris in Forum [15] magiſtratus & honoribus functi detulerunt. Quem cum pars in Capitolini Jovis [16] cella cremare, pars in curia Pompeii, deſtinaret, repente duo quidam gladiis ſuccincti, ac bina jacula geſtantes, ardentibus cereis ſuccenderunt: confeſtimque circumſtantium turba virgulta arida, & cum [17] ſubſelliis tribunalia, quidquid præterea [18] ad donum aderat, congeſſit: deinde [19] tibicines & [20] ſcenici artifices veſtem, quam ex inſtrumento triumphorum ad præſentem uſum induerant, detractam ſibi, atque [21] diſciſſam, injecere flammæ, & veteranorum militum legionarii, arma ſua quibus exculti funus celebrabant. Matronæ etiam pleræque ornamenta ſua quæ gerebant, & liberorum [22] bullas atque prætextas. In ſummo publico luctu, exterarum gentium multitudo, [23] circulatim ſuo quæque more lamentata eſt: præcipueque [24] Judæi, qui etiam noctibus continuis [25] buſtum frequentarunt.

NOTÆ.

1. *Funere indicto*] Non omnium indictiva fuere funera, ſed non niſi quorum aut opes ingentes, aut eximia in Remp. merita (aliorum funera dixere tacita, plebeia, Tralatitia, quod ſine ludis aliaque pompa fierent) illis non ludi modo, ſed & deſultores, aliaque id genus ampliſſima. Unde nata videtur quædam nobilium funerum differentia, eorum ſcilicet, quæ dicebantur ſimpludearia, quaſi ſimpli ludearia, hoc eſt, ut Joſephus Scaliger explicat lib 1. Auſon. lect. cap. 28. quibus ſimpli ludii ſaltatores nempe, non etiam deſultores, &c. & indictiva proprie quibus omnia magna.

2. *Juliæ tumulum*] Supra cap. 26.

3. *Pro Roſtris aurata ædes.*] Quid Roſtra c. 6. Bononienſis editio legebat ſedes: verum repugnant M. S. hæc autem fuit imago & ut ait ſimulacrum ædis illius, de qua ſupra cap. 61. & 78. Quod & addendum videtur ad ea, quæ ipſi ſupra humanum faſtigium decreta ſunt, cæteris enim, qui pro Roſtris huc uſque laudati fuerant, non niſi lectus poſitus eſt. At inductis principum conſecrationibus frequentia poſt modum hæc fuere.

4. *Intraque lectus eburneus*] Appianus auctor eſt cereum Cæſaris ſimulacrum huic lecto ſuperimpoſitum, atque machinamentis quibuſdam ſic erectum, ut circumvoluti un-

Digitized by Google

dique, & a populo cum acceptis omnibus vulneribus mire effictis conſpici facile poſſet. Unde veroſimillimum fit, quod ait Caſaub. & ædem auratam & lectum ipſum pe matis inſtar fuiſſe, qualia deſcribuntur infra in Claud. cap. 34. ætate ſua id teſtatur in more poſitum apud Romanos fuiſſe Polybius, Quintil. tamen lib. 6. c. 2. corpus ipſum lecto impoſitum ait.

5. *Ad caput tropæum*] De tropæis ſupra c. 11. quæ repræſentatio veſtis cruentæ ſic populum egit in furorem, *ut non occiſus eſſe Cæſar, ſed occidi tum videretur*, ut ait ibid. Quintil.

6. *Munera*] Ad funera nobilium celebranda multa ab amicis in rogum una cum cadavere conjiciebantur, quæ vel ſibi ipſis vel mortuis pretioſa fuiſſent, ut patet ex hoc Suetonii capite & Virgil 5. Æneid.

Congeſta cremantur
Thuraque dona, dapes, fuſo crateres olivo, &c.

Quæ inferiæ dicebantur, ut & inferri quæ mortuis donabantur. Vide legem ultimam ff. de auro, argento, mundo legatis.

7. *Omiſſo ordine*] Fuiſſet enim hoc cæteroqui nimii temporis; quippe ibant magiſtratus, tum Senatores, poſt hos, equites; inde milites arma, ſed verſa gerentes, ac denique populus in ſua quiſque Tribu.

8. *Inter ludos*] Funebres quibus id peculiare fuit, ut non a magiſtratibus tantum, ſed & ab ipſis privatis ederentur, & fabulæ, ut patet ex hoc loco, æque ac certamina de quibus ſupra cap. 10. & 26. populo exhibebantur.

9. *Pacuvii*] Poëta Brundiſinus fuit Tragœdiarum ſcriptor, ac unius inter alias, cui titulus *armorum judicium*. Argumento ab hac diſceptatione ducto, quæ Ajacem inter & Ulyſſem de Achillis armis exorta eſt.

10. *Men' me ſervaſſe*] Torrentius cenſet ſcribendum bis *men' men'*. &c. nec placet Caſaubono prior lectio, tum quia commodus ex ea ſenſus, non niſi ægre elici poteſt, ut quid enim ejularet, quod ſe ſervaſſet ipſum? minime; ſed quod Pompeianorum beneficio ſuo ſervatorum fraude periret: tum quia vulgatam tuentur membranæ, ſcilicet *men' ſervaſſe*, &c. manco equidem verſu; ſed recta ſententia. Dicebatur ille verſus apud Pacuvium ab Ajace vel de Græcis, quibus ex probrabat victorias ſuas, vel de Ulyſſe ipſo, quem ab Aiace quoque ſervatum notat Ovidius Metamorphoſ. lib. 13.

Oppoſui molem clypei, texique jacentem.
Servavique animam (minimum eſt hoc laudis) inertem.

11. *Attii*] Sic emendat Caſaubonus. Alii *Attilii* legunt, quos ſequitur Torrentius, qui & vocem *electra* tanquam e gloſſemate in textum invectam reiicit, quod tragœdiæ hujus nominis ab Attilio ſcriptæ mentionem nullibi repererit. Sed & Attilii & Electræ Sophoclis ab eo in Latinum ſermonem converſæ meminit Cicero 1. de finibus num. 8. ubi & Pacuvii quoque ſermo eſt. Ut & Gellius lib. 15. c. 24.

12. *Senatuſconſultum*] De quo ſupra cap. 74.

13. *Per præconem*] Pronuntiabat præco, cui tamen ſcriba ſubiiciebat verba. Appianus tamen non tantum pauca a ſe, hoc eſt ſuo ipſius nomine & voce addita ab Antonio dicit, ſed etiam lecta fuiſſe hæc omnia. Et elegantem ab eo habitam orationem Dio dicit lib. 44. quam & recenſet.

14. *Lectum pro Roſtris*] Hoc eſt qui erat pro roſtris. Locutione Græca; quo loco Caſaub. legit *detulerant* pro *detulerunt*. Facili ut patet errore, quique videtur admiſſus. Suetonius enim ſtudio brevitatis, non niſi notatu digna retulit, præteritis quæ in uſu communi erant, ablutionibus v. g. unctionibus, & collocatione, quæ tamen funerum partem efficiebant: propinqui ſiquidem cadaver primum aqua calida ablutum ungebant, ut 4. Æneid. Anna Didonis ſoror.

Date vulnera lymphis
Abluam, &c. Et lib. 6. de Miſeno.
Pars calidos latices, & ahena undantia flammis
Expediunt, corpuſque lavant frigentis, & ungunt.

Quibus peractis in ædium veſtibulo collocabatur, honeſtiſſima veſte viventis indutum, quod proprio vocabulo dicebatur *collocatio*, & apertius innuitur infra in Auguſt. c. 100. inde corpus ablutum, unctum, & coronatum ab amicis affluentibus: poſt legitimos dies qui ſeptem erant, efferebatur ad buſtum, quo tempore ad honeſtandas concurſu exequias populus evocabatur his verbis. *Exequias* L. v. g. Titio *quibus eſt commodum ire jam tempus eſt, ollus ex ædibus effertur*. Tunc impoſitum lecto ſplendide ſtrato corpus præcedente tibicine, qui næniam in defuncti laudem caneret, funeris pompa procedebat. Quæ omnia facta eſſe oportuit

Digitized by Google

cum pro Roſtris cadaver, ibi quippe laudatus defunctus extra urbem cremandus efferebatur: Quare *detulerant* longe videtur melius quam *detulerunt*.

15. *Magiſtratus*] Sic & aliquando Veſtales; Syllam defunctum detulerunt cum Senatoribus. Tenuioris vero fortunæ homines a Veſpis ſeu Veſpillonibus tempore Veſpertino efferebantur.

16. *Cella*] Locus templi ſacratior erat, quem intrare profano nemini fas. Unde hoc quoque inter honores divinos reponendum: neutrum enim fas erat, in urbe nedum in Jovis cella cremari mortuos. Quin ne cremari quidem moris antiquiſſimi fuiſſe probat Cicero 2. de legib. 6. ubi dicit Syllam primum e patriciis Corneliis, quod Marii reliquias ad Anienem ſitas diſſipari juſſiſſet, veritum ne ſuo corpori idem accideret, cremandum hoc voluiſſe.

17. *Cum ſubſelliis tribunalia*] Hæc prætoris & aliorum magiſtratuum, illa Judicum de quibus ſupra c. 11. & 12.

18 *Ad donum*] Sic in ſuis omnibus Torr. legit: quare intelligendæ ſunt inferiæ, de quibus hoc capite num. 6. Beroaldus in bonis codicibus legiſſe ſe ait *ad manum*: quam lectionem videtur confirmare etiam Plutarchus cancellos, gradus, trapezitarum tabulas una congeſtas affirmans, ſed priorem lectionem præferendam contendit Caſaubonus.

19. *Tibicines*] Sic in libris omnibus legit Caſaubonus, ſi tamen Servium in 5. Æneid. audias legendum *tubicines*. Ad tubam quippe provectioris ætatis funera proferebantur ex Perſii Satyr. 3. minoris autem ad tibias, ut de Archemoro Statius.

Tibia enim teneros ſolitum deducere manes.

Vide Gellium lib. 20. cap 2.

20. *Scenici artifices*] Qui ſuam ſcenicis ludis operam navabant; per inſtrumentum autem triumphorum, intellige veſtem, qua Cæſaris ludis triumphalibus uſi fuerant cap. 37.

21. *Diſciſſam*] De hoc more in luctu ſupra cap. 33. in more etiam veſtimenta quædam cum mortuis vel condere vel urere. Virgil. 6. Æneid. de Miſeni funere.

Purpureaſque ſuper veſtes velamina nota,
Iniiciunt, &c.

22. *Bullas*] Macrob. lib. 1. cap. 6. ubi pluribus explicat quid & unde prætexta & bulla: hanc tandem fuiſſe concludit auream cordis figuram, ab initio triumphantium inſigne non puerorum ornamentum; quam ante pectus ingenui pueri annectebant; nec enim libertinis idem licuiſſe, ſed lorum eos pro bullæ decore geſtaſſe; quod & Aſconius *ſcorteum bullam* appellavit de prætexta cap. 1.

23. *Circulatim*] Torr. nove dictum notat pro per vices vel per ſuos quæque natio orbes & circulos.

24. *Judei*] Ut pote qui multis iiſque honorificentiſſimis a Cæſare decretis inſigniti fuerant, quæ omnia fuſe enumerat Joſephus lib. antiquit. 14. cap. 17. Quanquam bello civili a partibus Pompeii ſtetiſſent; ſed metu potius quam benevolentia, hunc enim oderant propter captam ab eo Hieroſolymam.

25. *Buſtum*] Cicero 2. de legibus buſtum accipit pro ipſo monumento, alii pro rogo poſt crematum corpus, quo ſenſu Servius ad hunc 11. Æneid. locum *ſemiuſtaque ſervant buſta*. Unde Buſtuarii dicti ſunt gladiatores, qui ante ſepulcra dimicabant. Poſt exoletum morem captivos ibidem necandi; quæ ſanguinis effuſio, quaſi ad placandos inferos deos, *inferiæ* quoque dicebatur.

Digitized by Google

CAPUT LXXXV.

PLebs ſtatim [1] a funere, ad domum Bruti & Caſſii cum facibus tendit: atque ægre repulſa, obvium ſibi [2] Helvium Cinnam, per errorem nominis, [3] quaſi Cornelius is eſſet, quem graviter pridie concionatum de Cæſare, [4] requirebat, occidit: caputque ejus præfixum haſtæ circumtulit. Poſtea ſolidam [5] columnam prope XX. pedum lapidis Numidici [6] in foro ſtatuit: ſcripſitque, [7] PARENTI PATRIÆ. Apud eandem [8] longo tempore, ſacrificare, vota ſuſcipere, controverſias quaſdam interpoſito per Cæſarem [9] jurejurando diſtrahere, perſeveravit.

NOTÆ.

1. *Statim a funere*] Plutarchus ait non perfecto funere; ſed incenſo rogo ſuſtuliſſe inde torres, &c.

1. *Helvium Cinnam*] Tribunum illum plebis, Cæſaris amicum de quo ſupra c. 52. Idem habet Valer. Max. lib. 9. c. 9. additque Plutarchus in Cæſare, Cinnam hunc nocte illa, cui funeris dies illuxit, ſomniaſſe, ſe ad cœnam a Cæſare invitari, ac reluctantem manu abductum.

5. *Quaſi Cornelius*, &c.] Præcipue quod cum eſſet Cæſaris affinis, ut habet ibidem Valerius, unaque prætor hac ſua oratione, percuſſores ejus, honoribus afficiendos Reique publicæ conſervatores prædicaſſet.

4. *Requirebat*] Caſaub. in Vitterbienſi codice legit *inquirebat*.

5. *Columnam lapidis Numidici*] Hoc eſt marmoream; quippe marmor ex Numidia in Italiam invehebatur maculoſum nigro colore cum albo & rubeo mixtum, de quo Plinius lib. 36. cap. 6. Græci aram a populo, columnam ab Antonio erectas aiunt. Hanc veroſimillime Cicero ſceleratam appellat in Philippicis.

6. *In foro*] Eo ipſo ubi crematus erat loco. Notat hîc Caſaub. reliquiarum meminiſſe neminem, excepto Dione, qui in paternum eas monumentum delatas a libertis ejus refert.

7. PARENTI PATRIÆ] Cicero Epiſt. 3. lib. 12. ad familiares, non a plebe, ſed ab Antonio, non columnæ ſed ſtatuæ Cæſaris non PARENTI PATRIÆ, ſed PARENTI OPTIME MERITO aſcriptum dicit. Quæ tanta diſſentio omnia hæc facta fuiſſe forte perſuaſerit.

8. *Longo tempore*] Atqui paulo poſt everſa eſt per Dolabellum columna; unde hic locus intelligendus videtur de diuturnis ſacrificiis, quæ etiam poſt disjectam columnam illic facta ſunt.

9. *Jurejurando diſtrahere*.] Hoc eſt dirimere & finire quod verbum originem habuit ab auctionibus (de quibus ſup. ad c. 50.) ubi res pluribus divenditæ quaſi in diverſa trahuntur. Quo vero ſenſu hic accipitur ſignum eſt honoris divini, tum quod per deos, aut heroas jurabant, tum quod locum illum, ubi crematus erat templi inſtar habitum oportuit: in templis enim controverſiæ hoc modo dirimi ſeu diſtrahi ſolitæ. Patet ex Plin. epiſt. 1. lib. 5. Quod poſtea frequentius uſitatum eſt etiam erga vivos ut de Aug. Horatius epiſt. 1. lib. 2.

Præſenti tibi divinos largimur honores,
Jurandaſque tuum per nomen ponimus aras.

Et per fortunam, ſalutem, caput imperatorum juraſſe, vulgatum eſt. Quod & hodie tam viget apud Perſas, quam quod unquam maxime viguit.

Digitized by Google

CAPUT LXXXVI.

SUſpicionem Cæſar quibuſdam ſuorum reliquit, neque voluiſſe ſe diutius vivere, neque curaſſe quod valitudine minus proſpera uteretur: ideoque & quæ [1] religiones monerent, & quæ renuntiarent amici, neglexiſſe. Sunt qui putent confiſum eum noviſſimo illo [2] Senatuſconſulto ac jurejurando, etiam cuſtodias [3] Hiſpanorum cum gladiis ſectantium ſe, removiſſe. Alii e diverſo [4] opinantur, inſidias [5] undique imminentes ſubire ſemel confeſſum ſatius eſſe, [6] quam cavere ſemper. Alii ferunt dicere ſolitum, non tam ſua, quam Reip. intereſſe uti ſalvus eſſet, ſe jam pridem potentiæ glorïæque abunde adeptum: Remp. ſi quid ſibi eveniret, neque quietam fore, & aliquanto deteriore conditione civilia bella ſubituram.

Notæ.

1. *Religiones*] Hoc eſt ſomnia, auſpicia prodigia, &c. de quibus ſupra cap. 83.

2. *Senatuſconſulto & jurejurando*] De quibus cap. 84.

3. *Hiſpanorum ſectantium ſe*] Habuit & Auguſtus ad corporis cuſtodiam Hiſpanos in Auguſt. cap. 49. vulgatæ editiones legebant *inſpectantium* pro *obſervantium*. Ego, inquit Caſaubonus, non puto latinitatem pati, ut aliter legatur, quam *ſectantium*.

4. *Alii opinantur*] Torrentius in duobus codicibus legit *opinatum*, nec in iiſdem reperitur vox *confeſſum*. Quod longe melius videtur tranſpoſita voce *ferunt* ante vocem *alii*; ſic *alii e diverſo opinatum inſidias undique imminentes ſubire ſemel ſatius eſſe, quam cavere ſemper ferunt; alii dicere ſolitum*, &c.

5. *Undique imminentes*] Nec enim illum fugiebat, quo adverſus ipſum animo forent etiam qui videbantur amici. Cicero lib. 14. Epiſt. 1. ad Attic. hæc ejus verba refert. *Ego dubitem quin ſummo in odio ſim, cum M. Cicero ſedeat, neque ſuo commodo me convenire poſſit: atqui ſi quiſquam eſt facilis, hic eſt: tamen non dubito quin me male oderis*, &c. Et epiſt. ſequenti de eodem idem loquendo. *Ego nunc tam ſim ſtultus, ut hunc ipſum facilem hominem, putem mihi eſſe amicum, cum tamdiu ſedens meum commodum expectet*, &c.

6. *Quam cavere ſemper*] Hortantibus amicis ut cuſtodias corporis cohortes Hiſpanas duceret, reſpondit; nihil aſſidua cuſtodia infelicius eſſe, & in perpetuo timore commorantibus. Quo ſenſu Dionyſius Syracuſanus cognitis Calippi amici inſidiis dixit melius eſſe mori, quam vivere non ſolum hoſtes caventem, ſed & amicos.

CAPUT LXXXVII.

ILlud plane inter omnes fere conſtitit, talem ei mortem pene ex ſententia obtigiſſe. Nam & quondam cum apud Xenophontem legiſſet, Cyrum ultima valitudine mandaſſe quædam de funere ſuo, aſpernatus tam lentum mortis genus, ſubitam ſibi celeremque optaverat. Et pridie quam occideretur in ſermone nato [1] ſuper cœnam, apud M. Lepidum, quiſnam eſſet finis vitæ commodiſſimus, repentinum, inopinatumque prætulerat.

Notæ.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Super cœnam*] Hoc eſt inter cœnandum patet ex cap. 77. Tib. 56. Calig. 22. Juvenal Sat. 5.

Tale ſuper cœnam facinus narraret Ulyſſes
Alcinoo. Aliud eſt inter cœnam in Aug. cap. 71.

CAPUT LXXXVIII.

1 PEriit ſexto & quinquageſimo ætatis anno : atque in 2 Deorum numerum relatus eſt, non ore modo decernentium, ſed & perſuaſione vulgi. Siquidem ludis, quos 3 primo conſecratos ei heres AUguſtus edebat, 4 ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit, exoriens circa undecimam horam. Creditumque eſt, animam eſſe Cæſaris in cœlum recepti, & hac de cauſſa ſimulacro ejus in 5 vertice additur ſtella. Curiam, in qua occiſus eſt, 6 obſtrui placuit : Iduſque Martias 7 parricidium nominari : ac ne umquam eo die Senatus ageretur.

NOTÆ.

1. *Sexto & quinquageſimo ætatis anno:*] Ut autem duo belli fulmina Cæſar & Scipio eodem hoc ætatis anno, ſic & duo doctrinæ lumina Virgilius & Plinius obiere, ait Torrentius; ſed & Romulus, Pompeius ipſe & Antonius Triumvir hos annos nati periere, &c. quem annum climactericum aiunt, propter multiplicatum octies ſeptenarium.

2. *In Deorum numerum*] Hæc eſt illa tam celebris Imperatorum ἀποθεωσις conſecratio; cujus honor ad Cæſarem uſque, alii a Romulo nemini publice impertitus. Privatim vero non ſemel : auctor quippe Plutarchus in quæſt. Rom. parentes nonnullos a liberis conſecratos & domeſtica religione cultos, iique erant, qui *animales dii* dicebantur, quod animas ipſorum in deos converſas exiſtimarent. Unde cum imperatores patres patriæ dicerentur, publicas quoque conſecrationes illis attribuit adulatio; exemplo præſertim a Græcis ducto, qui peculiari quadam veneratione Heroum memoriam commendabant, quod Latini multo inverecundius, ut ait Caſaubonus, quem conſule, in deorum numerum referri aut conſecrari dixerunt. Quod Auguſtus in Cæſare patre ſanxit. Unde Manilius.

Jam facit ipſe deos, mittitque ad ſidera numen,
Majus, & Auguſto creſcit ſub principe cœlum.

3. *Primo conſecratos ei*] Alii legunt *conſecrato*, alii *quos primos*, &c. Hos autem veneris genitrici dicatos, excepto Suetonio, cæteri omnes aiunt : quare ſuſpicatur Caſaubonus *ei* intelligendum eſſe pro *ab eo*, quod alias non ſemel hic auctor : multos enim Auguſtus edendos juſſerat. Sed quid ſi *primo ei* intelligatur quaſi primo poſt Romulum e Romanis conſecrato.

4. *Stella crinita*] Cometes videtur, de quo intelligendus Virgil. Eclog. 9.

Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum.

Qua nota & nummi ſignati cum voce *Divus Julius*. Vide Senec. lib. 7. quæſt. natur. c. 17. & Plin. lib. 2. c. 25.

5. *In vertice*] Virgil. 8. Æneid.

Patriumque aperitur vertice ſidus.

Et Plin. loco citato.

6. *Obſtrui*] Appianus dicit populi furore combuſtam.

7. *Parricidium*] Quod aræ vel columnæ inſcriptum fuerat, ut notatum eſt ad cap. 85.

Digitized by Google

CAPUT LXXXIX.

PErcuſſorum autem fere, neque [1] triennio quiſquam amplius ſupervixit, neque [2] ſua morte defunctus eſt. Damnati omnes, alius alio caſu periit: pars naufragio, pars prælio, nonnulli ſemet eodem [3] illo pugione, quo Cæſarem violaverant, interemerunt.

NOTÆ.

1. *Triennio*] Eos præſertim intelligit, qui e morte Cæſaris ad Philippenſe bellum & ipſo Philippenſi bello periere. Secus enim triennium prætergreſſi ſunt nonnulli qui cum Sexto Pompeio, atque etiam Antonio fuerunt, de quibus in Auguſt.

2. *Neque ſua morte*] Sed violenta quo ſenſu Virgil. lib. 4. in fine.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed miſera ante diem, &c.

Et Senec. in epiſtolis: *bella res eſt mori ſua morte*, &c.

3. *Illo pugione*] Caſſium innuit, de quo in Aug. ut & Brutum auctoribus Plutarcho, & Dione lib. 48.

Digitized by Google

C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CÆSARIBVS.

LIBER II.

D. OCTAVIUS CÆSAR AUGUSTUS.

CAPUT I.

GENTEM OCTAVIAM [2] Velitris præcipuam olim fuisse, multa declarant. Nam & [3] vicus celeberrima parte oppidi jam pridem Octavius vocabatur: & ostendebatur ara Octavio consecrata: qui bello dux finitimo, cum forte Marti rem divinam faceret, nuntiata repente hostis incursione, semicruda [4] exta rapta foco [5] prosecuit: atque ita prælium ingressus, victor rediit. Decretum etiam publicum extabat, quo cavebatur ut in posterum quoque simili modo exta Marti redderentur, [6] reliquiæque ad Octavios referrentur.

NOTÆ.

1. *Gentem Octaviam*] Gens & familia quanquam promiscue interdum usurpentur; exacte tamen loquentibus eo modo differunt quo totum & pars. *Une maison & ses branches.*

2. *Velitris*] Reperitur quoque Velitra in singulari, Volscorum oppidum est. Hodie *Belitri* An & Octavius Tusculanus, ille Tarquinii superbi gener de quo Livius lib. 1 in ea sit gente reponendus non satis liquet; conjectura tamen non levis est propter Tusculi, ubi hîc habitabat, Velitrarumque viciniam ac nominis toto latio celebritatem.

3. *Vicus*] Insigne quoddam hujus in suos fuisse beneficium conjicit ex eo Casaubonus, quod de nomine alicujus, loco nomen imponere heroïci fuerit honoris; unde cum aræ quoque & ludi eis decernerentur, ideo huic phrasi, *ara Octavio consecrata* non necessario suppléndam vult præpositionem *ab*; unde accipit de ara ipsi Octavio consecrata. Torrentius vero sic interpretatur: id est (ne quis erret) *ab Octavio*. Frequens Suetonio ut præpositiones omittat.

4. *Exta*] Hoc est victimæ præcordia, inter quæ cor ipsum annumeratum est; sed non ab initio.

5. *Prosecuit*] In deorum sacrificiis totam quandoque victimam cremabant, vocabantque holocaustum, hoc est, totum combustum; quandoque partem qua vescerentur ii, qui sacrificio intererant, *prosecabant*, quod

Digitized by Google

verbum in ſacrificiis erat ſolenne. Hoc ſecundum ſacrificii genus tunc temporis ab Octavio celebrabatur, cum præ repentina hoſtium incurſione ſacrificii finem expectare non licuit, nec inceptum deſerere voluit, quapropter præcordia quamvis nondum percocta eripuit exigne, & proſecuit, hoc eſt reddidit Marti, cui ſacrificabat, partem ad veſcendum reſervavit.

6. *Reliquis*] Hoc eſt partes edulio ſervatæ; *proſicia* vero dicebantur, a proſecando partes diis porrectæ. Quod etiam verbum ſacrificantibus erat ſolenne ex diſciplina haruſpicum: *porrici* enim dicuntur exta, quando porriguntur, hoc eſt in aram focumque dantur.

CAPUT II.

EA gens a Tarquinio Priſco rege, [1] inter Romanas gentes allecta in Senatum, mox a Ser. Tullio [2] in patricias tranſducta, procedente tempore, [3] ad plebem ſe contulit: ac rurſus [4] magno intervallo per D. Julium in [5] patriciatum rediit. Primus ex hac magiſtratum populi ſuffragio cepit [6] C. Rufus. Is quæſtorius Cn. & C. procreavit: a quibus duplex Octaviorum familia defluxit, conditione diverſa. Siquidem Cn. & deinceps ab eo reliqui omnes functi ſunt honoribus ſummis. At Cajus, ejuſque poſteri, ſeu fortuna, ſeu voluntate, in [7] equeſtri ordine conſtitere, uſque ad AUguſti patrem. Proavus AUguſti ſecundo Punico bello, ſtipendia in Sicilia Tribunus militum fecit. [8] Æmilio Pappo imperatore. Avus municipalibus [9] magiſteriis contentus, abundante patrimonio, tranquilliſſime ſenuit. Sed hæc alii. Ipſe AUguſtus nihil amplius quam equeſtri familia ortum ſe ſcribit, vetere ac locuplete, & in qua primus ſenator pater ſuus fuerit. [10] M. Antonius libertinum ei proavum exprobrat [11] reſtionem, e [12] pago Thurino: avum [13] argentarium. Nec quidquam ultra de paternis AUguſti majoribus reperi.

NOTÆ.

1. *Inter Romanas gentes*] Beroaldus & Sabellicus legunt *minores gentes*; ſed male: ſi enim inter minores gentes quamvis nove diceret Suetonius adlectam Octaviam gentem, perperam addidiſſet, *a Servio in patricias tranſducta*, majorum enim & minorum gentium differentia non eſt niſi inter patricios, docente Livio lib. 1. allectos a Tarquinio Priſco, vel a Bruto, ut ait Tacit. lib. Annal. 11. centum in patres qui minorum gentium fuerint appellati. Unde dicendum eſſet ſola voce *patricias* majorum gentium intelligi κατ' ἐξοχὴν quanquam daretur *minores gentes* ſcriptum a Suetonio ad deſignandos minorum gentium patricios, quod alibi non reperitur. Superest igitur ut legatur *Romanas* hoc ſenſu ut Tarquinius Priſcus civitate donatam gentem illam in Senatum adlegerit, Servius autem Tullius etiam in patricias cooptaverit, ut de Claudiis factum infra videbitur in Tiberio.

2. *In patricias*] Senatores omnes non fuiſſe patricios, inde & præterea Ciceronis & Catonis exemplo patet, & infra c. 10. *Patricius, necdum Senator.*

3. *Ad plebem ſe contulit*] Adoptione forte, ut de Claud. in Jul.

4. *Magno intervallo*] Legunt alii *magna vi*. Verum qui conveniat dictatori & Cæſari, cui ad libitum omnia facere in promptu erat. Hoc ergo intelligitur factum lege Caſſia, qua Cæſar dictator patriciorum augens numerum, in eum aſcivit Octavium, qui poſtea Auguſtus dictus eſt, adoleſcentem ſtatim ab inducta virili toga.

5. *In patriciatum rediit*] Nove dictum notavit Torrentius pro a plebe ad patres traducta eſt. Patriciatus vero eadem dignitas non quæ ſub recentioribus imperatoribus.

6. *C. Rufus*] Supple *Octavius* erat gentis nomen, quemadmodum Cn. & Cajum, Octavios intellige prænominibus enim fratres diſtinguebantur de quibus plura in Tiberio.

7. *In equeſtri ordine*, &c.] Non dicit in ordine plebeio quanquam a patribus ad ple-

Digitized by Google

bem antea tranſiſſe dixerit, quia nempe, ut facile conjicere eſt, illis erat cenſus equeſtris de quo ſupra in Jul. cap. 33. quod ſolum requirebant, ut in equeſtrem ordinem Civis Romanus legeretur, licet autem patricium ordinem non receperit Octavia Gens niſi Julii temporibus; Cnei tamen Octavii nepotes equeſtrem ordinem prætergreſſi dicuntur propter honores ab eis geſtos; quicunque enim equites magiſtratum geſſerant, equites ii eſſe deſinebant.

8. *Æmylio Pappo*] De illo Livius lib. 28. Pappum veteres dixere Januginoſum illum cardui florem, qui vento tam facile cedit, mutuati a Græcis, quibus dicitur πάππος, quæ vox avum quoque ſignificat.

9. *Magiſteriis*] Magiſteria vocat dignitates ſeu, ut vulgo dicitur (officia municipii ſui) quæ magiſtratus nomine non donabantur propter Romanorum magiſtratuum longe ſuperiorum excellentiam.

10. *M. Antonius*] Quadam Epiſtola Suetonii temporibus adhuc extante; aliud autem non eſt antiquorum hac de re teſtimonium niſi epiſtola Ciceronis in fine lib. 3. *ad Quinctum fratrem*; quam tamen Ciceronis eſſe negat Caſaubonus, licet veterem exiſtimet. Multa continet Auguſto & ejus majoribus probroſa.

11. *Reſtionem*] Hoc eſt reſtium ſeu funium venditorem aut opificem, ſcribendumque minori caractere: non enim cognomen eſt; alioqui ſtolide fuiſſet exprobratum: quod ita intelligendum cenſet Caſaubonus, ut familias habuerit Octavius pater ejuſmodi artificiorum peritas; unde quæſtum faceret ſimili ratione qua Ciceronis pater *fullo* dictus eſt, ſed cum neque etiam in hoc fuerit opprobrium, moris ſiquidem erat; dicatque inſuper Antonius libertinum reſtionem, ut ſervili genere ortum indicet, videtur ita intelligendum, ut reſtium opificem, aut ad minimum venditorem fuiſſe exprobraverit.

12. *Pago Thurino*] Non extat hodie, erat autem in magna Græcia: hinc Sinus Thurinus, qui Tarentini pars eſt.

13. *Argentarium*] Fuit olim in civitatibus certum corpus, ſive σύστημα argentariorum, quorum erat publicum officium *l. argentarius ff. de edendo*, & fides publica *l. ſi ventri ff. de rebus auct. jud. poſſid.* Tabernas, & menſas cum ære in foro poſitas habebant *l. qui tabernas ff. de contrah. empt.* apud menſas pecuniæ deponebantur, permutabantur, emebantur, vendebantur: quod Latine eſt cambire. Per eos plerique pecuniam credebant, & fœnori occupabant, emebant, vendebant, auctionem, & omnia negotia exercebant *l. ſi hominem ff. depoſiti*, &c. deque his omnibus rationes conficiebant *l. 4. ff. de edendo.* Eorum munia quæ varia ſunt, variis quoque appellationibus deſignantur. Nam & menſarii dicuntur ſive menſuarii, & nummularii, & argentarii, & argentariæ menſæ exercitores, &c. plura vide apud Cujacium ad *l. ſi unus ff. de pactis.*

CAPUT III.

OCtavius pater a principio ætatis, & re & exiſtimatione magna fuit: ut equidem mirer, hunc quoque a nonnullis [1] argentarium, atque etiam inter [2] diviſores, [3] operaſque campeſtres, proditum. Amplis enim innutritus opibus, honores & adeptus eſt facile, & egregie adminiſtravit. Ex prætura [4] Macedoniam ſortitus, fugitivos, reſiduam [5] Spartaci & Catilinæ manum, [6] Thurinum agrum tenentes, in itinere delevit, negotio ſibi in Senatu extra ordinem dato. Provinciæ præfuit, non minore juſtitia quam fortitudine. Namque [7] Beſſis ac Thracibus magno prælio fuſis, ita ſocios tractavit, ut epiſtolæ M. Tullii Ciceronis exſtent, quibus Q. fratrem, eodem tempore parum ſecunda fama [8] proconſulatum Aſiæ adminiſtrantem, hortatur & monet, imitetur in promerendis ſociis [9] vicinum ſuum Octavium.

Digitized by Google

INTERPRETATIO.

a *Octavius pater fuit potens divitiis, & fama conspicuus ab ineunte ætate.*

NOTÆ.

1. *Argentarium*] De argentariis dictum cap. 2.

2. *Divisores*] De his in Jul. cap. 80.

3. *Operas*] Operæ campestres dicebantur illi, qui in comitiis operas suas candidatis elocabant nempe a campo Martio, ubi habebantur.

4. *Macedoniam*] In Jul. cap. 35.

5. *Spartaci*] Noti ex historia Romana flagitiosi viri, quorum ille e Lentuli familia gladiator, qui effracto suo & aliorum quorumdam ergastulo, negotii multum consulibus & consularibus viris facessit, donec victus a Crasso audacter pugnans interiit. Hic vero, qui conflato ex omni Italiæ colluvie exercitu, aliquot annis post Spartacum profligatus est, amborum reliquiæ in unum contractæ has Italiæ oras latrociniis infestabant, tunc cum Octavius in provinciam profectus est.

6. *Thurinum*] Calabriæ pars est hodie, qua Octavio iter erat delatam petenti provinciam, quapropter dicit extra ordinem datum fuisse negotium illud; non enim id erat suæ provinciæ, sed ut iisdem copiis, quas in Macedoniam ducturus erat, grassatoribus in itinere liberaret Remp.

7. *Bessis*] Hi erant Thraciæ populi ad Nessum amnem, qui amnis hodie dicitur Turcis *Charasou*, quare verosimillima videtur Beroaldi sententia, qua delendam censet conjunctionem, ut legatur *Bessis Thracibus*.

8. *Proconsulatum*] Provinciarum aliæ consulares, quæ ab iis, qui in urbe consulatum gesserant, consulari imperio obtinebantur, unde etiam proconsules dicebantur: aliæ prætoriæ, quas, qui prætores in urbe proximo anno fuerant, prætorio imperio obtinebant, & proprætores appellabantur. Suetonium arguit Turnebus lib. Adverss. 24. c. 15. quod Asia non fuerit nisi prætoria, cujus tamen proconsulatum dixit, verum cum id omnino penes Senatum esset, ut quem & in quam vellet provinciam mitteret, constat identidem illud immutatum, atque ex magistratuum nomine, qui provincias obtinebant, fuisse quoque denominatas. Ita ut in consulares prætorii, quandoque mitterentur, quemadmodum Octavius in Macedoniam, quæ Consularis erat, ut pote in qua Antonio, qui consulatum una cum Cicerone gesserat, succesisset, & vice versa, &c.

9. *Vicinum*] De provinciarum vicinitate verosimilius est intelligi: non enim longe ab Asia distat Macedonia, quamvis alii de Urbana vicinia intelligant, ut qui ædes conjunctas, aut parum semotas in urbe habitarent.

CAPUT IV.

DEcedens Macedonia, prius quam confiteri se [1] candidatum consulatus posset, morte obiit repentina, superstitibus liberis, [2] Octavia majore, quam ex [3] Ancharia: & Octavia minore, item AUgusto, quos ex Atia tulerat. Atia M. Atio Balbo, & Julia sorore C. Cæsaris, genita est. Balbus paterna stirpe [4] Aricinus, multis in familia Senatoriis [5] imaginibus, a matre Magnum Pompeium arctissimo contingebat gradu: functusque honore prætoræ, inter XX. viros [6] agrum Campanum plebi Julia lege divisit. Verum M. Antonius despiciens etiam maternam AUgusti originem, proavum ejus Afri generis fuisse, & modo [7] unguentariam tabernam, modo [8] pistrinum Ariciæ exercuisse, objicit. [9] Cassius quidem Parmensis quadam epistola, non tantum ut [10] pistoris, sed etiam ut num-

Digitized by Google

mularii [11] nepotem, sic taxat AUgustum, *Materna tibi farina: siquidem ex crudissimo Aricia pistrino hanc finxit manibus* [12] *collybo decoloratis* [13] *Nerulonensis mensarius.*

NOTÆ.

1. *Candidatum*] Vult Fenestella lib. 2. cap. 7. candidatos ab initio dici solitos tantum eos, qui consulatum ambirent, alii vero de aliis quoque honoribus semper dictum existimant. Nota est ratio nominis, quod nempe candidis quibusdam vestibus induti forent. Quod vocabulum ad aliarum quoque rerum petitores translatum est. Obiit ille Octavius Nolæ, ut ex cap. 100. infra colligas, & ex Tacito 1. Annal. constat.

2. *Octavia majore*] Hanc Plutarchus C. Marcello, deinde Antonio nupsisse tradit, Suetonius autem non illam, sed Octaviam minorem Marcello nupsisse affirmat in Jul. cap. 27.

3. *Ancharia*] Priore conjuge de qua Plut. in Antonio.

4. *Aricinus*] Aricia Latii oppidum non longe ab urbe Roma, in Jul. c. 46.

5. *Imaginibus*] Hæ fuerunt illustrium virorum simulacra cerea coloribus artificiose adumbrata. Juven. Sat. 8.

Tota licet veteres exornent undique cera
Atria, nobilitas sola est atque unica, virtus.

Qui suam tantum imaginem exhibebant, hi novi, qui vero majorum quoque imagines exhibere poterant, nobiles habebantur. Pro iis, inquit Budæus lib. 1. in Pandectas, posteriora tempora insignia gentilitia habuerunt, quæ arma vulgo vocantur: quæ ipsa quoque primum, ut simile est veri, virtutis præmia fuerunt, ac rerum præclare gestarum decora.

6. *Agrum Campanum*] De hoc & lege Julia in Jul. c. 20. viginti autem illi viri fuerunt, per quos Cæsar divisit agrum illum, cum ante illum non plures quam tres viros ejusmodi rebus præficere solitus esset Senatus, qui triumviri coloniis deducendis, & agris dividendis dicebantur. De his quoque in Jul. c. 20.

7. *Unguentariam*] Venalibus unguentis refertam. Sunt autem unguenta odorum commixtiones diversorum addito oleo, & balsamo ungendis deliciarum aut etiam valetudinis caussa corporibus.

8. *Pistrinum*] De pistrinis in Julio c. 31.

9. *Cassius Parmensis*] De quo in Jul. scriptor fuit tragœdiarum, militumque in partibus Cassii & Bruti tribunus, quibus victis, cum Athenas secessisset, Augusti jussu occisus est. De illo Horat. Sat. 10. lib. 1.

Etrusci
Quale fuit Cassi rapido ferventius amni
Ingenium: capsis quem fama est esse libris
Ambustum propriis, &c.

10. *Pistoris*] Sic quoque dicebantur servi pistrinorum. Vide in Jul. cap. 48.

11. *Nepotem*] Cassius hic, qui Augustum, ut & pistoris, & nummularii nepotem notabat, cum Antonio consentit. Antonius enim ei paternum avum argentarium exprobrat, volebatque Atium Balbum, avum maternum, patrem habuisse, qui Ariciæ pistrinum exercuerit. Nepos igitur nummularii quoad patrem, quoad matrem pistoris pronepos fuit Augustus. Sed nepotum nomine etiam pronepotes continentur, &c. sic Torrent.

12. *Collybo*] Collybon quidem Græci, sed vetustissima quæque exemplaria Latina per jota scribunt. Est autem Collybus tam id quod pro pecuniæ permutatione argentario solvitur, quam ipsa pecuniæ contractatio ἀργυρίου ἀλλαγή &c. Torrent.

13. *Nerulonensis*] Fatentur omnes sibi non liquere, quid intelligatur hoc verbo. Est enim Nerulum duorum Italiæ oppidorum nomen, ad quæ nulla apparet Balborum relatio. Legerim, inquit Casaubonus, *Vetulonensis*. Vide Plinium lib. 3. cap. 5 At in antiquissima Lugdunensi editione reperi *Nemorensis*, quod idem esset, atque *Aricinus*, in Julio cap. 46.

Digitized by Google

CAPUT V.

A. V. C. pcxci. [1] NAtus eſt AUguſtus, M. Tullio Cicerone, & Antonio Coss. IX. Kal. Octobris, paullo ante ſolis exortum, [2] regione Palatii, ad [3] Capita bubula: ubi nunc [4] ſacrarium habet, aliquanto poſt quam exceſſit, conſtitutum. Nam ut Senatus [5] Actis continetur, cum C. Lectorius adoleſcens patricii generis, [6] in deprecanda graviore adulterii pœna, [7] præter ætatem atque natales, hoc quoque patribus conſcriptis allegaret, ſe eſſe poſſeſſorem, ac velut [8] ædituum ſoli, quod primum D. Auguſtus naſcens [9] attigiſſet, peteretque donari, quaſi proprio ſuo, ac [10] peculiari Deo: decretum eſt ut ea pars domus conſecraretur.

NOTÆ.

1. *Natus eſt*] Uno & ſexaginta annis ante Chriſtum natum.

2. *Regione Palatii*] Quatuor urbis Romanæ regiones, Palatina ſcilicet, Suburana, Exquilina, & Collina a Servio ſexto Romanorum rege fuerunt uſque ad Auguſti tempora, qui totum urbis ſpatium in quatuordecim regiones & vicos complures diviſit c. 30. Palatinus unus erat, & primus e ſeptem Romanis montibus, ut pote quem urbi ſuæ locum elegit Romulus, factuſque eſt poſtea totius imperii ſedes, in eo ſiquidem erant Auguſti ædes: unde etiam Palatii nomen inditum eſt regum, & ſplendidorum virorum ædibus.

3. *Capita bubula*] In regione Palatii fuerunt ſeptem vici, quorum unus dicebatur *ad capita bubula*, vel quod ibi viderentur ſculpta boum capita, vel venalia & ſuſpenſa.

4. *Sacrarium*] Alii legunt *habetur*, quod rejicit Torrentius: eſt autem ſacrarium non tam locus ſacer, quam ubi res ſacræ deponuntur, quamquam hic & alibi quoque pro ſacello ſumi videatur.

5. *Actis*] Quæ conficienda Julius inſtituerat.

6. *Deprecanda*] Hoc eſt precibus amolienda, & avertenda, quænam autem ſit gravior hæc adulterii pœna, fatetur neſcire ſe Caſaubonus: certe legitimam adulterii pœnam tunc temporis non fuiſſe mortem, vel ex hoc uno conſtat, quod lex Julia de adulteriis, vetaret adulterii damnatam dicere teſtimonium. Gravior igitur adulterii pœna fortaſſe fuerit deportatio; maxime ubi duplex crimen eſt, inceſtum ſcilicet & adulterium, *l. ſi quis viduam ff. de quæſtionibus*: qua pœna jura civitatis omnia amittebantur. Adulterii vero ſimplicis erat pœna relegatio, deportatione multo mitior. Vide Lipſ. lib. 4. Anal. Taciti num. 98. & 2. num. 109.

7. *Præter ætatem*] Juvenilem ſcilicet, cui facilius ſolet venia concedi; ad tempora vero Auguſti nulla legitima pœna irrogata fuerat adulteris; ſed impudicæ mulieres propinquorum arbitrio caſtigabantur, in Tiber. cap. 35.

8. *Ædituum*] Quaſi ædis tuitorem, qui enim ſacri loci curam gerit, ædituus dicitur.

9. *Attigiſſet*] Innuit veterum conſuetudinem: ſolebant enim recens natos in terra ſiſtere, Deamque Opem invocare, ut placido ſinu eos exciperet; inde etiam exorta Levana Dea, quæ pueris e terra levandis præeſſet. In Nerone cap. 6.

10. *Peculiari Deo*] Cæſari Auguſto, cujus quaſi domeſticus cultor erat.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

NUtrimentorum ejus oſtenditur adhuc locus [1] in avito ſuburbano, juxta Velitras permodicus, & [2] cellæ penuariæ inſtar: tenetque vicinitatem opinio, tamquam & natus ibi ſit. Huc introire niſi neceſſario & [3] caſte, religio eſt: concepta opinione veteri, quaſi temere adeuntibus horror quidam & metus objiciatur: ſed & mox confirmata eſt. Nam cum poſſeſſor villæ novus, ſeu forte, ſeu tentandi cauſſa cubitum ſe eo contuliſſet: evenit, ut poſt pauciſſimas noctis horas exturbatus inde ſubita vi, & incerta, pene ſemianimis cum [4] ſtrato ſimul ante fores inveniretur.

NOTÆ.

1. *Avito ſuburbano*] Hoc eſt avorum, gentis ſcilicet Octaviæ villa, quæ in ſuburbio velitrarum fuerit.

2. *Cella penuaria*] A penu dicta, ubi condebantur penora; ea nempe, quæ familiæ victui comparata ſunt.

3. *Caſte*] Hoc eſt mente ab omni labe pura.

4. *Strato*] Hoc eſt vel lecto, vel ejus opertorio, ſtratum enim dixere quidquid ſterni ſoleret.

CAPUT VII.

INfanti cognomen THURINO inditum eſt, in memoriam majorum originis: vel quod in regione [1] Thurina, [2] recens eo nato, pater Octavius adverſus fugitivos rem proſpere geſſerat. Thurinum cognominatum, fatis certa probatione tradiderim, nactus puerilem [3] imaguncula ejus æream veterem, [4] ferreis ac pene jam exoleſcentibus literis, hoc nomine inſcriptam: quæ dono a me [5] Principi data inter [6] cubiculares colitur. Sed & à M. Antonio in epiſtolis per contumeliam ſæpe Thurinus appellatur: & ipſe nihil amplius quam *mirari ſe* reſcribit, *Pro opprobrio nomen prius ſibi objici.* [7] Poſtea C. CÆSARIS, & deinde AUGUSTI cognomen aſſumſit: alterum, teſtamento [8] majoris avunculi: alterum, [9] Munatii Planci ſententia: cum quibuſdam cenſentibus, Romulum appellari oportere, quaſi & ipſum conditorem urbis, prævaluiſſet, ut Auguſtus potius vocaretur, non tantum novo, ſed etiam [10] ampliore cognomine: quod loca quoque religioſa, & in quibus augurato quid conſecratur, [11] auguſta dicantur, ab [12] auctu vel ab avium [13] geſtu, guſtuve, ſicut etiam Ennius docet, ſcribens:

Auguſto [14] *augurio poſtquam inclyta condita Roma eſt.*

NOTÆ.

1. *In regione Thurina*] Longe probabilius videtur quam exprobratum ab Antonio.

2. *Recens eo nato*] Non quod hoc eodem natus eſſet anno; tertium enim agebat, ut patet ex eo quod dixit Cicerone Conſule natum, a quo ad expeditionem illam tres elapſi fuerant anni: contigit enim hoc L. Afranio & C. Marcello Celere coſſ. ſed quia agnomen non imponebatur, niſi ex geſtis, aut occaſione aliqua. Animadverte autem a Suetonio cognomen ſumi pro agnomine; illud enim familiæ, hoc autem rerum geſtarum, ut modo dictum eſt, quemadmodum Africanus

Digitized by Google

Asiaticus, Atticus, &c. quamquam, & ab aliis quoque promiscue usurpata reperiantur, ut de Scipione Salustius, cui cognomen Africano ex virtute fuisse dicit.

3. *Imagunculam*] Hoc est parvam imaginem; liber unus habet *icunculam* ut Neron. cap. 56.

4. *Ferreis*] Legit Ursinus *ferrugineis*, sed prius unanimi consensu retinent omnes. Sensus enim est æreæ hujus imagunculæ literas fuisse ferreas, ferro scilicet debitæ figuræ in æris cælaturas impositio sive insculpto, quam artem Græcis dici ἐμπυησιγλυφὴν probat ex Athenæo Casaub. nos ejusmodi opera vulgo Damascena vocitamus. Vide Dalechampium in cap. 7. lib. 35. Plinii.

5. *Princeps*] Adriano verosimillime, huic enim epistolarum Magister fuerat Suetonius, atque illi imagunculam donaverat.

6. *Cubiculares*] Imagines variis asservabant in locis, majorum nempe in atrio splendidissimo scilicet & celeberrimo ædium loco: Larium, omniumque, quibus cura genialis thori, & dilectorum sibi capitum in cubiculo: ubi etiam aderat puer custodiæ præpositus ut ex Suet. colligitur in Domit. in fine. *Puer cura Larium cubiculi ex consuetudine propositus.* Et Macrobius sub finem lib. 1. *Inter hæc servilis moderator obsequii, cui cura vel adolendi penates*, &c. In bibliothecis quoque viri docti dedicatas habebant veterum auctorum imagines; unde Juvenalis in eos qui hæc de se falso prædicari ambiebant. Sat. 2.

Quamquam plena omnia gypso
Chrysippi invenias. Et paulo infra.
Et jubet Archetypos pluteum servare Cleanthas.

Nec imagines solum; sed & alia quoque ut enses, coronas &c. dedicata in cubiculis habebant. Ut ex Tacit. lib. 15. Annal. & Suet. in Nerone colligere est.

7. *Postea Caii Cæsaris*] Legebam inquit Casaub. nomen C. Julii Cæsaris, sine ratione enim omissum videbatur nomen præcipuum; sed cum hîc de cognominibus Octavii tantum agat, locum ea vox non habet: sed nec prænomen C. ferri potest; scribe igitur *postea Cæsaris.*

8. *Majoris avunculi*] Julii nempe: de quo cap. 4. cujus testamento in Cæsarum familiam adoptatus erat. Super quo loco in Jul. cap. 83.

9. *Munatii Planci*] Ab hoc cum Galliam regeret, conditum Lugdunum dicit Eusebius. Cognomen a pedibus planis sortitus fuerit nec ne, non liquet, Planci enim dicuntur ejusmodi homines a tabulis planis quæ plancæ appellantur.

10. *Ampliore*] Ovid. 1. Fast. paulo ante finem.

Hic socium summo cum Jove nomen habet.

11. *Augusta dicantur.*] Ovid. ibid.

Sancta vocant augusta patres, augusta vocantur
Templa Sacerdotum rite dicata manu.

12. *Auctu*] Ominis boni gratia, ut nempe semper augeantur; *augere* enim verbum sacrorum est, *cum augeri hostias imperasset* infra cap. 96. & Ovid. 1. Fast.

Hujus & augurium dependet origine verbi
Et quodcunque sua Juppiter auget ope,

13. *Gestu, gustuve*] Tripartita erat avium divisio in augurali disciplina; auspicium enim faciebant, vel ore, quo tripudium nec ne fieret observabatur. De hoc in Tib. cap. 2. quod hac voce *gustu* intelligitur: vel ore & alis, vel volatu & alis: nec enim volatum modo observabant, sed modum quoque volandi.

14. *Augurio*] Sumitur in genere pro quacunque divinandi ratione, patet ex Plauto in Asinaria *quantum ex augurio auspicii intelligo*: notum est autem Romulo auguria de imponendo urbi nomine captanti 12. vultures, Remo vero 6 tantum visos esse. Videsis cap. 95.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

QUadrimus, patrem amisit: duodecimum annum agens, [1] aviam Juliam defunctam pro concione laudavit. Quadriennio post [2] virili toga sumpta, [3] militaribus donis triumpho Cæsaris [4] Africano donatus est, quamquam expers belli propter [5] ætatem. [a] Profectum mox avunculum in Hispanias, adversus Cn. Pompeii liberos, vix dum firmus a gravi valitudine, per hostibus infestas vias, pauciſſimis comitibus, naufragio etiam facto, subsecutus, magnopere demeruit, approbata cito etiam morum indole super itineris industriam. Cæsare post receptas Hispanias, expeditionem in [6] Dacos, & inde in Parthos, destinante, præmissus [7] Apolloniam, studiis vacavit. Utque primum occisum eum, heredemque se comperit, diu cunctatus, an proximas [8] legiones imploraret, id quidem consilium ut præceps immaturumque omisit: cæterum, urbe repetita, [9] hereditatem adiit, dubitante matre, vitrico vero [10] Marcio Philippo consulari multum [11] dissuadente. Atque ab eo tempore exercitibus comparatis, primum cum M. Antonio, Marcoque Lepido, dein tantum cum Antonio per duodecim fere annos, novissime per quatuor & XL. solus Remp. tenuit.

INTERPRETATIO.

[a] *Maxime devinxit avunculum suum* Julium *cum vix confirmatus post moleſtiſſimum morbum per itinera intercepta hoſtibus, atque etiam poſt naufragium, & cum exiguo comitatu, aſſecutus eſt* illum *profectum in Hiſpanias contra filios Cnei Pompeii & probatum* illi *ſe facit dotibus ingenii ſui præter ſolertiam qua iter confecerat.*

NOTÆ.

1. *Aviam*] Julii Cæsaris sororem, ut supra dictum est: de hoc more in Jul. c. 6. ubi dicitur Julius suam amitam laudasse.

2. *Toga virili*] Anno ætatis 17. vel in exitu 15. nec enim convenit inter scriptores, togam prætextam de qua supra in Jul. c. 1. deponebant, & virilem ut pote finita puericia, sumebant, idque vel in æde Jovis Capitolini, vel saltem illuc se conferebant summo mane & amicorum officiis stipati, statim ac domi fuerat sumpta. Dicebatur quoque *pura* ut ex Cicerone in Epist. ad Atticum, vel quod *alba*, vel quod sine purpura: *libera* etiam, quod pueris initium quoddam libertatis esset, cum antea custodirentur angustius.

3. *Militaribus donis*] De quibus Gellius lib. 2. c. 11. ubi refert prælia Sicinii Dentati, & dona quibus cumulatus fuit. Vide cap. 25.

4. *Africano*] De Scipione & Juba in Julio.

5. *Ætatem*] Non enim incipiebat militaris ætas ante annos 17. neque hac ætate minoribus stipendia procedebant.

6. *Dacos*] De his in Jul. c. 44. Parthia vero hodie *Charaſſen* ab urbe *Charus* metropoli sive *Arach.*

7. *Apolloniam*] Epiri urbs erat Corinthiorum colonia optimis quondam instituta legibus, ideo ibi studiorum causa moratus est Augustus hodie *Ceres* aliis *Piergum* in Albania; aliis *Aulon.*

8. *Legiones*] Velleius lib. 2. dicit oblatam a vicinarum Legionum centurionibus operam, quam ne recusarent auctores erant Salvidienus & Agrippa.

9. *Hereditatem adiit*] Hoc est professus est apud Prærorem Urbanum se hereditatem & adoptionem suscipere, quod adire dixerunt quia testamento scriptus heres hoc verbo profitebatur *adeo.* Quam tamen Brundisii jam creverat, & nomen Cæsaris usurpare cœperat. Dio & Appianus. Vide Ciceronem ad Atticum lib. 14. epist. 12. sic Casaubonus.

Digitized by Google

10. *Marcio*] Cui nupserat Atia Augusti mater, mortuo Octavio priore conjuge Augusti patre, Julii verosimiliter propinquo, ut ex ejus vita cap. 6. colligere est.

11. *Dissuadente*] Non enim placebat, ut testatur Velleius, adiri nomen invidiosæ fortunæ Cæsaris.

CAPUT IX.

PRoposita vitæ ejus velut summâ, partes sigillatim, neque per tempora, sed per [1] species, exsequar: quo distinctius demonstrari cognoscique possint. Bella civilia quinque gessit: [2] Mutinense, [3] Philippense, [4] Perusinum, [5] Siculum, Actiacum. Ex quibus primum ac novissimum adversus M. Antonium: secundum adversum Brutum & Cassium: tertium adversum L. Antonium Triumviri fratrem: quartum adversus Sex. Pompeium, Cn. filium.

NOTA.

1. *Species*] Quia ut ait Velleius *facilius cujusque rei in unum contracta species oculis animisque inhæret.*

2. *Mutinense*] Mutina Galliæ togatæ Cispadanæ civitas hodie *Modene.*

3. *Philippense*] In campis Philippicis, qui iidem ac Pharsalici de quibus in Julio.

4. *Perusinum*] Perusia Hetruriæ civitas hodie *Peruggia.*

5. *Actiacum*] Actium Epiri oppidum & promontorium hodie *Capo figalo*, quod alii idem esse cum *Nicopoli*, quam postmodum condidit Augustus, male affirmant, hæc enim est *Preveſa* in Albania, non quidem longe ab Actio, sed diversum.

CAPUT X.

A. V. C. DCCX. OMNIUM bellorum initium & caussam hinc sumsit, nihil convenientius ducens quam [1] necem avunculi vindicare, tuerique acta. Confestim ut Apollonia rediit, Brutum Cassiumque, & vi, nec opinantes, &, quia [2] prævisum periculum subterfugerant, [3] legibus aggredi, [4] reosque cædis absentes deferre statuit. [5] Ludos autem victoriæ Cæsaris non audentibus facere [6] quibus obtigerat id munus, ipse edidit. Et quo constantius cætera quoque exsequeretur, in locum Trib. plebis forte demortui, candidatum se ostendit: [7] quamquam patricius, [8] nec dum Senator. Sed adversante conatibus suis M. Antonio consule, quem vel præcipuum adjutorem speraverat: ac ne publicum quidem & translatitium jus ulla in re sibi sine pactione gravissimæ mercedis impertiente, ad optimates se contulit: quibus eum invisum sentiebat, maxime quod [9] D. Brutum obsessum Mutinæ, provincia a Cæsare data, & per [10] Senatum confirmata, expellere armis niteretur. Hortantibus itaque nonnullis, [11] percussores ei subornavit. Hac fraude deprehensa, [12] periculum invicem metuens, [13] veteranos simul & in suum ac Reip. auxilium, quanta potuit largitione, contraxit. Jussusque comparato exercitui [14] pro prætore præesse, & cum Hirtio ac Pansa: qui consulatum acceperant, D. Bruto opem ferre, demandatum bellum tertio mense confecit duobus præliis. Priore, Antonius eum fugisse scribit: ac sine [15] paludamento, equoque post biduum demum apparuisse: sequenti, satis constat

Digitized by Google

non modo ducis, sedetiam militis functum munere: atque in media dimicatione, [16] aquilifero legionis suæ graviter saucio, [17] aquilam humeris subiisse, diuque portasse.

NOTÆ.

1. *Necem avunculi vindicare*] Legibus enim cavetur, ut heredes, vel qui heredum loco sunt, officiose agant circa defuncti vindictam, alioqui illis ut indignis hereditas aufertur. Vide titulum ff. & Cod. *de his quæ ut indignis auferuntur.*

2. *Praviſsem periculum*] Quod sibi imminebat ab Octavio: puto enim, inquit Casaubonus, Octavium per milites Cæsarianos insidias struxisse illorum vitæ, quo tempore Antii erant, & per Italiam vagi errabant, ut ex epistolis Ciceronis apparet.

3. *Legibus aggredi*] Iis nempe, quæ facinorosis pœnas irrogabant quales *Corneliæ de Sicariis, Majestatis*, &c.

4. *Reos deferre*] Hoc quomodo fieret in Julio dictum est.

5. *Ludos autem*] Varii in memoriam Cæsariis Victoriarum ludi celebrati sunt: victis enim in Hispania Pompeii liberis institutum est, ut postridie cum Romam ejus rei nuncius allatus esset, ludi & sacra fierent in Circo & in memoriam Pharsalicæ, qua templum Veneri Genitrici voverat, ludos eidem genitrici dicatos ait Plinius: horum ne alterutri an alii non constat. Priores fuisse Torrentius affirmat, quod ne Casaubono probetur obstat merito repugnantia temporum.

6. *Quibus id*] Quidam, enim vivente Cæsare factaros id se receperant, quod ad populum demerendum privata ille perfecit impensa.

7. *Quamquam Patricius*] Legibus enim cavebatur, ne patricius hunc magistratum adipisceretur ut in Julio cap. 19. notatum. *Candidatum se ostendit*; alii *Candidatum petitorem se ostendit*. Nemo dubitet quin dictio *petitorem* ex margine irrepserit Torrent.

8. *Nec dum Senator*] Videtur hîc Suetonius impedimentum duplex assignare, primum quod gente Patricius; alterum quod honore nondum Senator esset; dubitant vero antiquitatis periti utrum-ne a Syllæ temporibus prohibitum fuerit, ne quis nisi Senator (eorum scilicet qui e plebe legebantur,) plebis tribunatum obtineret, cum antea statim ab illo magistratu gesto, sine ullo censorum beneficio Senatores haberentur. Inducit in dubium hic locus & alius infra cap. 40. quo utroque fretus lib. Elect. 2. c. 13. Lipsius duplex impedimentum affirmat; fassus tamen mirari se a Cicerone aliisque omnibus rem adeo memorandam, nisi forte quia tunc in oculis omnium auribusque versaretur, alto sopitam fuisse silentio. Legenda & Torrentii nota hic. *Translatitium jus* interpretare illud, quod poterat præstari facile, & quasi negligenter: quo sensu sumitur l. 14. ff. *de Jure patronatus*, & l. 55. §. 3. *ad Senatusconſ. Trebellianum*, nec non & l. 1. §. 6. *ad Sc. Turpillianum.*

9. *D. Brutum*] Hic erat unus e Cæsaris interfectoribus, consulque ab ipso designatus, qui & ipse ut ait Velleius lib. 2. c. 64. *paulatim relinquente post victum & redintegratum Antonium exercitu fugiens, insidiis captus ab iis quos miserat Antonius, jugulatus est, justissimaque optime de semerito C. Cæsari pœnas dedit, cujus cum primus omnium amicorum fuisset, interfector fuit, & fortuna ex qua fructum tulerat, invidiam in auctorem relegabat, censebatque æquum qua acceperat a Cæsare retinere, Cæsarem qui illa dederat periisse.*

10. *Per Senatum confirmata*] Quam ipsemet Antonius plebiscito dandam curaverat.

11. *Percussores*] Velleius factum negat, quod tamen confirmant Cicero lib. epist. ad Famil. 12. & Seneca lib. de Clementia, & Appianus etiam modum narrat, corruptos nempe aliquos ex Antonii satellitibus fuisse.

12. *Periculum invicem*] Velleius ait lib. 2. c. 60. Augustum quotidianis Antonii petitum insidiis.

13. *Veteranos*] Confirmat idem Velleius ex oppido Casilino & Calatia excitos in formam justi exercitus brevi coaluisse referens & ex copiis quas e transmarinis provinciis venire jusserat Antonius, legionem Martiam: *cognita* inquit *Senatus voluntate* & tanti juvenis indole, sublatis signis ad Cæsarem se contulisse.

14. *Pro prætore*] Loco prætoris, idque Ciceronis impulsu, qui Philippica 5. de illo hæc ait *propretorem faciamus, qui honos quamquam magnus est illi ætati tamen ad*

Digitized by Google

necessitatem rerum gerendarum non solum ad dignitatem valet.

15. *Paludamento*] Quod turpis fugæ, & relatæ ab inimicis victoriæ signum est; quod factum etiam ab aliis legitur præsertim ab ipso Pompeio Pharsalica pugna. Paludamentum quid sit in Jul. c. 64.

16. *Aquilifero.*] Vide sup. in Jul. cap. 61. obscurum est quare legionem suam dixerit. Casaub. suspicatur legendum *legionis* IV. aut *legionis una* pro *unius* nam prius scriptum videtur, *legionis va.* Torrentius suam dici existimat, quam circa se hoc in prælio haberet, aut potius quam ipse collegisset; unam enim collectam ab eo legionem auctor est Appian. lib. 3. de bell. Civil. quam evocatorum legionem appellat Dio lib. 45. postea vero Martia, & Quarta ad ipsum Antonio relicto defecere, quod & testatur Cicero in Philipp. Ambo verosimillime credunt corruptum hîc aliquid esse. Certe numerorum notæ apud antiquos passim corruptissimæ leguntur.

17. *Humeris subiisse*] Robore corporis Augustum valuisse inde conjicias: tanti enim ponderis erant hæc signa militaria, ut iis portandis vix valentissimi sufficerent humeri: dicit enim de Caracalla Herodianus, ut aliquid notatu dignum, quod bajulandis interdum signis sufficerit dum se per omnia militibus vellet exæquare.

CAPUT XI.

A. V. C. DCCXI. HOc bello cum Hirtius in acie, Pansa paulo post ex vulnere, perissent, rumor increbuit, ambos opera ejus occisos: ut Antonio fugato, Repub. consulibus orbata, solus victores exercitus occuparet. Pansæ quidem adeo suspecta mors fuit, ut [1] Glyco medicus custoditus sit, quasi venenum vulneri indidisset. Adjicit his Aquilius Niger, alterum e consulibus, Hirtium, in pugnæ tumultu ab ipso interemptum.

NOTÆ.

1. *Glyco medicus*] Hunc Pansæ medicum Ciceroni Brutus excusat, commendatque, ut eum ab ejusmodi accusatione & custodia liberare conetur. Epist. 6. ad Brutum.

CAPUT XII.

SEd ut cognovit, Antonium post fugam a [1] M. Lepido receptum, [2] cæterosque duces, & exercitus, [3] consentire pro patribus, [4] caussam Optimatium sine cunctatione deseruit, ad prætextum mutatæ voluntatis dicta [5] factaque quorumdam [6] calumniatus: quasi [7] alii se *puerum* [8] alii *ornandum tollendumque* jactassent: ne aut sibi, aut [9] veteranis par gratia referretur. Et quo magis pœnitentiam prioris sectæ approbaret, [10] Nursinos grandi pecunia, & quam pendere nequirent, multatos, extorres egit oppido: quod Mutinensi acie interemptorum civium tumulo publice exstructo adscripserant, *Pro libertate eos occubuisse.*

NOTÆ.

1. *M. Lepido*] Modum narrat Velleius his verbis: *Antonius fuga transgressus Alpes primo per colloquia repulsus a M. Lepido mox sæpius in conspectum veniens militum, cum & Lepido omnes imperatores forum meliores, & multis Antonius per aversa castrorum prorutis vallo militibus receptus est.*

2. *Duces*] De his idem Velleius: *Plancus deinde dubia, id est sua fide diu quarum esset partium secum luctatus, & nunc adjutor col-*

Digitized by Google

lege sui Decimi Bruti consulis designati vox ejusdem proditor. Asinius autem Pollio firmus proposito & Julianis partibus fidus Pompeianis adversus, uterque exercitus tradidere Antonio.

3. *Consentire pro patribus*] Sic in omnibus membranis reperit Casaub. sed re diligenter perpensa & fuse explicata, mavult legere *pro patribus*: quam lectionem alii viri docti agnoscunt; præsertim cum alterum illud *pro patribus, scil.* & pro Repub. sive pro Optimatibus, quæ erant partes Pompeianæ, sit insolentius.

4. *Optimatium.*] Quos tot exercituum consensu potiores fore videbat, timebatque, ne si Antonium opprimi vel reconciliari sineret, opprimeretur ipse; sed maxime cum inito jam literarum commercio, & facta conditionum mentione, Antonius subinde Cæsarem Augustum admoneret, quam inimicæ ipsi Pompeianæ partes forent, & in quod emersissent fastigium, denuntiaretque se cum Bruto Cassioque, qui jam septemdecim legiones habebant, juncturum vires suas, si aspernaretur ejus concordiam, diceretque, plus Cæsarem patris quam se ultioni amici debere.

5. *Factaque*] Cum enim omnia antequam fugaretur Antonius, honorifice in Cæsarem, exercitumque decreta essent, jam illo victo Pompeianis partibus redierat animus, Bruto Cassioque provinciæ quas jam ipsi sine ullo Senatusconsulto occuparent decretæ, laudati quicumque ipsis se junxissent exercitus, &c.

6. *Calumniatus*] Longe abest, ut Calumniatorem illum dicat Velleius, ubi enim retulit honores habitos Bruto Cassioque, decretum Decimo Bruto triumphum, sepultæ honore publico Hirtii & Pansæ corpora, subjungit illico, Cæsaris (Augusti nempe) adeo nulla habita mentio, ut legati qui ad exercitum ejus missi erant juberentur summoto eo, milites alloqui, non fuit tam ingratus exercitus, quam fuerat Senatus, cum illam injuriam dissimulando ferret Cæsar, negavere milites sine imperatore suo ulla se audituros mandata.

7. *Alii se puerum*] Ut Brutus apud Ciceronem lib. 11. epist. 20. *ut puerum ipsum extulit*, & paulo post, *misericordiaque unius, & vix nunc viri tutiores fore nos*. Atticus ad Ciceronem scribens, in præsentia belle iste puer retundit Antonium: nondum enim ingressus erat vicesimum annum.

8. *Alii ornandum tollendumque*] De hoc quoque sic Velleius, *hoc est illud tempus quo Cicero insito amore Pompeianarum partium Cæsarem laudandum & tollendum censebat, cum aliud diceret, aliud intelligi vellet.* Nempe propter ancipitem verbi *tollendum* significationem. Vel enim honoribus extollere, vel e medio tollere hoc est pessundare significat: quo postremo sensu acceptum ab Augusto patet ex ea epistola qua D. Brutus respondisse dicit ab eo cuidam hoc sibi de Cicerone referenti, se non esse commissurum ut tolli possit.

9. *Veteranis*] Quorum opera in debellando Antonio fuerat usus; de quibus supra.

10. *Nursinos*] Nursia Umbriæ hoc est ducatus Spoletani antiqua civitas inter montes perpetuis nivibus occupatos sita, ut ait Maginus Cluverio hodie *Norcia*.

CAPUT XIII.

INita cum Antonio & Lepido [1] societate, Philippense quoque bellum, quamquam [2] invalidus atque æger, duplici prælio transegit: quorum priore castris exutus, vix ad Antonii cornu fuga evaserat. Nec successum victoriæ moderatus est: sed [4] capite Bruti Romam misso, ut [5] statuæ Cæsaris subjiceretur, insplendidissimum quemque captivum, non sine [6] verborum contumelia [7] sæviit. Ut quidem uni suppliciter sepulturam precanti respondisse dicatur, *Iam istam in* [8] *volucrum fore potestatem*, alios, patrem & filium, pro vita roganteis, sortiri vel [9] dimicare jussisse, ut alterutri concederetur: ac spectasse utrumque morientem, cum patre, qui se obtulerat, occiso, filius quoque voluntaria occubuisset nece. Quare cæteri, & in his M. [10] Favonius, ille Catonis æmulus, cum catenati producerentur, imperatore Antonio honorifice salutato, A. V. C. DCCXII. A. V. C. DCCXIII.

Digitized by Google

hunc fœdissimo convitio coram prosciderunt. Partitis post victoriam officiis cum [11] Antonius Orientem ordinandum, ipse veteranos in Italiam reducendos, & [12] municipalibus agris collocandos recepisset: neque veteranorum, neque possessorum gratiam tenuit: [13] alteris, pelli se, alteris, non pro spe meritorum tractari querentibus.

NOTÆ.

1. *Societate*] De hac Velleius lib. 2. *tum inita potentia Societas, & hortantibus orantibusque exercitibus inter Antonium etiam & Cæsarem facta affinitas, cum esset privigna Antonii desponsa Cæsari*, &c. Consulatum iniit Octavius pridie quam 20. annos impleret, 10. Cal. Octobres cum Collega Q. Pedio annis post urbem conditam 711. tunc facta est celebris illa in insula Lavini fluvii Bononiensis collocutio, qua tot civium proscripta sunt a Triumviris capita, & ad cædem vicissim immutata, & Triumviratus institutus.

2. *Quamquam invalidus*] Idem Velleius quamquam dissentit Florus lib. 4. c. 6. *cum alterum ægritudo, illum*, (Antonium scilicet) metus subduxisset.

3. *Castris exutus*] *Cornu cui Brutus præerat pulsis hostibus, castra Cæsaris cepit*, ait ibid. Velleius.

4. *Capite Bruti*] Victus enim altero prælio Brutus, cum in collem ex fuga noctu se recepisset, sibi ipsi violentas manus attulit.

5. *Statua Cæsaris*] Idem de Trebonio, Dolabellæ jussu Smirnæ factum est.

6. *Verborum*] Legunt alii *verberum*; non minus apposite: nam & servile est.

7. *In splendidissimum quemque sæviit*] Casaubonus in uno codice legit, *extinxit*; editio Lugdunensis *secuit*. Omissa præpositione *in*. Quo posito referendum esset, vel ad flagellationem illam, qua cædebantur servi ante supplicium, vel supplicii loco, aut ad quodvis aliud sævitiæ genus. Horat. Epod. 4. de Mena S. Pompeii liberto *sectus flagellis hic Triumviralibus* quod *scindere* dixit Martial. Epig. 92. lib. 3. *poscisque flagella*.

Mavis Rufe coquum scindere quam leporem,

Quin & liberos homines qui solvendo non erant, secare in partes lege 12. tab. licebat: sed ideo tantum quod, ut ait Gellius, lib. 20. cap. 1. *acerbitas plerumque ulciscendi maleficii, bene vivendi disciplina est*: idem enim auctor ibidem dicit *dissectum esse antiquitus neminem, equidem neque legi, neque audivi*. Et certe si quæ suppetunt exempla dissectorum, vel a furente populo, ut sæpe factum est, vel a potentiore quodam crudelem hanc exercente vindictam, dissecti sunt.

8. *In volucrum fore potestatem*] Sic de Curione Lucanus. *Pascit aves nullo contectus Curio busto* Casaub. ex Memmiano codice legendum mavult sine *in*, & Turneb. adverss. 24. lib. cap. 15. & certe utrumque potest. Cicero enim pro lege Manilia dixit *in prædonum fuisse potestatem*. Et lib. 4. ad Attic. ep. 2. in fine *Sed volui meam potestatem esse vel petendi, vel ineunte æstate exeundi*, &c. alii quoque auctores non semel his modis locuti sunt.

9. *Dimicare*] Eadem non semel est ab aliis exercita crudelitas in captivos præsertim; quos enim Annibal in castra perduxerat, paria fere fratrum & propinquorum jungens cogebat ferro decernere: ut habet Valer. lib. 9. cap. 2. Casaub in Pithœi & Lisæi codicibus legit *micare*; quod nec Turnebo lib. 20. adverss. cap. 13. displicet: & omnino sic potest accipi; micatio quippe sortitionis species est, quæ fit per digitos, subito & sub certo numero expansos; hæc in antiquis controversiis dirimendis frequenter adhibita est, ut in contractibus si de pretio aliave quadam re non conveniret. Quin & carnes de lanio sic emerent, ut patet ex veteri lapide de quo in calce operis. Hinc dimicare ortum est, quod proprie ortæ inter duos controversiæ finem imponere, seu tollere quodammodo controversiam; quod quia armis sæpe factum est, ideo *dimicare* pro pugnare sæpius usurpatum reperias.

10. *Favonius*] Hic etiam ille qui instante jam Cæsare, Pompeio dixerat, nunc terram pede pulsa quod hic olim gloriabundus dixisset, illam sibi duntaxat esse pulsandam, ut pedestres inde equestresque copiæ scaturirent.

11. *Antonius*] Marcus scilicet triumvir: tres enim tunc temporis erant Antonii fratres, magnis omnes honoribus conspicui, quo

Digitized by Google

quo tempore Cæsar interfectus est. Hic nempe consul, Caius Prætor, Lucius tribunus plebis.

12. *Municipalibus agris*] De municipiis in Jul. c. 14. Collocandos ideo veteranos recipiebat, ut susceptorum sui gratia laborum mercedem illis rependeret.

13. *Alteris pelli se*] Inter eos qui pulsi sunt, fuit Virgilius, qui Ario centurioni, a quo parum abfuit quin interficeretur, cedere agro suo coactus est, quod ipse Ecloga 1. allegorice conqueritur.

CAPUT XIV.

QUo tempore L. [1] Antonium, fiducia consulatus quem gerebat, ac fraternæ potentiæ, res novas molientem, confugere [2] Perusiam coëgit, & ad deditionem fame compulit: non tamen sine magnis suis & ante bellum & in bello discriminibus. Nam cum spectaculo ludorum gregarium militem [3] in XIV. ordinibus sedentem [4] excitari [5] per apparitorem jussisset, rumore ab obtrectatoribus dilato, quasi eundem mox & discruciatum necasset: minimum abfuit quin periret, concursu & indignatione turbæ militaris. Saluti fuit, quod qui desiderabatur, repente comparuit incolumnis, ac sine injuria. Circa Perusinum autem murum sacrificans, pene interceptus est a manu gladiatorum, quæ oppido eruperat. A. V. C. DCCXIII.

NOTÆ.

1. *Lucium Antonium*] Qui impellente Fulvia M. Antonii conjuge, occasione usus est possessorum illorum, qui pulsi frequentes ad ipsum concurrerant, suam in veteranis expellendis opem offerentes, qua fiducia rebellavit. Appian. lib. 5. bell. Civil. & Plutarch. in Antonio tradunt excitatum a Fulvia bellum Perusinum, quod ipsa fore speraret, ut Antonius abduceretur a Cleopatra, si qui in Italia novi motus orientur. De Fulvia c. 62. & Martial. lib 10. epig. 21.

2. *Perusiam.*] Vide cap. 9.

3. *In XIV. ordinibus*] Equestria intelligit, quæ sæpius sine voce *ordo* quatuordecim appellabant, ut supra in Jul. c. 39. ubi de illis.

4. *Excitari*] Verbum hoc huic loco proprium, si quis enim in spectaculis e loco sibi non debito removeretur, hunc excitari dicebant. Martial. epig. 14. lib. 5.

Sedere primo solitus in gradu semper
Tunc tum liceret occupare Manneius
Bis excitatus, terque transiulit castra.

Et aliis locis idem auctor

5. *Apparitorem*] Apparitores magistratuum erant ministri, qui ad exequenda eorum imperia præsto erant, quod Virgil. innuit. Æneid. 12.

Hæ Jovis ad solium sævique in limine regis
Apparent, acuuntque metum mortalibus agris.

Unde & apparitores dictos affirmat in hunc locum Servius. Varii erant pro magistratuum varietate.

CAPUT XV.

PErusia capta, in [1] plurimos animadvertit: orare veniam, vel excusare se conantibus, una voce occurrens, *Moriendum esse.* Scribunt quidam, trecentos ex deditiis electos, utriusque ordinis, ad aram divo Julio exstructam, [2] Idibus Martiis [3] hostiarum more mactatos. Exstiterunt qui traderent, [4] conspecto eum ad arma isse, ut occulti adversarii, & quos metus magis quam voluntas contineret, facultate L. Antonii ducis præbita, detegerentur: devictisque his, & [5] confiscatis, promissa veteranis præmia persolverentur. A. V. C. DCCXIV.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *In plurimos*] Perusinum præsertim Senatum.

2. *Idibus Martiis*] Quasi ad parentalia celebranda: hoc enim die Cæsar interfectus fuerat. In Jul. cap. 80. & 81.

3. *Hostiarum more*] Quod & ignominiæ majoris fuit, humi quippe strati, non gladio, sed securi, qua non nisi sontes, feriebantur. Crudelius etiam Sylla habuit M. Marium auctore Valer. lib. 9. c. 2. de Alexandro in Philippi patris sui interfectores Justinus lib 11. c. 2.

4. *Conspecto*] Varia admodum est hujus loci lectio. Alii *ex proposito*, *e conspectu*; Lipsius Elect. lib. 1. c. 12. *compecto eum ad arma isse*, vel potius, *eos*, inquit, Augustum scilicet, & L. Antonium, quod ne credibile sit, obstat tota tum hujus loci series, & præsertim capitis præcedentis, tum etiam de bello Perusino integrum caput 5. apud Florum lib. 4. nempe quod *compecto* idem sit, ac ex compacto, seu ex composito, quo sensu Plautus Capt. Act. 3. Sc. 1. *omnes de compacto rem agunt*: alii *consulto*.

5. *Confiscatis*] Fiscus quemadmodum & fiscinæ & fiscellæ, Asconio auctore, aliud nihil erant; quam nummorum receptaculum quoddam majus, quam quo uterentur privati, his enim ad censum suum loculi duntaxat erant, saccelli, arculæ, marsupia, &c. Cum igitur majores essent Reipub. pecuniæ quam privatorum, ideo fiscis, qui Spartei erant, recondebantur. Unde pecunia publica dicta est simpliciter *fiscus*. Postea tamen discrimen illud fiscum inter & ærarium sub imperatoribus indictum est, quod *fiscus* pecuniam principis, ærarium vero publicam populi significaret, & contineret. Hinc eleganter Plinius Trajano, *at fortasse non eadem severitate fiscum, qua ærarium cohibes; imo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico credis*, quæ differentia patet etiam ex c. 18. in Vespasiano.

CAPUT XVI.

A. V. C. DCCXVIII. BEllum [1] Siculum inchoavit in primis, sed diu traxit, [2] intermissum sæpius: modo reparandaram classium caussa, quas tempestatibus [3] duplici naufragio, & [4] quidem per æstatem amiserat: modo pace facta, flagitante populo, ob [5] intercluſos commeatus, famemque ingravescentem: donec navibus ex integro fabricatis, ac XX. servorum millibus manumissis, & [6] ad remum datis, portum Julium apud [7] Bajas, immisso in [8] Lucrinum & Avernum lacum mari, effecit. In quo cum hieme tota copias exercuisset, Pompeium inter [9] Mylas & [10] Naulochum superavit: sub horam pugnæ, tam arcto repente somno devinctus, ut ad dandum signum ab amicis excitaretur. Unde præbitam Antonio materiam putem exprobrandi, *Ne rectis quidem oculis eum adspicere potuisse instructam aciem: verum* [11] *supinum, cœlum intuentem, stupidum cubuisse: nec prius surrexisse, ac militibus in conspectum fuisse, quam a* [12] *M. Agrippa fugata sint hostium naves.* Alii dictum factumque ejus criminantur, quasi classibus tempestate perditis, exclamaverit: *etiam invito Neptuno victoriam se adepturum*: ac die [13] Circensium proximo sollenni pompæ [14] simulacrum Dei detraxerit. Nec temere plura ac majora pericula ullo alio bello adiit. Trajecto in Siciliam exercitu, cum partem reliquam copiarum continenti repeteret, oppressus ex improviso a Demochare & Apollophane, præfectis Pompeii, uno demum navigio ægerrime effugit. Item cum præter [15] Locros Rhegium pedibus iret, & prospectis [16] biremibus Pompeianis terram [17] legentibus, suas ratus, descendisset ad litus, pene exceptus est. Tunc etiam per devios tramites refugientem, servus Æmilii Paulli, comitis ejus, dolens proscriptum

Digitized by Google

olim ab eo [18] patrem Paullum, & quasi occasione ultionis oblata, interficere conatus est. Post Pompeii fugam, [19] collegarum alterum M. Lepidum, quem ex Africa in auxilium evocarat, superbientem xx. legionum fiducia, summasque sibi partes terrore ac minis vindicantem, spoliavit exercitu: supplicemque concessa vita, [20] Circeios in perpetuum relegavit.

NOTÆ.

1. *Bellum Siculum*] Sic dictum quod Sextus Pompeius de quo in Jul. c. 35. num. 22. occupata Sicilia maritimam omnem oram vastaverat, Augusto & Antonio detentis bello Philippensi.

2. *Intermissum sæpius*] Anno enim ab. V. C. 712. Augustus in Macedoniam cum classe tendens ad Philippense bellum, Sextum Pompeium aggressus erat, qui tamen propter varios rerum eventus ante annum 718. ab Augusto Lepidi copiis adjuto non potuit terra marique profligari.

3. *Duplici naufragio*] Notanda hic ὑστεροπλοία Naufragia quippe passus est Augustus ann. V. C 716. quo bellum Siculum recruduerat, rupta pace quam anno præcedenti Augustus, Antonius & Pompeius inierant, icto fœdere ad Misenum Promontorium.

4. *Et quidem per ætatem*] Qua tanta hostis sui adversitate sic elatus est S. Pompeius, ut cum singulari deorum erga se favore iraque adversus Augustum manifesta factum id omnes prædicarent, Neptuni filius & dici & credi voluerit, quin & purpureum ducis paludamentum cæruleo commutarit, ut auctor est Appianus 5. Civilium.

5. *Ob interclusos commeatus*] Ii enim e Sicilia præsertim, advehebantur, quam ideo cellam penuariam Reip. & nutricem plebis Romanæ vocaverunt.

6. *Ad remum datis*] Magnam inde juventutis penuriam fuisse conjicere est. Servitia quippe Romani non armavere nisi urgente necessitate gravissima; quemadmodum exhausta tot cladibus post Cannensem Annibalis victoriam Rep. Nota vero hæc Jureconsultorum loquendi formula, *ad opus publicum, ad latomias, ad ludum gladiatorium dare*. Sed hæc omnia pœnæ loco fuerunt, hic autem *ad remum dare* secus intelligendum; voluntariis enim sæpius, quam compeditis usos remigibus constat, quamvis & pœnam fuisse reperiatur, v. g. quod defictitio illo Alexandro statutum ab Augusto refert Joseph. lib. antiquit. 17. c. 16. & Valer. lib. 9.

7. *Bajas*] Campaniæ oppidum Romanorum deliciis notissimum etiamnum hodie *Baja*, ubi castrum exiguum cum balneis.

8. *Lucrinum & Avernum*. &c.] Uterque Campaniæ lacus est, poëtarum monumentis notissimus. Ille piscium & præsertim ostreorum suorum copia & sapore in primis probato. Horat. Epod 2. *non me lucrina juverint conchylia* & Juvenal. Sat. 4. v. 141.

Circæis nata forent, an
Lucrinum ad Saxum Rutupinove edita fundo
Ostrea.

Hic vero Avernus scilicet aquarum suarum, quin & piscium, odore sulfureo sicque noxio, ut avibus, si quæ supervolant, sit lethalis.

Sævamque exhalat opaca mephitim.

Propter aquas calidas, atque etiam ignes magna quandoque vi regionibus illis erumpentes. Unde poetis ansa fingendi hos esse aditus inferorum totus hodie supereſt, dicturque *lago di Tripergola*. Lucrinum ferme omnem opplevere cineres ex terræ motu anni 1538. ut ait Cluverius Italiæ antiquæ lib. 4. 2. dicitur hodie aliis *marmorto*, aliis *lago di Licola*.

9. *Mylas*] Maritimum Siciliæ oppidum hodie *Melazzo* non longe a Messana meminit Silius lib. 14.

Subsidium infidum fugientibus æquora Myla.

Est & fluvius, qui urbem hanc intercurrit quique *San Giuliano* dicitur Fazellio. *Naulochum* autem, Messanæ urbis navale fuisse colligit ex Strabonis & Appiani collatione Casaubonus; quemadmodum & Gythium Spartæ, Cenchreæ Chorinti, &c. dicta sunt navalia.

10. *Pompeium superavit*] *Pene omnibus exutus navibus, Pompeius Asiam fuga petivit jussuque M. Antonii, cujus opem petierat,*

dum inter ducem & supplicem tumultuatur & nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur & Titio jugulatus est. Velleius lib. 2.

11. *Supinum*] In duobus libris Torr. legit *supremum*, nec probat. ad eorum morem alludit qui violento metu perculsi, suppliceſque, non niſi vota fundunt; hoc enim habitu, ſupini ſcilicet, orabant. Horat. Od. 23. lib. 3. *Cœlo Supinas ſi tuleris manus*, &c. & in Vittel. c. 7.

12. *M. Agrippa*] Qui licet ignobili ortus loco, ut ait Tacitus, & infra Calig. c. 23. *virtutis tamen*, ut ait Velleius, *nobiliſſima labore, vigilia, periculo, invictus, parendique ſed uni, ſcientiſſimus, aliis ſane imperandi cupidus, & per omnia extra dilationes poſitus, conſultiſque facta conjungens*, &c.

13. *Circenſium*] Ludorum de quibus in Jul. c. 39.

14. *Simulacrum*] Deorum ſimulacra bajuli ferebant in Circenſi pompa. In Jul. ibid.

15. *Locros Rhegium*, &c.] Illa Magnæ quondam Græciæ civitas a Locrenſibus Achaiæ populis in ora condita. Virgil. 3. Æneid. *Hic & Loricii poſuerunt mœnia Locri.* Hodie *Gierai*. Rhegium vero etiam *Reggio* in ora veterioris Calabriæ contra Meſſanam.

16. *Biremibus*] Binos habentibus remorum gradus, ita ut remigum ordines intelligi non debeant in longum porrecti, ſed in altum diſpoſiti, ſic ut alter altero ſuperior ſederet, biremes autem & monoremes explorandis duntaxat hoſtibus, aut agendis excubiis adhibitas Salmaſius exiſtimat.

17. *Legentibus*] Nauticum verbum Virgil. Æneid.

Litoraque Epiri legimus;

Legere quippe nautis præterire eſt, quod dum aſpera loca prætereunt, *legere*, hoc eſt, *colligere* vela conſueverunt.

18. *Patrem*] Iſtius Æmilii Paulli comitis ejus Paullus pater, Lepidi frater erat: Velleius lib. 2. *Noquid ulli ſanctum relinqueretur vel in dotem invitamentumque ſceleris Antonius Lucium Cæſarem avunculum ſuum, Lepidus Paullum fratrem proſcripſerant.* Cum autem Munatius Plancus, qui cum Lepido Coſ. erat, impetraſſet quoque ut frater ipſe ſuus Plancus Plotius proſcriberetur, inde factum ut inter jocos militares & execrationem civium, qui Lepidi Plancique triumphantium currus ſequebantur, uſurparent hunc verſum.

De Germanis non de Gallis duo triumphant conſules.

Et narrat ibidem Velleius de proſcriptione quid eſſet cap. 11. in Julio.

19. *Collegarum alterum*] In triumviratu.

20. *Circeios*] Hodie *Circelli* in Latio. Alii aliter, non enim in exilium, ſed Romam miſſum dicunt, ut ibi privatus, & pontificatu maximo contentus degeret.

CAPUT XVII.

A. V. C. DCCXXIII. M. Antonii ſocietatem ſemper dubiam & incertam, [1] reconciliationibuſque variis male focillatam abrupit tandem. Et quo magis degeneraſſe cum a [2] civili more approbaret, teſtamentum, quod is Romæ etiam de Cleopatræ liberis inter heredes nuncupatis [3] reliquerat, [4] aperiendum recitandumque, pro concione curavit. [a] Remiſit tamen hoſti judicato [5] neceſſitudines, amicoſque omnes: atque inter alios C. [6] Soſium & [7] T. Domitium, tunc adhuc Coss. [b] [8] Bononienſibus quoque publice, quod in Antoniorum [9] clientela antiquitus erant, [10] gratiam fecit conjurandi cum tota Italia pro partibus ſuis. Nec multo poſt navali prælio [11] apud Actium vicit, in ſerum dimicatione protracta, ut in navi victor pernoctaverit. Ab Actio cum [12] Samum inſulam in hiberna ſe recepiſſet, turbatus nuntiis de ſeditione militum, præmia & miſſionem poſcentium, quos ex omni numero confecta victoria [13] Brundiſium præmiſerat, repetit Italiam, tempeſtate in trajectu bis conflictatus: primo inter promontoria [14] Peloponneſi atque [15] Ætoliæ: rurſus circa montes [16] Ceraunios: utrobique parte [17] Liburnica-

Digitized by Google

rum demersa: simulque ejus in qua vehebatur, fusis armamentis, & gubernaculo diffracto. Nec amplius quam septem & xx. dies, donec desideria militum ordinarentur, Brundisii commoratus, [18] Asiæ Syriæque circuitu Ægyptum petit: obsessaque Alexandria, quo Antonius cum Cleopatra confugerat, brevi potitus est. Et Antonium quidem seras conditiones pacis tentantem, ad mortem adegit, [19] viditque mortuum. Cleopatræ, quam [20] servatam triumpho magnopere cupiebat, etiam [21] Psyllos admovit, qui venenum ac virus exsugerent: quod periisse [22] morsu aspidis putabatur. Ambobus communem sepulturæ honorem tribuit, ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici jussit, Antonium juvenem, majorem de duobus [23] Fulvia genitis, [24] simulacro D. Julii, ad quod post multas & irritas preces confugerat, abreptum interemit. Item [25] Cæsarionem, quem ex Cæsare Cleopatra concepisse prædicabat, retractum e fuga, supplicio affecit. Reliquos Antonii reginæque communes liberos, non secus ac necessitudine junctos sibi & conservavit, & mox pro conditione cujusque sustinuit ac fovit. A. V. C. DCCXXIV.

Interpretatio.

a *Nihilominus postquam judicatus est hostis* Reip., Augustus *remisit* ad illum *suos affines & amicos.*

b *Atque etiam permisit Bononiensibus ne cum reliqua Italia se astringerent jurejurando pro partibus suis, eo quod a priscis temporibus essent clientes Antoniorum.*

Notæ.

1. *Reconciliationibus variis*] Quinquies enim vel sexies depositis & recrudescentibus simultatibus reconciliati fuerant, Nervæ Cocceii & Mæcenatis præsertim interventu, Horat. Sat. 5. lib. 1.

Huc venturus erat Mæcenas optimus: atque
Cocceius, missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos solliti componere amicos.

2. *Civili more*] Hoc est a probi & veri civis officio. Liberos enim suos ex Cleopatra, non heredes modo instituebat, contra jus Romanum quo nemini præterquam civi licebat capere quidquam ex testamento, sed etiam reges regum appellabat, &c.

3. *Reliquerat*] Apud Vestales, auctore Plutarcho, ut & Cæsar, de quo in Julio c. 83. Hæ autem petenti Augusto illud non tradiderunt, sed accipere, siquidem adversari non poterant, invitæ concesserunt.

4. *Testamentum aperiendum*] Hoc Augusti factum multis insectatur Casaubonus: quod sit contra Romanorum religionem, jus ipsum gentium, humanitatem, ipsiusque Antonii & magnorum virorum exemplum, qui ne deprehensas quidem inimicorum suorum literas legere voluerunt. Quin & deportatione dignum erat, si legibus Romanis æstimetur, Cornelia scilicet, ut patet ex *lege* 1. *ff. ad leg. Cornel. de falsis: is qui vivi testamentum aperuerit, legis Cornelia pœna tenetur, & l.* 38. §. 7 *ff. de pœnis.*

5. *Necessitudines*] Vox hæc tam significat quod necessum est, quam jus & vinculum quoddam religiosæ conjunctionis aut affinitatis, quo utroque sensu necessitas quoque usurpatur, quamvis postremo frequenter minus, auctore Gellio lib. 13. c. 3.

6. *C. Sosium*] Huic cum Publicola, curam Actiacæ pugnæ commiserat Antonius.

7. *Et T. Domitium*] Ex vno codice & capitolinis lapidibus Torrentius & juxta ipsum Casaubonus emendant *Cn. Domit.* &c. quo posito idem ille fuisse dici potuerit, quem Velleius dicit ultimum defeciisse ab Antonio ad Augustum, sub tempus Actiaci prælii.

8. *Bononiensibus*] Bononia civitas Galliæ Cisalpinæ hodie *Bologna*. Ex Halicarnassei lib. 3. constat non tantum in ipsa urbe ple-

Digitized by Google

bem patriciorum patrocinio defensam; sed & coloniarum, sociarum, ac amicarum civitatum, & bello subactarum unicuique suos fuisse patronos e civibus Romanis electos ad libitum. Sæpe autem contingebat, ut controversias gentium ac civitatum Senatus ad earum patronos remitteret, rataque haberet eorum judicia.

9. *Clientela*] De clientibus in Julio c. 2.

10. *Gratiam fecit conjurandi.*] Gratiam alicujus rei facere pro remittere eam, aut ab ejus faciendæ necessitate liberare. Quo sensu Plautus Rudente 5. Scen. ultima *jurisjurandi volo gratiam facias.* Senec. Epist. 10. *votorum tuorum licet gratiam diis facias.* Ad hoc beneficium Bononienses ab Aug. illatum respexisse videtur Ovid. Tristium lib. 1.

Sæpe fidem adversis etiam laudavit in armis
In que suis amat hanc Cæsar, in hoste probat.

11. *Apud Actium*] Notandus est hujus prælii annus, qui fuit ab V. C. 723. quarto nonas Sept. ætatis Augusti 32. multi quippe Dionem secuti ejus imperium ab hac pugna ordiuntur.

12. *Samum Insulam*] Triplex est illius nominis Insula, altera in Icario mari Joniæ adjacens contra Ephesum, quæ etiam hodie *Samo.* Altera Thraciæ contermina hodie *Samandrachi*, tertia, de qua hic vero similiter est sermo, in Jonio mari Leucadem inter & Zacynthum hodie *Cephalonia.*

13. *Brundisium*] In Jul. c. 34. de missione in Jul. c. 7.

14. *Peloponnesi*] Nota Græciæ Peninsula hodie *Morea.*

15. *Ætolia*] Regio est Achaiæ in Epiri confinio, hodie *Artinia.*

16. *Ceraunios*] Epiri montes altissimi qui & *Acroceraunii*, hodie *monti della chimera* dicuntur. Est & *Acroceraunium* promontorium Jonio mari imminens, montium illorum pars hodie *capo della chimera*; de quo probabiliter hic sermo est.

17. *Liburnicarum*] *Liburna* vel *Liburnica* naves quædam erant bellicæ expeditissimæ quibus utebantur Liburni. Dalmatiæ populi, quorum cum usus in Actiaca pugna præcipuus fuisset ad victoriam (miserant enim ad Augustum auxilia) inde Augustus cæterique ab ipso imperatores, similitudine una & nomine usurpato, classem illarum instar habuerunt. De iis sic Vegetius lib. 5. c. 7. *minima Liburna remorum habent singulos ordines, paullo majores binos, idonea mensura ternos vel quaternos, interdum quinos sortiuntur remigum gradus.* Duos tantum assignat Lucanus.

Ordine contenta gemino crevisse Liburna.

De illis remigum ordinibus c. 16. num 16.

18. *Asia Syriaque*] De illa c. 2. de hac c. 35. num. 14. in Julio.

19. *Viditque mortuum*] Sic in M. S. Casaubonus tamen, Torr. in duobus M. S. sic legit *viditque mortuam Cleopatram quam*, &c. juxta Dionem qui lib. 51. ad verbum τὸ τε σῶμα αὐτῆς εἶδε καὶ φάρμακα αὐτῇ, καὶ ψύλλους ἔπεμψε ἀνευρήλεις προσενέγκαι. *Corpus ejus vidit remediaque ei & Psylles adhibuit, si aliquo modo restitui posset.* Et Antonii corpus visum ab Augusto, alius nemo tradidit unde lectionem posteriorem aliqui prætulere Velleius de Antonio. *Antonius sese ipse non segniter interemit, adeo ut multa desidiæ crimina morte redimeret.*

20. *Servatam triumpho*] Non triumphi tantum gratia, sed solicitus etiam de congestis ab ea pecuniis.

21. *Psyllos*] Libyæ populi qui serpentum morsibus, venenum ore trahentes medebantur. Marmaridas, quorum hodie regio *Barcha* dicitur, Lucanus appellat.

Gens unica terras
Incolit a sævo serpentum innoxia morsu, &c.
Marmarida Psylli par lingua potentibus herbis.

Non quod peculiari quadam arte ad exsugenda venena pollerent, sed quod illa in vulnere duntaxat, non gustu noceant. Auctore Plinio lib. 7. c. 2. & lib 8. c. 25.

22. *Morsu aspidis*] Affirmat Velleius lib. 2. c. 27. *at Cleopatra frustratis custodibus illata aspide, morsu sane ejus expers mediebris metus spiritum edidit.* Florus lib. 4. c. 11. *Regina ad pedes Cæsaris provoluta tentavit oculos ducis, frustra,* &c. *admotisque ad venas serpentibus quasi somno soluta.* Aspidum plures species, quarum omnium commune symptoma somnus, & sine sensu ac dolore mors. Cinna apud Gellium lib. 9. c. 12.

Somniculosam ut Pœnus aspidem Psyllus.

Unde verosimiliter electi sunt a Cleopatra; quanquam sint, qui dicant illam periisse veneno quodam delibutorio, quod in lamina concava sub crinibus occultaret. Plutarchus quidem hæc ipsa referens addubitat quo mortis genere perierit, quasi cum periit, parum constitisset genus illius mortis; licet

Digitized by Google

in aſpidem magis inclinet, ſed brachio non mammæ affixam, quo etiam ſenſu de ejus imagine in triumphum delata, Propert. eleg. 10. lib. 3.

Brachia ſpectavi ſacris admorſa colubris
Et trahere occultum membra ſoporis iter.

De quibus & Strabo lib. 17.

23. *Fulvia*] Priore Antonii conjuge de qua c. 14 hac enim mortua duxerat Octaviam Auguſti ſororem, in cujus octavo poſt anno repudiatæ locum ſubſtituerat Cleopatram, cujus amore jam antea flagrabat.

24. *Simulacro D. Julii abreptum*] Ne ad ipſum, ut probabile eſt, interficeretur, tutiſſimum enim poſtea refugium fuit, ſi qui ad ſtatuas principum confugerent.

25. *Cæſarionem*] De quo in Jul. c. 52. num. 5. hunc, cum juſſu matris fugeret in Indiam, Auguſtus ab itinere quaſi in ſocietatem regni revocaverat, qui cum amicorum ſuper eo ſententias requireret, dixiſſe ferunt Arcium philoſophum, de quo infra c. 89. non eſſe probandam Cæſarum multitudinem atque idcirco occiſum. Ut refert Plutarch. in Antonio.

CAPUT XVIII.

PEr idem tempus, [1] conditorium & corpus Magni Alexandri, cum prolatum e penetrali ſubjeciſſet oculis, [2] corona aurea impoſita ac floribus aſperſis veneratus eſt: conſultuſque, num & [3] Ptolemæum inſpicere vellet, *Regem ſe voluiſſe* ait *videre, non mortuos.* Ægyptum, in [4] provinciæ formam redactam, ut feraciorem habilioremque, annonæ urbicæ redderet, [a] foſſas [6] omnes, in quas [7] Nilus exæſtuat, oblimatas longa vetuſtate, militari opere deterſit. [8] Quoque Actiacæ victoriæ memoria celebratior in poſterum eſſet, [8] urbem Nicopolim apud Actium condidit: [9] ludoſque illic Quinquennales conſtituit, & [10] ampliato vetere Apollinis templo, [11] locum caſtrorum, quibus fuerat uſus, exornatum navalibus ſpoliis, [12] Neptuno ac Marti conſecravit.

INTERPRETATIO.

a *Repurgavit opera militum omnes foſſas, in quas Nilus exoneratur, qua propter magnam antiquitatem obturata erant limo.*

NOTÆ.

1. *Conditorium*] Fuiſſe videtur arca illa, ſive repoſitorium illud vitreum, cum aureo primum incluſum fuerat Alexandri corpus, non vero locus ille in urbe media regum ſepulturæ deſtinatus, cujus meminit Strabo lib. 5. & etiam hodie magno apud Turcas in honore eſſe recentiores teſtantur. Corpus Alexandri Perdiccæ ademptum Ptolemæus Lagi filius, Babylone tranſtulit Alexandriam. Vide notam Caſauboni hîc.

2. *Corona aurea*] Sxildius ex Berneccero mendum ſuſpicatur & emendat *laurea* quod hæc Imperatorum præcipue fuerit, non autem aurea, quæ nec etiam regum propria fuit, ſed diadema tantum de quo in Jul. c. 79. num. 2. verum Tertullianus de Idololatria c. 18. hæc habet: *igitur purpura illa & aurum cervicis ornamentum eodem more apud Ægyptios & Babylonios inſignia erant dignitatis, quo more nunc prætexta vel trabea, vel palmata, & corona aurea ſacerdotum provincialium.* De floribus vero aſperſis vetus fuit conſuetudo, ut in deorum, lariumque & ſepulcrorum honorem adhiberentur ut Virgil. lib. 6. in fine.

Manibus date lilia plenis
Purpureos ſpargam flores, animamque nepotis
His ſaltem accumulem donis, &c.

Quod & ipſa Antonio præſtat Cleopatra apud Plutarch. in Antonio. Capitolinus, de Antonino Philoſopho *tantum autem honoris magiſtris ſuis detulit, ut imagines eorum aureas in lavario haberet ac Sepulcra eorum aditis* (alii legunt *aditu*) *hoſtiis floribus ſemper honoraret.* Qui mos diverſus apud Græcos

Digitized by Google

fuit; apio enim sepulcra coronabant: unde apud ipsos apio indigere pro periculose ægrotare.

3. *Ptolemæum*] Scribit Torr. cum accentu circumflexo, ut sit pro *Ptolemæorum* probat Casaubonus, & congruentius videtur ad orationis seriem: addit enim noluisse se videre mortuos; Ptolemæi quippe omnes jam inde a tertio, deliciis corruptam, & oblivione dignam vitam egerunt, quos ideo mortuos appellaverit. Quod si Ptolemæum in accusandi casu retinueris, non alius videtur intelligendus quam Ptolemæus Lagi filius, regni illius conditor.

4. *In provincia formam*] Quod facere noluerat. Julius in Jul. c. 35. constituit ibi præfectum, qui exinde Augustalis appellatus est.

5. *Annona urbica*] Romanæ scilicet; annona enim ex Ægypto plurima Romam invehebatur Plinius in Panegyr. *percrebuerat olim urbem nostram nisi opibus Ægypti ali, sustentarique non posse*. Quatuor mensium annonam suppeditari ab Ægypto scripserunt Josephus & Hegesippus

6. *Fossas in quas*] Quidam *in quibus* legunt.

7. *Nilus exæstuat*] Meatus erant quidam intercisi, per quos aqua Nili in arva remotiora segetibus destinata transmittebatur. De quibus etiam plura apud Plinium lib. 5. c. 9. & Herodotum, in Euterpe & apud Senecam lib. 4. quæst. natural. c. 2. Chomata & Diacopi dicuntur Ulpiano *l.* 10. *ff. de extraordinariis criminibus.*

8 *Nicopolim*] Hodie *Trevesa* Magino est in Albania libera quondam civitas, eaque celeberrima; ubi divini honores Augusto habiti sunt, sacerdotesque omnium honoratissimi. Augustalis siquidem Sacerdos nomen dabat anno, aliisque ejusmodi prærogativis insigniebatur.

9. *Ludos quinquennales*] Hoc est qui quinto quoque anno, celebrarentur magnificentia quanta poterat fieri maxima. Olympiorum instar. His similes jam ante Actio Apollini consecrati erant, & eorum curæ præpositi Lacedæmonii, ut expresse narrat Strabo lib. 7. ad hos allusisse videtur Virgil. 3. Æneid.

Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.

10. *Ampliato vetere templo*] Hujus meminisse videtur Strabo ibid. Silius lib. 15. *Leucata & Phœbi vidit cirtus Actia templa.* Dio lib. 51. initio missam Actium coloniam testatur, obscurum antea oppidum, unde Virgil. ibid. dixit de Actio *parva succedimus urbi.*

11. *Locum castrorum*] Hoc ipso in loco conditam urbem auctor est Dio, & templum ea ipsa parte, in qua fuerat Augusti prætorium. Quod quia factum, alias ex Strabonis lib. 4. colligit Casaubonus, ideo sententiæ Dionis acquiescit, damnato erroris Suetonio, cui tamen Plutarchus adstipulatur in Antonio, vide & cap. 96. infra.

12. *Neptuno & Marti*] Idem Dio, & Strabo non Neptuno sed Apollini consecratum aiunt, quod placet Casaubono propter summam religionem Augusti in Apollinem, & veteres ejus cum Neptuno simultates de quibus c. 16.

CAPUT XIX.

A. V. C. DCCXXI.

TUmultus post hæc, ac etiam rerum novarum initia, conjurationesque complures, priusquam invalescerent, indicio detectas compressit. Et [1] alias alio tempore: Lepidi juvenis, deinde Varronis Murenæ, & Fannii Cæpionis, mox M. Egnatii, exin Plautii Rufi, Luciique Paulli [2] progeneri sui: ac præter has L. Audasii [3] falsarum tabularum rei, ac neque ætate neque corpore integri: item Asinii Epicadi ex [4] gente Parthyna [5] hybridæ: ad extremum Telephi mulieris servi [6] nomenculatoris. [7] Nam ne ultimæ quidem sortis hominum conspiratione & periculo caruit. AUdasius atque Epicadus Juliam filiam & Agrippam nepotem [8] ex insulis quibus continebantur, rapere ad exercitus: Telephus, quasi debita sibi fato dominatione, & ipsum & Senatum aggredi, destinaverant. Quinetiam quondam juxta cubiculum ejus lixa quidam ex Illyrico exercitu, janitoribus deceptis, noctu deprehensus est, cultro venatorio cinctus: impos-ne mentis, an simulata dementia, incertum. Nihil enim exprimi quæstione potuit.

Notæ.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Alius alio tempore*] Harum maximam partem eodem quo hic ordine Livia recenſet apud Senecam lib. 1. de Clement. cap. 9. ut mirum ſit nullam a Suetonio factam eſſe mentionem Cornelii Cinnæ, qui omnium ultimus conjuravit.

2. *Progeneri ſui*] Progener dicitur neptis maritus, quemadmodum proſocer ſive ſocer magnus eſt viri aut uxoris avus. Hic autem Paullus Juliam duxerat Auguſti neptem ex Agrippa genero & Julia filia de quibus cap. 64.

3. *Falſarum tabularum.*] Quid tabulæ ſint in Jul. c. 42. Falſarum reus eſt quicunque falſas non modo confecit, ſed vel ſignavit, vel teſtamentarias alterius delevit, reſignavit, &c. pœna erat deportatio, ut ex legibus c. 17. num. 4. citatis videre eſt.

4. *Ex Gente Parthina*] Vulgatæ editiones *Parthica*: emendavit ex Turnebo Pulmannus, quem ſecuti ſunt alii. Parthyni fuere populi quidam in Illyrico, quorum apud Livium eſt mentio lib. 9. decad. 3. Et rurſus lib. 4. decad. 5. in fine: meminit & Plinius lib. 3. c. 23. & lib. 8. c. 53. ſed Macedoniæ eos aſſignat.

5. *Hybrida*] Quod natus eſſet Epicadus ille parentibus altero Romano, altero peregrino, e gente illa Parthyna: ſunt enim hybridæ proprie canes ex diſparibus procreati, altero v. g. gregario, altero venatico; ſive ſues altero domeſtico, altero fero ſue progeniti, quam tamen appellationem ad homines per contumeliam tranſtulere.

6. *Nomenculatoris*] Sic dicitur quaſi nominis calator: ejuſmodi quippe homines erant, qui primo civium ſingulorum nomina memoriter calabant, hoc eſt, appellabant. Horum opera utebantur in foro candidati in prehenſandis ſuffragatoribus. Poſtea habuerunt quoque privati ſervos nomenculatores: cum enim ſervorum legiones domi haberent, quorum nomina ut plurimum ignorabant, utebantur nomenculatore ſervo in id præter alia munia deſtinato, ut ſingulorum nomina memoria caperet. Cum ergo fœminæ luxui non minus addictæ fuerint quam viri, ideo ſupra fidem non eſt Telephum hunc nomenculatorem fuiſſe mulieris, nec unius ideo codicis, ubi Pulmannus legiſſe ſe ait *nomen circulatoris*, videtur lectio præferenda.

7. *Nam ne ultima quidem ſortis*, &c.] Ii ſunt, quos Livia apud Senecam lib. 1. de Clement. c. 9. perſtringit his verbis *ut alios taceam, quos tantum auſos pudet.*

8. *Ex Inſulis rapere*] De his c. 64. & 65. cum vero Suetonius ait *ad extremum*, referendum eſt aut ad perſonæ vilitatem, aut ad narrationis ordinem, non inſidiarum; nemo enim poſt Cinnam, Auguſti vitæ inſidiatus legitur. Emendat Caſaubonus *ad primum*.

CAPUT XX.

EXterna bella duo omnino per ſe geſſit: [1] Dalmaticum, adoleſcens adhuc: & Antonio devicto, [2] Cantabricum. Dalmatico etiam vulnera, excepit una acie, dextrum genu lapide ictus, altera autem, & crus & utrumque brachium [3] ruina pontis conſauciatus. Reliqua per legatos adminiſtravit: ut tamen quibuſdam [4] Pannonicis, atque Germanicis aut interveniret, aut non longe abeſſet, Ravennam, vel [5] Mediolanum, vel [6] Aquileiam uſque ab urbe progrediens.

Digitized by Google

Notæ.

1. *Dalmaticum*] Annos 30. natus ab his populis recepit Augustus adempta Gabinio signa, & in Octavia porticu suspendit.

8. *Cantabricum*] Cantabri sunt Hispaniæ populi, quos cum vicinis latrocinia exercentes, nec Romanum huc usque passos jugum, oppressit Augustus, ut testatur Horat. lib. 4. Od. 14.

Te cantaber non ante domabilis, &c.

Et Ode 14. lib. 3. reducem illinc laudat; & regio est hodie *Biscaia*.

3. *Ruina pontis*] Non aquæ trajiciendæ fabricati, sed muris scandendis, e turri enim statim in murum pontes protendebantur, quales *exostra* vocat Vegetius lib. 4. c. 21. pontem ejusmodi, cum in obsidione Metulii civitatis Illyricæ construi jussisset, quatuorque tantum satellitibus comitatus ipse ascendisset, advolantibus illico præ verecundia militibus prægravatus pons multorum exitio corruit. De quo Dio lib. 59. sub finem. Florus tamen de eo tamquam aquis imposito ponte loquitur lib. 4. c. 12.

4. *Pannonicis*] Pannonia Europæ ampla regio quæ Hungariam utramque olim complexa, Austriæ quoque Stiriæ & Carniolæ partem comprehendebat.

5. *Mediolanum*] *Milano*, refertur ad bella Germanica, seu ea quæ contra Vindelicos Rhætosque gessit Brutus, de quibus infra.

6. *Aquileiam*] *Aquileia* hodie in foro Julio ditionis Venetæ; quapropter ad bella Pannonica referendum; nec enim eo loci longe aberat a Pannoniæ finibus, qui & Stiriæ Carniolæque partem illis temporibus incluserunt.

CAPUT XXI.

DOmuit autem partim ductu, partim [1] auspiciis suis [2] Cantabriam Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam, [3] cum Illyrico omni: item [4] Rhætiam, & [5] Vindelicos, ac [6] Salassos gentes Inalpinas. Coërcuit & [7] Dacorum incursiones, tribus eorum ducibus cum magna copia cæsis, Germanosque ultra [8] Albim fluvium summovit: ex quibus [9] Suevos, & Sicambros dedentes se [10] traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit. Alias item nationes male quietas ad obsequium redegit. Nec ulli genti [11] sine justis & necessariis caussis bellum intulit. Tantumque abfuit a cupiditate quoquo modo [12] imperium vel bellicam gloriam augendi, ut quorumdam barbarorum principes in æde [13] Martis Ultoris jurare coëgerit, mansuros se in fide ac pace quam peterent: a quibusdam vero [14] novum genus obsidum fœminas exigere tentaverit: quod negligere marium pignora sentiebat. Et tamen potestatem semper omnibus fecit, quoties vellent, obsides recipiendi. Neque aut crebrius aut perfidiosius rebellantes graviore umquam multatus est pœna, quam ut captivos sub lege venundaret, ne in vicina regione servirent, neve intra xxx. annum liberarentur. Qua virtutis moderationisque fama, [15] Indos etiam ac Scythas, auditu modo cognitos, pellexit ad amicitiam suam populique Romani ultro per legatos petendam. [16] Parthi quoque & [17] Armeniam vindicanti facile cesserunt: & [18] signa militaria quæ M. Crasso & M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt: obsidesque insuper obtulerunt: denique pluribus quondam de regno concertantibus, nonnisi ab ipso electum comprobraverunt.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Auſpiciis*] De auſpiciis quid ſint jam alibi: hîc notandum vel a præſente imperatore geſta bella, vel ab ejus legatis præfectiſve; ſed ita ut unius ſemper imperatoris nomine captarentur auſpicia: unde Horat. ad Auguſt. Od. 14. lib. 4.

Te copias, te conſilium, & tuos
Prabente divos, &c. Et Ovidius.
Auſpiciis animiſque patris puer arma movebis
Et vinces animis auſpiciiſque patris.

2. *Cantabriam*, &c.] De his cap. proxime præcedenti.

3. *Cum Illyrico*] Cujus pars Dalmatia. Vid. in Tiber. c. 16.

4. *Rhætiam*] Rhæti Alpes tantum tenuere ad lacum uſque Brigantinum, per quem Rhenus ad 100. ſtadia decurrit, & vocatur *Bodenſee* Germanis. Iis in Regionibus erant, quas incolunt hodie *Griſones*.

5. *Vindelicos*] Sunt qui Vindeliciam Rhætis annumerent, Rhætiam ſecundam appellantes. Cluverius eos diſtinguit, & ſub Alpibus collocat inter lacum Brigantinum, Danubium, & Ænum flumen, qui in regione ſunt hodie *Bavari* & Epiſcopatus Auguſtæ Vindelicorum, dictæ ab Auguſto qui Coloniam illuc miſerat.

6. *Salaſſos*] Populi Galliæ Subalpinæ Pedemontani principatus partem efficientes *la vallée d'Aouſt*, quam Duria fluvius præterfluit.

7. *Dacorum*] In Julio c. 44.

8. *Albim*] *L'Elbe*.

9. *Suevos*] De Sicambris conveniunt cæteri quoque Hiſtorici & Geographi, Suevorum nullus meminit. Quare merito videtur addubitare Caſaubonus non quidem erraſſe Suetonium; eſt enim accuratiſſimus, ſed mendum ſubeſſe in Codicibus, quorum in aliquibus reperiſſe ſe ait *Seubos*, unde dempta prima litera remaneret *Eubos*, exquo, minima mutatione feceris *Ubios* quod & in ſuis extare M. S. teſtatur Urſinus, & traductos, ſed ab Agrippa, auctor eſt Strabo lib. 4. Ptolemæus Suevos quoſdam Longobardos quos in *Haſſia* collocat. Maginus ſub Sicambris recenſet, qui cum a Colonia ad Liſiæ uſque fontes extenderentur, hanc quoque regionem comprehendiſſe neceſſe eſt, quos probabile videtur cum Sicambris una tranſlatos. Cui accedit quod auctores de Sicambris loquentes iis vulgo adjungant Suevos. Tacitus Annal. 2. *Sic Sicambros in deditionem acceptos, ſic Suevos*, &c. Claudianus Stilic. lib. 1.

Ut Suevus jam rura colat, flexoſque Sicambri
In falcem curvent gladios.

10. *Traduxit*] In eas regiones, quæ ſunt Moſam inter & Rhenum, in quibus Gugerni dicti ſunt hodie *Gueldrenſes*, teſte Cluverio.

11. *Sine juſtis*] Longe abeſt ab hac mente Dio, qui Pannonios bello petitos ab illo dicit ne leviter quidem læſo.

12. *Imperium augendi*] Quod & Tiberio conſuluerat, ne magnitudine imperii, aucta regendi difficultate, plura appetendo, parta quoque non ſervarent.

13. *Ædo Martis Ultoris*] De qua infra cap. 29.

14. *Novum genus obſidum fœminas*] Novum ſic accipiendum, non quaſi factum antea numquam, crediderit Suetonius: qui enim ignoraſſet captas illas a Scipione fœminas & puellas, dum Carthaginem novam expugnavit, obſides Carthaginenſibus ab Hiſpanis datas fuiſſe, ut refert Livius lib. 6. Decad. 3. ſub finem, ipſamque apud Romanos Clœliam, &c. Sed novum dixit, vel quia tunc temporis inuſitatum vel magis apud Germanos: auctor enim Tacitus in libro de moribus eorum efficacius obligari, ſi puellæ obſides eis imperentur, Hoc loco quidam legunt *marum pignora*, pro marium.

15. *Indos ac Scythas*] Hinc Horatius Ode ſupra dicta 14. lib. 4.

Meduſque & Indus, te profugus Scythes
Miratur, &c.

16. *Parthi quoque*] Horum regio ætate noſtra varie nuncupatur, aliis *Arach*, aliis *Coraſan*, &c. docet Juſtinus lib. 11. *Parthi* vocabulum exulem ſignificare, atque a Scytharum exulibus regnum illud conditum.

17. *Armeniam vindicanti*] Hîc eadem quæ ſupra tranſpoſitio: Armeniam quippe non recepit, niſi longo tempore poſt recepta ſigna militaria. Hæc ſiquidem Auguſto ad ordinandum Orientem profecto in Aſiam, reſtituta ſunt Circa annum U. C. 734. Illa vero nonniſi anno 748. cum C. Cæſar filius adoptivus ad bellum Armeniacum miſſus eſt. Hîc nota *vindicandi* ver-

Digitized by Google

bum juris esse, idem enim est ac rem aliquam, quæ nostra sit, ad se trahere & repetere, etiam apud nos in foro *revendicquer*.

18. *Signa militaria*] *Qua Crasso oppresso, Orodes, qua Antonio pulso filius ejus Phraates reperant*, ait Velleius. Hinc Horatius lib. 4. Od. ultima.

Tua Cæsar ætas
Fruges & agris rettulit uberes
Et signa nostro restituit Jovi
Direpta Parthorum superbis
Postibus, &c. Et infra in Tiber. c. 9.

CAPUT XXII.

[1] JAnum Quirinum [2] semel atque iterum a condita urbe memoriam ante suam clausum, in multo breviore temporis spatio, [3] terra marique pace parta, ter clusit. [4] Bis ovans ingressus est urbem, [5] post Philippense, & rursus post Siculum bellum. [6] Curules triumphos treis egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum: continuo triduo omnes.

NOTÆ.

1. *Janum Quirinum*] De Jani templo in belli pacisve signum aperiendo vel claudendo res notior est. Quirinum autem dictum volunt, quod a Romulo, qui & Quirinus audiit, templum illud conditum sit: sic enim Horatio quoque dicitur Od. ultim. lib. 4.

Et vacuum duellis
Janum Quirini clausit.

Quem tamen morem a Numa non a Romulo institutum existimat Livius lib. 1.

2. *Semel atque iterum*] Primo ab ipso Numa per 43. annos. Iterum post primum bellum Punicum ann. U. C. 719. A quo tempore clausum nisi ab Augusto non legitur. Primum ann. U. C. 725. victo Antonio. Iterum ann. 729. bello Cantabrico confecto, tum denique circa tempus nativitatis Christi ex Orosio lib. 6. c. 21. & c. 22. & Dione lib. 53. Glareanus tamen scribendum hîc vult *tertio* non *ter* Livii loco ductus, qui lib. 1. hæc habet. *Bis deinde post Numa tempora clausus fuit. Semel a T. Manlio Cos. post Punicum primum perfectum bellum, iterum (quod nostra ætati dii dederunt ut videremus) post bellum Actiacum ab Imperatore Augusto pace terra marique parta.* Verum Lipsius Elect. 1. c. 20. scripta hæc Livio contendit in Augusti gloriam statim post victum Actiaca pugna Antonium, antequam iterum ab Augusto clauderetur.

3. *Terra marique*] Formula hæc in Augusti nummis statuisque, ut in rostrata, quam Augusto post victum S. Pompeium Senatus decrevit, quam vide in inscriptionibus ad calcem Operis.

4. *Bis ovans*] Ovationes erant triumphi quidam minores, a majoribus in hoc præter cætera discrepantes, quod triumphantes curru, ovantes vero equo vel pedibus ingrederentur, sequentibus eos non militibus, sed universo Senatu, oviisque (unde nomen) non taurus immolaretur de quo Gellius lib. 5. c. 6. Dio lib. 5.

5. *Post Philippense*] Suetonium Casaubonus erroris hîc accusat, quod bellum illud prioris ovationis causam videatur assignare. Et sane vix est, ut defendi queat. Causam enim ei præbuit pax facta cum Antonio, qui & ipse, ut Dio testatur, honorem eumdem usurpavit. Et probant efficaciter inscriptiones ex fastis Capitolinis desumptæ, quas ipse Casaubonus adduxit; Vide ad calcem Operis Et certe nulli ex bellis Civilibus triumphi, unde Lucan. lib. 1. de illis *bella geri placuit nullos habitura triumphos.* Et notatum in Jul. c. 37.

6. *Curules triumphos*] Hoc est majores ad ovationis differentiam.

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

GRaves ignominias cladesque, duas omnino, nec alibi quam in Germania, accepit, [1] Lollianam & [2] Varianam: sed Lollianam majoris infamiæ, quam detrimenti: Varianam pene exitiabilem, tribus legionibus, cum duce [3] legatisque & [4] auxiliis omnibus, cæsis. Hac nuntiata, [5] excubias per urbem indixit, ne quis tumultus exsisteret: & [6] Præsidibus provinciatum propagavit imperium, [7] ut & a peritis & assuetis socii continerentur. Vovit & [8] magnos ludos Jovi Opt. Max. SI REMPUBLICAM IN MELIOREM STATUM VERTISSET: quod factum [9] Cimbrico Marsicoque bello erat. Adeo namque consternatum ferunt, ut per continuos menses barba capilloque summisso, [10] caput interdum foribus illideret, vociferans: *Quinctili Vare, legiones redde:* [11] diemque cladis quotannis mœstum habuerit ac [12] lugubrem. A. V. C. DCCXVIII.

NOTÆ.

1. *Lollianam*] Hujus meminere Dio lib. 54. & Velleius lib. 2. c. 97. Et uterque plus terroris attulisse, quam periculi satis innuit amissa duntaxat quintæ legionis aquila. Unde Suetonius ignominiosam illam cladem dixit.

2. *Varianam*] Cluverius lib. 3. Introduct. c. 3. Dulgibini tenuerunt inter oppidum Paterbonam & Visurgim (*Vveser*) qua *Flotoum* ei oppidum appositum: in his Quinctilius Varus cum tribus legionibus cæsus ab Arminio Cheruscorum duce inter oppida *Dietmelle*, & *Horn*. De hac cæde non pauca Tacitus in Ann. & lib. de moribus German. & infra non semel.

3. *Legatis*] Varia est hujus vocis acceptio. Hîc intelligi debere videtur de iis, qui Magistratibus peregre profecturis, vel dabantur a Senatu, vel ejus permissu ab ipsis asciscebantur, ut eorum opera consilioque res agerent. Erant & alii qui Senatus voluntatem ad alios deferrent, ordinandæ post victoriam provinciæ caussa, &c.

4. *Auxiliis*] Eæ sunt copiæ a sociis gentibus ex fœdere mittendæ, tum pedestres, tum equestres, quibus duces ab imperatoribus Romanis præponebantur, qui *præfecti sociûm* proprio nomine dicebantur.

5. *Excubias*] Sic fieri solitum notat Casaub. in omni tumultu, & ad omnem cladis acceptæ nuncium, ac forsan tunc temporis præcipue quod multi in urbe Galli Germanique cap. 49.

6. *Præsidibus*] Generale nomen est omnium provincias regentium; majus enim in ea imperium habebant omnibus post principem *l.* 4. *ff. de Officio præsidis.*

7. *Ut a peritis & assuetis*, &c.] Nec enim præsidi, nec provincialibus licebat per tempus brevius & legitimum sese invicem agnoscere, quod Annibal primum in Italia prælium inituros magno in sui gloriam vitio dat Romanis apud Livium lib. 1. Decad. 3. *Pugnabitis cum exercitu ignoto tirone, ignoto adhuc duci suo, ignorantesque ducem. An me in prætorio patris clarissimi imperatoris prope natum, certe educatum, domitorem Hispaniæ Galliaque, & cum semestri hoc conferam duce desertore exercitus sui? Cui si quis demptis signis Pœnos Romanosque hodie astendat, ignoraturum certum habeo, utrius exercitus sit consul. Non ego illud parvi æstimo, milites, quod nemo vestrum est, cujus non ante oculos ipse sæpe militare aliquod ediderim facinus*, &c.

8. *Magnos ludos*] De his Festus. *Magnos ludos, Romanos ludos appellabant, quos in honorem Jovis, quem principem Deorum putabant, faciebant.* Quales forte vovendos retulerant olim Decemviri hortante Fabio *si bellatum prospere esset* (adversus Annibalem) *Resque publica in eodem, quo ante bellum fuisset, statu permansisset.* Quæ verba sunt Livii lib. 2. Decad. 3. Horum formulam vovendorum refert idem auctor lib. 6. Decad. 4. statim ab initio. Hoc loco pro *Rempub.* legerit Torr. *Respub.* quod & ex Memmiano & Pithœi Cod. probat. Casaub. & elegans est.

9. *Cimbrico Marsicoque*] De illo in Julio

Digitized by Google

cap. 11. hoc dixerunt quoque *sociale*, quod omnes ferme pop. Rom. socii *contra matrem ac parentem suam urbem* consurrexerunt, ut ait Florus lib. 3. c. 18. initio a Marsis orto: hi autem Latii populi fuere, quorum urbs ad lacum Fucinum in Jul. cap. 44. exciſa vel aquis abſorpta, etiam hodie *Marci*.

10. *Caput foribus*] Non aliter quam magni doloris indicium intellexerunt alii etiam Hiſtorici. Caſaubonus tamen voce *foribus* inductus, religionis quoque non nihil miſtum fuiſſe ſuſpicatur juxta illos etiam Tibulli Eleg. 2. lib. 1. verſus.

Non ego tellurem genibus prorepere ſupplex
Et miſerum ſancto tundere poſſe caput
Non ego ſi merui dubitem procumbere templis
Et dare ſacratis oſcula liminibus.

Ad quem locum Achilles Tatius in Sfortiæ M S. legiſſe ſe ait *tacto* pro *ſancto*. Et certe videtur hoc magis argute, quam vere annotaſſe, cum apud Hiſtoricos alios ſimilia impatientiæ reperiantur exempla. Capitolinus de Maximino, *ſic exarſit, ut non hominem, ſed belluam putares, jaciebat ſe in parietes, nonnumquam terra ſe proſternebat*, &c. Et lib. ſequente *incurrere in parietes, veſtem ſcindere videbatur*, &c. in quem ſenſum prorſus Seneca lib. 1. de ira c. 16. *Quid opus eſt menſam evertere? quid pocula affligere? quid ſe in columnas impingere? Quid capillos evellere? quid femur pectuſque percutere?* &c. Quæ omnia & alia quædam enumerans Cicero 3. Tuſcul. *deteſtabilia lugendi genera* appellat, & muliebri ſuperſtitione exiſtimaſſe, ait, *Diis immortalibus ſe facilius ſatisfacturos ſi eorum plaga perculſi afflictos ſe & ſtratos eſſe fateantur.* Nam & hoc in luctu uſitatum patet etiam ex Luciano in luctu, ubi id ridet, & infra Ner. c. 42.

11. *Diemque cladis*, &c.] Caſaubonus in Cujacii codice legebat ſequentia verba, ſic *quem damnis mœſtum ac lugubrem habuerat memorans*; ſed quis ille fuerit non repertum ſibi fatetur, unde illuſtriores Suetonii interpretes arguit, quod Beroaldum nimis bona fide ſecuti in eumdem cum ipſo errorem impegerint, diem illum 4. non. ſextil. eumdem ſcilicet atque Cannenſis pugnæ eſſe dicentes, quod nullibi reperiri aſſeverat ſcrutatus hoc conſilio, quotquot ea de re ſcripſerunt. Errandi anſa fuit Beroaldo locus hic Flori lib. 4. c. 12. *Varus perditas res eodem quo Cannenſem diem Paullus & fato eſt & animo ſecutus.* Ubi *diem* pro *clade* intelligere debuit quo modo idem auctor lib. 2. c. 6. *Non fuit major populo Romano dies, quam illa cum duo omnium & antea & poſtea ducum maximi, ille Italia, hic Hiſpania victor collatis cominus ſignis aciem direxere.* Olim quippe ſi ferro non ſecus ac judicio diſceptanda foret controverſia, dies certus aſſignari ſolebat, inde factum, ut vox *dies* pro prælio pariter ac judicio fuerit uſurpata: quæ loquendi ratio nec dum apud nos obſolevit: pugnam quippe aut cladem inſignem dicimus *une journée*.

12. *Lugubrem*[Inominalem ſeu atrum ſic enim calamitoſos dies appellabant.

CAPUT XXIV.

IN RE militari & commutavit multa, & inſtituit: atque etiam ad antiquum morem nonnulla revocavit: diſciplinam ſeveriſſime rexit. Ne [1] legatorum quidem cuiquam, niſi gravate, hiberniſque demum menſibus, permiſit uxorem [3] interviſere. Equitem R. quod duobus filiis adoleſcentibus, cauſſa detrectandi [3] ſacramenti [4] pollices amputaſſet, ipſum, bonaque [5] ſubjecit haſtæ: quem tamen, quod imminere emtioni [6] publicanos videbat, liberto ſuo [7] addixit, ut relegatum in agros pro libero eſſe ſineret. Decimam legionem contumacius parentem, cum ignominia totam dimiſit: item alias immodeſte [8] miſſionem poſtulantes, [9] citra commoda emeritorum præmiorum [10] exauctoravit. Cohortes, ſi quæ ceſſiſſent loco, [11] decimatas [12] hordeo pavit. [13] Centuriones, ſtatione deſerta itidem, ut [14] manipulares, capitali animadverſione puniit: pro cætero delictorum genere variis [15] ignominiis affecit: ut [16] ſtare per totum diem juberet ante Prætorium: interdum [17] tunicatos, [18] diſcinctoſque, nonnunquam cum [19] decempedis, vel etiam ceſpitem portantes.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Legatorum*] De his quid essent cap. 23. hoc Augusti edictum etiam ipso vivente, obtinere desiit ; nam & comitem ipse Liviam sæpe duxit postea, & Germanicus Agrippinam infra in Calig. Et ejus exemplo cæteri. Unde mulierum in provinciis rapinas taxat Juvenal. Sat. 8.

Si nullum in conjuge crimen
Nec per conventus, nec cuncta per oppida, curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celano.

2. *Intervisere*] Verbi proprietatem notat Beroaldus quasi hoc intervallo revisere; quo sensu Palladius dixit *interlegere poma*, hoc est omnia non decerpere ; sed per intervalla ut relicta crescant magis.

3. *Sacramenti*] Militaris scilicet, quo adigebantur quicumque erant in militiam ascribendi.

4. *Pollices amputasset*] Hanc vitandæ militiæ rationem non infrequentem fuisse probant testimonia quæ Torr. hic adduxit, l 4. ff. de re militari. *Eum qui filium debilitavit dilectu per bellum indicto ut inhabilis militiæ fit, præceptum D. Trajani deportavit.* Fortunatiani Rhetoris. *Decem milites tempore belli pollices sibi amputaverunt. rei sunt læsæ Resp.* Ammianus Marcellinus de Gallorum moribus loquens *neque illorum quisquam munus Martium extimescens pollicem sibi præcidit, quos joculariter Murcos appellant.* Videsis & Valer. & Ælianum Var. Hist. lib. 2. & Cicer. 3. de officiis.

5. *Subjecit hasta*] Vendendum scilicet de quo ritu in Jul. cap. 50. & infra c. 36.

6. *Publicanos*] Ideo a publicanis emendum fuisse Torrent. ait, quia cum ipsi ejusdem essent ordinis, ut in Jul. cap. 20. num. 13. equiti faventes emere volebant, & statim manumittere. Ex ipsa tamen narrationis serie contrarium timuisse videtur Augustus.

7. *Addixit*] Addicere in licitationibus seu auctionibus est licitanti rem auferendam permittere: est enim unum e tribus verbis prætoriis *do. dico. addico.* Unde quos creditoribus suis prætor tradiderat, ii addicti dicebantur.

8. *Missionem*] De qua in Jul. cap. 7. & 70.

9. *Citra commoda emeritorum præmiorum*] Sic legunt omnes : Torrent. tamen & Casaubonus, vocem *præmiorum* aut removendam censent, aut interjiciendam conjunctionem *&* : nec injuria ; differunt quippe *emerita* & *præmia*. Illa non sunt nisi veteranorum ; dicuntur enim emeriti si sacramento soluti donativum illud, quod idcirco vocatur *emeritum*, acceperint de quo Modestinus l. 3. ff. de re militari. Et *emerita militia commoda* vocat Sueton. infra Calig. c 44. qualia erant v. g. agri distributi, de quibus jam non semel. Præmia vero cujuslibet strenui militis ad ejus virtutem incitandam, qualia supra cap. 8. ex Gellio, & c. 25. Quod ni locus hic de veteranis totus sit accipiendus, detrahe literum *e* & sic quoque constabit sensus scilicet *meritorum præmiorum.*

10. *Exauctoravit*] Exauctorare est insignia militaria detrahere, quod cum ignominia perficitur, quanquam non semper. Quandoque enim est dimittere, & infra adhuc Tib. c. 7. ubi de auctoramento Vitell. 10. vesp. 8. &c.

11. *Decimatus*] Decimari dicuntur legiones, cum decimus quisque supplicio afficitur, Livius lib. 2. *Cætera multitudo, sorte ad supplicium quisque legitur*, unde & *centesimare* & *vigesimare*. Quæ omnia gravioris erant animadversionis, ut & venire sub hasta, virgis cædi, securi percuti, in crucem tolli, &c. Ea de quibus hic sermo est animadversionis duntaxat levis genera fuere.

12. *Hordeo pavit*] Hoc unum est ex iis, quæ ex antiquo more revocavit Augustus, id enim ipsum narrant Livius lib. 27. & Plutarchus de Marcello, qui legionibus quæ signa amiserant, hordeum præbuit. Magna quippe erat ignominia gladiatorio hoc cibo vesci.

13. *Centuriones statione deserta*] De Centurionibus in Jul. c. 68. hi suum cuique militi locum in acie assignabant, a quo vel passum recedere capitale fuit. Sed eamdem centurionibus statutam ab initio pœnam innuit hic Suetonius.

14. *Manipulares*] Manipulus dicitur decem militum contubernium, sub uno papilione degentium teste Vegetio lib. 2. alii

Digitized by Google

aliter. Servius 11. Æneid. ad hunc versum.

Desolatique manipli

ait. Manipli autem dicti sunt signiferi, quia sub Romulo pauper adhuc populus Romanus exercitus hastas fœni manipulis inligabat, & hos pro signis gerebant; unde hoc nomen remansit. Ideo Donatus voce *manipulares* hic intelligit *signiferos*, parum meo quidem judicio verisimiliter. Quamvis hæc fuerit appellationis causa ut Ovid. 3. fast. clare satis docet.

Illa quidem fœno: sed erat reverentia fœno
Quantam nunc aquilas cernis habere tuas
Pertica suspensos portabat longa maniplos
Unde maniplaris nomina miles habet.

15. *Variis ignominiis*] Exempli causa regradatione: cum enim suus cuique gradus foret in militia, omnium infimi tirones erant & caligati, qui cum nullum adhuc specimen virtutis edidissent, omnibus militiæ muneribus seu potius oneribus incumbebant, unde munifices dicti sunt, ad eorum differentiam, qui cum strenue quidpiam gessissent vacatione ab ejusmodi muneribus gaudentes altiorem obtinebant ordinem; & beneficiarii quandoque dicebantur, quod si quid ipsi delinquerent, e superiori hoc ordine deiiciebantur, quæ pœna dicebatur *regradatio*. De variis ejusmodi militum ignominiis plura apud Frontinum lib. 4. Stratagem. c. 1. Valer. lib. 2. c. 2. Gellium lib. 10. cap. 8.

16. *Stare per totum diem*] Exempla habes alia apud auctores illos eosdem.

17. *Tunicatos*] Tunica vestis est, cui toga in urbe superinduitur, in castris sagulum. Hac autem sola tegi in publico vel Romæ, vel in castris, magnæ vilitatis erat & ignominiæ.

18. *Discinctos*] Quasi militiæ inhabiles, qui enim opus aliquod aggrediebantur, fluxas vestes cingulo colligebant, unde hæc loquendi ratio *operi se accingere*. Cum igitur milites operi semper intentos esse oporteret, & paratos, ideo cinctos esse moris fuit quæ de causa, discincti dedecore notabantur.

19. *Decempedis*] Decempeda est pertica decem pedibus longa, qua in dimetiendis agris mensores utebantur. Cum autem & cespitum, & perticarum magnus foret usus in Castris, ad conficienda v. g. tabernacula &c. ideo centuriones delinquentes, tironum & infimi gradus militum laboribus, plectebat Augustus.

CAPUT XXV.

NEque post bella civilia, aut in concione, aut per edictum, ullos militum *commilitones* appellabat, sed [1] *milites*. Ac ne [2] a filiis quidem, aut privignis suis, imperio præditis, aliter appellari passus est: ambitiosius id existimans, quam aut ratio militaris, aut temporum quies, aut sua, domusque suæ majestas postularet. [3] Libertino milite, præterquam Romæ [4] incendiorum causa, & si tumultus in [5] graviore annona metueretur, [6] bis usus est: semel ad præsidium [7] coloniarum Illyricum contingentium: iterum ad tutelam ripæ Rheni fluminis. Eosque servos adhuc viris fœminisque [8] pecuniosioribus indictos, ac sine mora manumissos, [9] sub priore vexillo habuit, neque aut commistos cum ingenuis, aut eodem modo armatos. [10] Dona militaria aliquanto facilius, [11] phaleras & torques, quidquid auro argentoque constaret, quam [12] vallares ac [13] murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat: has quam parcissime, & sine ambitione, ac sæpe etiam [14] caligatis tribuit. [15] M. Agrippam in Sicilia post navalem victoriam [16] cæruleo vexillo donavit. Solos triumphales, quamquam & socios expeditionum, & participes victoriarum suarum, numquam donis impertiendos putavit: quod ipsi quoque [17] jus habuissent tribuendi ea quibus vellent. Nil autem minus in perfecto duce, quam festinationem temeritatemque convenire arbitrabatur. Crebro itaque illa jactabat.

Digitized by Google

a Σπεῦδε βραδέως, &c.
Ἀσφαλὴς γὰρ ἐστὶ σπουδὴ, ἢ θρασεῖα ταραχή.

Et, [18] *Sat celeriter fieri, quidquid fiat satis bene.* Prælium quidem aut bellum suscipiendum omnino negabat, nisi cum [19] major emolumenti spes, quam damni metus ostenderetur. Nam *minima commoda non minimo sectantes discrimine, similes* ajebat *esse aureo hamo piscantibus: cujus abrupti damnum nulla captura pensari posset.*

INTERPRETATIO.

a *Festina lente cautus enim imperator, melior quam audens.*

NOTÆ.

1. *Milites*] Sext. Aurelius auctor est vehementer ab Augusto reprehensum illud Jusii Cæsaris inventum, qui commilitones appellando, dum voluit carior fieri, principis auctoritatem emollivit.

2. *Filiis aut privignis*] Caio & Lucio, nepotibus ex Julia filia, & Agrippa, quos adoptavit in filios cap. 64. ac Tiberio & Druso Liviæ ex priore marito filiis, ut infra sæpe & toto lib. sequenti.

3. *Libertino militi*] Factum fuerat a Romanis statim post Cannensem cladem. Hîc nota libertinos dici, servos libertate donatos, qui tamen ab initio *liberti* tantum veteribus dicebantur, adhuc infra in Claud. cap. 24.

4. *Incendiorum caussa*] Septem ejusmodi militum cohortes (quæ quantæ sint in Jul. cap. 31. & 68.) instituit; quarum singulæ, duabus urbis regionibus custodiendis invigilarent, cui rei occasionem præbuere exorta uno die pluribus in locis incendia: sui illis præfuere tribuni præposito omnibus spectabili quodam viro, qui *præfectus vigilum* dicebatur. Vide *l. 3. ff. de officio præfecti vigilum.* manumissos illos milites alii vocabant *Sparteolos* per contemptum vel a funibus (e sparto quippe funes fiebant: Plin. lib. 19. c. 2.) quorum mukus in incendiis usus, vel a sparteis tunicis, quibus erant amicti vel a genere calceamentorum, ut ait Casaubonus c. 30. de his cohortibus videsis etiam Strabonem lib. 5. & Dionem lib. 55.

5. *Graviore annona*] Hoc est ei frumentariæ penuria, cui prospiciendæ instituta erat præfectus annonæ. Tanta Augusto fuit hujus cura, *ut tridui frumento in horreis quondam viso statuisset venenо mori, si e provinciis classes interea non venirent*, ut ait Aurelius in fine Aug.

6. *Bis usus est*] Cap. 16. manumissa duxit 20. servorum millia ad bellum Siculum, sed iis usus est remigibus, non militibus.

7. *Coloniarum*] Ex fuerunt vel Aquileia (de qua cap. 20 num. 6) vel Concordia etiamnum hodie in ora Venetiæ, vel Pola similiter nomen retinens in Histria. De Illyrico c. 21. & in Jul. c. 22. sed maxime Tib. c. 16.

8. *Pecuniosioribus*] Ita Casaubonus in Vitterbiensi, Pithœi, Lisiæi, & optimis quibusque codicibus legit; sic & Sabellicus & Beroaldus scripsere. Alii *periculosioribus* ediderunt, alii *peculiosioribus* malebant, nullo certe aut parum commodo sensu. Velleius auctor est viros fœminasque coactos ex censu dare militem, & in eandem sententiam idem refert Dio lib. 55. Et mos ille jam inde a primis Reip. temporibus viguit; volnit enim Servius, ut onera ejusmodi in ditiores incumberent.

9. *Sub priore*] Mavult Torrent. *sub proprio*; quod multum arridet, si codicum accedat auctoritas, ut & *primore* juxta Casaubonum, ut sit sensus eos in acie prima collocatos. Et sane id vix effecerit vox *priore*, qua maxime videtur innui sub aliquo jam ante vexillo fuisse habitos. Macrobius lib. 1. cap. 11. has ipsas de quibus hic sermo est, Augusti Cohortes *voluntarias* ab eo appellatas ait, ad exemplum, ut videtur, eorum servorum, qui *bello Punico cum deessent, qui scriberentur pro dominis pugnaturos se pollicitis in civitatem recepti sunt, & Volones* (*quia hoc sponte voluerunt*) *appellati.* Horum quoque accepta clade Cannensi, octo millia con-

ſcripta narrat idem auctor ibid. & Livius lib. 2. Decad. 3. ſed hic lib. 3. exercitatos, & lib. 4. non niſi poſt annum & amplius, navatamque egregiam, fuſo ſcilicet ad Beneventum Hannone, operam, manumiſſos dicit: quod exemplum ſecutus dici potuerit Auguſtus, ſi huic loco, cui mendum ſubeſſe ſuſpicantur viri eruditiſſimi, addatur particula *non*, nempe *ac non ſine mera mamumiſſos*, hoc eſt, Auguſtus conſcriptos in cohortes ſervos non manumiſit quidem illico, & ſine ulla dilatione, ſed manumiſſos demum, habuit ſub priore illo, eodem nempe vexillo, ſub quo antequam manumitteret, probandi forte cauſſa, illos habuerat.

10. *Dona militaria*] Duplicis ea fuere generis: alia quæ nonniſi honorem afferrent, alia quibus tantum non ineſſet honoris, ſed plus utilitatis: priora ſunt v. g: palma, haſta pura, (hoc eſt ſine ferro) coronæ graminæ, vel quernæ, &c. nullius aut certe minimi per ſe pretii, ſed ideo magno in pretio, quod magnæ virtutis indicia: poſteriora ſunt torques, fræni, ephippia, phaleræ, &c.

11. *Phaleras*] Hinc ut & ex Livii lib. 7. colligit Beroaldus, non tam equorum, quam equitum ornamenta fuiſſe.

12. *Vallares*] Corona Vallaris Gellio lib. 5. cap. 6. dicitur quoque *caſtrenſis, quæ donat eum imperator, qui primus hoſtium caſtra pugnans introivit: ea corona inſigne valli habet.*

13. *Murales*] Gellius ibid. Muralis *eſt corona, qua donatur ab imperatore, qui primus murum ſubiit, inque oppidum hoſtium per vim aſcendit, idcirco quaſi muri pinnis decorata eſt.* Has ex auro fieri ſolitas idem teſtatur, ſed probabile eſt phaleris & torquibus non eſſe pretio comparandas.

14. *Caligatis*] Hoc eſt gregariis militibus, quos cap. proxime præcedenti *manipulares* appellavit. Caligæ quippe militum calceamentum in Calig. c. 9.

15. *M. Agrippam*] Vide cap. 16.

16. *Cæruleo vexillo*] Victoriæ mari relatæ ſignum eſt, quippe color ille idem qui maris: de Siculo bello c. 16.

17. *Jus habuiſſent*] Libera nempe Rep. eorum enim erat, quorum auſpiciis bella gerebantur: verum ſub Imperatoribus, cum aliis libertatis inſignibus, & hoc obſolevit.

18. *Sat celeriter*] Dictum Catonis *ſat cito, ſi ſat bene.*

19. *Major*] Hæc omnia ferme ad verbum Aurelius in Auguſto. Græci verſus Euripidis ſunt in Phœniſſis: vide in Julio c. 30. Nota *cauto* opponi *audentem*. Supra in Jul. c. 58. in nummis quoque ſuis, id ſignificavit cum terminum fulmini conjunctum expreſſit, qualem profert Torrentius, & literis ut Gellius lib. 10. cap. 11. quod & Titus imperator anchora cum Delphino ſignificavit.

CAPUT XXVI.

MAGISTRATUS atque honores, & ante tempus, & quoſdam [1] novi generis, perpetuoſque, cepit. Conſulatum [2] XX. ætatis anno invaſit, admotis hoſtiliter ad urbem legionibus, miſſiſque qui ſibi nomine exercitus depoſcerent. Cum quidem cunctante Senatu, Cornelius Centurio, princeps legationis, rejecto [3] ſagulo, oſtendens gladii capulum, non dubitaſſet in curia dicere, *Hic faciet, ſi vos non feceritis.* Secundum conſulatum [4] poſt IX. annos, tertium anno interjecto geſſit: ſequentes uſque ad undecimum [5] continuavit: multiſque mox, cum deferrentur, recuſatis, duodecimum magno, id eſt, ſeptemdecim annorum intervallo, & rurſus tertium decimum biennio poſt ultro petiit: ut [6] Cajum [6] & Lucium filios ampliſſimo præditus magiſtratu, ſuo quemque [7] tirocinio deduceret in forum. Quinque medios conſulatus a ſexto ad undecimum annuos geſſit: [8] cæteros autem ſex, aut novem aut ſex aut quatuor aut tribus menſibus; ſecundum vero, pauciſſimis horis. Nam [9] die Kal. Januarii, cum mane pro æde Capitolini Jovis paullulum [10] curuli ſella præſediſſet, honore abiit, [11] ſuffecto alio in

Digitized by Google

locum suum. [12] Nec omnes Romæ, sed quartum consulatum in Asia, quintum in insula [13] Samo, octavum & nonum [14] Tarracone iniit.

INTERPRETATIO.

a *Ut insignitus summo honore deduceret in forum, filios suos Cajum & Lucium, utrumque* die *tirocinii sui.*

NOTÆ.

1. *Novi generis, perpetuoque*] Illis Triumviratum intellige, his vero censuram & Tribunitiam potestatem, ut cap. sequenti patet, quam ideo maxime perpetuam recepit, quod sacrosancti forent tribuni & inviolabiles.

2. *Vigesimo*] Ejus honoris capiendi legitimus annus fuit 43. Cicero Philipp. 5. 48. *Quid Alexander Macedo cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, nonne tertio & trigesimo anno mortem obiit? qua est ætas nostris legibus decem annis minor quam consularis.* Debebat enim prudentia & virtute singulari conspicuus is esse, qui hunc honorem ambiebat, & per Quæsturam, Ædilitatem, ac Prætura aditum sibi patefecisse. Neque tamen desunt eorum exempla, qui juniores consulatum gesserint, ut Corvini & Scipionis Africani, &c.

3. *Sagulo*] Militare vestimentum de quo in Jul. c. 48. & hoc libro cap. 24. num. 17. simile omnino de alio Centurione, quem ut prorogaretur imperium, Cæsar olim miserat. Cum enim non prorogari vidisset, concusso manu gladio *hic prorogabit*, inquit.

4. *Post* IX. *annos*] Lege cavebatur ne quis intra decem annos bis eumdem magistratum gereret, quæ jam omnia obsolescebant.

5. *Continuavit*] Continuos gessit absque intermissione.

6. *Cajum & Lucium*] De his cap. proxime præcedenti num. 2. & infra sæpe.

7. *Tirocinio*] Non militari, ut patet, sed forensi. Senec. præfatione in Declamat. lib. 3. *& ideo ille primum in foro dicturus tiro dictus est.* Cum nempe toga pura sumpta, barbaque posita, eloquentiam auspicabantur, de quibus ceremoniis adhuc infra.

8. *Cæteros aut novem, aut sex*, &c.] Sic emendandum censuit Casaub, deletis duabus vocibus *autem sex.* Quæ in vulgatis erant hoc modo *cæteros autem sex, aut novem, aut sex*, &c. quod constare non posse patet vel minimum attendenti: Casauboni lectionem tuentur Vitterbiensis, Pithœi, & Lissæi codices.

9. *Die Calendarum*] De eo in Jul. c. 15. & 16. & 76. num. 24.

10. *Curuli sella*] Hæc erat eburnea, ideo Curulis dicta quod curribus etiam illis imponeretur, quibus in Curiam vehebantur Senatores, qui majorem magistratum (quem ideo etiam Curulem dixerunt) gesserant, de qua adhuc infra c. 43.

11. *Suffecto alio in locum*] Contra leges ut in Julio c. 76. num. 28.

12. *Nec omnes Romæ*] Id quoque contra leges: nec enim alibi quam Romæ designati consules magistratum inire potetant. Sacrum enim illud, quod hîc innuitur, in Capitolio faciendum erat.

13. *Samo*] Supra c. 17.

14. *Tarracone*] Hodie *Saragossa* in Hispania citeriori.

CAPUT XXVII.

a [1] TRIUMVIRATUM Reip. constituendæ per decem annos administravit: in quo restitit quidem aliquandiu collegis, ne qua fieret [2] proscriptio, sed [3] incœptam utroque acerbius exercuit. Namque illis in multorum sæpe personam per gratiam & preces exorabilibus, solus magnopere contendit ne cui parceretur: proscripsitque etiam [4] C. Toranium tutorem suum, eumdemque collegam patris sui Octavii in ædilitate. Junius Saturninus hoc amplius tradit. Cum peracta proscriptione, M. Lepidus in

Digitized by Google

Senatu excusasset præterita, & spem clementiæ in posterum fecisset: quoniam satis pœnarum exactum esset: hunc e diverso professum, ita modum se proscribendi statuisse, ut omnia sibi reliquerit libera: in cujus tamen pertinaciæ pœnitentiam, postea T. Vinium Philopœmenem, quod patronum suum proscriptum celasse olim diceretur, equestri dignitate decoravit. In eadem hac potestate multiplici flagravit invidia. [b] Nam & Pinarium equitem R. cum concionante se, admissa turba [5] paganorum apud milites subscribere quædam animadvertisset, [6] curiosum [7] ac spectaculatorem ratus, coram
A.V.C. confodi imperavit. Et Tedium Afrum Cos. designatum, quia factum
DCCXXXI. quoddam suum maligno sermone carpsisset, tantis perterruit minis, ut is se præcipitaverit. Et [8] Q. Gallium prætorem, [9] in officio salutationis, [10] tabulas duplices veste tectas tenentem, suspicatus gladium occulere: nec quidquam statim, ne aliud inveniretur, ausus inquirere, paullo post per centuriones & milites raptum e tribunali, [11] servilem in modum torsit: ac fatentem nihil, jussit occidi, prius oculis ejus sua manu effossis: quem tamen scribit colloquio petito insidiatum sibi, conjectumque a se in custodiam, deinde urbe interdicta dimissum, naufragio vel latronum insidiis periisse. [12] Tribunitiam potestatem perpetuam recepit: in qua semel atque iterum per singula [13] lustra collegam sibi cooptavit. Recepit & [14] morum legumque regimen æque perpetuum, quo jure, quanquam sine censuræ honore, [15] censum tamen populi ter egit: primum ac tertium cum [16] collega, medium solus.

INTERPRETATIO.

a *Gessit triumviratum decem annis, in quo adversatus quidem est aliquandiu suis collegis, ut nulla proscriptio fieret, sed postquam inchoata est, usus est* illa *crudelius ambobus: cum enim illi sæpe, favere & rogatu exorabiles essent erga multos, solus maxime enisus est, ut nemini ignosceretur.*

b *Cum enim deprehendisset Pinarium equitem Romanum subnotare aliqua, dum ipse haberet apud milites concionem, ad quam introducta* fuerat *multitudo paganorum, jussit illum occidi se præsente, arbitratus curiosum esse, & exploratorem.*

NOTÆ.

1. *Triumviratum*] Ipsum inter & Antonium ac Lepidum, reconciliatione facta post bellum Mutinense c. 13.

2. *Proscriptio*] Quid sit proscriptio in Julio c. 11. & 41. Hac periit Cicero quem Augustus ipse, quamquam reverentiæ & beneficiorum causa patrem appellaret, cedere coactus est Antonio & Lepido, quorum ille avunculum, hic fratrem suum Paulum de quo c. 16. vicissim Augusto tradiderunt.

3. *Incæptam, utroque acerbius* &c] Narrat Livius lib. 9. Decad. 1. Herennium Pontium senem prudentissimum consultum a filio, qui Romanos exercitus silvis interceptos tenebat, quidnam de illis fieri oporteret, auctorem fuisse, ut omnes, vel honorifice dimitterentur, vel ad unum occiderentur. Simili ferme consilio videtur usus Augustus, quamquam Dio longe aliter narret ac Suetonius, ab eo enim servatos ait, quotquot servari potuerint.

4. *Torquatum*] Magnum & sapientem virum, si modo is est, ad quem extant Ciceronis epistolæ super illius temporis calamitatibus conscriptæ lib. 6. familiarium 20. & 21. Vinium autem illum, de quo hîc male quidam dicunt Junium, ut patet ex Dione lib. 47. T. Vinii libertum fuisse atque ideo patroni sui nomine appellatum pro cæterorum more libertorum.

Digitized by Google

5. *Paganorum*] Pagani sunt quicumque cives non militantes, non vero rustici pagorum incolæ. De illis plura apud Jureconsultos præsertim ubi de militaris & Paganici testamentorum differentiis.

6. *Curiosum*] Curiosi non ii modo apud illos erant, qui multorum satagebant, sed qui commissa vel in principis vel in præsidum comitatu crimina per provincias investigarent, & nunciarent, quales & Medis fuisse narrat Herodotus, & in Dario Plutarchus; & Augusto etiam Mœcenatis consilio ejusmodi delatores fuisse notat Dio; sed quorum testimonio non nisi caute admodum uteretur. Curiosi fuerunt ii quoque, qui publici cursus curam gerebant, quales dicimus *Maistres des Postes*, de quibus *l.* 13. *Cod. de cursu publico, & l.* 1. *Cod. de Curiosis & Stationariis.*

7. *Speculatorem*] Speculator is est proprie miles, qui silentio hostilia perspicit, ut duci referat. Adriano fuerunt ministri quidam, quos frumentarios appellabat, perquos omnia domorum arcana explorabat.

8. *Q. Gallium*] Sic ex M. S. Casaubonus & Torr. vulgati legebant *Gallum*.

9. *Officio salutationis*] Mos vetus præsertim sub imperatoribus, ut non ad principis modo, sed ad potentiorum quoque ædes mane salutatum irent, unde Martial. *Prima salutantes atque altera continet hora.*

10. *Tabellas duplices*] Vel a numero foliorum, ut censet Beroaldus, vel quod bis in se, complicatæ forent, ut Turnebus lib. 28. Adverss. c. 32. erant quoque triplices, & quadruplices; &c. videsis in Jul. c. 42.

11. *Servilem in modum torsit*] Tanquam crimine majestatis reum: hoc enim tantum casu liberum hominem torqueri fas erat, & omnibus æqua conditio erat, ut patet ex l. 4. Cod. *ad legem Juliam majestatis.*

12. *Tribunitiam potestatem*] Imperatores Romani Tribunitiam sibi potestatem sumere consueverant, ut ea forent magis inviolabiles; sacrosancta quippe tribunorum plebis potestas, *sacrosanctum* autem Festo *dicitur, quod jurejurando interposito, est institutum, si quis id violasset, ut morte pœnas penderet. Cujus generis sunt tribuni plebis.* Exemplum ejus assumptæ potestatis primum est a Julio, cui Senatusconsulto delata est in omnem vitam, ut refert Dio lib. 42. & 44. Quia tamen ea publice primus usus est Augustus, eique prærogativis quibusdam additis splendorem addidit, ejus auctor dicitur Tacito Annal. 3. *Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit, ne regis aut dictatoris nomen assumeret, hac tamen appellatione aliqua cætera imperia præmineret.*

13. *Lustra*] Lustrum est spatium quinque annorum: hoc instituit Servius una cum censu, hoc enim peracto, lustrabatur solenni sacrificio populus, qui in campo cum armis adesse jussus erat. De quo Livius lib. 1. & Halicarn. lib. 4. fuse.

14. *Morum legumque regimen.* &c.] Hinc Horatius Epistola 1. lib. 2. ad Augustum.

Cum tot sustineas ac tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, &c.

Quod munus proprie censoris erat, ut Livius lib. 4. cujus nomen sumere sibi noluerat, & Julius, ut supra in ejus vita c. 76.

15. *Censum*] Quid hîc esset supra in Julio cap. 41. & 76. &c. uno ex illis natus est Christus Dominus, ut narrat D. Lucas in Evangelio cap. 2. v. 2. circa annum U. C. 752.

16. *Collega*] Duo erant censores, sed in alterius locum, si forte moreretur, alium non sufficiebant.

CAPUT XXVIII.

DE reddenda Rep. [1] bis cogitavit: primo post oppressum statim Antonium, memor objectum ab eo sibi sæpius, quasi per ipsum staret ne redderetur: ac rursus tædio diuturnæ valitudinis: cum etiam magistratibus ac Senatu domum accitis [2] Rationarium imperii tradidit. Sed reputans & se privatum non sine periculo fore, & illam plurium arbitrio [3] temere committi, in retinenda perseveravit: dubium eventu meliore an voluntate. Quam voluntatem cum præ se idemtidem ferret, quodam etiam [4] edicto his verbis testatus est: *Ita* [5] *mihi salvam ac sospitem Remp. sistere in sua sede*

liceat, atque ejus rei fructum percipere, quem peto, ut optimi ſtatus auctor dicar: & moriens, ut feram mecum ſpem, manſura in veſtigio ſuo fundamenta Reip. quæ jecero. Fecitque ipſe ſe compotem voti, niſus omni modo, ne quem novi ſtatus pœniteret. URBEM neque pro majeſtate imperii ornatam, & [6] inundationibus [7] incendiiſque obnoxiam, excoluit adeo, ut jure ſit gloriatus, [8] marmoream ſe relinquere, quam lateritiam acceperiſſet. Tutam vero, quantum provideri humana ratione potuit, etiam in poſterum præſtitit.

NOTÆ.

1. *Bis cogitavit*] Hoc eſt bis voluit otio ſe reddere, & Reip. curam ac ſolicitudinem deponere, & quidem ſerio non ſimulate; ſæpius enim velle ſe reddere, optavit, aut finxit. Senec. *de brevitate vita* cap. 5. hujus conſilii ſuaſorem Agrippam Mæcenati diſſuadenti poſt habuit, ſuapte natura dominandi cupidiſſimus, ut inquit Eutropius. Rationem utriuſque Dio refert lib. 53. & quod Suetonius hîc *Rempublicam reddere* dicit, ille fuſius, populo reſtituere arma, leges, provincias, reditus, &c De hoc Auguſti conſilio vide & Senec. lib. *de brevitate vita.*

2. *Rationarium*] Librum memorialem, quo omnis publicæ adminiſtrationis ratio ſua ipſius manu perſcripta erat, quantum civium & ſociorum in armis, quot regna, quot provinciæ, quanta vectigalia, &c. Tacit. Annal. 1.

3. *Temere committi*] Vocem *temere* in duobus optimis libris non legit Torr. nec eam deſiderat, quæ tamen abeſſe ſalvo ſenſu poſſe non videtur.

4. *Edicto*] In Julio c. 9. 11. & 75.

5. *Ita mihi ſalvam*, &c.] Reperiuntur ſimiles jurisjurandi formulæ. Plancus apud Ciceronem lib. Famil. epiſt. 10. epiſt. 9. *Quod ad me attinet, mi Cicero, ita ab imminentibus malis Reſp. me adjuvante liberetur: ſic*, &c. Julianus apud Ammianum lib. 24. *Animabat Julianus exercitum, cum non per charitates, ſed per inchoatam negotiorum multitudinem dejeraret aſſiduo, ſic ſub jugum mitteret Perſas, ita quaſſatum recrearet orbem Romanum, ut Trajanus fertur aliquoties jurando dicta conſuevisſe firmare. Sic in provinciarum ſpeciem redactam videam Daciam, ſic pontibus Iſtrum, Euphratem ſuperem*, &c.

6. *Inundationibus*] Livius lib 5 Decad. 4. refert duodecies eodem anno campum Martium, planaque urbis inundata. Inundationes ejuſmodi prodigii ſemper loco a Romanis habitæ ſunt, & in acta referri ſolitæ.

7 *Incendiis obnoxiam*] Idem Livius lib. 1. Decad 4. *Annus inſignis incendio ingenti, quo clivus publicus ad ſolum exuſtus.* Et alibi, Tacit. lib. 15. Annal. ubi de incendio Neroniano cauſſam affert. *Obnoxia urbe arctis itineribus, huc que & illuc flexis atque enormibus vicis*, &c.

8. *Marmoream*] Non de ædificiorum pulcritudine, ſed de imperii firmitudine ex Dione, quidam intelligi voluiſſe putaverunt.

CAPUT XXIX.

PUblica opera plurima exſtruxit: ex quibus vel præcipua, [1] Forum cum [2] æde Martis Ultoris, templum Apollinis in Palatio, ædem Tonantis Jovis in [3] Capitolio. Fori exſtruendi cauſſa fuit, hominum & judiciorum multitudo, quæ videbatur, non ſufficientibus duobus, etiam tertio indigere. Itaque feſtinantius, nec dum perfecta Martis æde, publicatum eſt, cautumque ut ſeparatim in eo [4] publica judicia & [5] ſortitiones judicum fierent. Ædem Marti, bello Philippenſi [6] pro ultione paterna ſuſcepto, [7] voverat. Sanxit ergo ut de [8] bellis triumphiſque heic conſuleretur Senatus: provincias cum Imperio petituri, hinc [9] deducerentur: quique victores rediſſent, huc [10] inſignia triumphorum inferrent. Templum Apollinis in ea parte Palatinæ do-

Digitized by Google

mus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a Deo [11] haruspices pronuntiarant. Addidit [12] porticus cum [13] bibliotheca Latina, Græcaque. [14] Quo loco jam senior sæpe etiam Senatum habuit, [15] decuriasque judicum recognovit. Tonanti Jovi ædem consecravit, liberatus periculo, cum expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus [16] fulgur perstrinxisset, [17] servumque prælucentem exanimasset. Quædam etiam opera sub nomine alieno, nepotum scilicet & uxoris sororisque, fecit: ut porticum, [18] basilicamque Lucii & Caii: item porticus [19] Liviæ & Octaviæ, [20] theatrumque Marcelli. Sed & cæteros principes viros sæpe hortatus est, ut pro facultate quisque monumentis vel novis, vel refectis, & excultis, urbem adornarent. Multaque a multis exstructa sunt: sicut a [21] Marcio Philippo, [22] ædes Herculis Musarum: a L. Cornificio, [23] ædes Dianæ: ab [24] Asinio Pollione, atrium Libertatis: a Munatio Planco, ædes Saturni: [25] a Cornelio Balbo, theatrum: [26] a Statilio Tauro, amphitheatrum: a [27] M. vero Agrippa, complura, & egregia.

Notæ.

1. *Forum*] Quid sit in Julio c. 26.

2. *Ædo Martis Ultoris*] Ovid. 5. fast. loquentem inducens Augustum, & Marti preces fundentem.

Dona feres, & me victore, vocaberis Ultor,
Dixerat & victo tela cruenta ab hoste redit.

Formæ fuit rotundæ in ipso Augusti foro extructa ædes illa hac urbis hodiernæ regione, quæ S. Martinæ ædem attingit ex descriptione Jacobi Lauri; sed duo erant & diversæ formæ, utrumque ab Augusto ædificatum alterum in Capitolio post recepta a parthis signa. Templum hic & ædem videtur manifeste distinguere, unde hanc differentiam ex Gellii lib. 14. cap. 7. ascribere expedit, ibidem enim ex Varrone ait. *In curia Hostilia & in Pompeia & post in Julia, cum profana ea loca essent, templa esse per augures constituta, ut in iis Senatusconsulta more majorum justa fieri possent. Inter qua id quoque scriptum reliquit* (Varro) *non omnis ædes sacras templa esse, ac ne ædem quidem Vestæ, templum esse.*

3. *In Palatio*] Quid sit Palatium c. 5. ubi in Palatii regione natum Augustum retulit. Quapropter montem illum verosimile est pro aliis elegisse decorandum; ibi enim splendidissimam illam domum extruxit, de qua hoc ipso capite & c. 5. hujus etiam hodie visuntur vestigia quædam, ab ea parte qua montem Aventinum respiciens Circo maximo imminebat, ut facilius posset inde spectacula, & navalia præsertim videre prælia, quemadmodum in ejus descriptione notavit Jacobus Laurus.

4. *Publica judicia*] Ea sunt in quibus accusare cuivis licebat e populo, ut repetundarum, ambitus, &c. de quibus in Julio c. 4. & 9. adulterii in Tibet. c. 35.

5. *Sortitiones judicum*] An Senatores ab initio judicaverint, an vero tantum post ademptum id muneris equitibus: quæstio est ambagibus multis obnoxia; ut ut est illud, constat sortitiones judicum tunc fieri solitas cum prætor aut princeps ille quæstionis de quo in Jul. c. 11. selectorum hoc anno judicum, qui vulgo 300. ut existimant, nomina omnia conjiciebat in urnam, ut numerus educeretur definitus per legem negotii de quo agebatur, causa latam, si vero vel accusator vel reus quosdam ex illis sibi suspicaretur infensos, rejectis illis ab utraque parte subsortiebantur alios. Huic ergo judiciorum parti forum suum Augustus destinaverat. Qua de re Cicero in Verrinis & ibi Asconius Pedianus.

6. *Pro ultione.*] Ovid. fast. 5.

Ultor ad ipse suos cœlo descendit honores,
Templaque in Augusto conspicienda foro.

7. *Voverat.*] Ovid. ibidem.

Voverat hunc genitor tunc cum pia sustulit arma.

Pia scilicet quia suam in adoptivum patrem pietatem exhibebant.

Digitized by Google

8. *De bellis*] Indicendis, quod olim in Capitolio idem Ovid. ibid.

Digna Gigantæis hæc sunt delubra trophæis
Hinc fera Gradivum bella movere decet.

9. *Deducerentur*] Officii causſa. Vide in Julio c. 71.

10. *Insignia Triumphorum*] De his in Julio c. 37.

11. *Haruſpices*] Notum eſt, fuiſſe divinatores quoſdam, qui & extiſpices dicti ab extorum inſpectione, futura prædicentes.

12. *Porticus*] Locus erat totus ad amœnitatem & magnificentiam compoſitus, & extructus ubi deambulationes & umbracula Ovid. de porticu Pompeii.

Tu modo Pompeia lætus ſpatiare ſub umbra, &c.

Martial. non ſemel.

13. *Bibliotheca*] De qua Horatius epiſt. 1. lib. 2.

Si munus Apolline dignum
Vis complere libris, & vatibus addere calcar.

Et Ode 31. lib. 1.

Quid dedicatum poſcit Apollinem
Vates, quid orat, &c.

Et lib. 1. Epiſt. 3.

Scriptæ Palatinus quæcumque recepit Apollo, &c.

Idem voluerat Julius c. 44.

14. *Quo loco*] De templo Apollinis Sabellicus locum illum intelligit, quod in aliis, quam conſecratis augurio locis haberi Senatum fas non eſſet: verum cum & alia multa Auguſtus immutarit, & hic idem auctor licet ædem Martis a templo diſtinguens, in illa tamen Senatum conſulendum voluiſſe referat, de porticu quoque vel bibliotheca intelligi poſſe videtur. De hoc Apollinis templo Propertius lib. 2. Elegia 1. ab initio.

Atque ubi navali ſtant ſacra palatia Phœbo, &c.

Hujus in faſtigio videbatur ſolis currus, qui multo auro obductus mirum ſplendorem edebat; cujus meminit idem auctor lib. 2. Elegia 31. templum deſcribens.

Tum medium claro ſurgebat marmore templum
Et patria Phœbo carius Orygia
Auro ſolis erat ſupra faſtigia currus, &c.

Manilius quoque lib. 5.

15. *Decurias*] Judicum decuriæ fuerunt eorumdem variæ claſſes, de quibus ſic Plinius lib. 33. cap. 11. *Iudicum quoque non niſi quatuor decuriæ fuere primo; vexque mollius ſingulæ in decuriis inventæ ſunt nondum provinciis ad hoc munus admiſſis*, &c. Et cap. 2. *decuria quoque ipſa diſcreta pluribus nominibus fuere tribunorum æris, & ſelectorum, & judicum. Præter hæc etiamnum nongenti vocabantur.* Videſis & Turn. lib. 29. c. 16. &c.

16. *Fulgur*] Pro fulmine poſuit, quod nec aliis inſuetum.

17. *Servum prælucentem*] De conſuetudine luminum itineribus nocturnis gerendorum in Jul. c. 31.

18. *Baſilicamque Caii & Lucii*] Quid ſint baſilicæ ſupra in Jul. cap. 10. hæc, quæ Caii fuit & Lucii referente Marliano, ſtetit eo in loco, qui hodie eſt inter templum S. Bibianæ, & urbis mœnia: cui rei fidem facit, quod Jacobus Laurus ait locum etiam hodie dici *Therma Gallutii* parum corruptis vocibus *Caii & Lucii*. Non quidem quod ibi thermæ fuerint, ſed quod ingentia omnia ædificia thermas vulgus appellaverit. *Præterea*, inquit idem Laurus, *concamerata fornix quæ adhuc integra permanet, atteſtatur, quæ præter Pantheonis illam mirabilem, nullam aliam ſuperbiorem invenies.*

19. *Livia & Octavia*] Illa conjux, hæc ſoror Auguſti. Liviæ porticus in ſacra via fuit: ut innuit Ovidius.

Diſce tamen veniens atas ubi Liviæ nunc eſt
Porticus, immenſa tecta fuiſſe domus.

Julii nempe Cæſaris in Julio cap. 46. de Octavia autem in nona urbis regione ante Marcelli filii ejus theatrum ubi fuit & curia Octavia Harum porticus ſcilicet & curiæ ſtatuas & imagines Plinius ab eximiis auctoribus maxime commendat. Ædificia illa a S. Nicolao in carcere ad S. Mariam in porticu extenſa fuiſſe conjiciunt.

20. *Theatrum Marcelli*] Filius hic erat Octaviæ. Theatrum inter & amphitheatrum diſcriminis illud erat, quod illud ſemicirculi hoc circuli ferme, ſeu potius ovi figura conſtaret. Marcelli theatrum Tarpeio monti accubabat, ubi ſuum olim erigere, Cæſar deſtinarat in Jul. c. 44. ibi fuit ubi hodie Palatium Sabellorum, in quo multæ ſuperſunt ejus reliquiæ: columnæ præſertim, ſed igne labefactatæ, ut idem Laurus teſtatur.

21. *Marcio Philippo*] Auguſti vitrico, de quo c. 8. vulgatæ editiones legebant

22. *Herculis & Muſarum*. Caſaubonus & Torrentius

Digitized by Google

Torrentius ſuorum librorum auctoritate ſuſtulerunt; templum enim illud Herculi commune fuit & Muſis, ut ex Plutarcho problemate 69. conſtat, a Martio illo Philippo inſtauratum duntaxat non primo conditum, ſed longe antea a M. Fulvio Nobiliore Ennii poëtæ amiciſſimo circa annum U.C. 566. Fulvius quippe de Ætolis triumphaturus novem muſarum ſtatuas ex capta urbe Ambracia Romam tranſtulerat, ibique dedicaverat, ut oſtenderet Muſarum quietem deffenſione Herculis egere, hujus vero virtutem voce Muſarum exornari. Juxta illud Horatii Ode 9. lib. 4.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, ſed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia vate ſacro.

Amicitiam Ennii præſertim reſpiciens Fulvius cum enim ille perditionis comitem amico ſe præbuiſſet, ejus victoriam inſigni laude celebraverat: de his Livius lib. 8. & 9. Decad. 4. & Plinius lib. 35. c. 10. ac præſertim Eumenius Rhetor oratione de ſcholis inſtituendis, quæ cum variis panegyricis edita vulgo invenitur. Fuerunt alia tria Herculis templa, quorum aliqua etiamnum Romæ viſuntur veſtigia.

23. *Ædes Dianæ*] Plures itidem fuere.

24. *Ab Aſinio Pollione atrium libertatis*] De Aſinio jam c. 30. & 55. Julii. Atrium locus erat columnis cinctus, cujus in medio area ſub dio, quæ ideo αἴθριον ab αἰθὴρ aër & periſtylium a columnis appellata; unde atria apud ipſos monachorum clauſtris, ut aiunt, non abſimilia. In atrio libertatis tabularium fuit, quo ſervabantur acta publica. Ut clare ſatis innuit Livius lib. 3. Decad. 5. *Cenſores ex templo in atrium libertatis, aſcenderunt, & ibi ſignatis tabellis publicis, clauſoque tabulario*, &c. hujus conditor longe ante fuerat Gracchus. Ut idem Livius lib. 4. Decad. 3. notat. unde non niſi collapſi aut ruinam minantis inſtauratorem fuiſſe Pollionem veroſimile eſt; Huc doctos animi cauſſa conveniſſe innuit Ovid.

Nec me qua doctis patuerunt prima libellis
Atria libertas tangere paſſa ſua eſt.

25. *Cornelio Balbo*] Illo Cæſaris amico de quo in Jul. cap. 78. & 81. De hujus theatri loco non convenit antiquariis, exiſtimant vulgo ejus veſtigia ſupereſſe ſub palatio ducis Cæſarini, quin & eidem palatio dediſſe fundamenta.

26. *A Statilio Tauro, amphitheatrum*] Hoc ſolum, primumque lapideum Romæ fuiſſe notat Lipſius lib. de amphitheatro c. 5. meminit Dio lib. 51. conditum anno U. C. 725. hujus ædificii veſtigia videntur ad templum & cœnobium S. Crucis in Hieruſalem, ubi ciſtercenſis ordinis viri habitant.

27. *Ab Agrippa complura & egregia*] Mirabile præſertim illud templum, quod Jovi & diis omnibus dicatum, Pantheum appellavit etiamnum hodie extans, a Bonifacio 4. ſummo pontifice in honorem S. Mariæ & omnium ſanctorum conſecratum, quod a forma vocavere *rotunda*.

CAPUT XXX.

SPatium urbis in [1] regiones vicoſque diviſit: inſtituitque ut illas [2] annui magiſtratus ſortito tuerentur, [3] hos magiſtri e plebe cujuſque viciniæ electi. Adverſus incendia [4] excubias nocturnas, vigileſque, commentus eſt. Ad coërcendas inundationes, alveum Tiberis laxavit, ac repurgavit, completum olim ruderibus, & ædificorum prolapſionibus coarctatum. Quo autem facilius undique urbs adiretur, deſumta ſibi [5] Flaminia via [6] Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex [7] manubiali pecunia ſternendas diſtribuit. Ædes ſacras, vetuſtate collapſas, aut incendio abſumptas, [8] refecit: eaſque & cæteras opulentiſſimis donis adornavit: utpote qui [9] in cellam Capitolini Jovis [10] ſedecim millia pondo auri, gemmaſque ac margaritas [11] quingenties H-S. una donatione contulerit. A. V. C. DCCXII.

Digitized by Google

Notæ.

1. *Regiones*] XIV. ut ſupra in Julio c. 39. notatum eſt. An vero diviſionis hujus primus auctor fuerit non conveniunt interpretes. Torrent. & Beroald. negant, Caſaubonus affirmat, quod illius partitionis ante Auguſtum nulla mentio facta ſit a Varrone lib. 4. de Lingua Latina.

2. *Annui Magiſtratus*] An ad id unum lecti, an vero magiſtratibus annuis id quoque demandatum, obſcurum reliquit auctoris brevitas. Poſterius tuentur Torrentii & Caſauboni conjecturæ, nec illis videntur alii præponderare.

3. *Hos*] Vicos ſcilicet unde vicomagiſtri.

4. *Excubias vigilesque*] Quæ cura Ædilium ante fuerat c. 25. *& lege 3. ff. de officio præfecti vigilum.*

5. *Flaminia via*] Flaminius conſul poſt victos Ligures ne ſui milites otio frangerentur, hanc ſtraverat primus per Tuſciam & Umbriam Ariminum uſque Livius lib. 9. Decad. 4. porta flaminia unde hæc via incipiebat, hodie *porta del popolo*. De viis ſternendis jam ſupra in Julio non nihil c. 44.

6. *Ariminum*] *Rimini* munivit & alibi quam in Italia: vide inſcriptiones.

7. *Manubiali*] Quid manubiæ in Jul. cap. 26.

8. *Refecit*] Hinc Ovidius faſtorum 2.

Templorum poſitor, templorum ſancte refector.

Ancyrano lapide hæc omnia enumerantur, quem vide in calce operis.

9. *Cellam*] Quid ſit vide in Jul. c. 84.

10. *Sedecim millia*] Budæus lib. 3. de aſſe ex multis auctorum monumentis Romanæ auri unciæ pretium ſtatuit 16. francicos & 8. ſolidos noſtrates cum ſemiſſe, libra vero ſeu quod idem eſt pondo Romanum 12. conſtabat unciis, ut in Jul. c. 4. notatum eſt, atque ideo auri libra 197 l. 2 ſ. noſtratibus æquivalet, quæ ſumma decies ſexties millies ducta, ni falſam ipſe rationem habuerim, dabit 3 142000 l.

11. *Quingenties*] Juxta eadem principia ſunt 2 187500 l.

CAPUT XXXI.

[1] POSTQUAM vero pontificatum maximum quem nunquam [2] vivo Lepido, auferre ſuſtinuerat, mortuo demum ſuſcepit, quidquid [3] fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, ſupra duo millia contracta undique cremavit: ac ſolos retinuit Sibyllinos: hos quoque delectu habito: condiditque duobus [4] forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi. [5] Annum a D. Julio ordinatum, ſed poſtea negligentia conturbatum atque confuſum, rurſus ad priſtinam rationem redegit: in cujus ordinatione [6] Sextilem menſem e ſuo cognomine nuncupavit, magis quam Septembrem, quo erat natus: [7] quia hoc ſibi & primus conſulatus & inſignes victoriæ obtigiſſent. Sacerdotum & numerum & dignitatem, ſed & commoda, auxit: præcipue Veſtalium virginum. Cumque in demortuæ locum aliam [8] capi oporteret, ambirentque multi ne filias in [9] ſortem darent: adjuravit, ſi cujuſquam neptium ſuarum competeret [10] ætas, oblaturum ſe fuiſſe eam. Nonnulla etiam ex antiquis cærimoniis paullatim abolita reſtituit: ut [11] Salutis augurium, [12] Diale Flaminium, [13] ſacrum Lupercale, [14] ludos Seculares & [15] Compitalicios: Lupercalibus vetuit currere imberbes: item, Secularibus ludis juvenes utriuſque ſexus prohibuit ullum nocturnum ſpectaculum frequentare, niſi cum aliquo majore natu propinquorum. [16] Compitales Lares ornare [17] bis anno inſtituit, vernis floribus, & æſtivis. Proximum a Dis immortalibus honorem memoriæ ducum

Digitized by Google

præstitit, qui imperium populi Rom. ex minimo maximum reddidissent. Itaque & opera cujusque, [18] manentibus titulis, restituit: & statuas omnium [19] triumphali effigie in [20] utraque Fori sui porticu dedicavit. Professus est edicto, *commentum id se, ut illorum velut ad exemplar & ipse dum viveret, & insequentium ætatum principes exigerentur a civibus.* Pompeii quoque statuam contra [21] theatri ejus [22] regiam, [23] marmoreo Jano supposuit, translatam [24] e curia, in qua C. Cæsar fuerat occisus.

NOTÆ.

1. *Pontificatum*] Quid hic sit in Jul. c. 13. hunc suscepit Augustus ne quid sibi deesset ad summam potestatem: priscis enim regibus id juris fuit ut & leges humanæ & religionis ceremoniæ penes ipsos forent, quod ab Augusto, cæteris quoque imperatoribus observatum.

2. *Vivo Lepido auferre*] In eandem omnino sententiam Seneca lib. 1. de Clementia c. 10. *Pontificatum maximum, non nisi mortuo illo* (Lepido scilicet) *transferri in se passus est. Maluit enim illum honorem vocari quam spolium.* An vero id ex more passus sit Augustus, quod perpetuus esset pontificatus ut de cæteris quoque sacerdotiis tradit Plinius lib. 18. c. 2. & Cassiodorus clare satis innuit in patriciatus formula; affirmari vix posse videtur, Plutarcho in quæstionibus Rom. proprium id auguribus duntaxat fuisse dicente, cui plane adstipulatur Plinius Junior lib. 4. epist. 8. *Sacerdotium ipsum* (auguratum intellige) *cum priscum & religiosum, tum hoc quoque sacrum plane & insigne est, quod non admittur viventi. Nam cætera quanquam dignitate propemodum paria, ut tribuuntur, sic auferuntur.*

3. *Fatidicos*] Quibus fata P. R. describta, qui & fatales & vaticini dicuntur. Id non primus statuerat Augustus; Livius lib. 9. Decadis 4. in oratione Posthumii consulis. *Quoties hoc patrum avorumque ætate negotium est magistratibus datum ut sacra externa fieri vetarent? sacrificulos vatesque Foro, Circo, urbe prohiberent? vaticinos libros conquirerent comburerentque? omnem disciplinam sacrificandi, præterquam Romano more abolerent?*

4. *Forulis*] Dixit pro capsulis seu loculamentis quo sensu Juvenalis.

Hic libros dabit & formulos mediamque Minervam.

Secus fori & loca in spectaculis & sedilia in navibus significant. Et vaticinos libros apposite vatum Deo credebat, Apollini scilicet, cujus statua 50. pedum altitudine fuit, de qua ut a se visa Plinius ait, dubium an ære nobilior an pulchritudine. Plures fuere.

5. *Annum a D. Julio ordinatum*] Quæ cura maximi pontificis erat in Jul. c. 40. notatum: ideo autem conturbatus jam erat quia Julii mentem in intercalationibus non assecuti pontifices, quarto quoque anno incipiente intercalaverant, cum nisi quarto quoque anno desinente non esset intercalandum: qua ratione in pristinam confusionem redibat res erat. Annis enim 36. quorum decursu non plures quam novem dies addendi fuerant, errore supra memorato ducti pontifices, duodecim addiderant, quem ut emendaret Augustus 12. annos absque intercalari hoc est bissextili die transigi jussit, ut tres illi dies qui per annos 36. sacerdotalis festinationis vitio creverant, intercalato nullo devorarentur. *Post hoc unum diem secundum ordinationem Cæsaris, quinto quoque incipiente, anno intercalari jussit: & omnem hunc ordinem, æreæ tabulæ, ad æternam custodiam incisione mandavit.* Ut ait Macrobius lib. 1. c. 14.

6. *Sextilem*] Quia sextus a Martio unde incipiebat annus Romuli, re enim sublata, manserat appellatio. Hodie Augustus ab Augusto. Ut & Julius dequo in Jul. c. 76. & Macrob. & Censorinus.

7. *Quia hoc*] Mense scilicet, quin & eodem die. Horatius Ode 14. lib. 4.

Nam tibi quo die
Portus Alexandria supplex
Et vacuam patefecit aulam, &c.

8. *Capi*] Gellius ibidem. *Plerique autem capi virginem solam debere dici putant, sed flamines quoque diales, item pontifices & augures capi dicebantur.* Et paulo ante, *capi autem virgo propterea dici videtur, quia pontifici*

manu prehensa, ab eo parente, in cujus potestate est, veluti bello capta abducitur. Pontificis inter alia verba solennia, hæc sunt *te amata capio. Amata inter captendum a pontifice max. appellatur, quoniam quæ prima capta est, hoc fuisse nomine traditum est.*

9. *In sortem darent*] Gellius lib. 1. c. 12. scribit Papia lege cautum fuisse, ut pontificis maximi arbitratu virgines e populo 20. legerentur, quas inter fieret ejusmodi sortitio.

10. *Ætas*] Non minor sex, nec major decem annis, quæ patrima foret & matrima, &c. Gellius ibid.

11. *Salutis augurium*] Triumphis peractis, quo tempore Janum clausit Augustus, salutis quoque revocavit augurium. De Jano quidnam foret cap. 22. & nota res omnibus de Salutis augurio non item. Hoc autem ut ex Dionis lib. 37. colligitur, divinationis quoddam genus erat, quo probabatur concederent-ne ipsi Dii ut Salus populo Romano postularetur, quasi nefas fuisset eam, priusquam petendi venia concederetur, postulare. Destinatus ad id singulis annis dies ad quem nullus exercitus ad bellum profectus, hostis nullus in armis esset, aut pugnatum fuisset, quapropter belli temporibus non celebrabatur.

13. *Sacrum Lupercale*] De Luper. in Jul. c. 76.

14. *Ludos Seculares*] Sic dicti sunt quod unoquoque seculo fierent, centesimo scilicet, vel decimo & centesimo anno, nam adhuc Grammatici certant, ex instituto Valerii publicolæ, ad liberandam pestilentia civitatem illius exemplo Valesii; cujus filii ceremoniis iisdem peste sanati dicebantur, de quo Valer. Max. lib. 2. cap. 1. Horum inter alios, ritus hic erat, ut spectacula multa & sacrificia tribus diebus totidemque noctibus fierent, ac præsertim pueri puellæque ingenui carmina & Pæanas accinerent, quibus imperii Romani perennitas diis immortalibus commendabatur. Extat apud Horatium in fine Epodon seculare carmen quod his ludis scripserat anno ab V. C. 736. Vide & in Claud. c. 21. & in Domit. cap. 4.

15. *Compitalicios*] Hi Laribus consecrati ut pote quorum tutelæ commissa urbis compita Ovid. fast. 2.

Qui compita servant,
Et vigilant nostra semper in urbe Lares.

Plautus in Mercatore Act. 5. Sc. 2.

Vos Lares viales ut me bene juvetis.

A Servio Tullio Rom. rege instituta compitalia, quoniam Larium filius existimabatur. De quo Plinius lib. 36. cap. 27. & Dionysius Halicarnasseus lib. 4. qui non nihil a Livio l. 2. super hac Servii Tullii origine differunt.

16. *Compitales Lares*] Ursini libri & quidam editi, legebant *compitalicios*. Quo sensus fieret: ornandos jussisse Lares ludis compitaliciis, quod a Suetonii consuetudine non abhorret, ut nempe quæ conjunctim proposuit, ea divisim explicet. Verum cum non reperiantur bis anno celebrati priorem lectionem retinuit Casaubonus & alii ut intelligantur Larium simulacra in compitis posita bis unoquoque anno, Augusto jubente floribus adornata.

17. *Bis anno instituit*] Hinc colligere est compitalia non stato aliquo die cæterorum instar festorum celebrata, quod & aperte affirmat Ausonius Eidyllio 25.

Et numquam certis redeuntia festa diebus,
Cum sua per vicos compita quisque colit.

Non publici modo, sed & privati Lares floribus ornabantur Juvenal Satyr. 12.

Laribusque paternis
Thura dabo, atque omnes viola jactabo colores.

Plinius lib. 21. c. 3. &c.

18. *Manentibus titulis.*] Hoc est inscriptionibus, quibus declarabatur, quorum essent ejusmodi monumenta: contra omnino Domitianus, ut videre est in ejus vita cap. 5. quem forte Suetonius hîc perstrinxerit.

19. *Triumphali effigie*] Triumphalium virorum statuas in curribus dicatas auctor est Plinius lib. 34.

20. *Utraque fori sui porticu*] Ab Ænea & Romulo, omnes ordine disposuit. Unde Ovidius 5. fastorum de Marte Ultore cujus ædes in ipso foro fuit.

Hinc videt Æneam oneratum pondere caro
Et tot Iulea nobilitatis avos, &c.

Hic nota verbum *exigerentur* hoc est requirerentur eædem in illis virtutes & quasi trutina examinarentur, quo sensu in Jul. c. 47. ne qui dissimiles essent, admitterentur.

21. *Theatri*] Pompeius primus mansuram theatro sedem posuit, quo nomine incusatum illum tradit Tacit. Annal. lib. 14. subitariis enim huc usque gradibus & Scena temporaria ludi celebrati, & vetustioribus temporibus, stans populus spectaverat, ut ait idem ibidem. In campo Floræ fuit ubi

Digitized by Google

hodie Palatium Urſinorum teſte Jacobo Lauro.

22. *Regiam*] Quænam illa ſit non conſtat. Torrentius arbitratur ipſum theatrum magnificentiæ cauſſa ſic appellatum. Caſaubonus de illa domo mavult intelligi, quam theatro junctam ab ipſo Pompeio, tradidere Velleius & Plutarchus, aut certe de alio quovis ædificio inibi ejuſdem juſſu conſtructo, quod ſignificaverit hoc nomine Tranquillus, qui vocem Græcam *baſilica*, de qua in Jul. c. 10. Latinam fecerit, quemadmodum de Pauli baſilica de qua cap. 29. Jul. dixit Statius *ſublimis regia Pauli*. Quo ſenſu Sigonius *lib. 2. de antiquo jure Italiæ cap. ultimo* notat, regiam cum dicerent, nil aliud quam baſilicam intellexiſſe. Certe ex Gellio lib. 4. c. 6. conjicere eſt regiam fuiſſe quoque aliquod in ædificiis ſplendidis membrum; verba ſunt *ita in veteribus memoriis ſcriptum legimus, in ſacrario in regia haſtas Martias moviſſe, cujus cauſſa SC. factum eſt cujus exemplum hoc eſt. Quod C. Julius L. F. Pontifex nunciavit in ſacrario in regia haſtas Martias moviſſe*, &c. quibus manifeſte, ni fallor, ſignificatur, regiam, ſacrarii partem conſtituiſſe.

23. *Marmoreo Iano ſuppoſuit*] In quibuſdam non malis codicibus Torrent. & Caſaubonus legunt *ſuperpoſuit*, quod & poteſt, Jani quippe fuerunt tranſitiones perviæ fornicatæ quæ ſpeciem arcus referrent, qualia Romæ multa & magna hominum frequentia celebrari ſolebant, ut colligere eſt ex Cicerone 6. Philipp. 15. de portis quibuſdam quæ in viarum capitibus eſſent Donatus explicat, adhuc infra in Domit. c. 13.

24. *E curia*] In Jul. c. 80. & 81.

CAPUT XXXII.

PLERAQUE peſſimi exempli correxit, quæ in perniciem publicam, aut ex conſuetudine licentiaque bellorum civilium duraverant, aut per pacem etiam exſtiterant. Nam & [1] graſſatorum plurimi palam ſe ferebant ſuccincti ferro, quaſi tuendi ſui cauſſa: & rapti per agros viatores ſine diſcrimine, liberi, ſervique, [2] ergaſtulis poſſeſſorum ſupprimebantur: & plurimæ factiones, titulo [3] collegii novi, ad nullius non facinoris ſocietatem coibant. Igitur graſſatores, diſpoſitis per opportuna loca [4] ſtationibus, inhibuit: ergaſtula recognovit: collegia, præter antiqua & legitima, diſſolvit: [5] tabulas veterum ærarii debitorum, vel præcipuam calumniandi materiam [6] exuſſit. [7] Loca in urbe publica juris ambigui poſſeſſoribus adjudicavit. [8] Diuturnorum reorum, & ex quorum ſordibus nihil aliud quam voluptas inimicis quæreretur, nomina abolevit: conditione propoſita, ut ſi quem quis repetere vellet, [9] par periculum pœnæ ſubiret. Ne quod autem maleficium, negotiumve impunitate vel mora elaberetur, [10] XXX. amplius dies, qvi [11] honorariis ludis occupabantur, [12] actui rerum accommodavit. Ad tres judicum [13] decurias, quartam [14] addixit ex inferiore cenſu: quæ [15] ducenariorum vocaretur, judicaretque de levioribus ſummis. Judices [16] a triceſimo ætatis anno adlegit: id eſt, quinquennio maturius quam ſolebant. At pleriſque judicandi munus detrectantibus, vix conceſſit [illegible]t ſingulis decuriis [17] per vices annua vacatio eſſet: & ut [18] ſolitæ agi Novembri ac Decembri menſe res omitterentur.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Graſſatorum*] Graſſari proprie ſine ferro aggredi ſignificare notant; ſed improprie ſæpe locuti eſſent auctores, tum hic, tum Livius lib. 2. Decad. 1. de Porſenna loquens. *Trecenti conjuravimus, ut in te hac via graſſaremur.* Juvenal Sat. 3. *interdum & ferro ſubitus graſſator agit rem*, & Suetonius ipſe in Jul. c. 72. Caligula 34. Neron. 36. quibus locis adducar potius, ut cum Sabellico exiſtimem graſſari eſſe ſupra modum ſævire ab impetu gradiendi, cum & Saluſtius pro gradi uſus fuerit præfatione belli Jugurthini. *Ad gloriam virtutis via graſſatur.*

2. *Ergaſtulis*] Ergaſtula ſunt loca, in quibus vincti ſervi detinebantur. Juvenal Sat. 14.

Quem mire afficiunt inſcripta ergaſtula carcer
Ruſticus. Et Sat. 8.
Quid facies talem ſortitus Pontice ſervum?
Nempe in Lucanos, aut Tuſca ergaſtula mittas.

Ibi terræ præſertim colendæ, allaborabant. Lucanus.

Vincto foſſore coluntur
Heſperiæ ſegetes.

Columella lib. 1. c. 8. &c. vel cædendis lapidibus. Plautus in captivis Act. 3. Sc. 5.

Ducite,
Ubi ponderoſas, craſſas capiat compedes
Inde ibis porro in latomias lapidarias;
Ibi quom alii octonos lapides effodint,
Niſi cotidianus ſeſqui opus confeceris? &c.

De quo adhuc infra Tiberii cap. 8. & fuſe Lipſius elect. lib. 2. c. 15.

3. *Collegii*] Eadem jam ante cura fuerat Julio c. 43.

4. *Stationibus*] Hinc ſtationarii milites etiam in provinciis Cujacius, obſer. lib. 19. c. 11. & in Jul. c. 19.

5. *Tabulæ*] Vide in Jul. c. 42.

6. *Exuſſit*] Vulgatæ editiones & omnes Torrentii libri habent *excuſſit*: Priorem tamen lectionem prætulit & cum ipſo Caſaubonus tum auctoritate Dionis uterque motus; libro enim 53. expreſſe dicit combuſtas, tum ſimili aliorum imperatorum beneficio, Hadriani ut Spartianus, Aureliani ut Vopiſcus, narravere. Ejuſmodi tabulas, *Stirpes veterum fraudum, & ſeminaria futurarum* vocat Auſonius in Panegyrie.

7. *Loca in urbe publica*] Hoc eſt quorum poſſeſſio privatorum erat, quamvis jus poſſidendi ambiguum foret, & incertum: *publica* igitur intellige, quæ talia eſſe putabantur. Ad dirimendas ejuſmodi lites inſtituti ſunt poſtea judices, qui curatores ædificiorum publicorum appellati, ut probat vetus lapis, qui in calce operis inter inſcriptiones. Hi ſi loca publici juris eſſe probarentur, vel auferebant ea poſſeſſoribus, vel impoſito ſolario (hoc eſt vectigali quod pro ſolo pendendum erat) relinquebant.

8. *Diuturnorum reorum*] Imperatorum ſequentium conſtitutionibus quæſtiones criminales anno vel biennio terminabantur. Ut fuſe in l. 3. Cod. *ut intra certum tempus criminalis quæſtio terminetur.*

9. *Par periculum*] Quæ pœna calumniatorum eſt, quibus damnatis olim inurebant fronti literam K ut ex Cicerone notavit Caſaubonus in oratione pro Roſcio Amerino. Unde Papinianus l 13. ff. *de teſtibus*, hominem integræ frontis, calumniatori opponit. Dequo vedeſis legem 17. Cod. de pœnis

10. *Triginta amplius dies*] Major enim feſtorum dierum numerus, quam ut non modo tot judicia, ſed & alia quoque negotia poſſent peragi, quapropter 30. illos dies qui feſti propter ejuſmodi ludos erant, judiciarios fecit. Hoc imitatus eſt poſtea Antoninus Philoſophus auctore Capitolino in ejus vita *rei judiciariæ ſingularem diligentiam adhibuit: faſtis dies judiciarios addidit, ita ut 230. dies annuos rebus agendis litibuſque diſceptandis conſtituerat.* Hoc jam inde a Ciceronis temporibus faciendum eroptaverant, ut ipſe teſtatur in Verrinis; & ab aliis tamen imperatoribus auctus iterum pro varia, ut fit, rerum occaſione dierum feſtorum numerus.

11. *Ludis honorariis*, &c.] Vel quos privati homines, honoris cauſſa ederent, quod ſæpe factum illis temporibus, Martial. Epig. 16. lib. 3. cum magiſtratuum antea, ſacerdotumque proprium id jus eſſet divinique honoris gratia, non humani: vel *honorarios* dixit, quaſi prætorios quos prætores quorum numerum ad 16. auxerat, ederent qua ratione *jus honorarium* παρ' ἐξοχὴν di-

Digitized by Google

citur illud, quod prætores ſtatuebant.

12. *Actus rerum*] Hoc eſt rebus agendis ac tractandis negotiis adhuc infra c. 78. & Claud. c. 15 & 23.

13. *Decuriæ*] De his c. 29.

14. *Addixit*] Quidam legendum cenſent *addidit*, quod Torrentio probatur. Addici porro judices dicebantur, cum aut illos prætor daret, aut litigantes aſſumerent, quod multum ab hoc Auguſti inſtituto differre videtur. Et certe Suetonius infra in Calig. c. 16. dicit *quatuor decuriis quintam addidit*. Et in Galba cap. 14. *ſextam adiici precantibus*.

15. *Ducenariorum*] Non quod ducenti duntaxat eſſent, major enim in decuriis ſingulis judicum numerus, ut ſupra cap. 29. notatum eſt: ſed quod ducenta tantum haberent in cenſu; unde colligi poſſe videtur Auguſto judicum numerum, ut citius controverſiæ dirimerentur, amplificanti non ſuffeciſſe Romanorum equitum numerus; adlegit ſiquidem alios, quibus quadringenta non erant, hoc eſt cenſus equeſter, ut in Julio c. 33. notatum.

16. *A triceſimo*] Legendum vult Caſaubonus *a viceſimo*, cum nullibi repererit non lectos ante 35. annum judices ad Auguſti tempora, contra vero legitimam huic obeundo muneri ætatem fuiſſe contendit annum 25. *ex lege* 8 *ff. de muneribus & honoribus*, quæ & Cujacii mens eſt.

17. *Per vices annua vacatio*] Ut, cum quatuor eſſent decuriæ, quarto quoque anno ſingulis vacatio concederetur. Inviti quippe judicare cogebantur, ut patet hoc loco & *l.* 13. *ff. de vacationibus & excuſationibus munerum* §. 2. *qui autem non habet excuſationem, etiam invitus judicare cogitur*. Et *ll.* 9. *ac* 18. §. 14. *ff. de muneribus & honoribus*, &c.

18. *Solita res agi*] Hoc eſt, vix permiſit ut menſe Novembri & Decembri omitterentur negotia, & lites, quæ aliis anni menſibus agi ſolebant, quo ſenſu dixit *rerum actus*, vel ſecundum Caſaubonum, ut negotioſi menſium illorum dies nulli eſſent. Duplicem hîc vacationem aſſignare videtur; alteram annuam qua gauderent ſingulæ decuriæ alternatim: ac proinde non niſi quarto quoque anno; quatuor enim erant, ut patet ex hoc loco: alteram vero bimeſtrem, qua gauderent ſimul omnes decuriæ uno quoque anno, poſtrema vacatione nihil ferme concedebat, duobus enim illis menſibus Novembri & Decembri pauciſſimi dies rebus agendis addicti, ſed omnes ferme feriati, ut patet ex Calendario veteri, Aſconio & aliis. December præcipue voluptatibus deputatus; Seneca epiſt. 18. *December menſis eſt, cum maxime civitas deſudat. Jus luxuria publica datum eſt: ingenti apparatu ſonant omnia, tanquam quidquam interſit inter Saturnalia & dies rerum agendarum. Adeo ut erraſſe mihi non videatur, qui dixit olim menſem Decembrem fuiſſe, nunc annum.* Et Martial. lib. aphop. Epig. 1.

Syntheſibus dum gaudet eques dominuſque Senatus, &c.

Infra cap. 71. & Claudii cap. 5. &c. unde conſtare videtur longe abfuiſſe, ut dies, quos e duobus illis menſibus ſubſtraxerat, æquaverint 30. illos, quos rerum actui prius dixit accommodatos.

CAPUT XXXIII.

IPſe [1] Jus dixit aſſidue, & in noctem nonnunquam: ſi parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans. Dixit autem jus non diligentia modo ſumma, ſed & lenitate: ſi quidem manifeſti parricidii reum, ne [2] culeo inſueretur, quod non niſi confeſſi afficiuntur hac pœna, ita fertur [3] interrogaſſe: *Certe patrem tuum non occidiſti?* Et cum de falſo teſtamento ageretur, omneſque [4] ſignatores [5] lege Cornelia tenerentur: non tantum [6] duas tabellas, damnatoriam & abſolutoriam, ſimul cognoſcentibus dedit: ſed [7] tertiam quoque, qua ignoſceretur iis quos fraude ad ſignandum, vel errore inductos, conſtitiſſet. [8] Appellationes quotannis urbanorum quidem litigatorum [9] prætori delegavit urbano-

Digitized by Google

at 10 provincialium consularibus viris, quos singulos cujusque provinciæ negotiis præposuisset.

NOTÆ.

1. *Ius Dixit*] Ut & Julius cap. 43. quod & de Tiberio Tacitus Annal. 1. & alii postmodum imperatores etiam Constantinopolitani.

2. *Culeo*] Torrentius in optimo codice & Ursinus in veteribus legunt *culleo*. Nota hæc parricidarum pœna, ut culeo, sive quod idem est corio vel bovis, vel asini una cum gallo gallinaceo, vipera, & simia insuti projicerentur in mare. Unde Juvenal Sat. 8. de Nerone.

Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, non serpens unus, non culeus unus, &c.

Et verbis vere magnificis, Cicero in orat. pro Roscio Amerino. Vel si mare proximum non esset, bestiis objicerentur, ut ait Modestinus l. 9. ff. *de lege Pompeia de parricidiis*. Majoraggius lib. 4. miscellanorum cap. 8. hanc a Pompeio Magno primum constitutam legem existimat, sed repugnare videtur. Valer. Max. lib. 1. c. 1. ubi M. quemdam Tullium culeo narrat insutum propter violatam religionem, *idque*, ait, *supplicii genus non multo post parricidis lege irrogatum est justissime, quasi pari vindicta parentum ac deorum violatio, expianda est*. Certe Pompeius Magnus multo post Tarquinium suam tulit legem. Contra omnino Massagetæ, Indi Callatii, & Caspii, qui parentes suos senio confectos occidebant, ut narrat Herodotus in Clio & Thalia.

3. *Interrogare*] Hac interrogatione negandi ansam præbebat, ut atrocitati supplicii inficiatione subtraheretur. Livius Decad. 1. lib. 8. simile quid narrat de Privernatium legato, qui cum Senatoribus tristia adversus illos censentibus responderet ferociter, *Consul benigna interrogatione mitius responsum elicere conatus est*. Ait ibid. Livius

4. *Signatores*] Variæ apud Romanos testamentorum species, sed ea maxime urbani usi fuere, qua septem testium signacula requirebantur. Vide infra in Ner. c. 4.

5. *Lege Cornelia*] A Cornelio Sylla dictatore lata, quæ pœnam omnibus irrogabat, qui in testamentis aut nummis fefellissent, unde testamentaria & nummaria dicebatur ab initio, sed interpretatione prudentum ad quoscumque postea falsarios porrecta est.

6. *Duas tabellas*] Tabellæ istæ a judicibus conjici solebant in cistas, altera ad condemnationem C litera notabatur, altera ad absolutionem litera *A*. Quod si quid ultra foret inquirendum, media quædam erat tabella N L. hoc est *non liquet*. Harum si numerus prævaleret, condemnatio differebatur; recidebatque causa tunc in eum statam, qui dicebatur *ampliatio* ideſt dilatio, unde & rei ampliati.

7. *Tertiam qua ignoscerentur*.] Ex iis verbis Casaubonus colligit, lege Cornelia qualem Sylla tulerat, exceptum neminem, sed interpretatione sapientum, vel potius Augusti, accidisse, ut illa non teneretur, nisi qui sciens & dolo malo in casum legis incidisset.

8. *Appellationes*] Harum stante Rep. usus rarior in civilibus causis (nam provocationes ad populum in criminalibus frequentes occurrunt) a prætore tamen ad prætorem appellatum patet ex 3. Verrina num. 119. & Asconio ad eum locum, a prætore ipso ad tribunos ex eodem Cicerone oratione pro Quintio numero 64. Sub imperatoribus frequentiores. Sub Tiberio, a Senatu ad principem Tacitus annalium 4. testatur, & a Caligula immutatum, infra in Calig. cap. 16. quod & Nero non nihil immutavit, proposita pari pœna in eos, qui ad Senatum & ad principem appellarent: Tacitus Annal. 14. & infra in Nerone c. 17.

9. *Prætori urbano*] De Urbano & Peregrino prætore in Jul. cap. 14. Casaubonus scribendum hic censet P R. U R. & explicat *præfecto urbis*, qui ordinarius quidem magistratus fuit sub imperatoribus, sed ab Augusto restitutus, ut pote qui post pulsos reges, & stante Repub. extraordinarius tantum & nullius propemodum auctoritatis fuit, sed probandum esset jam restitutum. Certe Cæsar *præfectos pro prætoribus constituit* in Jul. c. 76. quo videtur mutata prætorum jurisdictio, aut saltem appellatio.

10. *Ac provincialium*] Ut singuli de singulorum negotiis judicarent, urbani de urbanis, consulares autem viri de provincialium negotiis

negotiis judicarent. Horum nomine intelliguntur, quicumque non erant Itali. Hinc patet Augusti instituto suum cuique nationi Judicem Romæ fuisse.

CAPUT XXXIV.

LEges retractavit, & quasdam in integro sanxit, ut [1] sumtuariam, & de adulteriis, & [2] de pudicitia, [3] de ambitu, de [4] maritandis ordinibus. Hanc cum aliquanto quam cæteras severius [5] emendasset, præ tumultu recusantium [6] perferre non potuit: nisi ademta demum lenitave parte pœnarum: & [7] vacatione triennii data, [8] auctisque præmiis. Sic quoque abolitionem ejus, publico spectaculo pertinaciter postulante equite, accitos [9] Germanici liberos, receptosque partim ad se, partim in patris gremium ostentavit: manu vultuque significans, ne gravarentur imitari juvenis exemplum. Cumque etiam immaturitate sponsarum, & matrimoniorum crebra mutatione [10] vim legis eludi sentiret, tempus sponsas habendi [11] coarctavit: [12] divortiis modum imposuit.

NOTÆ.

1. *Sumtuariam*] Vide in Jul. c. 43.

2. *De pudicitia*] Vulgatæ editiones legunt *impudicitia*, quod sensum non mutat Augustus eadem lege adulteria coercuit, & impudicitiam, hoc est, nefariam cum masculis libidinem, quæ hac voce præsertim intelligitur, ut infra c. 71. Vespas. c. 8. Catullus Epig. 30. v. 2. in Cæsarem. Hinc Horatius Ode 5. lib. 4. hanc legem innuit.

Nullis polluitur casta domus stupris;
Mos & lex maculosum edomuit nefas.

3. *De ambitu*] In Jul. c. 9.

4. *De maritandis ordinibus*] Non qua vetaret communicationem connubiorum inter ordines plebeium scilicet, equestrem, & patricium; quomodo factum jam & abrogatum erat antea; sed qua prohibebat ordinis cujuslibet viros vivere cœlibes, ut patet exemplo Germanici: quod hîc refertur: huc respiciens Horatius in carmine seculari ait,

Diva, producas sobolem, patrumque
Prosperes decreta super jugandis
Fœminis prolisque novæ feraci
Lege marita.

5. *Emendasset*] Emendavit, non primus sanxit, sed Metellus Numidicus censor, ut patet cap 89. infra, Floro in Epitome Livii lib. 59. & Gellio lib. 1. c. 6 jam inde ab anno V. C. 614. circiter 110. annis ante hanc Augusti emendationem, quæ tamen *lex Julia de maritandis ordinibus* dicta est.

6. *Perferre non potuit*] Hanc ferendæ legis Juliæ difficultatem innuunt relati ex Horatio versus.

Patrumque
Prosperes decreta, &c.

Et Tacit. Annal. 3. ab anno quippe 734. quo morum præfecturam, de qua in Julio c. 76. suscepit, hæc illum cura exercuit anno 762. quo demum coss. Papio Mutilo & Q. Popæo Secundo lata per Senatum lex est, quam ideo a consulum nomine Papiam Popæam, ut patet ex Isidoro originum lib. 5. c. 15. appellarunt. Hæc quantum ad materiam eadem quidem atque Julia, nisi quod illa quibusdam capitibus acerbior, aliis mitior; sed tempore non parum diversa. De hac etiam Tacitus Annal. 3. ubi de legum origine.

7. *Vacatione*] Beroaldus intelligit de immunitate a quovis onere publico per tres primos conjugii annos; sed Casaubonus ex Ulpiano tit. 14 intelligit de immunitate a matrimonio, qui auctor illam non nisi fœminis concessam innuit, quamquam certe communem omnibus fuisse sufficienter indicat Augustus ipse apud Dionem lib. 56. oratione ad cœlibes habita.

8. *Auctis præmiis*] Infra cap. 44. Claud. cap 19. Galb. cap. 14. ubi de jure liberorum. Gellius lib. 2. c. 15.

9. *Germanici*] Filius fuit Drusi, pater Caligulæ, de quo in Calig.

10. *Vim legis*] Hæc erat, ut prole suscepta, civibus Resp. repleretur, quam curam

censoribus committendam statuit Cicero; de legibus *calibes esse prohibento*. Hinc solennis illa in recensendis civibus censorum interrogatio *ex animi tui sententia, tu uxorem habes?* De qua Cicero lib. 2. *de Oratore* 260. quam si non haberent, pecunia multabantur: apud Festum *Uxorium pependisse dicitur, qui quod uxorem non habuerit, as populo dedit.*

11. *Coarctavit*] Cum enim quidam pueros desponderent, & præmia nihilominus ferrent maritorum quo tempore nec erant, nec poterant esse mariti, statuit ne qua desponsatio rata foret, quam intra biennium nuptiæ non consequerentur. Quæ ipsa ferme sunt Dionis verba lib. 54. De quo etiam multa doctissime Cujacius lib. observationum 16. c. 35.

12. *Divortiis modum imposuit*] Lipsius ad lib. 3. Annal. Taciti ait uno Papiæ legis capite cautum fuisse, ut cujus culpa divortium contingeret, ille dotem amitteret; ideoque de dote multa in Jurisconsultorum libris ad legem Papiam Poppæam. Torrentius peculiari ad legem Juliam & Papiam commentario non nisi de divortiis patronum inter & libertam intelligit, huic enim ab invito patrono, cui nupsisset, discedere non licebat, ut patet ex l. 11. ff *de Divortiis & repudiis.*

CAPUT XXXV.

SEnatorum affluentem numerum deformi & incondita turba (erant enim [1] super mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam & præmium adlecti,[2] quos Orcinos vulgus vocabat) [3] ad modum pristinum & splendorem redegit, [4] duabus lectionibus: prima, ipsorum arbitratu, quo [5] vir virum legit: secunda, suo & Agrippæ: quo tempore existimatur [6] lorica sub veste munitus, ferroque cinctus præsedisse, decem valentissimis Senatorii ordinis amicis sellam suam circumstantibus. [7] Cordus Cremutius scribit, ne admissum quidem tunc quemquam Senatorum, nisi solum, & [8] prætentato sinu. Quosdam ad excusandi se [9] verecundiam compulit: servavitque etiam excusantibus [10] insigne vestis, & spectandi in [11] orchestra [12] epulandique publice jus. Quo autem lecti probatique & [13] religiosius & minore molestia Senatoria munera fungerentur, sanxit ut prius quam consideret quisque, [14] thure ac mero supplicaret apud aram ejus Dei, in [15] cujus templo coiretur, & ne plus quam bis in mense [16] legitimus Senatus ageretur, Kalendis & [17] Idibus: neve [18] Septembri Octobrive mense ullos adesse alios necesse esset, quam [19] sorte ductos, per quorum [20] numerum decreta confici possent: sibique instituit consilia sortiri [21] semestria, cum quibus de negotiis ad frequentem Senatum referendis ante tractaret. Sententias de majore negotio, [22] non more, atque ordine, sed prout libuisset, [23] prærogabat: ut perinde quisque animum intenderet, ac si [24] censendum magis quam assentiendum esset.

Notæ.

1. *Super mille*] A Tarquinio Prisco ad Syllam non nisi trecenti fuerant, a Sylla ad Julium quingenti ut minimum additi, unde circiter ducentos per bella civilia iterum accessisse conjicias ex hoc loco & Julii c. 72. & 76.

2. *Orcinos*] Orcinus libertus dicitur, qui verbis directis domini sui testamento libertatem accipit. Charonita sive charonianus quoque dicitur, quasi Orci vel Charontis libertus: quippe qui patronum haberet in Orco degentem, testatorem nempe. Sic dictos volunt ejusmodi Senatores, quod essent obscuri, quasi orco vel terra nati, sed potius

Digitized by Google

quasi Cæsaris mancipia taxabant illos, quod ejus secuti fortunam essent; plures enim Cæsare, hoc est, patrono mortuo libertatem, hoc est, dignitatem illam erant consecuti per M. Antonium, qui Cæsaris tabulas nactus turpem illam honorum nundinationem instituerat. Beroaldus & Sabellicus cum vulgatis editionibus & plerisque M. SS. legunt *abortivos*, quasi deformes & imperfecto partu editos. Quæ lectio quare posthabita sit non satis liquet.

3. *Ad modum pristinum*] Non 300. pluribus enim murmurantibus, numerum usque eo minuere non potuit, sed sexcentos delegit auctore Dione lib. 53.

4. *Duabus lectionibus*] Senatum legere est Senatores cooptare, vel Senatu movere: quod stante Rep. dictatorum aliquando, censorum semper auctoritate factum, postea non nisi imperatoris arbitrio.

5. *Vir virum*] Hoc est Senator Senatorem: locum hunc confirmat Galba apud Tacitum lib. 5. historiar. *Apud frequentem militum concionem, imperatoria brevitate, adoptari a se Pisonem exemplo Divi Augusti & more militari, quo vir virum legeret, pronuntiat.* Plura quoque Dio lib 54.

6. *Lorica*] Non tunc solum, sed & alias hoc modo prodire in publicum, & in Senatum ventitare, metus adegit insidiantium, ut notat ex Dione Casaubonus.

7. *Cordus Cremutius*] Historicus. Meminit sæpe alterius Cordi Capitolinus, quem minutissima quæque suis in historiis sectatum ait: v. g. in Maximino Juniore *qua qui scire desiderat, is velim (ut sæpe dixi) legat Cordum qui hac omnia usque ad Isabellam scripsit.* Et in Albino iterum, &c.

8. *Patentato sinu*] Hoc est, ut ait Beroaldus, excussa veste & explorata, ne ferrum occultaretur: de togæ sinu in Jul. c. 82. 9.

9. *Verecundiam*] Ut nempe tantæ se dignitati fatererentur impares.

10. *Insigne vestis*] Latum vero similiter clavum intelligit, de quo in Jul. c. 42 Quin & lunatos forte calceos, qui Senatoribus tam proprii. Martial. Epig. 29. lib. 2.

Non hesterna sedet lunata lingula planta.
Horat. Sat. 6. lib. 1. v. 27.

11. *Orchestra*] In Julio c. 39.

12. *Epulandi publice*] Quando Jovi epulum libabant, Senatores in Capitolio simul omnes epulabantur Ut ex Gellii lib. 12. c. 8. in ludorum quoque solennitatibus, ut & triumphorum pompis convivia publica celebrabantur. In Jul. cap. 38. colligere est, & in Tib. c. 20. & Vit. c. 13.

13. *Religiosius & minore molestia*] Ut religiosius convenirent, supplicare jubet, ut commodius, non nisi bis unoquoque mense convenire Quæ more suo conjunctim proponit Suetonius, paulo post separatim explicanda, ut jam supra notatum.

14. *Thure ac mero*] Hic mos gentium exterarum legatis Senatum ingressuris ante jam fuerat, ut ex Polyb. lib. 15. de Carthaginensibus, & de Prusia rege Bithyniæ, qui Romam venerat, Casaubonus hîc notavit. Sed magistratibus exta potius consulere moris fuisse existimat, & certe patet vel solo Cæsaris exemplo supra c. 81. & Appiani civilium bellorum lib. 2. ac maxime ex Gellii lib. 14 c. 7. Augustus Senatores omnes thure ac mero supplicare voluit, quæ & ejus ætatis consuetudo fuit; cum serio quid aggrederentur: probatur idem ex Ovidio cum uxorem doceret quanam ratione Livia foret convenienda.

Sed prius imposito sanctis altaribus igni
Thura fer ad magnos vinaque pura deos.

15. *Cujus templo*] Quid si in curia quadam coiretur? Et in curiis aras fuisse Casaubonus existimat: quemadmodum in Julia curia, ubi ara victoriæ, de qua Dio lib. 51. Curias quoque plurimas templa esse constituerunt augures c. 29. ex Gellii lib. 14. c. 7. notatum est.

16. *Legitimus Senatus*] Dies Senatus habendi duplicis fuere generis, alii certi & legibus statuti, alii indicti, prout incidentia exigebant negotia. Senatus statis & fixis diebus convocatus dicebatur legitimus. Hi dies singulis mensibus in veteri calendario annotati.

17. *Idibus*] Præterquam Martiis, quibus interfectus erat Julius In Jul. c. 88.

18. *Septembri & Octobri*] Vindemiarum, ut videtur, caussa institutum, hi quippe menses in Italia vindemiis destinati sunt.

19. *Sorte ductos*] Quibus nempe sors obtigisset.

20. *Numerum*] Livius lib. 9. Decad. 1. non minus centum requirere videtur, Prætor Senatum consuleret. *Si ei permissum esset, cum in Senatu centum non minus essent: ita id sacrum* (Bacchanalia) *faceret.* Asconius tamen Cornelium Ciceronis tempore legem tulisse dicit, ne quis in Senatu legibus solveretur, nisi ducenti affuissent. Dio e contra.

Digitized by Google

lib. 54. quadringentos requirit, ex quibus colligere est, varium pro vario rerum genere numerum extitisse, ut notat ex Dionis lib. 55 pererudite Casaubonus.

21. *Consilia semestria*] Hoc est, sexto quoque mense sortiebatur consiliarios. Hi ab initio quindecim Senatores fuerunt, & ex singulis magistratibus (si Coss. excipias) unus; ut narrat Dio lib. 53. in actis anni 729. senior vero factus viginti sibi consiliarios annuos petivit, decretumque, ut quæcumque cum his consulibusque, & qui designati consules essent, egisset, non minus rata essent quam quæ in Senatu acta fuissent; ut notat ex Dionis lib. 56. Torrentius.

22. *Neque more, neque ordine.*] Vide in Jul. c. 21.

23. *Prærogabat*] Casaubonus in Vitterbiensi ac plerisque M.SS. & Scildius in Salmasiano legunt *perrogabat*. Hoc est ad unam omnes rogabat quod huic loco maxime convenit.

24. *Censendum*] Major in censendo difficultas, quam in assentiendo: Qui enim censet, is sententiam suam verbis explicare, & rationibus approbare audientibus debet, quod decernere dixerunt. Qui vero assentitur, is alienam tantum sententiam voce, manu, vel pedibus probat. in Tib. cap. 31. Hinc mos in faciendo Senatusconsulto adscribendi, quo referente, quo decernente, quo primum assentiente factum esset.

CAPUT XXXVII.

AUctor & aliarum rerum fuit: in queis [1] ne acta Senatus publicarentur: [2] ne magistratus depositio honore statim in provincias mitterentur: ut [3] proconsulibus ad mulos, & tabernacula, [4] quæ publice locari solebant, certa pecunia constitueretur: ut cura æratii [5] a quæstoribus urbanis ad prætorios, prætoresve transiret: [6] ut centumviralem [7] hastam, quam quæstura functi consueverant cogere, [8] decemviri cogerent.

Nota.

1. *Ne acta Senatus publicarentur.*] Vide in Jul. c. 20.

2. *Ne magistratus*] Id ipsum a Pompeio, consulatu, quem solus gessit, de quo in Jul. c. 26. statutum, auctor est Dio lib. 40. nempe, ut qui magistratu abissent infra quinquennium proximum exteras provincias ne sortirentur. Sublata enim provinciarum spe, minus ambibant magistratus. Torrent.

3. *Proconsulibus*] An solis Proconss. an cæteris quoque provincias regentibus, qui generali nomine præsides appellati, obscurum reliquit. Illud certum est non modo peregre proficiscentibus, sed Urbicis quoque magistratibus tradita fuisse de publico, quæcumque muneris sui caussa, necessaria erant. De Urbicis probat vetus Senatusconsultum Augusto Principe factum, quod hic refert Casaubonus, &c. De reliquis constat ex Dione lib. 53. Livio lib. 2. Decadis 5. statim ab initio. Cicerone Verrina 4. &c. quorum loco pecunias illis assignavit Augustus.

4. *Quæ publice locari*] Erant qui talia magistratibus præbenda redimerent, præbendorum inde mancipes appellati. Veterem consuetudinem Alexander Severus imperator postea reduxit, annuamque illis mercedem, ac res ipsas attribuit *mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas binas, balneares singulas, aureos centenos, cocos singulos*, &c. *reddituri depositæ administrationis, mulas, mulos, equos, muliones, & cocos; cætera sibi habituri si bene egissent: in quadruplum reddituri, si male.* Auctor est in ejus vita Lampridius. Cicero in Pisonem, quæ e suppellectilibus erant, *vasaria* appellat.

5. *Quæstoribus*] De his in Julio cap. 6 Et hoc immutatum a Claudio in Claud c. 24.

6. *Centumviralem*] Festus, *cum essent Romæ triginta & quinque tribus (qua & curiæ dictæ sunt) terni ex singulis tribubus sunt electi ad judicandum, qui centumviri appellati sunt, & licet quinque amplius quam centum fuerint, tamen quo facilius nominarentur, centumviri sunt dicti, centumviralia judicia, qua centumviri judicabant.* Caussas illas minimi fuisse momenti Plinius indicat lib. 2. epist. 14. ut ab adolescentulis obscuris tractarentur, qui

Digitized by Google

ad declamandum illuc transirent, & a centumviralibus cauſſis auſpicarentur, quemadmodum ab Homero in ſcholis. Hi a judicum decuriis, de quibus c. 29. diverſi fuerunt.

7. *Haſtam*] Cum ea, quæ armis & bello capta ſunt, eorum ſint, qui cepere, idcirco Romani haſtarum inſigni poſito, res illas primum vendidere, quaſi ut tutiſſimo illo juris gentium titulo, licitatores ad emendum pellicerent. Hoc ad alios quoque contractus faciendos, locationem v. g. conductionem, cauſſaſque dirimendas tranſlatum eſt. Hinc centumviralis haſta, quod centumviri haſta in foro poſita, judicabant.

8. *Decemviri cogerent*] Hoc eſt, congregarent, adhuc infra. Tib. c. 58. & Virg. Ecloga 3. *Tityre coge pecus*; an vero decemviri illi e numero centumvirorum eſſent electi, an iidem qui *decemviri*, ſtlitibus judicandis, ideſt, litibus longe antea circa annum U. C. 512. inſtituti, ut innuit Pomponius l. 2. §. 29. ff. *de origine juris* non liquet. Horum meminit Lucanus panegyrico ad Piſonem.

Seu trepidos ad jura decem citat haſta virorum,
Et firmare jubet centeno judice cauſſas,
Seu capitale nefas operoſa diluis arte.

CAPUT XXXVII.

QUoque plures partem adminiſtrandæ Reip. caperent, nova officia excogitavit: [1] curam operum publicorum, [2] viarum, aquarum, alvei Tiberis, [3] frumenti populo dividundi, [4] præfecturam urbis, Triumviratum legendi Senatus, & alterum recognoſcendi turmas equitum, quotieſcumque opus eſſet. [6] Cenſores creari deſitos longo intervallo creavit, [7] numerum prætorum auxit. Exegit etiam, ut quoties conſulatus ſibi daretur, binos, pro ſingulis collegas haberet: nec obtinuit, reclamantibus cunctis, ſatis majeſtatem ejus imminui, quod honorem eum non ſolus, ſed cum altero gereret.

NOTÆ.

1. *Curam operum publicorum*] Hæc cenſorum erat & ædilium.

2. *Viarum*] Torr. duob. M. SS. addit *Et*, hoc modo *viarum aquarum & alvei Tiberis* dubio procul melius. Conſtat enim peculiares aquarum fuiſſe curatores. Frontinus lib. 2. *de aquæductibus: quamvopere autem cura fuerit, ne quis violare ductus, aquamve non conceſſam derivare auderet, tum ex multis apparere poteſt, tum ex hoc quod Circus maximus nec diebus quidem ludorum Circenſium, niſi ædilium aut cenſorum permiſſu irrigabatur, quod duraſſe etiam poſtquam res ad curatores tranſiit ſub Auguſto, apud Ateium Capitonem legimus.* De viarum curatoribus, qui & *viocuri* dicebantur, erantque jam ante Auguſtum, ſed non perpetui, primo *quatuor viri viarum*, ac deinde duobus additis *ſeviri*: res conſtat ex Pomponio *ff. de origine juris*, & poſt Auguſtum cura illa magiſtratus inſtar habita, & magno in honore poſita, ut patet ex Plinio epiſt. 15. lib. 5. & Statio 4 Sylv. & lapidibus paſſim *curatori viarum*. Et *curatori Appia: Salaria*, &c. ſingulæ enim ſingulis aliquando committebantur.

3. *Frumenti*] Qui curam hanc ſuſtinebat, illum Caſaubonus arbitratur eumdem fuiſſe cum eo, qui *curator Minutiæ* dicitur in lapide illo veteri modo citato. Officium illud excogitavit Auguſtus ad frumentum populo, non tributim, ut ante, ſed viritim dividendum, cujus officii loco præfectum annonæ antiquiores habuerant, magna quippe cura ſemper fuit, tum ſtante Rep. tum ſub imperatoribus, ut largâ frumenti copia populo ſuppeteret, eique Severus ita conſuluiſſe legitur, ut moriens populo reliquerit canonem frumentarium ſeptem annorum.

4. *Præfecturam urbis*] Hi præfecti ab iis longe diverſi fuere, quos a Julio inſtitutos ſupra dixit c. 76. Juliani quippe fuere plures, præfectus urbi non niſi unicus: Julianis alter a Cæſare præerat: præfectus urbi ſuperiorem a Cæſare neminem habebat. Julianorum denique non duravit auctoritas, præfecti urbi tanta fuit ſub cæteris imperatoribus, ut

Digitized by Google

abſente Cæſare, ſummum in urbe obtineret imperium; unde vix inducar, ut cum Torrentio affirmem, non tam inſtitutum ab Auguſto quam auctum & ornatum fuiſſe magiſtratum hunc: vix enim ſi nomen excipias, commune quid habuerit cum eo urbis præfecto, quem a Romulo inſtitutum, ut urbanis præeſſet negotiis, refert Dionyſius Habicarnaſſeus.

5. *Turmas*] Pedeſtres copiæ in centurias & manipulos, equeſtres in turmas & decurias dividebantur.

6. *Cenſore.*] Hi neque memorabile quidquam geſſere, neque poſtea creati ulli ſub Cæſaribus. Illorum enim munus in multa diviſum erat, ut patet ex iis, quæ hoc capite referuntur; quorum ferme omnium curam gerebant cenſores Cicero 3. de legibus de cenſoribus loquens. *Urbis templa, vias, aquas, aerarium vectigalia, tuento. Ordines partiunto. Mores populi regunto*, &c. Gellius quoque lib. 4. c. 12. unde patet triumviros de quibus hîc ſermo eſt, cenſorii quoque muneris partem exercuiſſe. Auguſtus ipſe præfectus morum dicebatur. Ut & Julius ſupra c. 76. hi cenſores fuere Paulus Æmylius, & L. Munatius Plancus.

7. *Numerum Prætorum.*] In Jul. c. 14.

CAPUT XXXVIII.

NEc parcior in bellica virtute honoranda, [1] ſuper XXX. ducibus juſtos triumphos, & aliquanto pluribus [2] triumphalia ornamenta decernenda curavit. [a] Liberis [3] Senatorum, quo celerius Reip. aſſueſcerent, [4] protinus virilem togam, latum clavum induere, & curiæ intereſſe permiſit: militiamque auſpicantibus, non [5] tribunatum modo legionum, ſed & præfecturas alarum dedit: ac ne quis expers caſtrorum eſſet, binos plerumque laticlavios præpoſuit [6] ſingulis alis. Equitum turmas frequenter recognovit, poſt longam intercapedinem reducto more [7] tranſvectionis. Sed neque [8] detrahi quemquam in tranſvehendo ab accuſatore paſſus eſt: quod fieri ſolebat: & [9] ſenio vel aliqua corporis labe inſignibus permiſit, præmiſſo in ordine equo, ad reſpondendum quoties citarentur, pedibus venire: mox [10] reddendi equi gratiam fecit eis, qui majores annorum quinque & triginta retinere eum nollent.

INTERPRETATIO.

a *Conceſſit liberis Senatorum, ut ſumerent virilem togam, & latum clavum, & venirent in Senatum eodem tempore, ut citius aſſueſcerent negotiis publicis.*

NOTÆ.

1. *Super* XXX. *Ducibus*] Hic Suetonii locus omnino ſingularis eſt, nec alibi ſic pugnat cum cæteris Hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus, ut diligenter annotavit Caſaubonus: ſi enim quotquot illo temporis ſpatio triumphaſſe legimus, in unum conferantur omnes, ne dimidiatus quidem exurget ille numerus. Ex Dionis quidem libro 54. conſtat minutos quoſdam ab Auguſto triumphos eſſe conceſſos, ſed Suetonius juſtos dicit. Quare Caſaubonus cum cæteroqui accuratiſſimum Suetonium, erroris inſimulare non auſus, nec culpam in auctores alios omnem rejicere ab Auguſto factitatum ſuſpicatur, quod de Carinate narrat idem Dio lib. 51. exemplo nempe Julii compluribus ſuis legatis triumphi honorem tribuiſſe qui vel ſuis vel alienis auſpiciis vix quidquam egiſſent.

2. *Triumphalia ornamenta.*] Ea ſunt ex Livii lib. 10. & 20. corona & patera aureæ, ſella curulis eburnea, & ex eadem materie ſcipio cum inſidente aquila, toga picta, palmata tunica, ſtatuæ laureatæ, &c.

3. *Liberis Senatorum*; &c.] Duplex ſignificari videtur hîc novum inſtitutum: alterum ut liberis Senatorum adeſſe curiæ liceret, alte-

Digitized by Google

rum, quod iſtius appendix eſt, ut ſtatim a ſumpta virili toga liceret quoque illis latum clavum induere : neutrum tamen novum Auguſti inventum fuiſſe videtur. De Senatorum liberis probat Papyrii illius Prætextati exemplum, dequo Macrobius lib. 1. c. 6. & totidem prope verbis Gellius lib. 1. cap. 23. Virilem vero togam ſumentibus, ſumptum quoque latum clavum probat Auguſti ipſius exemplum infra c. 94. nec dici poteſt id ipſi extra ordinem conceſſum ab avunculo majore Julio omnia tunc ad arbitrium diſponente; cujus enim conceſſione lato illo clavo ipſe Julius eadem ne minore dicam, ætate uſus eſſe diceretur ? quo tamen uſus eſt, ut in ejus vita c. 45. videre eſt. Jure autem veteri Julius & Auguſtus non niſi equites tunc temporis erant, Senatorum enim liberi equeſtri tantum fuere dignitate, donec Remp. capeſciſſent, ut ſupra probatum eſt, & confirmat Iſidorus originum lib. 9. cap. 4. *quamvis Senatoria quis origine eſſet, uſque ad legitimos annos eques Romanus erat, deinde accipiebat honorem Senatoriæ dignitatis.* Legitimi illi anni erant 25. quos ætati Senatoriæ Dio tribuit ; Senatores autem ab equitibus lato clavo diſtinctos ſupra notatum eſt in Jul. 45. Aldus Manutius lib. 2. de quæſitis per epiſtolam, epiſt. 2. ſcribit latos clavos omnium fuiſſe, qui patre Senatore vel equite nati forent, non quidem a primis annis, ſed ab anno ætatis 17. quo toga virilis ſumebatur, ad annum ætatis Senatoriæ, quo tempore ſi vel gratia deſtituti, vel otium præferentes honoribus non cooptarentur in Senatum, tunc depoſito lato clavo, ſumebant anguſtum : quod colligi videtur ex Ovidio lib. 4. *Triſtium Elegia* 10.

Interea tacito paſſu labentibus annis
Liberior fratri ſumpta, mihique toga eſt.
Induiturque humeris cum lato purpura clavo, &c.
Curia reſtabat, clavi menſura coacta eſt.
Majus erat noſtris viribus illud onus.
&c.

Verum a pueritia quoque lato clavo indutum Cæſarem probare videtur ipſe Suetonius loco ſupra citato : puerum enim Cæſarem appellabat Sylla, quod de eo poſt ſumptam virilem togam dicturum fuiſſe non ita probabile eſt, eoque minus quod uxorem eo tempore duxerat, ut ex ejuſdem Suetonii c. 1. manifeſtum eſt. Certe Senatorum liberi nuſquam, quod ego acceperim ; curiam ingreſſi leguntur a ſupradicti Prætextati temporibus : & re vera latus clavus Senatori ab equite diſtinguendo inſtitutus ; ſi autem ſecus factum eſt ab aliquibus, licentia temporum id contigiſſe crediderim : quot enim a Syllæ temporibus ad Auguſtum bella civilia? atque ut ait Caſaubonus, a Senatorum liberis ad ſplendidiorum equitum liberos abuſum eumdem ſub initia principatus Auguſti denique perrepſiſſe. Hîc igitur Auguſtus quantum ad ingreſſum in curiam, non tam inſtituit novum morem, quam vetuſtiſſimum, adhibito tamen modo, revocavit : quod vero ad uſum lati clavi, id videtur unum præſtitiſſe, ut quod temporis licentia fiebat præter majorum morem, jure poſſet in poſterum uſurpari.

4. *Protinus virilem togam latum clavum induere.*] Sic in Vitterbienſi codice legit Caſaubonus, qui addit conjunctionem, *ac*. hoc modo, *virilem togam ac latum clavum*, &c. Torrentius in duobus pervetuſtis *virili toga lat. clav. inducere* ; alii vero *protinus a virili toga*, &c. Sed noſtram prætulere : *protinus* enim, hoc eſt, continue uno eodemque tempore, ut ait Caſaubonus, quo ſenſu Virgilius lib. 8. Æneid. v. 147.

Nam memini Heſiones viſentem regna ſororis
Laomedontiadem Priamum Salamina petentem
Protinus Arcadia gelidos juviſere fontes.

5. *Tribunatum legionum*] Livius Decad. 1. lib. 8. auctor eſt hunc in exercitu Romano fuiſſe dignitatum ordinem, ut legionis cujuſque miles centurionis, hic tribuni tribunus Legati, legatus ipſe conſulis pareret imperio. Tribunorum, qui ſingulis in legionibus ſeni, munus erat milites in caſtris continere, querelas commilitonum audire, delicta caſtigare, circuire vigilias, perducere ad exercitationes, inſpicere valetudinarios, &c.

6. *Singulis alis*] Quibus antea non niſi unus, qui ſociorum præfectus aut alarum dicebatur, eo quod ſocii ad latera diſpoſiti alarum inſtar in avibus, ut Vegetius lib. 2. cap. 1. Romanum tegerent exercitum. Patet ex hac loquendi ratione dignitatem illam tunc temporis tribuniriæ dignitati præcelluiſſe ; quod infra in Claudio c. 25. videbitur immutatum.

7. *Tranſvectionis*] Ea fiebat Idibus Quintilibus in honorem Caſtoris & Pollucis quod illis faventibus, feliciter hac die pugnatum

Digitized by Google

esset ad lacum Regillum, de qua pugna Livius lib. 9. Decad. 1. Ceremoniæ hæ fuerunt auctore Dionysio Halicarnasseo lib. 6. Equites Romani oleagina redimiti corona equis insidentes, gerentesque singuli præmia fortitudinis suæ, quæcumque acceperant, ab æde Martis Extramurani per forum juxta ædem Castoris & Pollucis in Capitolium toto spectante populo transvehebantur, cujus pompæ meminerunt quoque Plinius lib. 15. c. 4. Valer. Max. lib. 2. c. 1. quo loco non nihil differt a Dionysio, sed Livium sequitur in ipso lib. 9. Decad. 1.

8. *Quemquam detrahi*] Hoc est in jus arripi. Accusator enim pro omni actore & petitore sumitur etiam apud Ciceronem in *partitionibus* 110. hunc Suetonii locum confirmat Ulpianus *l. 2. ff. de in jus vocando: In jus vocari non oportet, neque consulem, neque,* &c *sed nec eum qui equo publico in Capitolium transvehatur.* Sic enim legit Cujacius observat. lib. 13. c. 9.

9. *Senio vel alia qua corporis labe insignibus.*] Hoc est cum populi dicteriis obnoxios videret ejusmodi viros, id illis indulsit, ut ipsi non tenerentur ordine suo transvehi, sed equum duntaxat mittere, & dum appellarentur pedibus venire, ut sese exhiberent. Unde etiam patet in ejusmodi recognitionibus suos singulos nomine appellatos; & colligere est etiam ex Valerii Max. lib. 4. c. 1. & infra in Calig. c. 16.

10. *Reddendi equi gratiam fecit*] Vel hîc cum Beroaldo, aliter intelligendus est Suetonius atque supra cap. 16. vel si servetur analogia, loco *reddendi*, omnino legendum *retinendi* quæ Casauboni mens est, hoc sensu Augustus iis, qui publice acceptum equum haberent, permisit ut adepti quinque & triginta annorum ætatem (vel ut alii legunt 45.) illum pro lubito redderent vel retinerent. Quamvis enim habere equum publice assignatum a censore magni foret honoris, quia tamen tota vita servandus erat, nisi idem, qui illum dederat, magistratus adimeret, quod eo casu magno dedecori vertebatur, ideo fortasse morem illum Augustus antiquavit & alias militiæ partes mitiorem in formam redigens: vel etiam ob alia quædam onera quæ huic honori conjuncta fuisse, vel ex hoc uno colligas, quod populus vacationem ab eo munere beneficii, & mercedis loco concederet, ut de P. Ebutio constat ex Livii lib. 9. Decad. 1.

CAPUT XXXIX.

IMpetratisque a Senatu decem adjutoribus, unumquemque equitum rationem vitæ reddere coëgit: atque ex [1] improbatis alios [2] pœna, alios ignominia notavit: plures admonitione, sed varia. Leniissimum genus admonitionis fuit traditio coram [3] pugillarium, quos taciti, & ibidem statim legerent. [4] Notavitque aliquos, quod pecunias levioribus usuris mutuati, graviore fœnore collocassent.

NOTÆ.

1. *Improbatis*] Casaubonus in Vitterbiensi legit *in exprobatis*, in Lissei *inexprobratis* in Cujacii, Pithœique codicibus *ex improbatis* forte *in* existimat pro notatis probro, & in idem recidit cum *improbatis*.

2. *Pœna*] Hoc est supplicio vel multa: pœnæ enim nomen a puniendo deductum utrumque illum puniendi modum significat.

4. *Pugillarium*] Pugillares tabellæ sunt quædam ceratæ earum instar, quas etiam hodie vocamus *des tablettes*: *bipatentes* Ausonius appellat; his cum describenda curasset quæcumque equitibus illis objicienda erant, eas singulis tradere legendas satis habebat Augustus, ne divulgarentur, sicque taciti probra sua cognosci videntes ad meliorem se frugem converterent. In uno Torrentii codice legitur *tradito coram pugillari*, quod & potest.

4. *Notavit*] Verbum censorium est in ejusmodi recognitionibus frequens: dicuntur enim ut plurimum ignominia notati, quia, ut ait apud Nonium Cicero, *Censoris judicium nil fere damnato affert præter ruborem. Itaque ut omnis ea judicatio versatur tantum in nomine, animadversio illa ignominia dicta est.*

CAPUT

CAPUT XL.

[1] COmitiis Tribunitiis si deessent candidati Senatores, ex equitibus Romanis creavit: ita ut potestate transacta, [2] in utro vellent ordine, manerent. Cum autem plerique equitum, [3] attrito bellis civilibus patrimonio, spectare ludos e quatuordecim non auderent, metu [4] pœnæ theatralis: pronuntiavit, non teneri ea quibus ipsis parentibusve, equester census umquam fuisset. Populi [5] recensum vicatim egit: at ne plebs [6] frumentationum caussa frequentius a negotiis avocaretur, ter in annum quaternum mensium [7] tesseras dare destinavit: sed desideranti consuetudinem veterem concessit rursus, ut sui cujusque mensis acciperet. [8] Comitiorum quoque pristinum jus reduxit: ac [9] multiplici pœna coërcito ambitu, [10] Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum, ne quid a [11] quoquam candidato desiderarent, [12] singula millia nummum [13] a se dividebat. Magni præterea existimans, [14] sincerum, atque ab omni colluvione peregrini ac servilis sanguinis incorruptum servare populum: & [15] civitatem Romanam parcissime dedit, & [16] manumittendi modum terminavit. Tiberio pro cliente Græco petenti rescripsit, *Non aliter se daturum, quam si præsens sibi persuasisset quam justas petendi caussas haberet.* Et Liviæ pro quodam tributario Gallo roganti, civitatem negavit, immunitatem obtulit: affirmans, *Se facilius passurum fisco detrahi aliquid, quam civitatis Romanæ vulgari honorem.* Servos non contentus multis difficultatibus a libertate & multo pluribus a [17] libertate justa removisse: cum & [18] de numero & de conditione ac differentia eorum qui manumitterentur, curiose cavisset, hoc quoque adjecit, [19] ne vinctus umquam tortusve quis, [20] ullo libertatis genere civitatem adipiscereturet. Etiam habitum vestitumque pristinum reducere studuit. At visa quondam pro concione [21] pullatorum turba, indignabundus & clamitans: *En*, ait,

[22] *Romanos rerum dominos, gentemque togatam.*

Negotium ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in Foro Circove, nisi positis [23] lacernis, togatum consistere.

NOTÆ.

1. *Comitiis Tribunitiis*] Quibus creandi tribuni plebis erant, non vero militares, nec enim qui tribunus militaris esse cuperet, hunc Senatorem esse oportuit, ut ex c. 5. in Julio colligas, nec alii quam Senatores, tribuni plebis effici poterant, ut supra cap. 10. notatum est. Et certe de tribunis plebis statutum ab Augusto fuisse expressis verbis Dio testatur lib. 14. in anno 742. Notat Casaubonus ideo forsan comitiis illis nonnumquam defuisse candidatos, quod magistratum hunc plerique refugerent gnari, quanta foret apud optimates invidia. Hinc etiam vetus lex cujus meminit Appianus lib. 1. bellorum civilium, qua populo libertas concedebatur ex quocumque vellet ordine tribunos creandi, si comitiis deessent candidati.

2. *In utro vellent ordine*] Senatorio scilicet vel equestri, fuerunt enim, qui in equestri consistere maluerunt, ut de Mæcenate constat; quod a Claudio postea immutatum est, ut infra videbitur c. 24.

3. *Attrito bellis civilibus*] Ut jam quadringenta, quæ equitem habere oportuit, non supererent. Vide in Julio cap. 33. & 39.

4. *Pœna theatralis*] Addit Casaubonus *legis*. Hoc modo, *metu pœnæ theatralis legis*.

Digitized by Google

apertiore quidem sensu, sed auctore se solo. Lex Roscia a P. Roscio Othone lata ann. U. C. 682. 14. subselliorum gradus, de quibus in Jul. c. 39. assignavit, pœnamque contra facientibus, & sedendi ordinem turbantibus irrogavit. Juvenal Sat. 14.

Effice summam
Bis septem ordinibus quam lex dignatur Othonis.

Fuit & lex Julia Theatralis.

5. *Censum vicatim egit.*] Quo prorsus modo Julius in Jul. c. 41.

6. *Frumentationum*] Ex sunt gratuitæ frumenti divisiones a P. Clodio lege quondam institutæ.

7. *Tesseras*] Hic intelligit, ut patet, frumentarias, hoc est, signa quibus exhibitis frumentum accipiebat unusquisque pro sua portione, & certo tempore Juvenalis.

Summula ne pereat, qua vilis tessera venit
Frumenti.

De tesseris plura in Calig. c. 3.

8. *Comitiorum pristinum jus*] Non quod stante Rep. obtinuerat, sed quod a Julio Cæsare institutum vidimus in ejus vita c. 41. ut Torrentius ex Dionis lib. 43, ubi jus illud explicatur, annotavit. Quæ si Dionis non adsit auctoritas, tota hujus loci series, de plena comitiorum libertate persuadere videatur.

9. *Multiplici pœna coërcito ambitu*] Fuit lex Julia *de ambitu*, quam Augusti fuisse vulgo existimant. Supra cap. 34. de ambitu in Jul. c. 9.

10. *Fabianis*] De tribubus quid essent in Julio c. 13. Cur autem duas tribus Suetonius Augusto assignaverit, non explicat. Naturalis, simul & adoptivi patris retentas ab Augusto tribus existimant. Torrentius Fabiam Juliæ genti, Scaptiam Octaviæ tribuit. Prima editio pro *Scaptiensibus* legebat *Sabotinis*; sed alteram lectionem confirmat ex veteri lapide Casaubonus.

C. JULIO C. F.
FAB. SCAPT.
CÆSARI
AUGUSTO.

Sabatina quoque tribus ex Festo & lapidibus nota.

11. *A quoquam candidato*] Cum enim tribulis quisque in sua tribu suffragium ferret, a candidatis tentabatur per divisores illos, de quibus supra in Julio cap. 19. & Aug. cap. 3.

12. *Singula nummum millia*] Hoc est 43. 15. singulis illorum tribuum civibus.

13. *A se dividebat*] Casaubonus in Vitterbiensi legit *asse*, quod & in uno Torrentius. Et ita edidit Beroaldus, nullo aut certe parum idoneo sensu. Frequens est hæc loquendi formula præsertim apud Jureconsultos, *a se solvere hoc est suis nummis, ab herede relinquere*, & Ciceronem ipsum lib. 7. Epist. ad Attic. 15. *Q. Frater laborat, ut sibi quod debet, ab Egnatio solvat: nec Egnatio voluntas deest, nec parum locuples est.*

14. *Sincerum atque ab omni colluvione.*] In Tornacensi libro Torrent. legit *sincerum ab omni*, &c. non minus, ut puto, bene. Dionysius lib. 4. mala inde orta enumerans remedium hoc legis exoptat, quod Augustus adhibuit: pessimis enim plerumque modis libertatem consequebantur, ut latrociniis, veneficiis, prostitutionibus, &c. Hinc Lucanus scripsit *Romam mundi face repletam*, nec mirum cum ex omni ferme genere & natione cives ascisceretur, ut exemplo Julii colligere est supra in ejus vita cap. 72. & ex Livio lib 9. Decad. 4. constat Hispanos pariter & Græcos ab eo civitate donatos; quin & Claudius postea Sauromatas ipsos, & l. 17. ff. *de statu hominum: in orbe Romano qui sunt, ex constitutione imperatoris Antonini cives Romani effecti sunt.* Vide quoque Novellam 78. c 5.

15. *Civitatem*] Cujus adeptione a tributo pendendo liberabantur. In Jul. c. 8. & c. 24.

16. *Manumittendi modum*] *A primis* enim *urbis Romanæ cunabulis, una atque simplex libertas competebat, id est, ea quam habebat manumissor: nisi quod scilicet libertinus sit qui manumittitur licet manumissor ingenuus sit.* Ut habetur Instit. tit. 5.

17. *Libertate justa*] *Qui manumittebantur modo majorem & justam libertatem consequebantur, & fiebant cives Romani: modo minorem*, &c. ibid.

18. *De numero, conditione ac differentia*] Lege Furia Caninia, quæ Augusti temporibus lata est, testamento manumitti non poterant nisi ex tribus servis duo, ex decem quinque, ex triginta decem: ex centum viginti

Digitized by Google

quinque, ex quingentis & quocumque alio numero non plures quam centum, ut constat *ex Ulpiano in fragmentis tit.* 1. *Caio* 1. *instit. tit.* 2. *& Paulo lib.* 4. *Sent. tit. ultimo.* Servorum manumissorum conditio & differentia tripertita erat, eorum nempe qui majorem seu plenam & justam libertatem consequebantur, de quibus nota præcedenti, eorum qui minorem, & dicebantur Latini, quod instar colonorum Latinorum essent, qui liberi vitam agentes, ultimo vitæ spiritu animam simul & libertatem amittebant: & eorum denique qui Deditii omnium miserrimi, ut pote qui tota vita servituti obnoxii, non nisi ultimo vitæ spiritu libertatem adipiscebantur, ex lege Ælia Sentia. Sex Ælio Catulo, & C. Sentio Saturnino Coss. auctore Augusto lata.

19. *Ne vinctus tortusve quis*, &c.] De servis tam vinctis quam stigmatum notis deformibus in Jul. cap. 73. & infra in Calig. c. 27. Ulpianus in fragm. tit. 1. *Dediticiorum numero sunt qui pœna causa vincti sunt a domino. quibus vestigia scripta fuerunt.*

20. *Ullo libertatis genere*] Ideo præsertim Dediticiorum pessima erat conditio, poterant enim Latini liberti, hoc est, minore libertate donati, majorem adipisci, vel beneficio principis ut infra in Claud. cap. 19. vel militia, liberis, &c. quæ omnia non usu ac pedetentim obliterata, Constitutione sua nominatim Justinianus abrogavit.

21. *Pullatorum*] Pulla, hoc est, atra seu fusca veste indutorum, qui color penulæ, non togæ proprius, & præter habitus Romani dignitatem erat; hic enim toga fuit, eaque alba, sed nativa tantum lanæ albedine ad candidarum, quibus candidati utebantur, differentiam, his quippe creta intendendæ albedinis causa addebatur, cujus adhibendæ modum videsis apud Plinium lib. 35. c. 17. Et certe *candidum* amplius quid est quam *album*; unde etiam Polybius λάμπειν dixit non λευκὸν hic *splendidam* non *albam*. Pullus color sordidatorum, hoc est, lugentium, vel reorum, ut infra in Vitell. cap. 8. & 15. & supra, ni fallor, haud semel notatum est, & infimæ plebis hominum ut infra c. 44. notabitur.

22. *Romanos rerum*, &c.] Versus est Æneid. 1.

23. *Lacernis*] Lacerna vestis militaris genus est, ut aperte testatur ficta illa apud Propertium Arethusa lib. 4. Eleg. 3.

Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.

Et Lucretia apud Ovidium 2. Fastorum 17.

Mittenda est domino (*nunc nunc properate puellæ*)
Quam primum nostra facta lacerna manu.

Hujus, ut videtur, usus per bella civilia in urbem irrepserat, & ea maxime utebantur, in itineribus & in theatro, frigoris aut pluviæ metu Martial. Epig. 2. lib. 4.

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis.

Et Epigram. 8. lib. 5.

Phasis in theatro
Phasis purpureis ruber lacernis, &c.

Juven. Sat. 5.

Et multo stillaret penula nimbo.

Pænulam enim eandem existimant cum lacerna, lacernam togæ superinduebant, unde illam togæ munimentum appellat idem Juvenal Sat. 9. v. 28. Quibus ex locis colligere est, hoc Augusti edictum diu non obtinuisse: Imo Torrentius non existimat prohibitas lacernas in alio loco quam in Circo vel Foro, quo frequentius Romani conveniebant, secus necessitati eas servire permisisse, quod & de Hadriano Spartianus, & de Commodo Lampridius retulere.

CAPUT XLI.

LIBERALITATEM omnibus ordinibus per occasiones frequenter exhibuit. Nam & invecta urbi Alexandrino triumpho regia gaza, tantam copiam nummariæ rei effecit, ut fœnore deminuto, plurimum [1] agrorum pretiis accesserit. Et postea quoties [2] ex damnatorum bonis pecunia superfluëret, usum ejus gratuitum iis qui cavere in duplum possent, ad certum tempus indulsit. [2] Senatorum censum ampliavit: ac pro [3] octingentorum millium summa duodecies HS. taxavit, supplevitque non habentibus. [4] Congiaria populo frequenter dedit, sed diversæ fere summæ: modo

[5] quadragenos, modo tricenos, nonnumquam ducenos [6] quinquagenosque nummos: ac [7] ne minores quidem pueros præteriit, quamvis nonnisi ab undecimo ætatis anno accipere consuessent. Frumentum quoque in annonæ difficultatibus sæpe leviſſimo, interdum nullo pretio, viritim admensus est, [8] tesseraſque nummarias duplicavit.

Interpretatio.

a *Quoties pecunia abundaret, ex opibus damnatorum* publicatis, *concessit illam sine usura usque ad certum tempus iis, qui possent* præstare *cautiones in duplum summa* creditæ.

Notæ.

1. *Agrorum pretiis*, &c.] Auctor est Orosius tantam fuisse pecuniarum copiam ex spoliis Alexandrinis, ut non possessionum modo, sed & aliarum rerum venalium pretia duplo majora facta sint. Pœnam dupli, de qua hîc agitur, eleganter explicatur a Cujacio lib. 5. Observ. c. 38.

2. *Senatorum censum*] Dissentit super summa hîc allata Dio lib. 54. quem sequitur Lipsius *Electorum lib.* 2 *c.* 17. Suetonium sequitur Budæus lib. 1. & 2. de asse, & Torrentius hic, ubi tamen hæret Casaubonus: constare videtur ex Juvenali Sat. 13.

Mensura tamen qua
Sufficiat censui, si quis me consulat, edam

Et paulo post.

Effice summam
Bis septem ordinibus quam lex dignatur Othonis.

Hoc est, quadringenta millia quæ censum equestrem definiunt, ut supra. In Jul. c. 39. notatum, ac deinde.

Hoc quoque si rugam trahit, extenditque labellum
Sume duos equites, fac tertia quadringenta.

Quæ de censu Senatorio verosimillime intelligenda sunt.

3. *Octingentorum millium*] Hoc est, 3500 l. nostro ritu, ut ex Julii c. 4. & 26. duodecies autem hac proportione 5250 l.

4. *Congiaria*] Quid ea forent in Julio cap. 27.

5. *Quadragenos*] Quadringenti nummi libram Romanam efficiebant quæ sola 17 l. 10 s. nostratibus æquivalet. Qua proportione summas reliquas hîc enumeratas colligere promptum est. Et ex c. 4. in Jul. in Lapide Ancyrano scribitur constanter *quadringenos.*

6. *Quinquagenosque*] Torrentius ex libro Ferrariensi legit sine conjunctione *que*, hoc modo *ducenos quinquagenos*, ut sit sensus congiarium omnium minimum fuisse 250. nummorum, hoc est 8 l. 15 s. Casaubonus ex optimis codicibus retinuit, hoc sensu, ut nonnulla congiaria non nisi 50. nummorum fuerint hoc est 2 l. 3 s. 9 d. cui sententiæ præter codicum auctoritatem, magis adstipulari videtur ipsa ratio: quæ enim copia infinitæ illi plebeculæ sufficiat, cum & pecunias toties viritim diviserit, & ipse Augustus argueretur ab amicis quod *heminaria* non *congiaria* largiretur, ut de Fabio Maximo narrat Quintil. lib. 6. *hemina* quippe, mensura erat, longe minor *congio*, qui mensuræ quoque nomen est, ut supra notatum, & infra cap. 77. ubi de sextario. De his largitionibus videsis lapidem Ancyranum.

7. *Ne minores quidem pueros*] Idem Trajani factum laudibus extollit Plinius in Panegyrico.

8. *Tesseras nummarias*] Accipiendæ pro frumento pecuniæ fuerunt & *olearia cœnaria* quas qui reddebant, oleum, cœnam, &c. accipiebant: de tesseris jam aliqua cap. proxime præcedenti & infra Calig. c. 3.

Digitized by Google

CAPUT XLII.

SEd ut ſalubrem magis quam ambitioſum principem ſcires, querentem de inopia & caritate vini populum, [1] ſeveriſſima coërcuit voce: *Satis proviſum a* [2] *genero ſuo Agrippa, perductis pluribus aquis, ne homines ſitirent.* Eidem populo promiſſum quidem congiarium repoſcenti, *Bonæ fidei ſe eſſe reſpondit:* non promiſſum autem flagitanti, turpitudinem & impudentiam [3] edicto exprobravit: affirmavitque, non daturum ſe, quamvis dare deſtinarat. Nec minore gravitate atque conſtantia, cum propoſito congiario multos [4] manumiſſos, inſertoſque civium numero, comperiſſet, negavit accepturos quibus [5] promiſſum non eſſet: cæteriſque minus quam promiſerat, dedit, ut deſtinata ſumma ſufficeret. Magna vero quondam ſterilitate, ac difficili remedio, cum [6] venalitias & [7] laniſtarum familias, peregrinoſque omnes, exceptis Medicis & præceptoribus, partemque ſervitiorum, urbe expuliſſet: ut tandem annona convaluit, *impetum ſe cepiſſe* ſcribit, [8] *frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia* [9] *cultura agrorum ceſſaret: neque tamen perſeveraſſe, quia certum haberet, poſſe per ambitionem quandoque reſtitui.* Atque ita poſt hanc rem temperavit, ut non minorem [10] aratorum ac negotiantium, quam [11] populi rationem [12] deduceret.

Nota.

1. *Severiſſima coërcuit voce*] Tres Torrentii libri habent *oratione*, & ita edidere Beroaldus, Sabellicus & alii, quod videtur melius, ſi præſertim ad Auguſti conſuetudinem reſpicias, non orationes modo, ſed & libros totos in Senatu quandoque recitandi ut patet ex cap. 89.

2. *Genero Agrippa*] Qui ædilis aquas, Martiam, tantopere laudatam a Plinio lib. 31. cap. 3. & Virginem invexit in urbem, hanc novo ductu, illam inſtaurato veteri, ut teſtatur Frontinus lib 1. *de aquæductibus*, & idem Plinius ibidem, ac præterea lib. 36. cap. 15. *Agrippa vero in ædilitate ſua adjecta Virgine aqua, cæteris corrivatis, atque emendatis, lacus ſeptingentos fecit: præterea ſalientes centum quinque, caſtella centum triginta etiam cultu magnifica operibus iis ſigna trecenta ærea aut marmorea impoſuit, columnas ex marmore quadringentas eaque omnia anno ſpatio.* De illis aquis Martialis lib. 6. epig. 42.

Cruda Virgine, Martiaque mergi.

3. *Edicto*] Publice propoſito, ut in Julio c. 9. 11. &c.

4. *Manumiſſos inſertoſque civium numero*, &c.] Ii erant, qui vel ſuis ſibi pecuniis libertatem redimebant, vel qui dominis ſuis grati ſub ipſum congiarii tempus manumiſſi, & in tribus deſcripti fuerant: quod omnino neceſſe erat, ut principis liberalitate gaudere quis poſſet: nec enim quilibet manumiſſus is erat, qui congiarium poſſet accipere, antequam tribum emiſſet, hoc eſt, in tabulas quibus deſcribebantur civium nomina, qui ſingulas tribus de quibus in Jul. c. 8. & 13. componebant, referendum nomen ſuum curaſſet. Cui rei ſæpe fraus facta eſt etiam ante Auguſtum dominis ea conditione ſervos manumittentibus, ut ii, frumentum ſive quid aliud acceptum ad ſe referrent. De quibus fraudibus Dionyſius lib. 4. & Dio lib. 19. hujuſmodi igitur manumiſſos, & in tribum relatos vocat *inſertos civium numero.*

5. *Promiſſum non eſſet*] Quaſi dicat iis tantum promiſiſſe, qui tunc cum promitteret, poſſent accipere, non vero iis qui ab eo promiſſionis tempore, ſpe fraudis faciendæ manumiſſi fuerant.

Digitized by Google

6. *Venalitias familias*] Servorum familiæ hic intelligendæ sunt, ut in Jul. cap. 10. quamquam enim venalia multa sint, de servis tamen præsertim novitiis dicitur *venalis*, & *veteratori* opponunt Jureconsulti *l.* 37. & *l. ultima ff. de Ædilitio edicto* & Quintilianus lib. 8. c. 2. Horatius Sat. 1.

Ut si
Reticulum panis venales inter, onusto
Forte vehas humero &c.

Hinc Venalitiarii dicti sunt servi, non secus ac mangones, qui Venalitias servorum familias habent. Quin & ipsi mangones *Venalitii* quoque appellati inf. lib. *de Claris Rhet.* 1. Nonius Marcellus cap. 2. ex Ciceronis Cornelliana oratione, &c. sic autem appellantur, quod *mercis appellatione homines non contineri Mela ait: & ob eam rem mangones non mercatores, sed Venalitiarios vocari ait: & ita*, ut tradidit Africanus *l.* 207. *ff. de verborum significatione.*

7. *Laniſtarum*] Qui illos ad ferrum & arenam instituebant, ut supra in Julio c. 10. notatum est. Vel potius hic intellige mangonum Venalitia, & Laniſtarum familias.

8 *Frumentationes*] Frumenti largitiones: ubi notat Torr. Castrenses voces esse *frumentari*, *frumentator*, ut & *frumentatio* qua Suetonius utitur ad significandam annonæ distributionem.

9. *Cultura agrorum ceſſaret*] Uno in lib. Torrentius legit *ceſſarat*; nec displicet. Cum igitur qui colendos agros suscipiebant, ii plura suis laboribus, quam aliorum otio & desidia non comparari viderent, frumentationum fiducia, urbem & ipsi eo lubentius incolebant, quod ambitione contendentium singulis diebus illæ crescerent. Caussas videsis alias apud Plinium lib. 18. cap. 3. in fine.

10. *Aratorum*] Ii sunt qui a publicanis agrorum culturam redimebant: cum enim illi vectigalia omnia P. R. conducerent, ea vel per familias suas exercebant, vel civibus aliis per partes elocabant: hinc *aratores*, *coloni*, *agricolæ*, qui agros; *paſtores* seu *pecuarii* qui pascua, *portitores* qui portoria conducebant, *decumani* (qui decimam partem fructuum redderent) non quidem quod ararent ipsi, aut pascerent, &c. sed quod ea facienda curarent quod hominum genus in Sicilia præsertim invaluit, ut colligere est ex Cicerone in Verrem. Hic enim propter illos contemptos & male habitos gravissime vituperatur. Ut igitur ad hæc ut ante suscipienda invitarentur, promisit Augustus illorum se in frumentationibus rationem non secus ac si adessent habiturum.

11. *Populi*] Hujus appellatione hic, ut & alibi non semel intelligit otiosam illam plebeculam, quæ frumentationibus alebatur: cum enim Romani cæteras artes, excepta militia, servis tantum, non civibus dignas judicarent, ideo plerumque fiebat ut stipendiis peractis, egeni remanerent, magnum sæpe & parabile seditiosis adjumentum, quod ut caverent, leges Agrariæ quibus ejusmodi multitudo ablegaretur procul ab urbe, primum inventæ sunt, ac deinde frumentationes, ut in urbe quiescerent. Quæ omnia non minus corrupit ambitio.

12. *Deduceret*] Torrentius legit in uno *ducerat*, bene si non obstet aliorum auctoritas: unde Casaubono assentiendum videtur, qui nove dictum existimat, quemadmodum supra in Julio *decedentibus* pro *cedentibus* & alibi compositum pro simplici, ut apud Columellam *deputare vites* pro *putare*: nec enim hic sumptum videtur, ut in arithmeticis supputationibus *deducere*.

CAPUT XLIII.

SPECTACULORUM & assiduitate & varietate, atque magnificentia, omnes anteceſſit. [a] Feciſſe ludos se ait suo nomine [1] quater: pro aliis magistratibus, qui aut abessent, aut non sufficerent, ter & vicies. Fecitque nonnumquam etiam vicatim, ac pluribus scenis per omnium linguarum [2] histriones: non in Foro modo, nec [3] Amphitheatro, sed in Circo & in [4] Septis, & aliquando nihil præter [5] venationem edidit. Athletas quoque exstructis in campo Martio sedilibus ligneis: item navale prælium circa Tiberim cavato solo, in quo nunc [6] Cæsarum nemus est. Quibus

Digitized by Google

diebus cuſtodes in urbe diſpoſuit, ne raritate remanentium, graſſatoribus obnoxia eſſet. In Circo aurigas curſoreſque & confectores ferarum, & nonnunquam ex nobiliſſima juventute, produxit. Sed & [7] Trojæ ludum edidit frequentiſſime, majorum minorumve puerorum delectu: priſci decorique moris exiſtimans, claræ ſtirpis indolem ſic noteſcere. In hoc ludicro C. Nonium Aſprenatem lapſu debilitatum, aureo torque donavit: paſſuſque eſt ipſum poſteroſque Torquati ferre cognomen. Mox finem fecit talia edendi, [8] Aſinio Pollione oratore, graviter invidioſeque in curia queſto Æſernini nepotis ſui caſum, qui & ipſe crus effregerat. Ad ſcenicas quoque & gladiatorias operas, etiam equitibus Romanis aliquando uſus eſt: verum prius quam Senatuſconſulto interdiceretur. Poſtea nihil ſane, præterquam adoleſcentulum [9] Lucium honeſte natum, exhibuit: tantum ut oſtenderet, quod erat bipedali minor librarum ſeptemdecim, ac vocis immenſæ. Quodam autem muneris die, Parthorum obſides tunc primum miſſos per arenam mediam ad ſpectaculum induxit: ſuperque ſe [10] ſubſellio ſecundo collocavit. Solebat etiam citra ſpectaculorum dies, ſi quando quid inuſitatum dignumque cognitu advectum eſſet, id extraordinem quolibet loco [11] publicare: ut [12] rhinocerotem, apud Septa: [13] tigrim, in ſcena: [14] an uem quinquaginta cubitorum, pro Comitio. Accidit [15] votivis Circenſibus, ut correptus valitudine, [16] lectica cubans, thenſas deduceret: rurſus commiſſione ludorum, quibus theatrum Marcelli dedicabat, evenit ut [17] laxatis ſellæ curulis compagibus caderet ſupinus. Nepotum quoque ſuorum munere, cum conſternatum ruinæ metu populum retinere, & confirmare nullo modo poſſet, tranſiit e loco ſuo, atque in ea parte conſedit quæ ſuſpecta maxime erat.

INTERPRETATIO.

[a] *Dicit ſe edidiſſe ludos quater & vicies ſuo nomine: & loco aliorum magiſtratuum qui aut abeſſent, aut ſolvendo non eſſent, ter & vicies.*

NOTÆ.

1. *Quater*] Lipſius Elect. 2. c. 17. vult hic addendum eſſe *vicies*, minorem exiſtimans numerum illum, quam ut Auguſtum deceat, qui toties conſul fuerit ut ſupra c. 26. Caſaubono ſuſpectus eſt locus, ſed librorum conſenſu firmatus. Certe ſtudio brevitatis videtur Suetonius ſemel tantum poſuiſſe *vicies*, cum utrobique intelligendum eſſet. Nec enim inuſitata cæteris hæc loquendi ratio, ut notavit ex Plinio lib. 18. cap. 7. Caſaubonus, ſed ita tamen ut major numerus in priore commate poſitus etiam ſequenti ſerviat *in Tranſpadana Italia ſcio vicenas quinas libras farris modios pendere: Circa Cluſium ſenas.* Hoc eſt vicenas ſenas. Ut ut eſt, certe parum convenit magnificentiæ, quam hic extollit Suetonius ſi non niſi quater ſuo nomine ludos ediderit, quamvis ambitioſus videri noluiſſet, & alienæ prætextu gloriæ ſuam quæſiſſet, ut ait Torrentius hic. Victor enim etiam diſertis verbis affirmat omni ſpectaculorum genere Auguſtum maxime delectatum.

2. *Hiſtriones*] Idem & pleraque, de quibus hic, Julius fecit. Vide in Jul. c. 39.

3. *Amphitheatro*] Statilii Tauri de quo c. 29. quod enim Julius extruxerat non niſi ligneum fuit, & temporarium, ut ex Dionis lib. 43. colligit Lipſius in Amphitheatro cap. 5.

Digitized by Google

4. *Septis*] Locus fuit in campo Martio sic dictus quod a Servio Romanorum rege sex tabulatis inclusus fuerat, intra quæ populus ferret suffragia. Porticibus hunc Lepidus ad habenda comitia circumdederat lapideis tabulis & picturis exornatum. Ovilia quoque propter similitudinem appellatus est, Juvenal Satyr. 6.

Antiquo quæ proxima surgat Ovili.

5. *Venationem*] De ea quid esset in Jul. cap. 10. hujus cupidissimum fuisse Augustum tum ex supra dictis colligas, tum ex lapide Ancyrano, in quo confecta leguntur in ejusmodi spectaculis bestiarum 3500. etsi ex Aurelio Victore non constat.

6. *Nunc Cæsarum nemus est*] τὸ *nunc* non ad Suetonii tantum, sed ad Augusti ipsius tempora referendum, hæc enim ipsa verba desumpta sunt ex lapide Ancyrano, & c. 101. infra patet, sylvas in usum populi circumjectas Mausoleo suo, quod inibi construxit, & Tacitus confirmat Annal. 12. Frontinus 1. de aquæductibus de aqua Alsetina loquens.

7. *Troja*] De his in Jul. c. 39.

8. *Asinio Pollione*] De hoc supra cap. 29. in Julio cap. 30. & 55 ut Oratorem quoque laudat Horatius.

Insigne mœstis præsidium reis
Et consulenti Pollio curiæ.

Et Claud. cap. 41. de Gallo ejus filio hoc lib. inf. c 66. Æserninus ille de quo hic sermo est Pollionis nepos fuit ex filia, quæ Cl. Marcello Æsernino anno U. C. 733. consuli nupserat, ut oratoris quoque facundissimi meminit Seneca lib. 4. Controvers. præfatione, & Tacit. Annal. 3.

9 *Lucium*] Super hujus nomine variant codices, *Hirtium*, *Licitum*, *Litium* habentes ex postremo facit Torrentius L. Itium. Itiorum enim familia Romana est, ut probat ex nummo veteri, in quo videntur equites duo cum ascriptis L. ITI. & probat ex Horatio Ode 29 lib. 1. ad Itium.

Iti, beatis nunc Arabum invides
Gazis, &c. Et epist. 11. lib. 1.

Fructibus Agrippa Siculis quos colligis Iti.

Sed utrobique vulgatæ editiones scribunt *Icci*, quamquam & codices quidam *Iti* habeant. Hunc igitur gracilitatis ipsa brevitate admirabilioris fuisse necessum est, cum bipedalis licet alterum tamen ferme tantum pendere debuerit, servata cum reliquis hominibus proportione, vulgaris quippe statura sex circiter pedum, pondus centum circiter librarum, si Plautum audias in Asinaria Act. 2. Sc. 2. v. 35.

Nudus vinctus centum pondo es.

Quibus tertium prodigium adde vocem illam immensam.

10. *Subsellio*] Plures erant in Orchestra subselliorum ordines. Primus qui Podio proximus principum erat, ibique suum habebant cubiculum, ut in Ner. cap. 12. & in Jul. cap. 76. Secundus ordo graduum, hoc est subselliorum, si Casaubonum sequare, vacabat magistratibus, si Lipsium audias, suus his quoque locus erat ad podium, suggestu seu cubiculo duntaxat a principe distincti. Ut ut est secundum illud subsellium, cum esset secundus quasi gradus, necessario supra primum erat, atque adeo Parthotum obsides supra Augustum collocati.

11. *Publicare*] Publice proponere ut omnibus gratificaretur. Notanda porro videtur quam Sxildius hic proponit Salmasiani codicis lectio pro *inusitatum* scribentis *invisitatum*, hoc est, non visum sæpe, ut apud Ciceronem de Aruspicum responsis 57. *Deorum ignis, solennes mensas, abduos, ac penetrales focos, occulta & marsbus non invisa solum, sed etiam inaudita sacra.* Et glossæ in Plaut. Amphit. Act. 1. Sc. 1. *sol invisi cubant* Apuleius lib 5. Asin. *quidam introcessit & cantavit invisus.* Hinc Philippus Pareus in lexico Plautino verbum *visitare* crebro videre explicat & contrarium esse ait, invisitatus.

12. *Rhinocerotem*] Plinius lib. 8. c. 20. *Iisdem ludis & rhinoceros unius in nare cornu, qualis sæpe visus: alter hic genitus hostis elephanto: cornu ad saxa limato præparat se pugnæ*, &c. Martial spectacul. Epig. 9. de rhinocerote.

O quam terribiles exarsit pronus in iras
Quantus erat cornu cui pila taurus erat.

Et alibi. Pausanias existimat Æthiopicum taurum esse ac super cornu, quod in nare prominet, alterum habere sed exiguam. Plura Politianus Miscellan. c. 56.

13. *Tigrim*] Plinius lib. 8. cap. 18. *Tigrin Hircani & Indi ferunt, animal velocitatis tremendæ & maxime cognitæ, dum capitur*, &c. & c. 17. *Idem* Augustus nempe, *Q. Tuberone Fab. Max. Coss. IV. nonas Maias theatri Marcelli dedicatione tigrin primus omnium Roma ostendit in cavea mansuefactam: Divus vero Claudius simul quatuor.*

14. *Anguem*

Digitized by Google

14. *Anguem quinquaginta cubitorum*] Cubitus vulgaris ſeſqui-pes eſt; qua ratione 4. cubiti vulgarem hominis ſtaturam effecerint. Unde intellectu facile eſt quanta fuerit hæc magnitudo.

15. *Votivis Circenſibus*] Illis ut exiſtimant, de quibus c. 23.

16. *Lectica cubans*] Nam abſque valetudine fuiſſet, curru triumphali aurato vectus, non lectica cubans, ſacra, & pompam præcedens omnem duxiſſet. De thenſis in Jul. c. 76. & reliqua pompa.

17. *Laxatis ſella curulis compagibus*] Hanc ſic deſcribit hoc loco Caſaubonus. Sella curulis quatuor lignis, pluribuſve conſtabat in modum fere literæ *S.* productæ & minus curvatæ ab utraque parte. Hæc funibus ita compacta erat, ut aperiri claudique poſſet. In aperta ſedebant ſuper linteis loriſque. Martial. Epig. 57. lib. 2.

Recenſque ſella linteiſque, loriſque, &c.

Hujuſmodi ſellarum fabrica hodieque in uſu eſt. De Curuli ſella jam c. 26.

CAPUT XLIV.

SPectandi [1] confuſiſſimum ac ſolutiſſimum morem correxit, ordinavitque: motus injuria Senatoris, quem [2] Puteolis per celeberrimos ludos confeſſu frequenti nemo receperat. Facto igitur decreto patrum, ut quoties quid ſpectandum uſquam publice ederetur, [3] primus ſubſelliorum ordo vacaret Senatoribus: Romæ legatos liberarum ſociarumque gentium vetuit in [4] orcheſtra conſidere: cum quoſdam etiam libertini generis mitti deprehendiſſet. [5] Militem ſecrevit a populo. [6] Maritis e plebe proprios ordines aſſignavit: [7] prætextatis cuneum ſuum, & proximum pædagogis: ſanxitque ne quis [8] pullatorum [9] media cavea ſederet. [10] Fœminis ne gladiatores quidem, quos promiſcue ſpectari ſolenne olim erat, niſi ex ſuperiore loco ſpectare [11] conceſſit. Solis Virginibus Veſtalibus locum in theatro ſeparatim, & [12] contra prætoris tribunal, dedit. [13] Athletarum vero ſpectaculo muliebrem ſexum omnem adeo ſubmovit, ut Pontificalibus ludis pugilum par poſtulatum diſtulerit in ſequentis diei matutinum tempus: [14] edixeritque, *Mulieres* [15] *ante horam quintam venirent in theatrum, non placere.*

NOTÆ.

1. *Confuſiſſimum*] Longe ante P. Corneſio Scipione & T. Sempronio Longo Coſſ. qui fuit urbis annus circiter 536. *Sextus Ælius Pætus, & C. Cornelius Cethegus cenſores gratiam ingentem apud Senatum pepererant, quod ludis Romanis, ædilibus curulibus imperarunt, ut loca Senatoria ſecernerent a populo: nam antea in promiſcuo ſpectabant.* Livius lib. 4. Decad. 4. quod poſtmodum lex Roſcia confirmavit, de qua cap. 40. ſed in theatris tantum: nam in Circo, & amphitheatris præſertim quæ multo recentiora, promiſcue & quovis loco libere ſpectabant quamdiu libertas Romæ, ut inquit Lipſius lib. de Amphit. c. 13. & Plutarch. in Sylla.

2. *Puteolis*] In Campania hodie *Puzzolo.*

3. *Primus ſubſelliorum ordo*] Hoc eſt imus, ut ex ſupradictis cap. ſuperiore & in Julio c. 39. patet. Hæc ſubſellia inter & podium ſpatii videtur aliquid fuiſſe amplioris, quam graduum eſſet inter ſe, tum quia principum & magiſtratuum locus erat, tum quia ſuggeſtus ibi, & ſellæ curules ponebantur, vel abſentibus ipſis, honoris cauſa, quin & mortuis: quæ commode in gradibus poni potuiſſe vix credibile fuerit. Vide c. 76. in Jul.

4. *Orcheſtra*] In Julio c. 39. & 76.

5. *Militem ſecrevit a populo*] Ut ſcilicet in

Digitized by Google

diversis essent & altioribus cuneis: cum enim theatra, & amphitheatra maximæ altitudinis fuisse constet, ejus longe minimam partem capiebant Senatus, & equestria, ideo popularia iterum distinxit Augustus peculiaremque in iis militibus & plebi locum assignavit.

6. *Maritis e plebe*] Apud antiquissimos Romanos major honos, ut ait Gellius lib. 2. c. 15. majori ætati habebatur, *sed postquam soboles civitati necessaria visa est, & ad prolem populi frequentandam præmiis, atque invitamentis usus fuit; tum antelati quibusdam in rebus, qui uxorem, quique liberos haberent*, &c. idem ibidem & jam supra in Jul. c. 20. & Aug. c. 34. & infra Gal. 19.

7. *Prætextatis cuneum suum*] Lipsius lib. de Amphith. c. 13. juxta triplicem spectatorum ordinem triplicem statuit in toto caveæ circuitu præcinctionem, quam recte intelexeris graduum divisiones, & intervalla quæ orchestram ab equestribus, equestria a popularibus distingueret. De quibus in Jul. c. 39. gradibus ipsis duplo circiter altioribus & latioribus, Athenienses dixere διαζώματα Galli *retraittes, palliers, ou coridors.* Quod si cui ab ima v. g. orchestra iter esset ad summam, quia sedilium altitudo minus commoda futura erat, ideo gradus quosdam magis depressos addiderant, hi *Scalaria* Latinis dicuntur, nobis *des gradins.* Singulæ istæ scalares viæ ab ima cavea ad summam non extendebantur uno tenore, sed singulis eas præcinctionibus definitas fuisse probat Lipsius ex Vitruvio & aliis; ut primæ præcinctionis, ejus nempe quæ orchestram ab equestribus dividebat, scala incipieret a medio directe spatio quod inter duas prioris præcinctionis scalas interjaceret, sicque alternis ad summum usque. Jam vero spatium illud graduum sive subselliorum inter duas scalas comprehensum, propter aliquam cuneorum bellicorum similitudinem proprie dicebatur cuneus: inde cunei certi certis assignati, hinc *excuneandi* verbum, hoc est *ejiciendi, excludendi* & apud poëtas cuneorum frequens mentio. Virgilius 2. Georgic. v. 411

Hunc plausus hiantem
Per cuneos, geminatus enim plebisque patrumque
Corripuit.

Et Æneid. 5.

Nuntius Anchisæ ad tumulum, cuneosque theatri
Incensus perfert naves Eumelus.

Et alibi Juvenal. Sat. 6. v. 61.

Cuneis an habent spectacula totis
Quod securus ames, &c.

De prætextatis videsis c. 1. in Julio.

8. *Pullatorum*] Hujus enim generis vestimenta popello duntaxat, & imperitæ multitudini conveniebant, Quintil. lib. 6. cap. 5. *imperitis & sæpe pullata turba relinquunt.* Plinius lib. 7. Epistolarum. *Illos quoque sordidos pullatosque veneremur*, &c. Calpurnius

Venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste
Inter fœmineas spectabat turba cathedras.

Jam supra cap. 40. pro *pullatorum* duo Torrentii libri *bullatorum.* De bulla in Jul. c. 84.

9. *Media cavea*] Sed superiori duntaxat. Theatrum primo, deinde & amphitheatrum, cum invaluisset, Latinis dicta sunt quoque *cavea* ab interiore sui parte & capaci quodam profundo, ut ait Lipsius in Amphith., hoc sensu, ut ex supradictis colligere est, caveæ tres partes, a quo tempore discreti in spectando loci, Senatus sive orchestra, equestria, popularia. Verum caveam plebi speciatim tribuisse videtur Poëta 5. Æneid.

Hic totum caveæ consessum ingentis, & ora
Prima patrum magnis Salius clamoribus implet.

Et revera Servius ad hunc locum ait *per caveam autem plebem significat; nam cavea consessus est populi.* Quæ videtur etiam esse Suetonii sententia; Augustus enim ad loca omnium minime commoda pullatos quasi ablegabat, ut efficacius habitum vestitumque pristinum restitueret. Vide cap. 40

10. *Fœminis*] Quibus licuit quidem olim, sed non sine permissu virorum adesse, ut constat exemplo Sempronii Sophi, quod Valerius Maxim. lib. 6. retulit, uxorem enim ille suam ignorante se spectare ausam repudiavit. Nec etiam in superiore hoc loco nisi separatas a plebe spectasse Casaubonus existimat; quamquam certe contrarium evincere videntur relati versus e Calpurnio.

11. *Concessit*] Casaubonus ut suam illam opinionem adjuvet, scribi *spectare concessit solis Virginibus Vestalibus.*

12. *Contra prætoris*] Hoc est ex adverso, sed ad podium in loco honoratissimo, ut pater.

13. *Athletarum*] Hi cursu, lucta, pugilibus decertabant more a Græcis deducto, in

Digitized by Google

hoc tamen discrepante quod Græci nudi, Romani pudenda velati, hinc fœminis haud injuria prohibitum in Claud. c. 34.

14. *Edixerit*] Edicto publice proposito significarit de quo in Jul. c. 20. 49. & sæpe alias.

15. *Ante horam quintam*] Hoc est circiter undecimam. Diem enim non nisi in duodecim horas integrum dividebant ab ortu solis ad occasum.

CAPUT XLV.

IPse Circenses ex amicorum fere libertorumque [1] cœnaculis [2] spectabat, interdum e [3] pulvinari, & quidem cum conjuge ac liberis [4] sedens. Spectaculo plurimas horas, aliquando totos dies [5] aderat: [6] petita venia, commendatisque qui [7] suam vicem præsidendo fungerentur. Verum quoties adesset, nihil præterea agebat: seu vitandi rumoris caussa, quo patrem Cæsarem vulgo reprehensum commemorabat, quod inter spectandum, epistolis libellisque legendis, ac rescribendis vacaret: seu [8] studio spectandi, ac voluptate, qua teneri se neque dissimulavit umquam, & sæpe ingenue professus est. Itaque [9] corollaria & præmia alienis quoque muneribus ac ludis & crebra & grandia de suo offerebat: nullique [10] Græco certamini interfuit, quo non pro merito certantium quemque honoraverit. Spectavit autem studiosissime pugiles & maxime Latinos: non [11] legitimos atque ordinarios modo, quos etiam [12] committere cum Græcis solebat: sed & [13] *catervarios* oppidanos inter angustias vicorum pugnantes temere ac sine arte. Universum denique genus operas aliquas publico spectaculo præbentium, etiam cura sua dignatus est. [14] Athletis & conservavit privilegia, & ampliavit. [15] Gladiatores [16] sine missione edi prohibuit. [17] Coërcitionem in histriones, magistratibus in omni tempore & loco, lege vetere, permissam, ademit: præterquam [18] ludos & scenam. Nec tamen eo minus aut [19] xysticorum certationes, aut gladiatorum pugnas severissime semper [20] exegit. Nam histrionum licentiam adeo compescuit, ut Stephanionem [21] togatarium, cui in puerilem habitum [22] circumtonsam matronam ministrasse compererat, [23] per trina theatra virgis cæsum relegaverit: Hylam [24] pantomimum, querente prætore, in [25] atrio domus suæ, nemine excluso, flagellis verberaverit: & [26] Pyladem urbe atque Italia submoverit, quod spectatorem, a quo [27] exsibilabatur, demonstrasset [28] digito, conspicuumque fecisset.

NOTÆ.

1. *Cœnaculis*] Nec enim in Circo ut cap. præcedenti notatum est separatæ fuerunt sedes Senatui, ante Claudium, ut patet ex c. 21. Claud. & equitibus ante Neronem, ut in ejus vita c. 11. nec ut verosimile est ipsi Principi, nascente etiamnum imperio. Cœnaculum fuit superior domus universæ pars sic dicta a quo tempore ibi cœnitare cœperunt. Ad hanc scalis vel cochleis ascendebatur; atque utplurimum tenues duntaxat ac egentes hæc loca habitanda conducebant. Unde Juvenal. Sat. 10.

Rarus venit in cœnacula miles.

Prædam nempe quærendo, ubi non nisi pauperes; & cœnaculariam exercere dicti sunt qui cum totas domos conducerent habebant,

Digitized by Google

singula cœnacula inquilinis elocabant, quæstum inde quærentes. De quibus etiam infra c. 78.

2. *Spectabat*] Merito Casaubonus hic addubitat, num e cœnaculis domorum Circo vicinarum Circenses ludi commode spectari possent. Unde suspicatur illa cœnacula in ipso fuisse Circo, ad eum forte modum quo & cœnacula fuerunt, & officinæ super ea porticu, quam in exteriore Circi parte descripsit Halicarnasseus lib. 3. sub finem, quæ idem Casaubonus existimat, per censores ita elocata, qui cœnacularium faciebant, a quibus postea inquilini conducebant: quo posito, cœnacula quorum hic fit mentio, intelligenda sunt conducta fuisse ab amicis Augusti, & libertis ad spectandi facilitatem; quæ tamen haud scio, an fuerit mens Halicarnassei, videtur enim cellas seu ipsa cœnacula non minus ac officinas ascendentium, & descendentium usui commodiori assignasse, ne tot inter hominum millia confusio quædam oriretur.

3. *Pulvinari*] De pulvinaribus supra in Jul. cap. 76. hic pulvinar intelligitur locus ille Circi, ubi simulachra deorum, postquam pompa magna circa metas gestata fuerant, collocabantur; quem locum in prima spectaculorum fronte fuisse, Augustus ipsemet innuit, infra in Claud. cap. 4. Hinc igitur quandoque spectabat, ut majestati suæ consuleret; sin minus, ad declinandam affectatæ divinitatis invidiam, in amicorum cœnaculis.

4. *Sedens*] De industria videtur observatum ad Neronis differentiam, qui ibidem accubans quasi & ipse Deus, sed vivus inter simulachra mortua, spectabat. In Nerone cap. 12.

5. *Aderat*] Sic membranæ omnes, quibus licet reclamantibus, Casaubonus scribere non dubitavit *aberat*: quod nemini licet animadversum, exigere videtur hujus loci tota series & certe eodem modo loquitur adhuc infra Calig. cap. 18. ne quis *præsidere* hic explicet de jure dicundo.

6. *Petita venia*] Non inscius quam parum id vulgo probaretur, & declarant manifeste satis rumores in Tiberium jactati, quod Drusum filium sibi in præsidendo substituisset, apud Tacit. Annal. lib. cap 76. & Julianus ipse minus iratum se fuisse indicat quod solidos dies spectando non transigeret.

7. *Suam vicem præsidendo*, &c.] Torrent. in duobus codicibus legit *sua vice*: neque tamen mutandum ideo credidit servata voce *aderat*: intelligendus est Augustus privati instar adesse voluisse, & ab onere præsidendi liber otiose spectare. Sin minus aperta est sententia in Calig. c. 18.

8. *Studio spectandi*] Affirmat expresse Aurelius Victor in Augusto naturali in eam voluptatem propensione factum, Tacitus vero Annal. 1. lib. c. 54. studio civilitatis attribuit *neque ipse* (Augustus) *abhorrebat talibus studiis, & civile rebatur misceri voluptatibus vulgi.*

9. *Corollaria*] Corollarium illud est, quod præter debitum præmium instar auctarii cujusdam addebatur; a corollis dictum, quæ Scenicis actoribus, cum placuerant, dari solitæ: de quibus Plinius lib 21. c. 2.

10. *Græco certamine*] Vel more Græcorum in urbe edito, vel in ipsa Græcia dum illam peragraret, ut & alias imperii provincias ferme omnes, ut paulo infra cap. 47. affirmat.

11. *Legitimos*] Vel eos, qui ex arte certabant, quasi legibus artis institutos, vel quorum nomina, ut ait Beroaldus, erant in ordine & quasi albo pugilum descripta.

12. *Committere*] Illud est athletas duos pluresve in certamen adducere, Virgil. 5. Æneid. eodem quo hic sensu.

Et tuba commissos medio canit aggere ludos.

Sed & Poëtas & Oratores, ut infra c. 89. & Cal. c. 53. ac Claud. c. 21 & Vegetius lib. 2. cap. 7. dixit. *Tu bicines cornicinesque & buccinatores committere prælium.*

13. *Catervarios*] Catervatim conglobatos, nullo in conflictu ordine, nulla servata formula.

14. *Athletis conservavit privilegia.*] Quænam illa fuerint privilegia, & qua conditione concessa exponit lex unica Cod. de Athletis. *Athletis ita demum si per omnem ætatem certasse, coronis quoque non minus tribus certaminis sacri (in quibus vel semel Roma seu antiqua Græcia) merito coronati, non æmulis corruptis probentur, civilium munerum tribui solet vacatio.* Unde patet illos infames non fuisse, nec artem ludicram exercuisse, ut habetur etiam ex *lege 4. ff. de his qui notantur infamia.* Quamquam Theophilus contra sensisse videatur, quod non est hujus

Digitized by Google

loci disputare.

15. *Gladiatores*] Quid apud Græcos pugiles, iidem apud Romanos gladiatores erant, ut notat Casaubonus. Differentiam hanc Donatus addit, quod gladiatores pretio conducti pungentibus, & incidentibus armis ad necem usque dimicarent; athletæ vero seu pugiles minime, sed virtutis gratia hoc faciebant, ut *ait eadem lex 4. ff. de his qui not. inf.* Idcirco xysticorum, qui athletæ erant, *concertationes* dicit, gladiatorum vero *pugnas*.

16. *Sine missione*] Si quis gladiator victus ac vitam suppliciter petens, hanc vel a populo, vel ab editore, e quorum nutu tota pendebat ejus vita, impetraret, hoc modo impetrata venia *missio* dicebatur: igitur sine missione pugnare, ad necem pugnare est, nisi vincas; mittuntur enim tantum victi & læsi ac in eum solummodo diem. Unde patet multum esse discriminis *missionem* inter & *rudem*. hæc quippe & in perpetuum conceditur, & potius ad victores pertinet, qui posthac rudiarii appellabantur, ut in Tib. cap. 7. &c.

17. *Coërcitionem in histriones*] Hoc est jus virgarum, quod prætorum erat ante, & ædilium, ut pote magistratuum, ad quos imprimis ludorum cura pertinebat. Idem postea statutum est imperante Tiberio, mota super eadem re controversia, quia inquit Tacit. Annal. 1. c. 77. *Augustus immunes verberum Histriones quondam respondérat*, &c. Histrionum autem generale nomen est omnium Scenicorum, ut ludionum, qui & Ludii dicebantur, eorum qui mimi, pantomimi, archimimi, ethologi, &c.

18. *Ludos & Scenam*] Torrentius legit in uno libro *in ludos* melius certe: *præterquam* enim adverbium est, non præpositio. Sed omnium optime *ludis & scena*, quod longe clarius est, & præfertur etiam a Casaubono, quia a doctis viris repertum ait in MSS. Idem Lipsius conjecerat ad supradictum Taciti locum, & revera Gruterus in Ursini codice extare testatur. Vox *ludis* refertur ad vocem *tempore* scilicet ludorum, ut *scena* ad verbum *loco*, ut ubi peccarant, ibi punirentur, quemadmodum ait ibid. Lipsius. Vide & l. 3. Cod. *de spectaculis*.

19. *Xysticorum*] Philander annotationibus in Vitruvium ait, *Xystos Latini vocant porticum, tectas ubi athleta per hyemem exercebantur: xysta autem subdiales ambulationes ubi sudo cœlo suas exercebant palæstras*. Unde patet vocem *xystus* in masculino & *xystum* in neutro genere diversa significare: quamquam Græcis secus sit. Plinio lib. 5. Epist. 6. idem est *xystus*, quod nobis *parterre*, ait enim *ante porticum xystus concisus in plurimas species distinctusque buxo*, &c. Videsis Vitruvium lib. 5. c. 11. & lib. 6. c. 10.

20. *Exegit*] Hoc est, voluit exactissime servatis disciplinæ gladiatoriæ legibus, pugnarent. Quo sensu verbum hoc apud Ciceronem lib. 8. famil. Epist. 6 *si ad illam summam veritatem jus exegeris*.

21. *Togatarium*] Alii legunt *togatarum* frustra, est enim togatarius hic togatarum actor, ut & apud Ciceronem *lib. de clarif. orator.* 242. *secundarius* dicitur actor *secundarum*. Q. Arius *qui fuit M. Crassi quasi secundarius*. Vide cap. 57. Calig. & Plinium lib. 7. c. 48. hujus quoque Stephanionis meminit (*qui primus togatas saltare instituit.*) Togatæ autem sunt fabulæ ad Romanorum ritus conscriptæ, vel actæ, ut palliatæ, quæ ad Græcorum: toga quippe Romanorum erat, pallium Græcorum, ut in Jul. cap. 43. notatum est. Juvenal. Sat. 1.

Impune ergo recitaverit, ille togatas,
Hic elegos. &c.

Ubi Scholiastes *tria sunt genera comœdiarum. Togata, ex factis vilium personarum. Prætextata ex factis nobilium personarum, Palliata ex factis quidem nobilium personarum, sed Græcarum. Palliata ad Græcos pertinet, alia duo genera ad Latines pertinent: Romani enim togis & prætextis utuntur.* Horatius de arte Poët. v. 288.

Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.

De poëtis Latinis loquens. De his plura Diomedes lib 3. Grammat.

22. *Circumtonsam matronam.*] Pueri delicati, ephebi, quin & ipsi viri circumtonderi solebant ex antiquorum more Græcorum, apud quos id quoque in deliciis cultus habitum est. Hinc circumtonsi mangonum pueri majore erant in pretio. Varro in fragmento *alii sunt circumtonsi torti atque unctuli, ut mangonis videantur esse servi*. Et oratio circumtonsa dicitur Senecæ Epist 115. *Oratio vultus animi est, si circumtonsa, & fucata & manu facta ostendit illum quoque non esse sin-*

Digitized by Google

cerum. Tonſuram hanc in alveoli, ſed inverſi formam fieri conſueviſſe Salmaſius ait, crineſque in eo genere æqualiter deſcendentes in orbem iſſe hujuſmodi circumtonſionem Francis noſtris omnibus præterquam regiæ ſtirpis hominibus, qui vulgo intonſi erant, in more poſitum probat ex Agathiæ lib. 1. Ca ſaubonus, qui hoc loco multa ſuper hac re eruditiſſime collegit ex variis auctoribus. Heſychio in voce *κυρβις*, Plutarcho *libello de mulierum virtutibus*. Moſe, Levitic. c. 19. & interpret.

23 *Trina theatra*] Ea fuerunt Pompeii Balbi, & Marcelli, de quibus ſupra c. 31. & 29. Ovid. 3 *De arte amandi*.

Viſite conſpicuis terna theatra locis.

Hiſtriones hoc modo puniri per theatra, priſci quoque tum apud Latinos tum apud Græcos moris fuiſſe notat Caſaubonus ex Philone & Luciano. Illud eſt quod *σκαρδίζειν* & *παγδιαγμονίζειν* dixere.

24. *Pantomimum*] De mimis in Julio cap. 39. horum ſpecies iſti ſunt, qui quorumvis actiones imitarentur: & infra non ſemel.

25. *Atrio*] Quid hoc ſit jam dictum eſt. Huc cum Hyla iſte ſibi conſcius tanquam in aſylum confugiſſet, motus tamen querela prætoris, Auguſtus cædi juſſit.

26. *Pyladem*] Seneca præfatione in 3. Declamat lib. *Pylades in comœdia, Batyllus in tragœdia multum a ſe aberant*. &c. Seneca Philoſophus lib. naturalium quæſtion. 7. cap. 32. *At quanta cura laboratur ne cujus pantomimi nomen intercidat? ſtat per ſucceſſores Pyladis & Batylli domus*, &c. re vera Hylas præceptorem in Hiſtrionica habuerat Pyladem, ut ex Macrobii lib. 2. cap. 7. conſtat.

27. *Exſibilabatur*] Quemadmodum ſpectatores bonis, & iis qui ſibi placebant actoribus, applaudebant, ita & malos, vel ſibi minus gratos ſibilis explodebant. Cicero num. 30. pro Q. Roſcio Comœdo, *Quod item nuper in Erote comœdo uſu venit quis poſteaquam e ſcena non modo ſibilis; ſed etiam convitio explodebatur* & Paradoxorum 3. in fine *Hiſtrio ſi paulum ſe movit extra numerum, aut ſi verſus pronuntiatus eſt una ſyllaba brevior aut longior, exſibilatur & explauditur*.

28. *Digito*] Manu forſan in obſcenum formata modum, quæ ſannæ, ſeu derisionis ſpecies, clarius adhuc inſita Calig. c. 36. indicatur, hoc fit cum geſtu aliquo mimico inſcius aliquis irridetur. Tria ejus genera. Primum eſt manu pinſentem exprimere ciconiam, ſecundum objecto temporibus pollice, & manu mota aures aſininas effingere, & tertium linguam ſitientis inſtar canis exerere, quæ omnia expreſſit Perſius Sat. 1. v. 59.

O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas
Nec lingua, quantum ſitiat canis Appula, tantum.

Et de lingua exerta Gellius lib. 9. cap. 13. & D. Hieronymus Epiſt. ad Ruſticum monachum.

CAPUT XLVI.

A.V.C. DCCXXVI. AD hunc modum urbe urbaniſque rebus adminiſtratis, [1] ITALIAM duodetringinta coloniarum numero deductarum ab ſe [2] frequentavit, operibuſque ac [3] vectigalibus publicis plurifariam inſtruxit: etiam jure ac dignatione urbi [4] quodam modo pro parte aliqua adæquavit: excogitato genere ſuffragiorum, quæ de magiſtratibus urbicis [5] decuriones colonici, in ſua quiſque colonia ferrent, & ſub diem comitiorum obſignata Romam mitterent. Ac necubi aut honeſtorum deficeret copia, aut multitudinis ſoboles, equeſtrem militiam [6] petenteis etiam ex commendatione publica cujuſque oppidi ordinabat, at iis qui e plebe regiones ſibi revi- 10 ſenti filios filiaſve approbarent, ſingula nummorum millia [7] pro ſingulis dividebat.

Digitized by Google

Notæ.

1. *Italiam*] Hujus triplex ſtatus conſiderari poteſt ab urbe condita ad Auguſtum. prima a Romulo ad primum bellum Punicum, tum cum tota quæ dicebatur Italia Variis bellorum afflicta contentionibus, denique in ditionem Pop. Rom. pervenit, quo tempore non niſi ſuo ſingulæ civitates jure potiæ ſunt. Secunda ad Marſicum uſque ſeu ſociale bellum, de quo ſupra cap. 23. quo tempore Itali a Romanis loco ſociorum habiti mirum in modum ſuas opes auxere, tuncque maxime ſtabilitum videtur jus, quod dicebatur Italiæ in Jul cap. 8. Tertia ad Auguſtum quo demum temporis intervallo legibus Julia, & Pompeia Sexti Julii Cæſaris, & Cn. Pompeii Strabonis, jura civitatis Romanæ Italis late omnibus data ſunt ann. U. C. circiter 665. multis, ut patet, ante Auguſti dominationem annis. Quapropter quod de novo jure ſuffragiorum hîc dicitur, intelligendum non eſt quaſi conceſſum Italis ab Auguſto fuerit jus civitatis, quod præcipue ſuffragiorum eſt; ſed *inventus modus* quo jure hoc ſuo fruerentur, *cum* enim ob nimiam ab urbe diſtantiam, itineris moleſtias aliaque id genus, nulli propemodum uſui foret civitatibus Italis tanta hæc prærogativa, paſſus eſt, ut Romam illorum magiſtratus ſua ſuffragia mitterent.

2. *Frequentavit*] Hoc eſt habitandam & colendam curavit, ut pote quam exhauſerant tot bella civilia. Quæ autem illæ coloniæ fuerint non repertum ſibi, dicit Caſaubonus, pleraſque Sigonius ex Frontino & aliis diligenter collegit lib. 3. de antiquo jure Italiæ c. 4.

3. *Vectigalibus*] Vectigalia dicuntur quoque fructus, vel quivis proventus quos etiam privati ex ſuorum agrorum locatione percipiunt. Cicero Parad. 6. *ex tenui meo vectigali, detractis ſumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit.* Et paulo ante *non intelligunt homines quam magnum vectigal ſit parcimonia.* Civitatibus quoque & collegis, ut hodieque fit, ſui erant reditus, ſua vectigalia, ut de Arpinatibus auctor eſt Cicero lib. 13. Epiſt. 12. ad Brutum *quorum quidem omnia commoda, omneſque facultates quibus & ſacra conficere, & fana tecta adium ſacrarum locorumque communium tueri poſſint, conſiſtunt in his vectigalibus, quæ habent in provincia Gallia.*

4. *Quodam modo*] Vocem hanc reſpuit Lipſius Elect. 2. lib. cap. 17. tanquam gloſſam. Cæteri MSS. auctoritate ſervaverunt, quamquam ſuperfluere fateantur. *Dignatione* hîc intellige pro *honore* in Jul. c. 4.

5. *Decuriones*] Decurio primæva ſua ſignificatione præfectus eſt equeſtris turmæ. Verum quia deducendis coloniis, id obſervabatur; ut pars decima deductorum conſilii publici cauſſa conſcriberetur, ii in coloniis & municipiis decuriones dicti ſunt; namque in his erat Reip. Romanæ quaſi quædam adumbratio, decurionibus Senatores, duumviris conſules referentibus.

6. *Petenteis*] Alii legebant *petentis* quod & poteſt: conſuetudo quippe veterum fuit, eos caſus plurales ita formandi, ut paſſim reperias apud Saluſtium, Plautum, &c.

7. *Pro ſingulis*] Vulgatæ Editiones *per ſingulos* eodem ſenſu: qui enim filios vel filias legitime natos habere ſe probarent; ii quot liberos habebant, tot millia nummorum accipiebant, hoc eſt 4 l. 15 ſ. Ubi regiones urbis an Italiæ intelligendæ ſint non definit; hanc enim etiam in undecim regiones diviſit. Liberalitatem hanc refer ad curam augendæ prolis de qua c. 34.

Digitized by Google

CAPUT XLVII.

PROVINCIAS validiores, & quas annuis magistratuum imperiis regi nec facile, nec tutum erat, [1] ipse suscepit, cæteras [2] proconsulibus sorti-
tito permisit: & tamen nonnullas [3] commutavit interdum: atque ex utroque genere pleraſque sæpius adiit. Urbium quasdam fœderatas, sed ad
5 exitium licentia præcipites, [4] libertate privavit: alias, aut ære alieno laborantes levavit, aut terræ motu subversas denuo condidit: aut merita erga Pop. Roman. allegantes, [5] Latinitate, vel civitate, donavit. Non eſt, ut opinor, provincia, excepta dumtaxat Africa & Sardinia, quam non adierit. In has [6] fugato Sexto Pompeio, trajicere ex Sicilia ap-
10 parantem continuæ & immodicæ tempestates inhibuerunt, nec mox occasio aut causſa trajiciendi fuit.

NOTÆ.

1. *Ipse suscepit*] Strabo lib. 17. sub finem easdem omnino causſas refert, quas hic Suetonius, quibus hanc Dio lib. 53. addidit, Augustum majoris illius ad eas regendas difficultatis prætextu, sua semper in potestate exercitus habuisse inermi populo, Senatuque.

2. *Proconsulibus*] Augusti divisione duplicis generis provinciarum administratores pro duplici ipsarum genere, aliæ quippe Cæsaris, aliæ populi fuerunt, ut refert Strabo lib. 17. & patet hoc loco Cæsaris provinciæ, quæ & præsidiales dictæ sunt, a procuratoribus, consularibus, prætoriisque viris administratæ: populo vero quas reliquerat provincias, regebant quidem consulares viri, functi scilicet consulatu & prætorii prætura quoque functi, sed ii tum ob antiquum Reip morem tum ut distinguerentur a Cæsaris legatis, consularibus scilicet, & non nisi proconsules, & proprætores dicti reperiuntur, alii etiam quandoque legati Cæsaris pro consule, pro prætore; &c. de quibus Dio lib. 53. & idem ibid. Strabo ac passim Jureconsulti.

3. *Commutavit interdum*] Scilicet prout usus postulabat, ut notavit Strabo & Dio lib. 54. refert traditas populo Cyprum insulam, & Galliam Narbonensem, recepta sibi Dalmatia. Ex utroque genere, hic intellige proconsularium & consularium, sive potius suarum & populi: fuerunt enim prætoriæ, &c. quod & alii postmodum fecere in Claud. c. 25.

4. *Libertate privavit*] Ut Cyzicenos quod cives Romanos virgis cæsos necassent, auctore Dione lib. 54. quibus & illam restituit, lib. 55. apud eundem auctorem, Sidonios Tyrios, &c. ob varia delicta. Terræ motu Tralles in Lydia, & plurimæ aliæ civitates in Cypro subversæ fuerunt.

5. *Latinitate*] In Jul. c. 8.

6. *Fugato Sexto Pompeio*] De quo supra cap. 9. & in Jul. *Mox* hic pro *postea* ut & Cicero orat. post reditum *qui in ulciscendo remissior fuit, mox aperte laudatur.*

CAPUT XLVIII.

[1] REGNA, quibus belli jure potitus est, præter pauca, aut iisdem, quibus ademerat, [2] reddidit, aut alienigenis contribuit. [3] Reges socios etiam inter semetipsos necessitudinibus mutuis junxit: promptissimus [4] affinitatis cujusque atque amicitiæ conciliator, & fautor: nec aliter [5] universos,
5 quam membra parteſque imperii, curæ habuit. Rectorem quoque solitus est apponere ætate parvis, ac [6] mente lapsis, donec adolescerent aut resipiscerent: ac plurimorum liberos & [7] educavit simul cum suis & instituit.

NOTÆ.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Regna quibus*] Hæc fuerunt, quæ Romanis parebant ferme omnia: hæc enim ab Antonii partibus ſtetiſſe auctores ſunt Plutarchus in Antonio, Appianus in bellis Civilibus, Dio, &c.

2. *Reddidit*] Exemplo eſt Herodes apud Joſeph. lib. antiquit. 15. c. 10.

3. *Reges ſocios*] Hoc eſt ſocios Pop. Romani etiam inter ſeſe ſocios eſſe voluit & amicos.

4. *Affinitatis conciliator*] Ipſe & Livia, ſed rogante Herode Salomen, hujus ſororem impulerant ad nuptias cum Alexa contrahendas, relicto Syllæo, quem tamen ipſa deperibat, ut apud Joſeph. lib. 17. cap. 1. antiquit.

5. *Univerſos*] Vel de civibus intelſige, & omnibus imperii ſubditis, vel de regibus dumtaxat.

6. *Mente lapſis*] His, & ſurdis, & furioſis & in univerſum ejuſmodi perſonis, quæ rebus ſuis ſupereſſe nequibant, curatores dati ſunt prætorum edicto, in ſupplementum legis 12. tabul. quæ quidem ætate parvis proviſerat, tutorem dando, non autem aliis. Unde vero ſimile eſt ab Auguſto inſtitutos primo curatores, vel certe ejus exemplo poſtea.

7. *Cum ſuis educavit*] Per Verrium Flaccum, illuſtrem tunc temporis Grammaticum, cujus aliqua ſuperſunt fragmenta: vide infra *illuſt. Grammat.* 17.

CAPUT XLIX.

EX MILITARIBUS COPIIS legiones & auxilia provinciatim diſtribuit: claſſem [1] Miſeni, & alteram Ravennæ, ad tutelam [2] ſuperi & inferi maris, collocavit. Certum numerum partim in urbis, [3] partim in ſui cuſtodiam, adlegit: dimiſſa [4] Calagurritanorum manu, quam uſque ad devictum Antonium: item [5] Germanorum, quam uſque ad [6] cladem Varianam, inter armigeros circa ſe habuerat. Neque tamen umquam plures quam tres [7] cohortes in urbe eſſe paſſus eſt: eaſque ſine caſtris. Reliquas in hiberna & æſtiva, circa finitima oppida dimittere aſſuerat. Quidquid autem ubique militum eſſet, ad certam [8] ſtipendiorum [9] præmiorumque formulam adſtrinxit: definitis [10] pro gradu cujuſque, & temporibus militiæ, & commodis [11] miſſionum: ne aut ætate aut inopia poſt miſſionem ſolicitari ad res novas poſſent. Utque perpetuo ac ſine difficultate ſumtus ad tuendos eos proſequendoſque ſuppeteret, [12] ærarium militare [13] cum vectigalibus novis inſtituit. Et quo celerius, ac ſub manum annuntiari cognoſcique poſſet quid in provincia quaque gereretur, [14] juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc [15] vehicula, diſpoſuit: commodius id viſum eſt, ut qui [16] a loco eidem perferrent literas, interrogari quoque, ſi quid res exigerent, poſſent.

NOTÆ.

1. *Miſeni*] Miſenum urbs eſt & promontorium Campaniæ, hodie *Miſeno*. *Miſenus* quoque mons ibidem eſt: urbs & mons denominantur veroſimiliter a Miſeno Æneæ Comite ibi ſepulto.

Monte ſub aërio qui nunc Miſenus ab illo
Dicitur, æternumque tenet per ſecula nomen.

2. *Superi & inferi*] Tyrrheni & Adriatici, hoc ad Ravennam, illud ad Miſenum refertur, ut patet.

3. *Partim in ſui cuſtodiam*] Hæ fuerunt

Digitized by Google

prætoriæ cohortes, quas novem fuisse, ut & urbanas tres auctor est Tacit. lib. 4. Annal. sub initium.

4. *Calagurritanorum*] Calaguris hodie *Calahorra* in Castella veteri, quæ Tarraconensis olim Hispaniæ custodias Hispanas habuerat & Cæsar in Jul. c. 86.

5. *Germanorum*] Non nisi singulorum cohortem habuisse colligas ex Galbæ c. 12.

6. *Cladem Varianam*] Supra c. 23. & infra sæpe, in Tiber. c. 17. & alibi.

7. *Cohortes*] Prætorias scilicet, quas Romæ simul omnes esse voluit.

8. *Stipendiorum*] De stipendio, quantum ab initio fuerit supra in Jul. cap. 26. quanta autem fuerit certa hæc ejus formula colligi posse videtur ex Taciti Annal 1. ubi milites statim ab Augusti excessu conquerebantur, *denis in diem assibus animam & corpus æstimari* & postulabant ut *denarius diurnum stipendium foret*, quo manifeste indicatur (quamquam & aliter intelligi forte queat) denarium pluris valuisse quam decem asses militares, qui pretii quam communes asses, vilioris erant; unde militum querela, quod nempe suorum assium trecenti, quos unius mensis stipendium habebant, non nisi 250. communium assium efficerent, hoc est aureum unicum seu 25. denarios, qui menstruum Augusti tempore stipendium. Domitiani temporibus, ut in ejus vita c. 7. quatuor aurei, edicto postquam suo unum addidit. Quis vero secundum & tertium addiderit, tacentibus historicis, suspicatur Lipsius lib. 1. Elect. c. 2. a Claudio vel Caligula secundum, civilibus vero bellis Vitellii, & Othonis tertium additos, id que argumentis verosimillimis.

9. *Præmiorum*] De his adhuc in Calig. c. 44. ea enim reduxit, & supra c. 24.

10. *Pro gradu cujusque*] Prætorianis post 16. annos, quinque millia, reliquis tria, vide in Calig. cap. 44. vel gradus intelige de dignitatibus militaribus, ut tribunatus, centurionatus, &c.

11. *Missionem*] In Jul. c. 7. & infra Tib. c. 48. & Calig. c. 44.

12. *Ærarium militare*] Dio lib. 55. institutum narrat ann. U. C. 759. præfecti. Tacitus Annal. 1. *claustra ærarii cui præfectus erat, & militarem pecuniam rebus novis obtulisse.* Et vetus lapis in Samnio, quem Lipsius lib. 1. Ann. Taciti adducit.

L. NERATIO C. F.
VOL. PROCULO.
PRÆF. ÆRARI MILITARIS.

13. *Cum vectigalibus novis*] Ea fuere, centesima rerum venalium ex Taciti Annal. 1. *centesimam rerum venalium deprecante populo edixit Tiberius ærarium militare eo subsidio niti*: bona quoque damnatorum ut de bonis Aggrippæ Augusti nepotis, narrat Zonaras. Ad quod etiam Torrentius refert; cœnas legis Papiæ, augendo nempe huic ærario supra cap. 34.

14. *Juvenes*] Notat Casaub. eos fuisse qui Persis *angari* seu *astandæ*. Græcis Hemerodromi dicuntur.

15. *Vehicula*] Idem auctore lib 8 Xenophonte Cyrus excogitarat. Hinc, ut Torrentius annotavit, cursus vehicularis apud Jureconsultos *l. 1 & l. ultim. ff. de mun. & honor.* cum vehiculis curreret, & apud Cassiodorum lib. 4. variarum *Cursuales* equi dicuntur, quibus non junctis rhedæ aut vehiculo currebant ad differentiam *veredorum*, qui rhedæ jungebantur. Hujus etiam exemplo cursus ille publicus a cæteris postmodum imperatoribus institutus est, quo magistratus aut alii Reip. caussa missi impensa publica uterentur, sed diplomatibus acceptis ne fraus fieret, ut patet ex Capitolino in Pertinace, de ipso loquente a *præside Syriæ, sine diplomatibus cursum usurpaverat pedibus ab Antiochia ad legationem suam iter facere coactus est.* Quæ diplomata dicuntur evectiones *l. 3. Cod. de cursu publico* quo loco plura super hac re principum placita legere est; hinc vehicularius ille cursus quem sustulisse, Capitolino dicitur Antoninus Pius; erat enim provincialibus graviissimus, ut pote quorum impensa fieret, ut patet ex Victore in Trajano, unde & Lampridius ab Alexandro Severo antiquum jus restitutum dicit: de quo supra.

16. *A loco eidem*] Pulmannus sic legit: *ut qui a loco per ferrum literas interrogari queque possent* quod videtur melius. Casaubonus nove dictum putavit *a loco* pro *alicunde*.

Digitized by Google

CAPUT L.

IN [1] diplomatibus, [2] libelliſque & epiſtolis ſignandis, initio [3] Sphinge uſus eſt: mox imagine Magni [4] Alexandri: noviſſime ſua, [5] Diſcoridis manu ſculpta, qua ſignare inſecuti quoque principes perſeveraverunt.

NOTÆ.

1. *Diplomatibus*] χρήματα Καισάρεια, Hoc eſt *litera regia*, dicuntur Græcis: nobis autem *lettres patentes*: ab iis tantùm dari ſolita, aut permiſſa, qui Reip. præſunt: unde apud Plutarchum in Galba Nimphidius ægerrime patitur data eſſe diplomata a Coſſ. quaſi imperatoriam hoc facto ſibi vindicaſſent auctoritatem. Ea maxime propter curſum publicum ne quis interpellare aut morari auderet conceſſa, ut patet ex *toto titulo codice de curſu publico*. Qua acceptione poſſumus vernacule dicere *des paſſeports*. De his adhuc quædam in Ner. c. 12.

2. *Libellis*] Supplicibus quibus, qui propoſitus erat, is dicebatur *a libellis*.

3. *Sphinge*] Nota fabula Thebanæ Sphingis ænigmata proponentis; hanc, qualis fingitur a poëtis, Auſonius hoc verſu expreſſit.

Sphinx volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Caudam omiſit quæ figura ſerpentis erat ſpiris intorti; qualis cernitur in nummis. Plinius lib. 37. c. 1. *Divus Auguſtus inter initia ſphinge ſignavit. Duas in matris annulis jam indiſcreta ſimilitudinis invenerat. Altera per bella civilia, abſente eo, amici ſignavere epiſtolas & edicta, qua ratio temporum nomine ejus reddi poſtulabat, non in faceto lepore accipientium, ænigmata afferre hanc ſphingem.* Quod forte dicterium mutandi cauſſa fuerit.

4. *Alexandri*] An propter majeſtatem, an etiam ea ſuperſtitione ductus, de qua Trebellius Pollio lib. de 30. tyrannis c. 13. ubi dicit Macrianorum familiam viros & mulieres in omni ornamentorum genere exſculptam auro vel argento tuliſſe Alexandri Macedonis imaginem, *quod idcirco*, inquit, *poſui quia dicuntur juvari in omni actu ſuo, qui Alexandrum expreſſum vel auro geſtitant, vel argento*. Certe hunc inter Græcos multi numinis inſtar venerati ſunt. Circumferebant autem non raro ejus Dei ſimulachrum a quo juvari ſe putarent, ut de Aſclepiade Philoſopho refert Ammianus lib. 22. *Dea cæleſtis argenteum breve figmentum quocumque ibat, ſecum ſolitum afferre*. Et de ſeipſo Apuleius in Apologia ſimile quid innuit, *habuit Apuleius quadam linteolo involuta*, &c. Quod magiæ ſuſpicabantur ejus accuſatores.

5. *Diſcoridis*] Hujus meminit Plinius lib. ultimo c. 1. & *Dioſcorides* dicitur, legunt alii *Dioſcuridis*. Sculptor fuit gemmarum artificio præcellens.

CAPUT LI.

§ AD epiſtolas omnes horarum quoque momenta, nec diei modo, ſed & noctis, quibus datæ ſignificarentur, addebat. Clementiæ [1] civilitatiſque ejus multa & magna documenta ſunt. Ne enumerem [2] quot & quos diverſarum partium venia & incolumitate donatos, principem etiam in civitate locum tenere paſſus ſit: Junium Novatum, & Caſſium Patavinum, e plebe homines, alterum pecunia, alterum levi exſilio punire ne ſatis habuit: cum ille [3] Agrippæ juvenis nomine, aſperrimam de ſe epiſtolam in vulgus edidiſſet: hic convivio pleno proclamaſſet, *Neque votum ſibi, neque animum deeſſe confodiendi eum*. Quadam vero [4] cognitione, cum Æmilio Æliano [5] Cordubenſi inter cætera crimina vel maxime objiceretur,

Digitized by Google

quod male [6] opinari de Cæsare soleret: conversus ad accusatorem, commotoque similis: *Velim*, inquit, *hoc mihi probes: faciam sciat Ælianus & me linguam habere: plura enim de eo loquar.* Nec quidquam ultra, aut statim aut postea [7] inquisivit. Tiberio quoque de eadem re [8] sedulo violentius apud se per epistolam conquerenti, ita rescripsit: [9] *Ætati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimium indignari quemquam esse qui de me male loquatur. Satis est enim, si hoc habemus ne quis nobis male facere possit.*

NOTÆ.

1. *Civilitatis*] Civilitas est æqualitas civilis juris, sive ut ait Velleius lib. 2. cap. 7. civilis dignitatis modus, & incivilis qui hunc excessit, quo sensu Lucanus de Julio.

Concessa pudet ire via civemque videri.

In Jul. c. 75. toto hoc capite Augusti exponit clementiam Suetonius, si tamen clementiam dicas quam Seneca lib. 1. de clementia c. 11. lassam crudelitatem appellavit. Vide supra cap. 13. civilitatem vero ad finem 56. more suo, quoties enim partes hoc modo conjunctione expressit, has sigillatim exequitur, ut jam supra notatum est.

2. *Quos & quos diversarum*] Hoc est *adversarum* partium, ut supra in Jul. cap. 1. Seneca ibidem cap. 10. *Si non ignovisset quibus imperasset.*

3. *Agrippa*] Augusti nepos erat de quo infra & in Tiberio plura.

4. *Cognitione*] Caussa in qua princeps ipse judicaturus sedebat Vide infra in Claud. 15 & alibi.

5. *Cordubensi*] Corduba ulterioris Hispaniæ civitas Senecarum origine inclyta, hodie *Cordonë*.

6. *Opinari*] Hoc verbum non modo significat tacite aliquid intra se sentire quod Græcis est δόξαζειν & δόξα *opinio*, sed etiam quod sentias eloqui, quod iidem Græci φημίζειν dixerunt & φήμη *opinio* seu *fama*. Hoc ipso sensu infra cap. 67. & in Calig. 27. Sic tamen in Tiberio c. 26. *mens* & *lingua* opponuntur quem. dmodum, ni fallor, in Tiberio quoque c. 9. *opinio* & *sermo*.

7. *Inquisivit*] Verbum hoc in judiciis natum, ad alia postmodum transtu ere.

8. *Sedulo violentius*] Turnebus adversi. lib. 24. cap 15. testatur veterem scripturam esse *sedulo lentius* quod & in suo scriptum legerat Petrus Pithœus, & conjecturam adjecerat *Dionis* ait Casaubonus prorsusque bene, ut pote quam Ursini asseruere veteres libri, *sed violentius* tamen ha ent Vitterb. & Lissæi aliique codices & prima editio.

9. *Ætati tuæ*] Quasi credidisset Augustus crudelitatem illam, quæ in Tiberio jam inde ab adolescentia se prodebat ætatis potius quam naturæ vitium esse, exemplo, ut ais Casaubonus, suo qui juvenis multa crudeliter fecerat. Sed longe aliter de eo opinatus videtur Tiber. c. 21.

CAPUT LII.

TEmpla quamvis sciret etiam [1] proconsulibus decerni solere: in nulla tamen provincia, [2] nisi communi suo, Romæque nomine recepit: nam in urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore. Atque etiam argenteas statuas olim sibi positas [3] conflavit omnes: exque iis aureas [4] cortinas Apollini [5] Palatino dedicavit. Dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus, [6] dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Proconsulibus decerni solere*] Quod & ipsa stante Rep. factum fuerat, ut ex Cicerone in Epistolis ad Quintum fratrem & ex Polybii lib. 5. manifeste colligas. Nota his quinque continuis capitibus magna civilitatis argumenta. Plutarchus refert templa & gymnasia Tito Flaminio perinde ac deo a Chalcidensibus condita fuisse, suaque etiam ætate hæc perseverasse sacrificia.

2. *Communi suo Romaque nomine*] Testantur inscriptiones, vetus marmor.

Sacerdos Rom. & Aug.

Numismata inscripta *Rom. & Aug.* Historici. Josephus lib. 15. antiquit. c. 13 & lib. 1. bellor. c. 16. quibus tamen locis templi ejusdem mentio est, sed Augusto ab Herode consecrati, Romæ vero non nisi statua ad Junonis Argivæ exemplum. An vero tanta pertinacia Romæ quoque id honoris usurpare abstinuerit, locus hic Suetonii testatur, unde quæ postea in urbe condita sunt non nisi mortuo condita, ut Tiberii apud Plinium lib. 35. c. 4. & ipsius Liviæ in Palatio apud eumdem lib. 12. c. 19 Horatium igitur intelligas tantum de aris Augusto ejusque genio extra urbem constructis Ode 5. lib. 3.

Præsens divus habebitur
Augustus. Ode 5. lib. 4,
Alteris
Te adhibet Deum, &c.

Et epist. 1 lib. 2.

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per numen ponimus aras.

Propert. lib. 3. deum appellat.

Arma deus Cæsar dites meditatur ad Indos.

3. *Conflavit*] Hoc est liquefecit, alias *conflare* est *cudere*, ut Georgic. 1.

Et curva rigidum falces conflantur in ensem.

Et *conflato pecunia*: non eodem prorsus sensu, quo hîc sumitur, non enim nisi liquefecit; ex eis siquidem aureas cortinas non fabricatus est, sed ex earum, ut puto, pretio, nisi argentum transmutatum dixeris quo etiam sensu infra c. 71.

4. *Cortinas*] Hujus vocis varia significatio: nam artificum & agrestium vasa quædam ærea fuere, quibus vel in torcularibus, vel in coquendis coloribus uterentur, ex Plinio Columella, & Platone constat: Hîc intelliguntur tripodes illi quorum tam frequens apud historicos & poetas Græcos præsertim, mentio fit, sive mensæ, sive vasa quoque, sed sacra fuerint, varie ab illis a quibus consecrabantur inscripta, & sculpta in honorem vel dei accipientis, vel hominis offerentis. Cum autem plurimæ Apollini Delphico consecrarentur, hinc aliquando *mensa Delphica*, aut simpliciter *Delphica* nuncupantur.

5. *Palatino*] Cujus templum in Palatio supra c. 29.

6. *Dejecta toga*] Mos notatus jam supra in Jul. c. 33. in omni enim graviore commotione vestes scindebant, pectus nudabant, non ipsi solum, sed & Græci, & Hebræi.

CAPUT LIII.

DOmini appellationem, ut maledictum & opprobrium semper exhorruit. Cum spectante eo ludos, pronuntiatum esset in mimo, *O dominum æquum & bonum!* & universi quasi de ipso dictum exsultantes comprobassent: & statim manu vultuque indecoras adulationes repressit, & insequenti die gravissimo [1] corripuit edicto, *dominumque* se posthac appellari, ne a liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio vel joco, passus est: atque hujusmodi [2] blanditias etiam inter ipsos prohibuit. Non temere urbe oppidove ullo egressus, aut quoquam ingressus est, nisi vespere aut noctu: ne quem officii caussa [3] inquietaret. In consulatu, pedibus fere, extra consulatum, sæpe [4] adoperta sella per publicum incessit. Promiscuis salutationibus admittebat & plebem: tanta comitate adeuntium desideria excipiens, ut quendam joco corripuerit, *quod sic sibi libellum porrigere*

Digitized by Google

dubitaret, [1] *quasi elephanto stipem.* [6] Die Senatus numquam patres nisi in curia salutavit, & [7] quidem sedentes, ac nominatim singulos, [8] nullo submonente: & discedens eo modo sedentibus singulis valedicebat. [9] Officia cum multis mutuo exercuit: nec prius dies cujusque solennes frequentare desiit, quam grandior jam natu, & in turba, quondam sponsaliorum die vexatus. Gallum Terrinium Senatorem, minus sibi familiarem, sed captum repente oculis, & ob [10] id inedia mori destinantem, præsens consolando revocavit ad vitam.

NOTÆ.

1. *Corripuit edicto*] Hoc est scripto publice proposito increpuit; non enim de publico quodam mandato semper intelligenda vox illa, sed de eo omni quod publice significatum vellent, ut passim observare est.

2. *Blanditias*] Sunt inter familiares & sanguine propius junctos blanditiæ, si cum potentioribus res est, adulationes. Sic Martialis Epig. 72. lib. 10.

Frustra blanditiæ venitis ad me,
Attritis miserabiles labellis,
Dicturus dominum, deumque, non
sum.

Vel irrisiones si cum aliis. Idem Martial. epist. 58. lib. 5.

Cum voco te dominum, noli tibi Cinna placere
Sæpe etiam servum sic te salutо meum.

Unde etiam Tiberius a quodam sic appellatus denuntiavit, ne se amplius contumeliæ causa nominaret, infra Tib. c. 27. suppetunt alia passim exempla Claud. cap. 21. & in Domitiano præsertim.

3. *Inquietaret*] Hoc verbo sæpius utitur quam auctores alii Suetonius, infra Calig. 16. & 59. & Claud. 9. in exhibendis ejusmodi officiis magna fuit veterum solicitudo, quam Juvenalis Sat. 5. suo more perstringit v. 20.

Habet Trebius propter quod rumpere somnum
Debeat, & ligulas dimittere, solicitus ne
Tota salutatrix jam turba peregerit orbem.

4. *Adaperta sella*] Lipsius Elect. lib. 1. c. 19 existimat vocem hanc *sella* ex ore Suetonii dum sua tempora respicit, fugisse, cum lecticam dicere debuisset, ut pote cum non Augusti, sed Claudii duntaxat imperio, sellæ in usu fuerint, ex disertis Dionis lib. 60. verbis. Unde vel *adaperta* legit, aut lecticam intelligit (differebant enim, ut infra Domit. c. 2.) Beroaldus *adaperta* legendum censuit, & secutus est eum Casaubonus; quod civilitatem ejus magis ac magis demonstraverit, si patefacta & omnibus obvia lectica veheretur, quam lectionem sibi nimium non placere ait idem ibid. Lipsius, & certe civilitatem Augusti non minus arguerit tecta ipsa lectica, quam aperta, ut pote quo in statu cives a salutationis officio liberaret, sicque vitaret quod, ne inquietarentur, maxime vitatum volebat.

5. *Elephanto stipem*] Macrobius lib. 2. c. 4. inter jocos Augusti hunc quoque refert; sed pro *stipem* habet *assem*, unde confirmatur, quod ex Galeno lib. postremo *de usu partium initio* Casaubonus huc adduxit, nempe μικρότατον ασσαρίου τμῆμα, hoc est *minima æra*, quæ a populo accipiebant, & proboscide involuta sessoribus porrigebant. Quod & Plinius lib. 8. cap. 5. de Elephanto quodam amatore loquens. *Omnium amoris fuere argumenta, gaudium a conspectu, blanditiæque incondita, stipesque quas populus dedisset servata & in sinum effusa.* Et Ælian. lib. 6. de hist. Animal. c. 10.

6. *Die Senatus.*] Vide supra c. 35.

7. *Et quidem sedentes*] Hoc loco patet novissimum venire solitum, & primum egressum: quod vero Casaubonus addubitat, an sedens ipse sedentes salutaret, an secus; videtur explicari verbo *discedens*, ut sensus sit salutatos ab eo singulos, dum singulorum subsellia præteriret, & valediceret, an vero assurgere vetuisset, quamvis non dicat, certe verisimillimum est. Hic notat Casaubonus in Vitterbiensi & Memmiano codicibus legere, *valere dicebat* sine voce *singulis*, quod & Latinum est a multis quoque auctoribus usurpatum.

8. *Nullo submonente*] Nomenclatore de quo supra c. 19.

9. *Officii*] Ea sunt de quibus modo ex Juvenal. reddebantur præsertim solennibus

Digitized by Google

illis diebus de quibus hîc loquitur, si quis v. g. togam puram sumeret, si sponsalia iniret, si deducendi magistratus, candidati, funera, si quid essent recitaturi, aliaque id genus, quorum aliqua summo mane, ut si sumenda virilis toga, aliqua prima vel secunda diei hora, ut sponsalia, aliqua denique noctu ut funera, quæ officia antelucana Plinius appellat epist. 12. lib. 3. quæ omnia Senex factus obire gravabatur ut infra, ubi nota in uno e suis libris legere Torentium, *grandi jam natu*. Reperias enim non semel *magno natu quidam*, &c. apud auctores.

10. *Inedia mori*] Mos fuit tunc temporis, non ex disciplina Stoica maxime vigente deductus: sic Atticus ex Cornelio Nepote, sic Corellius Rufus ex Plinii epist. 12. lib. 1, &c.

CAPUT LIV.

IN Senatu verba facienti dictum est, *Non intellexi*: & ab alio, *Contraditerem tibi* [1] *si locum haberem*. Interdum ob immodicas altercationes disceptantium e curia per iram se proripienti, quidam ingesserunt, [2] *Licere oportere Senatoribus de Rep. loqui*. [3] Antistius Labeo Senatus lectione, [4] cum vir virum legeret, M. [5] Lepidum, hostem olim ejus, & tunc exsulantem, legit, interrogatusque ab eo, *an essent alii digniores, Suum quemque judicium habere* respondit. Nec ideo libertas, aut [6] contumacia fraudi cuiquam fuit.

Notæ.

1. *Si locum haberem*] Quasi diceret nullum cuiquam ab Augusto relictum in Rep. locum, ut pote quam occupasset totam, quod a se primo notatum refert Casaubonus, qui vocem *locum* eodem illo sensu accipi apud Livium probat lib. 10. Decad. 1. *Vir acer & ambitiosus non sui magis honoris caussa, quam ut patricii recuperarent duo consularia loca, cum suis tunc totius nobilitatis viribus incubuit*. Et libro 9. *tribuni militum semideni in quatuor legiones a populo crearentur, qua antea perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum & coss. ferme fuerant beneficia*. Et in Vespas. *pratura sextus locus*, &c.

2. *Licere oportere*] Formula est in ejusmodi contentionibus usitata, ut notat ex Livii lib. 4. Casaubonus *oportet licere Pop. Rom. si velit jubere legem*.

3. *Antistius Labeo*] Juris hic legumque Rom. peritissimus fuit, *sed agitabat hominem* (inquit Gellius lib. 13. c. 12.) *libertas quadam nimia & vecors, usque adeo ut Divo Augusto jam principe & Remp. obtinente, ratum tamen pensumque nihil haberet, nisi quod justum sanctumque esse in antiquitatibus Rom. legisset*. De hoc plura Jureconsulti in Digestorum libris. Et Horatius eodem quo Gellius sensu Sat. 1.

Labeone insanior, inter
Sanos dicatur, &c.

4. *Cum vir virum*] Legunt Beroaldus, & Sabellicus *trium virum* sed parum apto sensu. De hac Senatus lectione supra c. 35.

5. *Lepidum exsulantem*] Circeis ut supra c. 16.

6. *Contumacia*] Videtur referri ad Labeonem, unde *libertas nimia & vecors* Gellio dicitur, quod Suetonio *contumacia*. Vel etiam quod dicimus *opiniâtreté*.

CAPUT LV.

ETiam sparsos de se in curia famosos libellos, nec expavit, & [1] magna cura redarguit. Ac ne requisitis quidem auctoribus, id modo censuit cognoscendum posthac de iis, qui [2] libellos aut carmina ad infamiam cujuspiam [3] sub alieno nomine edant.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Nec magna cura*] Sic Torrentius in Ferrarienſi legit, quod ipſe orationis contextus demonſtrat: alii *& magna cura redarguit*.

2. *Libellos aut carmina*] Huc haud dubie reſpexit Horatius Sat. 1. lib. 2. in fine.

Si mala condiderit in quem quis carmina, jus eſt
Judiciumque.

Et fuſius epiſt. 1. lib. 2. ad Auguſtum.

Feſcennina per hunc inventa licentia morem
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit, &c.
Donec jam ſævus apertam
In rabiem verti cœpit jocus, & per apertas
Ire domos impune minax. doluere cruento
Dente laceſſiti, &c.
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam
Deſcribi, &c.

Cujus pœnæ Tacitus auctorem facit Auguſtum Annal 3. 72. *Apud veteres facta arguebantur, dicta impune erant. Primus Auguſtus quæſtionem de famoſis libellis ſpecie legis ejus tractavit*, &c. Sed & hoc potius inter ea quæ ex antiquitate revocavit: nam & pœnam hanc olim capitalem fuiſſe colligas ex Tullii de Rep. libris, & ex D. Auguſtino lib. 2. *de civitate Dei*. Lege 12. tabul. id cautum, ſub perſona Scipionis patet: *at noſtra* (inquit Scipio) *contra 12. tabula, cum per paucas res capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putaverunt, ſi quis occentaſſet, ſive carmen condidiſſet quod infamiam faceret flagitiumve alteri*. Vide Dion. lib. 56. ubi de his fuſius quam alii. Conſule etiam fragmenta l. 12. tabul. tit. 24.

3. *Sub aliene nomine*] Torrent. emendat *ſuo alienove nomine*, qui idem ſenſus eſt. Sed quid ſi intelligantur hi libelli falſis nominibus certos homines ita deſignaſſe factis eorum dictiſque, ut ignorari non poſſent, quamvis publicati ſub alio nomine, quam eorum quibus maledicebant.

CAPUT LVI.

[1] JOcis quoque quorumdam invidioſis aut petulantibus laceſſitus, contradixit edicto. Et tamen de [2] inhibenda teſtamentorum licentia, ne Senatus quidquam conſtitueret, interceſſit. Quoties magiſtratuum comitiis intereſſet, tribus [3] cum candidatis ſuis circumibat: ſupplicabatque [4] more ſolenni. Ferebat & ipſe ſuffragium in [5] tribu, ut unus e populo. Teſtem ſe in judiciis & interrogari & refelli æquiſſimo animo patiebatur. [6] Forum anguſtius fecit, non auſus extorquere poſſeſſoribus proximas domos. Numquam filios ſuos populo commendavit, ut non adjiceret. *Si merebuntur.* [7] Eiſdem prætextatis adhuc, aſſurrectum ab univerſis in theatro, & a ſtantibus [8] plauſum, graviſſime queſtus eſt. Amicos ita magnos & potentes in civitate eſſe voluit, ut tamen pari jure eſſent quo cæteri, legibuſque judiciariis æque tenerentur. [9] Cum Aſprenas Nonius arctius ei junctus, cauſſam veneficii accuſante [10] Caſſio Severo, diceret: conſuluit Senatum quid officii ſui putaret: *Cunctari enim ſe, ne, ſi* [11] *ſupereſſet, eriperet legibus reum: ſin deeſſet, deſtituere ac prædamnare amicum exiſtimaretur*. Et conſentientibus univerſis, ſedit [12] in ſubſelliis per aliquot horas: verum tacitus, ac ne [13] laudatione quidem judiciali data. Adfuit & clientibus: ſicut [14] Scutario cuidam, [15] evocato quondam ſuo, qui poſtulabatur injuriarum. [a] Unum omnino e reorum numero, ac ne eum quidem, niſi precibus, eripuit, exorato coram judicibus accuſatore, Caſtricium, per quem de conjuratione Murenæ cognoverat.

INTER-

Digitized by Google

INTERPRETATIO.

2 *Liberavit judicio solum Castricium ex reis a que edoctus fuerat conjurationem Murena, idque duntaxat postquam precibus vicisset accusatorem in conspectu judicum.*

NOTÆ.

1. *Jocis*] Plures ab ipso & in ipsum jactatos collegit Macrobius, & retulit lib. 2. c. 4.

2. *Intribenda testamentorum licentia*] Licentiam hanc Torrentius intelligit simpliciter de libertate condendorum testamentorum, quam libellorum auctoribus ereptam fuisse constat ex Ulpiano *l. 5. ff. de injuriis & famosis libellis*, & quidem Senatusconsulto, *l. 18. ff. qui testamenta facere possunt. Si quis ob carmen famosum damnetur, Senatusconsulto expressum est, ut intestabilis sit, ergo nec testamentum facere poterit, nec ad testamentum adhiberi.* Quod huic loco maxime convenire videatur, ni obstet quod contra Augusti intercessionem latum fuisse, fatendum esset. Certe Casaubonus merito ni fallor distinguit *licentiam a libertate*, hæc enim est mera testandi facultas; illa autem, petulantia quædam in testando, quæ magna tunc temporis fuit apud Romanos, solebant enim in testamentis suis alios increpare, aliis maledicere, ut de Fulcinio Trione narrat Tacitus Ann. 6. c. 38. qui *supremis tabulis multa & atrocia in Macronem composuit.* Et Annal. 14. de Fabricio Vejentone *multa & probrosa in patres & sacerdotes composuit iis libris quibus nomen codicillorum dederat.* Sigonius lib. 1. *disputationum Patavinarum* pro *testamentorum* emendat *scommatorum*, quod vulgo rejiciunt, quamvis in quibusdam codicibus *jocorum* testetur legi Casaubonus.

3. *Cum candidatis suis.*] Vide in Julio c. 41. hoc amplius faciebat Augustus quod tribus ipse circuiret, libellos non mitteret.

4. *More solenni*] Qui vigente Rep. vigebat, ut nempe honorum petitores tribus circuirent, singulos prænensarent. Vide in Jul. cap. 19.

5. *In Tribu*] Torrentius in duobus libris legit *in tribus*, unde colligit *in tribu sua.* Casaubonus retinet, *tribu* vel *tribubus* cum aliis membranis. Nam Augustus duabus in tribubus suffragium tulit c. 40.

6. *Forum*] Supra c. 29.

7. *Prætextatis*] Nondum virilis ætatis, nec toga sumta. In Jul. c. 14.

8. *Plausum*] Quibus insigniter aut favebat, aut adulabatur populus, iis theatrum ingredientibus & assurgebat honoris caussa, & plaudebat. His plausibus excepti Cajus & Lucius Augusti nepotes, in filios adoptati, sed ipsi Augusto suspecti si Dionem audias lib. 55.

9. *Nonius Asprenas*] De hoc supra c. 43. & Plinius lib. 35. c. 12. ubi de Patina loquitur, *cujus veneno Asprenati reo Cassius Severus accusator objiciebat interiisse 230. convivas.*

10. *Cassio severo*] Is Augusti postmodum gratia cecidit propter famosos libellos, auctore Tacito, & satis innuit Horatius Epod. lib. Ode 6. in eum amarissima; Cæteroqui orator celebris, ut ex Plinii lib. 1. 7. c. 12. patet, cujus defensionibus rei plures absolvebantur, unde jocus Augusti apud Macrobium lib. 2. c. 4. cum enim *architectus fori Augusti expectationem operis diu traheret, ita jocatus est. Vellem & Cassius meum forum accusasset?* ut nempe citius absolveretur, seu perficeretur.

11. *Superesset*] Hoc est defenderet, quo sensu male suo etiam tempore verbum hoc usurpatum ait Gellius lib. 1. c. 22. in Tito cap. 1.

12. *In subselliis*] Non judicum, ut ait Beroaldus, sed patronorum & rei, nec enim ut princeps, sed ut amicus aderat: ut notat ex Dione Casaubonus.

13. *Laudatione judiciali*] Moris erat ut rei laudarentur ab amicis & propinquis, qui sibi in judiciis aderant, cumque laudationibus ejusmodi judicialibus multi liberarentur, legem tulit Pompeius, qua id vetabat, unde factum est, ut Cato Pompeium ipsum audire nollet, cum in Munatii caussa contra legem suam vellet ipse deprecari. Plutarch. & Dio lib. 40.

14. *Scutario*] Membranæ quædam legunt *Scrutario*, quod vix conveniat: quid enim illi cum Augusto qui scruta deliciariorum genus, popello vendit. Scutarii militum genus ex Ammiano & Paulo Diacono fuisse constat.

Digitized by Google

ex glossario, ut notat Casaubonus scutarium esse ἀξιωμα στρατιωτικον φερεγγυον, hoc est, *dignitate militari præditum*, quales vulgo dicimus *escuyers*.

15. *Evocato*] Evocati primo dicebantur qui e diversis locis collecti in exercitum coibant, ut innuit Servius in 2. Æneidos, ubi in exemplum adducit hunc 8. lib. versum.

Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem.

Hîc evocatus ex eorum numero est, qui stipendiis expletis, & honesta missione impetrata, evocabantur iterum a consule vel a Principe, cujus in gratiam non inviti sed volentes militiam adhuc sequebantur, & honesto erant apud imperatorem gradu, ut centurionibus miscerentur, aliaque commoda præ aliis obtinerent. Quin & integras aliquando evocatorum legiones habuerunt, quos ad militiam magna mercede revocabant. Hic ex veteranorum verosimiliter numero fuit, qui Augustum statim post Julii mortem secuti sunt, ut supra videre est: horum meminit iterum ac tertio in Galb. c. 10. & Vespas. c. 1.

CAPUT LVII.

PRO QUIBUS meritis quantopere dilectus sit, facile est æstimare. Omitto Senatusconsulta, quæ possunt videri vel necessitate expressa, vel verecundia. Equites Romani [1] natalem ejus sponte atque consensu, biduo semper celebrarunt. Omnes ordines in [2] lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant: item Kalendis Januariis [3] strenam in Capitolio, etiam absenti: ex qua summa pretiosissima [4] Deorum simulacra mercatus vicatim dedicabat: ut Apollinem [5] Sandaliarium, & Jovem [6] Tragœdum, aliaque. In restitutionem [7] Palatinæ domus incendio absumtæ, [8] veterani, [9] decuriæ, tribus, atque etiam sigillatim e cætero genere hominum, libentes ac pro facultate quisque pecunias contulerunt: delibante tantummodo eo summarum acervos, neque ex quoquam plus [10] denario auferente. Revertentem ex provincia, non solum faustis ominibus, sed & [11] modulatis carminibus prosequebantur. Observatum etiam est, ne quoties introiret urbem, [12] supplicium de quoquam sumeretur.

Notæ.

1. *Natalem ejus*] Huic quoque Circenses annuos decretos auctor est Dio lib. 55. nec equites modo tanta benevolentiæ specimina præbuerunt, sed & collegia nonnulla eum diem festivum habuere, arcamque communem ad festivitatis impensas, ut probat inscriptio, infra in Calce operis. Solennes semper erant non principum modo sed & privatorum natales dies; mittebant enim invicem munera, multis locis Martial. ac maxime lib. 9. Ep. 54. 55. & sequent.

2. *Lacum Curtii*] Locus erat in foro Romano sic dictus vel a Curtio illo T. Tatii Sabini milite qui se fugatum a Romulo illuc immiserat, ut Dionysius lib. 2. & Livius lib 1. Decad. 1. narrant vel a Curtio illo fortissimo juvene, qui, ut repentinum terræ hiatum monitu deorum oppleret, sese vivum eo præcipitaverit boni publici gratia, de quo tamen & ipse Livius addubitat lib. 7. Decad. 1. quamquam *& lacus nomen*, inquit ibid. *ab hac recentiore insignius fabula est.* Sed suo tempore, quod & Augusti fuit, nullum ibi lacum fuisse testatur Dionysius. Unde conjicere est vigente etiam tunc superstitione, locum opinione vulgi sacrum fuisse, & illuc stipes ex veteri more collatas, quemadmodum in lacus, fontes, puteos, quin & ad arbores & lapides factitatum passim legere est. Eo igitur loci pro Augusto supplicabant, ut qua urbis parte aditus ad manes patuisset, eadem & ipsos Augusto propitios redderent.

3. *Strenam*] Sic dicta sunt munera quæ sibi invicem mittebant ominis boni gratia primo anni die Calendis nempe Januariis; Hujus consuetudinis inventionem ad T.

Digitized by Google

Tatium Sabinorum regem refert Symmachus & ex eo Turnebus Adverſ. lib. 10. c. 16. Sed eo quo hîc deſcribitur modo, nova fuit ſub Auguſto, de his adhuc infra. Tib. c. 34. & Calig 22. & ſuper his inſcriptiones in calce operis : conſule etiam Feſtum.

4. *Deorum ſimulacra*] Videſis inſcriptiones.

5. *Sandaliarium*] Referunt quidam ad calceamentum quo efficta foret illa ſtatua, ſandalium quippe calceamentum Etruſcorum, auctore Julio Polluce. Alii vero ſimilius ad vicum in quo hæc Apollinis ſtatua ſit collocata, res patet ex Gellio lib. 18. cap. 4. *in ſanualiario forte apud librarios fuimus.* Sed ex Sexto Rufo, qui regione templi pacis vicum Sandaliarium commemorat. Adde inſcriptiones.

6. *Tragœdum*] Vel ab habitu tragœdorum, vel a vico ubi collocata ſtatua; meminit enim & vici Tragœdi in regione Eſquilina idem Rufus.

7. *Palatina domus*] Ab ipſo ædificatæ ſupra c. 29.

8. *Veterani*] Nemo neſcit fuiſſe milites poſt expleta ſtipendia, honeſta miſſione dimiſſos, quales evocati cap. præcedenti.

9. *Decuriæ, tribus*, &c.] In Julio c. 13 numeris 3. & 7.

10. *Denario*] Quid ſit in Jul. cap. 4. dedibabat ne ſuorum munificentiam aſpernari videretur.

11. *Modulatis carminibus*] Sic Ode 5. lib. 4. Horatius Romanorum pro abſente Auguſto deſiderium teſtatur.

Divis orte bonis, optime Romula
Cuſtos gentis, abes jam nimium diu, &c.

Paulo infra, *lucem redde tuæ dux bone Patriæ* pro *omnibus* legunt multi *nominibus*, quo ſenſu ipſe Horatius adhuc Ode 2. lib. 1. *hic ames dici pater atque princeps* &c. quibus adde *pius, inclytus, maximus*, quæ in auctoribus hiſtoriæ Auguſtæ multa legere eſt, & pauca cap. ſequenti : qualia Calig. c. 22.

12. *Supplicium de quoquam ſumeretur*] Feſtis enim diebus tam Romani quam Græci a ſuppliciis abſtinuere. Quin & apud Græcos publica judicia, atque idcirco omnem condemnationem ceſſaſſe notat Salmaſius, ſi legati in quaſdam urbes religionum titulo celebres adveniſſent, ut Delon, Epheſon, &c.

CAPUT LVIII.

[1] PAtris patriæ cognomen univerſi repentino maximoque conſenſu detulerunt ei. Prima plebs, legatione [2] Antium miſſa : dein quia non recipiebat, ineunti Romæ ſpectacula frequens, & [3] laureata : mox in curia [4] Senatus : neque decreto, neque [5] acclamatione, ſed per Valerium [6] Meſſallam id mandantibus cunctis : [7] *Quod bonum*, inquit, *fauſtumque ſit tibi, domuique tuæ, Cæſar Auguſte : (ſic enim nos perpetuam felicitatem Reip. & lætæ huic precari exiſtimamus) Senatus te conſentiens cum Pop. Rom. conſalutat* PATRIÆ PATREM. Cui lacrymans reſpondit AUguſtus, his verbis (ipſa enim, ſicut Meſſallæ, poſui) *Compos factus votorum meorum, patres C. quid habeo aliud Deos immortales precari, quam ut hunc conſenſum veſtrum ad ultimum vitæ finem mihi perferre liceat?* A. V. C. DCCLVIII.

NOTÆ.

1. *Patris patriæ*] Quod Ciceroni primo poſt oppreſſam Catilinæ conjurationem delatum in Senatu a Q. Catulo, quod ipſe teſtatur *in Piſonem & pro Sextio*, & a Catone luculenta apud populum oratione, quod narrant Plutarchus *in Cicerone* & Appianus *in bell. civil.* & Plinius lib. 7. c. 30. Ciceronem appellans : *ſalve*, inquit, *primus omnium parens patriæ appellate*, &c. Hinc Juvenalis Satyr. 8. verſ. 244.

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

A Cicerone egregiis quoque imperatoribus delatum, ſed ſub principibus alia quoque nomina invenit adulatio ut *Pii, Inclyti, felicis, triumphatoris*, &c.

Digitized by Google

2. *Antium*] Hodie *Antio* maritimum oppidum, quo sæpe ad relaxandum ab urbanis negotiis animum secedebat, triginta circiter millibus ab urbe dissitum.

3. *Laureata*] Qualis triumphantium currus sequebatur.

4. *Senatus*] Nec etiam defuerunt equites Ovid. lib. 2. Fast.

Sancte pater patria, tibi plebs, tibi curia nomen
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen eques.

Ubi Nonis Februarii factum dicit, anno scilicet ab U. C. 758. notat Casaubonus.

5. *Acclamatione*] Hac enim ratione impetu potius, quam consilio honores illi maximi deferebantur, ut de Romuli consecratione satis innuit Livius lib. 1. *mœstum aliquamdiu silentium obtinuit, deinde a paucis initio facto, deum deo natum, regem parentemque urbis Romanæ salvere universi Romulum jubent.* Qui mos acclamandi e theatris postea in Fora, & inde in Senatum penetravit; sed has acclamandi formulas ante Capitolinum historicus nullus publicavit, ab eo cæteri non ipsas modo formulas sed & numerum quoties quidque dictum esset adnotarunt. Trebellius Pollio in Divo Claudio *hæc in Claudium dicta sunt: Auguste Claudi dii te nobis præstent (dictum sexagies) Claudi Auguste tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus Senator, tu vere Princeps (dictum octuagies, &c)* Videsis Vulcatium Gallicanum *in Avidio Cassio.* Vospicum in Tacito & reliquos historiæ Augustæ Scriptores. Juxta quem morem Christiani quoque concionantes episcopos acclamationibus excipiebant ut testatur D. Augustinus *lib. de Doctrina Christiana cap.* 27. & in actis ordinationis Eradii cum illum S. Augustinus jam senex successorem sibi dixit. Verba retulit Casaubonus ad locum Vulcatii supra laudatum.

6. *Messallam.*] Hujus familia & ut illustrissima, sic & historiæ monumentis notissima. Ut passim colligere est ex infra dicendis Tib. c. 70. Claud. 26. Rhet 1. & Grammat. 4.

7. *Quod bonum faustumque*, &c.] Solennis hæc est consulum in faciendis relationibus formula. Torrentius sic verba hæc legenda censet *felicitatem Reipub. & lætæ huic ordini*, &c. addita ut patet postrema voce, quam Casaubonus addendam negat, trajectionem esse contendens qua *huic* referri debeat ad *Reip.* quo modo capite proxime sequenti dixit *prælato victimæ titulo ducerentur*, pro *prælato titulo victimæ ducerentur.*

CAPUT LIX.

MEdico [1] Antonio Musæ, cujus opera ex ancipiti morbo convaluerat, statuam, ære collato, juxta signum Æsculapii statuerunt. [a] Nonnulli patrum familiarum, testamento caverunt ut ab heredibus suis prælato victimæ titulo, in Capitolium ducerentur, votumque pro se solveretur, QUOD SUPERSTITEM AUGUSTUM RELIQUISSENT. Quædam Italiæ civitates diem, quo primum ad se venisset, initium anni fecerunt. Provinciarum pleræque super templa & aras, [2] ludos quoque quinquennales pene oppidatim constituerunt.

INTERPRETATIO.

a *Ex patribus familiarum quidam jusserunt testamento, ut heredes sui ducerent victimas in Capitolium, & votum eorum solverent* cum *inscriptione hac prælata, quia* mortui *Augustum superstitem reliquerant.*

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Antonio Musa*] Musa Pomponiorum cognomen, unde Torrentius existimat ejus Familiæ libertum hunc fuisse, libertis quippe nomina patronorum imponebantur; de illo medico adhuc infra c. 81. & Horatius epist. 15. lib. 1.

Nam mihi Baias
Musa supervacuus Antonius, & tamen illis
Me facit invisum.

2. *Quinquennales ludos*] Ad imitationem Olympicorum, quos in Jovis honorem singulis quinquenniis Græci celebrabant, quales & Hierosolymis faciendos instituit in ejusdem Augusti honorem Herodes, de quo Josephus lib. 15. antiquit. c. 11. ubi eorum magnificentiam & Judæorum invidiam describit. Neapolitani quoque ut infra c. 98. & Pergameni Dio lib. 51.

CAPUT LX.

REges amici atque socii, & singuli in suo quisque regno, [1] Cæsareas urbes condiderunt: & cuncti simul, ædem [2] Jovis Olympici, Athenis antiquitus inchoatam, perficere communi sumptu [3] destinaverunt, [4] Genioque ejus dedicare: ac sæpe regnis relictis, non Romæ modo, sed provincias peragranti quotidiana officia [5] togati, ac sine regio insigni, more clientium præstiterunt. A. V. C. DCCXI.

NOTÆ.

1. *Cæsareas urbes*] Qualis fuit celeberrima illa, quam Herodes in Phœnicia ad maris litus eo loci condidit, qui tunc turris Stratonis dicebatur, hodie *Caisar* vel *Cæsaria*. De cujus magnificentia prorsus mira Josephus lib. 15. antiquit. cap. 13. & lib. 16. cap. 9.

2. *Jovis Olympici*] Hoc inter varia Jovis cognomina celeberrimum fuit apud Græcos, vel ab Olympio quodam quem Dionysius Ægypti rex filio Jovi institutorem dederit, ut Diodorus Siculus lib. 4. bibliothecæ tradit, vel a monte Olympo altissimo, cujus ideo nomine cœlum ipsum intellexerunt antiqui.

3. *Destinaverunt*] Casaubonus emendat *destinaverant*, quia templum hoc non nisi demum ab Adriano, ut auctor est in ejus vita Spartianus, absolutum est: verum qui destinatum, non continuo, perfectum dicit. Plinius lib. 36. cap. 6. templum hoc longe antea in ceptum fuisse innuit, cum inde advectas a Sylla columnas refert, cujus meminit & Pausanias in Atticis, & Strabo non semel. Tanta templum hoc magnificentia perfecit Adrianus, ut ejus in eo statuæ positæ sint a singulis Græciæ urbibus, quas omnes mirandi operis colosso superatas ab Athenienſibus auctor est idem Pausanias, quin & ejus nomen magno etiamnum hodie in honore est apud eos, qui Athenis vivunt Athenienses, si vera ferunt, qui illinc ævo nostro remearunt, aut locorum situm descripsere.

4. *Genioque ejus*] Hominibus genium præesse dicunt, hunc autem cœlorum alii motorem, naturæ deum alii esse asserunt, suum cuique loco, personæ cuilibet alii tribuunt, quam tueatur & adjuvet. Quo sensu per genium principis juraſse antiquis tanti fuit, ut per omnes Deos, quam per unum Cæsaris genium citius pejeraſse dicat Tertullianus; & qui hoc se jurejurando astrinxisset, nec adimpleſſet, hunc fustibus castigandum rescripserint, *l.* 13. *ff. de jurejurando.*

5. *Togati*] Reges illi Romanorum habitu induti.

Digitized by Google

CAPUT LXI.

A.V.C. DCCXI. QUONIAM qualis in imperiis ac magistratibus regendaque per terrarum orbem pace belloque Rep. fuerit, expositi: referam nunc interiorem ac familiarem ejus vitam: quibusque moribus atque fortuna domi & inter suos egerit, a juventa usque ad supremum vitæ diem. Matrem amisit in primo consulatu: sororem [1] Octaviam, quinquagesimum & quartum agens ætatis annum. Utrique cum præcipua officia vivæ præstitisset, etiam defunctæ honores maximos tribuit.

NOTÆ.

1. *Octaviam*] An hæc sit major, an minor, jam supra notatum est huic autori cum Plutarcho non convenire cap. 4.

CAPUT LXII.

A.V.C. DCCXV. SPonsam habuerat adolescens P. Servilii Isaurici filiam: sed reconciliatus [1] post primam discordiam Antonio, & postulantibus utriusque militibus, ut & necessitudine aliqua jungerentur, privignam ejus Claudiam, Fulviæ ex [2] P. Clodio filiam, duxit uxorem, vix dum nubilem. Ac.[3] simultate cum Fulvia socru exorta, dimisit intactam adhuc, & virginem. Mox [4] Scriboniam in matrimonium accepit, nuptam ante [5] duobus consularibus, & ex altero etiam matrem. Cum hac etiam divortium fecit, pertæsus, ut scribit, morum perversitatem ejus: ac statim Liviam Drusillam matrimonio [6] Tiberii Neronis, & quidem [7] prægnantem, [8] abduxit, dilexitque & probavit unice ac perseveranter.

NOTÆ.

1. *Post primam discordiam*] Supra capitibus 10. 11. 12. & 13.

2. *Pub. Clodio*] De quo in Jul. c. 20. hoc mortuo, etiam Curioni nupserat illa Fulvia, tum denique Antonio, hanc tradit Florus fœminam fuisse, virilis militiæ gladio cinctam in Jul. c. 14. & 15.

3. *Simultate*] Hujus caussam obscœnam fuisse colligas ex veteri Augusti epigrammate.

4. *Scriboniam*] Ex illustrissima Libonum familia, ejus L. Scribonii filia qui S. Pompeii socer erat ex Dione. Scriboniæ fit mentio Grammat. c. 19.

5. *Duobus consularibus*] Horum alterum Scipionem fuisse, facile colligere est ex Propertii Elegia 12, alterum adhuc quærere se fatetur Casaubonus.

6. *Tiberii Neronis*] De hoc sequenti libro.

7. *Prægnantem*] Tacitus & Dio auctores sunt consultos Pontifices respondisse, faustum hujusmodi esse matrimonium. Prudentius autem Apollinis acceptum oraculo.

Idque deum sortes, & Apollinis antra dederunt
Consilium: numquam melius nam cedere tadas
Responsum est, quam cum prægnans nova Nupta jugatur.

8. *Abduxit*] Hoc verbo vis quædam significari videtur, a Tiberio tamen volente concessam infra patebit.

Digitized by Google

CAPUT LXIII.

EX Scribonia Juliam, ex Livia nihil liberorum tulit, cum maxime cuperet. Infans, qui conceptus erat, immaturus eſt editus. Juliam primum Marcello [1] Octaviæ ſororis ſuæ filio, [2] tantum quod pueritiam egreſſo: deinde [3] ut is obiit, M. Agrippa nuptum dedit: exorata ſorore ut ſibi genero cederet. Nam tunc Agrippa [4] alteram Marcellarum habebat, & ex ea liberos. Hoc quoque defuncto, multis, ac diu, etiam ex equeſtri ordine, circumſpectis [5] conditionibus, [6] Tiberium privignum ſuum elegit: coëgitque prægnantem uxorem, & ex qua jam pater erat, dimittere. M. Antonius ſcribit, *Primum eum Antonio filio ſuo* [7] *deſponſe Juliam: dein* [8] *Cotiſoni Getarum regi: quo tempore ſibi quoque* [9] *invicem filiam regis in matrimonium petiiſſe.*

Nota.

1. *Octaviæ ſororis ſuæ filio*] Jul. c. 27.

2. *Tantum quod*] Vulgati legebant *tantumque*. Hoc eſt *vixdum*. Sicque loquitur Suetonius non ſemel infra cap. 88. Neron. c. 6. Veſp. cap. 5. & Cicero lib. 9. epiſt. ad Atticum: *hæc cum ſcriberem tantum quod exiſtimabam ad te orationem eſſe perlatam*. Velleius c. 17. Tiber.

3. *Ut is obiit*] Marcellus nempe anno ætatis 18. Plinius lib. 25. c. 7. dicit frigidarum balnea ab Antonio Muſa de quo ſupra & ejus fratre Euphorbo Jubæ regis medico inventa fuiſſe, & Dio illis enectum Marcellum, fraudibus Liviæ & medici obſequio propter ſummam illam populi erga Marcellum benevolentiam de qua Virgilius in fine lib. 6. Æneid.

4. *Alteram Marcellarum*] Duas ex Marcello conjuge filias & unicum filium Octavia ſuſceperat. Ubi nota filias paternis appellari cognominibus, Calig. c. 12.

5. *Conditionibus*] Hic ſimpliciter intelligitur de vario dignitatum & honoris gradu alias aliter. In Jul. c. 27.

6. *Tiberium privignum*] Liviæ uxoris & Neronis prioris mariti filium, qui Agrippinam duxerat ut in Tiberio c. 7. &c.

7. *Deſpondiſſe*] Quo tempore mortua Fulvia. Octaviam duxit Antonius.

8. *Cotiſoni*] Hujus meminit Horatius Ode 8. lib. 3. *occidit Daci Cotiſonis agmen*, &c. Dacum illum appellat, quem Suetonius Getarum regem: quo confirmatur Plinii hic locus lib. 4. c. 12. *ab eo in plenum quidem omnes Scytharum ſunt gentes, varia tamen litori appoſita tenuere, alias Geta, Daci Romanis dicti*, &c. quamvis aliter, ſed juxta antiquam diviſionem loquatur Strabo lib. 7. De Dacis. Jul. c. 44.

9. *Invicem filiam regis.*] Quod falſo hac de cauſſa objectum dicit Caſaubonus, ut Antonius ſuas cum Cleopatra nuptias aliquo prætextu excuſaret.

CAPUT LXIV.

NEpotes ex Agrippa & Julia tres habuit, [1] Cajum, Lucium, & Agrippam, neptes duas, Juliam & Agrippinam. Juliam L. Paullo Cenſoris filio, Agrippinam Germanico ſororis ſuæ nepoti collocavit. Cajum & Lucium [2] adoptavit domi per aſſem & libram [3] emtos a patre Agrippa: teneroſque adhuc ad curam Reip. admovit: & conſules deſignatos circum provincias exercituſque dimiſit. Filiam & neptes ita inſtituit, ut etiam [4] lanificio aſſuefaceret: vetaretque loqui, aut agere quidquam, niſi propalam:

Digitized by Google

& quod in [5] diurnos commentarios referretur. Extraneorum quidem coetu adeo prohibuit, ut [6] L. Tucinio, claro, decoroque juveni, scripserit quondam, *Parum modeste fecisse eum, quod filiam suam* [7] *Baias salutatum venisset.* Nepotes, & [8] literas & natare aliaque rudimenta per se plerumque docuit: ac nihil æque laboravit quam ut imitarentur chirographum suum.

NOTÆ.

1. *Caium & Lucium*] Is sunt quos Augusti liberos supra toties dixit.

2. *Adoptavit Domi per assem & libram*] Adoptiones apud Romanos varie pro variarum personarum conditione fieri solebant. Qui in patria potestate constituti, consentiente patre adoptabantur, II PER ÆS ET LIBERAM debebant adoptari; hæc enim adoptio, erat imaginaria & fictitia quædam venditio, qua pater naturalis filium suum adoptivo patri cedebat, & quasi mancipabat, ad similitudinem servorum, quo & emebant hoc modo. Adhibebatur autem æs & libra & libripens, hoc est, minister appendendo æri destinatus (pecuniam quippe, seu potius æs suum ab initio appendebant, non numerabant) & quinque testes cives Romani puberes eorum in conspectu qui mancipium accipiebat, seu filium alterius in adoptionem, æs tenens hæc verba proferebat HUNC EGO HOMINEM EX JURE QUIRITIUM MEUM ESSE AJO, ISQUE MIHI EMPTUS EST HOC ÆRE ÆNEAQUE LIBRA. Tum ære libram percutiebat, ipsumque æs dabat ei a quo mancipium seu filium (nec enim hoc casu differebant) accipiebat. Hinc Horatius epist. 2 lib. 2, v. 158. *si proprium est, quod quis libra mercatur & ære:* inde *mancipare* pro *vendere* apud Ciceronem & alios, & *emancipare* pro e potestate dimittere, &c. Torrentius pro *assem* emendavit *as*; Casaubonus *assem* retinuit, quamquam a Jureconsultis *as* sæpius dicatur. *Domi* vero dixit. Publica enim auctoritate non egebat hujus generis adoptio, propter potestatem patris in filios; secus cum adrogaretur paterfamilias.

3. *Emptos*] Fictitia illa venditione de qua modo.

4. *Lanificio*] Ordinarium illud apud Græcos & Romanos exercitium, ut de Penelope Ovidius, de Tanaquille & Lucretia Livius, aliique satis demonstrant: apud Persas probro habitum si quæ fœmina lanæ manus admoveret, ut patet exemplo Sisigambis & aliarum, apud Curtium.

5. *Diurnos commentarios*] Hi erant privatæ Ephemerides, hoc est liber quo res singulis diebus gestæ describebantur a liberto, vel a servo qui ideo *a memoria* sive *a commentariis* dicebatur. At Augusti ipsius diurni actus quos singulis ipse diebus conficiebat, ea tantum continebant, quæ ad imperii rationarium pertinerent.

6. *L. Tucinio*] Variant hîc quam maxime codices, alii *L. Titinio* alii *Turinio. Vicino Vicinio*, ex hoc Torrentius conficit *L.* vel *T. Vinicio*; clara quippe Augusti temporibus Vinitiorum familia, ut ex Velleio colligas, & ex c. 71. infra, ubi quidam Vinicius Augusti conviva legitur, ac maxime ex nummo veteri, quem Torrentius in eum finem huc protulit.

7. *Baias*] Notus aquarum calidarum balneis & deliciis locus in Campania etiam hodie *Baia.*

8. *Literas & natare*] Lipsius Elector. lib. 2. cap. 17. emendat *notare*. ut sit sensus illos ab ipsomet Augusto notas edoctos tam scribendas quam intelligendas, ut supra de Julio *in Julio* c. 56. notatum est, de ipso Augusto infra c. 88. Torrentius retinuit *natare* tum auctoritate codicum unanimi; tum ipso usu verbi *notare* cujus sensus nunquam istic, tum denique antiquorum consuetudine adductus; hi quippe corporis & animi pariter exercitia promovebant, unde proverbium de rudi prorsus & indocto μήτε νεῖν μήτε γράμματα hoc est neque nare neque literas, quæ ambo ut addiscerent filii, præsertim fatagebat Augustus. Natatio una e palestræ exercitationibus; singulis enim fere diebus adolescentes Romani conveniebant in Campum Martium, ubi currendo, luctando & in propinquo Tiberi natando tum ad abluendas sordes cursu & lucta contractas, tum ad hanc quoque artem ediscendam exercebantur.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT LXV.

NEque cœnavit una, nisi ut in imo lecto [r] adsiderent: neque iter fecit, nisi ut vehiculo anteirent aut circa adequitarent. Sed lætum eum atque fidentem & sobole & disciplina domus, Fortuna destituit. Julias, filiam & neptem, omnibus probris contaminatas, [2] relegavit. Cajum & Lucium in duodeviginti mensium spatio amisit ambos: Cajo in Lycia: Lucio, [4] Massiliæ, defunctis. Tertium nepotem Agrippam, simulque privignum Tiberium adoptavit in foro, [5] lege Curiata. Ex quibus Agrippam brevi, ob ingenium [6] sordidum ac ferox, [7] abdicavit, sepositque [8] Surrentum. Aliquan o autem patientius mortem quam dedecora suorum tulit. Nam Caii Luciique casu non adeo fractus, de filia, absens, ac libello per [9] quæstorem recitato, notum Senatui fecit: abstinuitque congressu hominum diu, præ pudore: etiam de necanda deliberavit. Certe cum sub idem tempus una ex conscriis liberta, [10] Phœbe nomine, suspendio vitam finisset: *Maluisse se*, ait, *Phœbes patrem fuisse*. Relegatæ, usum vini, omnemque delicatiorem cultum, ademit: neque adiri a quopiam libero, servove, nisi se consulto, permisit: & ita ut certior fieret: [11] qua is ætate, qua statura, quo colore esset; etiam quibus corporis notis vel cicatricibus. Post quinquennium demum ex insula [12] in continentem, lenioribusque paullo conditionibus, transtulit eam: nam ut omnino revocaret, exorari nullo modo potuit: [13] deprecanti sæpe populo Rom. & pertinacius instanti, *tales filias talesque conjuges* pro concione imprecatus. Ex nepte Julia, post damnationem, editum infamem agnosci, alique vetuit. [14] Agrippam nihilo tractabiliorem, immo in dies amentiorem, in insulam transportavit, sepsitque insuper custodia militum. Cavit etiam Senatusconsulto, ut eodem loci in perpetuum contineretur: atque ad omnem & ejus & Juliarum mentionem ingemiscens, proclamare etiam solebat,

[15] a Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμμεναι, ἀγονός τ' ἀπολέσθαι:

nec aliter illos appellare, *quam treis* [16] *vomicas* aut *tria* [17] *carcinomata sua*.

INTERPRETATIO.

a *Utinam vel sine uxore mansissem vel periissem sine liberis.*

NOTÆ.

r. *Adsiderent*] Sedebant pueri, non accumbebant, ut adhuc in Claud cap. 32. quemadmodum & fœminæ ut Valer. Max. lib. 2. c. 1. *Fœminæ cum viris cubantibus sedentes cœnitabant, qua consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit*, &c. Imus lectus ille est, quem dicto Claudii loco *fulcra lectorum* appellat. Quin & iis peculiarem mensam Tacitus assignat Annal. 13. *mos habebatur principum liberos cum cæteris ejusdem ætatis nobilibus, sedentes vesci in aspectu propinquorum, propria & parciore mensa.* Hinc imi subsellii virum dixit Plautus in Sticho Act. 3. Sc. 2. v. 33. parasitum scilicet.

Haud postulo equidem summo in lecto accumbere,
Scis me dudum esse imi subsellii virum.

Et infra Act. 5. Sc. 4. v. 22.

Potius in subsellio . . Cynice accipiemur quam in lectis, &c. Et Horat. Sat. 8. lib. 2. v. 40. & epist. 2. ad Lollium.

2. *Relegavit*] In loca longe dissita: filiam scilicet in insulam Pandateriam, ut tradit Dio in actis anni 758. hodie *Palmata* in mari Tyrrheno; Neptem vero in insulam Trimerum, ut Tacitus Annal. 4. hodie *S. Maria di Tremiti* in Adriatico mari ante montem Garganum.

3. *Cajo in Lycia*] De hoc in Tiberio cap. 12. 13. 15. Lycia autem Asiæ regio in ora australi hodie *Aldinelli*, aliis *Bricquia*.

4. *Massilia*] Ibi inglorius, morbo periit Hispanias petens, ut ait Velleius lib. 2.

5. *Lege Curiata*] Hoc est Curiatis lata comitiis de quibus in Jul. c. 13. ideoque publice non domi adoptavit: quid ita? quia nempe hi patre mortuo facti erant sui juris, & patres-familias: ejus autem conditionis personæ nisi consensu populi & coram Pontificibus, in alterius potestatem transire non permittebantur. Hæcque adoptionis species propria appellatione dicebatur adrogatio.

6. *Sordidum*] Legit Casaubonus *stolidum ac ferox*, tum quia non putat sordes eas esse potuisse, quarum causa tantas iras conciperet, verum quidni tam sordes quam stoliditas illas excitent? tum quia Tacit. Annal. 1. Agrippam illum dicit *rudem bonarum artium & robore corporis stolide ferocem*; Salmasius ex suo codice probabat *scordalum* quod & optime dixeris: est enim *audax*.

7. *Abdicavit*] A bonis suis amovit, & exheredavit. Quintilianus in Declamat. *lex abdicationis adversus ferociam filiorum constituta est*.

8. *Surrentum*] In Campania hodie *Sorrento*.

9. *Quæstorem*] Is ex eorum genere fuit qui candidati principis dicti sunt, quorum opera in libellis, aliisque ejusmodi, in Senatu significandis principes post eversam Remp. utebantur. Idem, quod hîc Suetonius, habet Seneca lib. 6. de Benefic. cap. 32. *D. Augustus filiam intra pudicitia maledictum impudicam relegavit, & flagitia principalis domus in publicum emisit*, &c. Et hæc præterea *deinde cum interposito tempore in locum iræ subiisset verecundia, gemens quod non illa silentio pressisset*, &c. *exclamavit, horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa, aut Mecænas vixisset*.

10. *Phœbo*] Vulgatæ editiones & quædam MSS. *fœde* & *fœdes* habent.

11. *Qua ætate, qua statura*] Videtur ibi quidpiam latere, quod alii aliter conjiciunt, forte ut resciret plures ne an pauciores, an iidem, an alii, sæpe vel raro eam adirent, atque inde vel ejus nosset adulteros, vel etiam utrum nec ne quid pro libertate sua moliretur edisceret.

12. *In continentem*] In oppidum Rheginorum ubi inclusa fuit, hodie *Reggio* vel *Riggio* in ora Calabriæ ulterioris.

13. *Deprecanti*] Hoc est cum conaretur amoliri ejus pœnas.

14. *In insulam*] Planasiam hodie *Pianosa* in mari Tyrrheno: fuerunt & aliæ nominis ejusdem insulæ. Notum est autem vulgare fuisse temporum illorum supplicium, in insulam deportari ex Juvenali Sat. 1.

Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum, &c.

15. ἄλλ' ὄφελον, &c.] Versus est 3. Iliados.

16. *Vomicas*] Ex sunt tumores purulenti in corpore.

17. *Carcinomata*] Ex genere cancrorum sunt, eoque difficiliora sanatu, quod curationibus irritantur. De his plura apud Plinium multis locis.

CAPUT LXVI.

A.V.C. DCCXIV. AMICITIAS neque facile admisit, & constantissime retinuit: non tantum virtutes ac merita cujusque digne prosecutus, sed [1] vitia quoque & delicta dumtaxat modica perpessus. Neque enim temere, ex omni numero, in amicitia ejus afflicti reperientur, præter [2] Salvidienum Rufum, quem ad consulatum usque, & [3] Cornelium Gallum, quem ad præfecturam Ægypti, ex infima utrumque fortuna, provexerat. Quorum alterum res novas molientem, damnandum Senatui tradidit: alteri ob ingratum &

Digitized by Google

malevolum animum, domo & provinciis suis interdixit. Sed Gallo quoque & accusatorum denuntiationibus & Senatusconsultis ad necem compulso, laudavit quidem [4] pietatem tantopere pro se indignantium: cæterum & illacrymavit, & vicem suam conquestus est, *quod sibi soli non liceret amicis, quatenus vellet, irasci.* Reliqui potentia atque opibus ad finem vitæ sui quisque ordinis principes floruerunt: quamquam & offensis intervenientibus. Desideravit enim nonnumquam, ne de pluribus referam, & M. Agrippæ patientiam, & Mœcenatis taciturnitatem: cum ille ex levi [5] rigoris suspicione, & quod [6] Marcellus sibi anteferretur, [7] Mitylenas se, relictis omnibus, contulisset: hic, secretum de comperta Murenæ conjuratione uxori [8] Terentiæ prodidisset. Exegit & ipse invicem ab amicis benevolentiam mutuam, tam a defunctis quam a vivis. Nam quamvis minime appeteret hereditates, ut qui numquam ex ignoti testamento capere quidquam sustinuerit: [a] amicorum tamen suprema judicia morosissime pensitavit: neque dolore dissimulato, si parcius, aut citra honorem verborum: neque gaudio, si grate pieque quis se prosecutus fuisset. Legata, vel partes hereditatum, a quibuscumque parentibus relicta sibi, aut statim liberis eorum concedere, aut, si pupillari ætate essent, die virilis togæ, vel nuptiarum, cum incremento restituere consueverat.

A. V. C. DCCXXVIII.

Interpretatio.

a *Nihilominus examinavit admodum solicite ultimas voluntates amicorum* suorum, ut *nequidem dissimularet acerbitatem suam si* quis dedisset minus *& sine honorifico elogio, vel latitiam si aliquis memori animo & pio fuisset erga se.*

Notæ.

1. *Sed vitia*, &c.] Casaubonus in membranis legebat: *sed vitia quoque duntaxat & modica delicta perpessus.* Unde ipse sic legendum censuit: *nec vitia quoque duntaxat, sed & delicta modica perpessus.*

2. *Salvidienum*] Hunc conjuratis annumerat Livia apud Senecam lib. de Clementia c. 9. Dio lib. 48. refert huic cum gregem pasceret, flammam e vertice emicuisse futuræ magnitudinis omen, ut infra Tib. c. 14 notabitur; atque eo dignationis apud Augustum perveniisse, ut eum Augustus nec dum Senatorem, consulem tamen designavit, & Appianus 5. bellor. civil. hoc ejus crimen fuisse refert, quod Augustus ab Antonio acceperat Salvidienum, cum Galliæ Narbonensis exercitui præesset, ad se deficere voluisse, unde Augustus prætextu negotii cujusdam accersitum occidi jussit, paulo, ut patet, aliter ac Suetonius.

3. *Cornelium Gallum*] Servius in Eclog. 10. Virgilii *Caium* appellat, Eutropius *Cnæum* hic est, inquit Servius, *Caius Asinius Gallus orator Asinii Pollionis filius*, &c. *fuit autem amicus Virgilio adeo, ut quartus Georgicorum a medio ad finem ejus laudes teneret, quæ postea jubente Augusto in Aristæi fabulam commutavit*, &c. Ingratum autem & malevolum suum animum videtur indicasse quadam linguæ per ebrietatem petulantia, Ovidius quippe:

Nec fui: opprobrio celebrasse Lycorida Gallo;
Sed linguam nimio non tenuisse mero.

Quamquam adhuc dissentiat Amm. Marcellinus lib. 17. de Asinio Pollione supra c. 43. & lib. 1. c. 30.

4. *Pietatem*] Principi maledicere impietatem appellant, contrarium contrario vocabulo.

5. *Rigoris*] Lipsius notis ad Velleium scribendum censet *frigoris*; nam *frigora* & *frigusculum* inter amantes, amicos satis usitata. Casaubonus auctoritatem codicum secutus nihil immutat & rigorem intelligit, quasi Agrippa suspicatus esset, se minus familia-

Digitized by Google

riter acceptum ab Augusto, quo sensu dixit in Jul. c 78. *minus familiari vultu respexisse*, cui opponitur blanda salutatio cum quibusdam familiaritatis notis. Plinius in Panegyr. *gratum quod tantum non ultro clientibus salutatis quasdam familiaritatis notas adderet* Casauboni mentem firmat Plinius, qui inter Agrippæ incommoda prægrave soceri, (id est Augusti servitium annumerat. Muretus idem quod Lipsius censuit 1. Annal. Taciti.

6. *Marcellus*] De quo supra c. 63.

7. *Mitylenas*] Hodie *Metelin* in insula Lesbo. Dio lib. 53 auctor est in Syriam missum, ibi constitisse, provinciamque per legatos administrasse.

8. *Terentia*] Hanc Dio lib. 54. Murenæ sororem fuisse ait, & imminutæ causam amicitiæ fuisse certamen de forma hanc inter & Liviam.

CAPUT LXVII.

PAtronus dominusque non minus severus quam facilis & clemens, multos libertorum in honore & usu maximo habuit: ut [1] Licinium Enceladum, aliosque. Cosmum servum gravissime de se [2] opinantem, non ultra quam compedibus coërcuit. Diomedem [3] dispensatorem, a quo, simul ambulante, incurrenti repente fero apro per metum [4] objectus est, maluit timiditatis arguere quam noxæ: remque non minimi periculi, quia tamen fraus aberat, in jocum vertit. Idem Proculum ex acceptissimis libertis mori coëgit, compertum adulterare matronas: Thallo [5] a manu, quod pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, [6] crura effregit. Pædagogum ministrosque Caii filii, per occasionem valitudinis mortisque ejus, superbe avareque in provincia grassantes, oneratis gravi pondere cervicibus, [7] præcipitavit in flumen.

NOTÆ.

1. *Licinium Enceladum*, &c.] Josephus antiquit. lib. 17. Celadi cujusdam meminit unde suspicatur Casaubonus legendum hîc *Licinium* & *Celadum*. Alii passim leguntur Augusti liberti, ut Thyrsus, Eros, Proculus, Epaphroditus, Polybius, Julius Marathus, &c.

2. *Opinantem*.] Vide supra c. 51. de hujus verbi significatu.

3. *Dispensatorem*] Is minister est ex servorum plerumque numero, cui omnes familiæ rationes erant commissæ. Macrobius lib. 2. cap. 3. de ipso Augusto loquens *dispensatorem vocavit, centum sestertia Graculo numerari jussit*. Juvenal. Sat. 2. *Prælia quanta illic, dispensatore videbis armigero*, &c. & Suetonius multis adhuc locis infra.

4. *Objectus est*] An ita intelligendum ut Diomedes ille irruenti apro Augustum obiecerit, quo ejus vitaret incursum, an vero fuga illum deseruerit?

5. *A manu*] Hoc est scriba qui ideo servus amanuensis, in Jul. c. 74.

6. *Crura effregit*] Crurifragium quod & crurifrangium, nam antiqui *frago* pro *frango* ut & *tago* pro *tango* dixere, servorum præsertim supplicium Senec. lib. 3. de ira c. 32. *Magnam rem sine dubio fecerimus, si servulum infelicem in ergastulum miserimus. Quid properamus verberare statim, crura protinus frangere*. Illud antiquitus ut pote. Plauti temporibus in usu. Asinaria Act. 2. Sc. 4. v. 68.

Crura hercle effringentur.

Quin & hæc in liberos quoque homines exercita sævitia ex eodem Senec. 3. de ira c. 13. hinc tot hujus in Martyrologiis exempla, & Tiber. c. 44.

7. *Præcipitavit*] Genus hoc supplicii non multo apud Romanos in usu fuerat, sed provincialibus id illis Augustus indulgebat, ut suis in improbos istos homines legibus animadverterent. Provincia quippe in qua Cajus obiit, Syria fuit, aut Lycia, nec enim auctoribus super hoc re convenit, in illa autem supplicium illud cognitum, ut ex Mathæi c. 18. & Hieronymo probat Casaubonus, ut & de Lycia Græcisque Polybius, Diodorus, Plutarchus, alii tamen pedibus, alii cervicibus pondera alligabant.

Digitized by Google

CAPUT LXVIII.

PRIMA juventa variorum dedecorum infamiam ſubiit. Sex. Pompeius ut effœminatum inſectatus eſt. M. Antonius adoptionem avunculi ſtupro meritum. Item [1] Lucius Marci frater, quaſi pudicitiam delibatam a Cæſare, A. [2] etiam Hirtio in Hiſpania ccc. millibus nummum ſubſtraverit: ſolituſque ſit crura ſuburere [3] nuce ardenti, quo mollior pilus ſurgeret. Sed & populus quondam univerſus ludorum die, & accepit in contumeliam ejus, & aſſenſu maximo comprobavit verſum in ſcena pronuntiatum de [4] Gallo matris Deum tympanizante,

Videſne ut cinædus [5] orbem digito temperet?

NOTÆ.

1. *Lucius*] Antonius ſcilicet Marci Antonii frater de quo ſupra c. 14.

2. *Aulo Hirtio*] Conſuli qui Mutinenſi bello periit c. 10. & 11.

3. *Nunc ardenti*] Qui glabri videri volebant & molles, variis ii modis ſibi pilos aut adurebant aut evellebant. Hoc quamvis ab initio fœminarum duntaxat eſſet; viri tamen poſtmodum uſurparunt, ſed non ſine effœminati animi ſuſpicione: hinc Juvenal. Sat. 9.

Nullus tota niter in cute, qualem
Præſtabat calidi circumlita faſcia viſci
Sed fruticante pilo neglecta, & ſqualida crura.

Et Martial. Epig. 62. lib. 5.

Crura gerit nullo qui violata pilo.

4. *Gallo matris Deum*] Hæc erat Cybele, quam & Rheam & Berecynthiam magnam deorum matrem, Idæamque appellitari notius eſt; quæ nihil aliud fuit quam terra communis parens: unde Lucretius de ea lib. 2.

Muralique caput ſummum cinxere corona
Exemiis munita locis quod ſuſtinet urbes.

Et Virgil. lib. 10. v. 254.

Alma parens Idæa deum cui Dindyma cordi
Turritaque urbes, &c.

Locis innumeris hujus ſacerdotes dicebantur Galli, vel a Gallo flumine Phrygiæ; ex quo qui biberat, furore correptus, genitalia ſibi amputaret, vel a Gallo quodam qui primus Cybeles ſacerdos fuerit, ut ut eſt, ii ſamia teſta, genitalia ſibi præcidebant, auctore Plinio lib. 35. c. 12. cujus rei cauſſam videſis apud Arnobium lib. 5. adverſus Gentes: quamquam non nihil differat Catullus Galliambo de Berecynthia, & Dionyſius Halicar. lib. 2. Hinc molles & effœminati paſſim dicuntur. Unus iis præerat, qui dicebatur Archigallus.

5. *Orbem digito temperet*] Tympana præcipua fuere in Cybeles ſacris Gallorum inſtrumenta, ea rotunda & digito vel palma pulſari ſolita. Lucretius lib. 2.

Tympana tenta ſonant palmis, & cymbala circum
Concava.

Enervatos & effœminatos quoſcumque tympana vel cymbala geſtare dicebant: Plautus Truculento Act. 2. Sc. 7.

Mœchum, malacum, cincinnatum umbraticolam, tympanotribam
Amas? hominem non nauci?

Quia vero forma hæc rotunda orbem referebat, hinc de Auguſto, Galli inſtar, effœminato, Romanum tamen orbem temperante nutu ſuo, dictum accipiebant hunc verſum. Reliqua turpiora quam ut explicationem patiantur.

Digitized by Google

CAPUT LXIX.

ADulteria quidem exercuisse, ne amici quidem negant: excusantes sane, non libidine, sed ratione commissa: quo facilius consilia adversariorum per cujusque mulieres exquireret. M. Antonius super [1] festinatas Liviæ nuptias objecit, & fœminam consularem e [2] triclinio viri coram in cubiculum abductam, rursus in convivium rubentibus auriculis, incomtiore capillo reductam: & dimissam Scriboniam, quia liberius doluisset nimiam potentiam [3] pellicis: & [4] conditiones quæsitas per amicos, qui matresfamilias & adultas ætate virgines denudarent, atque perspicerent, tamquam [5] Thoranio mangone vendente. Scribit etiam ad ipsum hoc familiariter adhuc, nec dum plane [6] inimicus, aut hostis. *Quid te mutavit? quod reginam bibo? uxor mea est. Nunc cœpi, an abhinc annos novem? tu deinde solam Drusillam inis? ita valeas uti tu hanc epistolam cum leges, non inieris Tertullam, aut [7] Terentillam, aut Rufillam, aut Salviam Titisceniam, aut omnes. Anne refert ubi & in quam arrigas?*

NOTÆ.

1. *Festinatas Liviæ nuptias*] Utpote quam prægnantem abduxit c. 62.

2. *E Triclinio viri*] Hæc est codicum omnium lectio: emendant tamen interpretes, *viro* ne in ipsius viri domo abductam intelligant, sed tantum viro præsente; non autem quin vox *coram* absque casu etiam ponatur ut Ode 6. lib. 3. Horatius,

Sed jussa coram non sine conscio
Surgit marito.

3. *Pellicis*] Pellex ea dicitur, quæ cum eo corpus miscet, qui uxorem habet, sed uxoris tantum pellex non etiam viri. Cicero in Oratore num. 108. *Uxor generi, noverca filii, filia pellex*, &c. Sic apud Ovidium Metam. lib. 10. Mirrha Cyniram patrem ardens seipsam interpellat.

Tunc eris & matris pellex, & adultera patris &c.

Sic & in Jul. c. 49. quamquam alio quoque sensu, usurpatam reperias hanc vocem.

4. *Conditiones*] De hujus vocis significatu in Jul. c. 27.

5. *Thoranio mangone vendente*] Hoc pacto emebantur a mangonibus mancipia, quæ multis modis illa fucabant, ut pretiosiora efficerentur, unde mangonizandi verbum. Plinius lib. 32. c. 10. *ita pueris mangonizavit Salpe obstetrix.* Et de eorum etiam arte ad gracilitatem mancipiorum emendandam lib. 23. c. 6. Gemmarum quoque mangones dixit idem extremo ipso libro 37. scilicet c. 13. vide c. 42. Toranius autem celebris quidam illius temporis mango.

6. *Plane inimicus, aut hostis*] Aperte distinguit; hic enim privatorum est, ille Reip.

7. *Terentillam*] Diminutio est, seu blandiens quædam appellatio, quales inter amantes usurpantur pro *Terentia* Mœcenatis uxore dixit, sic & *Tertullam*, & *Rufillam* pro *Tertia* & *Rufa*. Hujus loci sensus est, opto ut tam firma tibi sit valetudo, cum accipies hanc epistolam, quam verum erit te non inivisse, &c.

CAPUT LXX.

COENA quoque ejus secretior [1] fabulis fuit, quæ vulgo [2] Δωδεκάθεος vocabatur: in qua Deorum Dearumque habitu discubuisse convivas, & ipsum pro Apolline ornatum, non Antonii modo epistolæ singulorum nomina amarissime enumerantis, exprobrant, sed & sine auctore notissimi versus:

Cum [2] primum iſtorum conduxit menſa [3] choragum,
Sexque Deos vidit [4] Mallia, ſexque Deas:
Impia dum Phœbi Cæſar mendacia ludit,
Dum nova divorum [5] cœnat adulteria
Omnia ſe a terris tunc [6] Numina declinarunt:
Fugit & auratos Juppiter ipſe [7] thronos.

Auxit cœnæ rumorem ſumma tunc in civitate pænuria ac fames. Acclamatumque eſt poſtridie, *frumentum omne Deos comediſſe: & Cæſarem eſſe plane Apollinem: ſed Tortorem.* [8] Quo cognomine is Deus [9] quadam coin parte urbis colebatur. Notatus eſt ut pretioſæ ſupellectilis [10] Corinthiorumque præcupidus, & aleæ indulgens. Nam & proſcriptionis tempore ad ſtatuam ejus adſcriptum eſt,

Pater [11] argentarius, ego [12] Corinthiarius.

cum exiſtimaretur, quoſdam propter [13] vaſa Corinthia inter [14] proſcriptos curaſſe referendos. Et deinde bello Sicilienſi epigramma vulgatum eſt,

Poſtquam [15] bis claſſe victus naves perdidit,
Aliquando ut vincat, ludit aſſidue aleam.

INTERPRETATIO.

[2] *Statim atque convivæ illi pacti ſunt cum choragō, & Mallia vidit ſex Deos, ac totidem deas. Dum Auguſtus* per *mendacium nefandum, effingit Phœbum &* exprimit *adulteria deorum cœnando*, &c.

NOTÆ.

1. *In fabulis*] Hoc eſt in ore vulgi & quotidianis rumoribus. Ovid.

Fabula nec ſentis tota jactaris in urbe.

2. *Duodecim deorum*] Hoc eſt duodecim deorum; quos vocabant majores Ennii verſibus expreſſos.

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

3. *Choragum*] χορηγὸς Græcis ille eſt qui ſumtus præbet in ludos ſacros chorique & convivii quaſi ductor & magiſter eſt. Latinis vero Choragus eſt vel præfectus, vel locator hiſtrionicorum inſtrumentorum, ſeu ornamentorum totiuſque Choragii, hoc eſt Scenici apparatus, & ſuppellectilis. Senſus igitur eſt fugiſſe deos, ubi primum parari viderunt ſuppellectilia illius cœnæ Hiſtrionicæ, cujus convivæ exhibituri erant adulteria deorum.

4. *Mallia*] Vel una eſt e ſex illis mulieribus, quæ dearum habitu cœnæ intererant, vel, quæ Sabellici mens eſt, multer quædam quæ iſta viderit, & detexerit.

5. *Cœnat, adulteria*] Quo ſenſu Cicero in Topicis dixit *ad has diſcendi epulas recepi* & D. Auguſt. in libris Confeſſ. *iniquitatem epulari.*

6. *Tunc numina declinarunt*] Unde forſan factum dixere penuriam, quod irati dii, deæque annonam pro more non ſuppeditaſſent, hinc etiam tortorem non male dixeris Apollinem illum falſum, Auguſtum ſcilicet, cujus cauſſa copioſæ meſſis loco, cui maturandæ verus Apollo præeſt, ea ſterilitas facta fuerat, qua torquebantur, in ultionem divini contemptus.

7. *Thronos*] Hoc eſt pretioſas illas ſellas quas habebat in capitolio. Quæ lectio plurium codicum auctoritate confirmata eſt; quamquam in nonnullis extet *toros* & præfert Torrentius de Jovis lectiſternio intelligens, quod in Capitolio ſtratum eſſet; rejicit Caſaubonus quod nulla tunc temporis lectiſternia fuiſſe legantur; verum quidni de deorum pulvinaribus intelligat? de quibus in Jul. c. 76. & ſupra c. 45. Quod autem

Digitized by Google

fibronos Latinum neget Torrentius, non ita primum videtur, nam in pervigilio Veneris, quod carmen cujusvis sit, antiquum omnes ateantur, legas.

Cras Dione jura dicet fulta sublimi throno.

8. *Quo cognomine*] Ut de Sandaliario supra c. 57. dictum est.

9. *Quadam parte urbis*] Prope Suburam verisimiliter colligas ex Martial. Epig. 17. lib. 2.

Tonstrix Suburæ faucibus sedet primis
Cruenta pendent quæ flagella tortorum.

Cum autem in Subura primo Julius habitasset, ut in Jul. c. 46. si existimetur eo loci facta hæc cœna; eo potiori jure dictus fuerit *Apollo Tortor*, quod in eodem vico Apollo fictus esset, in quo sub ejusmodi cognomine *Apollo Tortor* erat.

10. *Corinthiorum*] Corinthia dicebantur simpliciter ejusmodi opera, quæ ex pretioso illo ære Corinthio conflata erant, quod *casus miscuit*, ut ait Plinius lib. 34. cap. 2. Capta scilicet & inventa Corintho circa annum U. C. 608. ut ait ibidem Plinius. De quo & Florus lib. 2. c. 16. de Mummio illius expugnatore loquens. *Quantas opes abstulerit & cremaverit hinc scias, quod quidquid Corinthii aris toto orbe laudatur incendio superfuisse comperimus; nam & aris pretiosionem natam ipsa opulentissima urbis fecit injuria, quia incendio permistis plurimis statuis atque simulacris æris, auri, argentique vena in commune fluxere.* Alii non casu sed industria cujusdam ærarii artificis mistum, alii non urbis, sed unius ædificii in quo plurima erant signa, incendio factam narrant mistionem de qua dissensione videsis Muretum lib. 3. Var. lect. c. 5.

11. *Argentarius*] Supra c. 3.

12. *Corinthiarius*] Corinthiorum artifex, sed & minister ille postea sic dictus est, qui in aula principum curam horum operum gerebat: veterem lapidem laudat Casaubonus. CALLITYCHE ZOILI CORINT. AGRIPP.

13. *Vasa Corinthia*] Veteres Critici dicendum voluere *Corinthiaca vasa* cui tamen observationi MSS. multorum libros non convenire notat Casaubonus.

14. *Inter proscriptos*] Exemplo forte Antonii: idem de Augusto quoque suspicati sunt: Plinius enim lib. 34. c. 2. proscriptum ab Antonio Verrem narrat non alia de causa *quam quod Corinthiis se ei cessurum negavisset.* Quæ plurima ex Sicilia Verres abduxerat, ut fuse objicit Cicero in Verrinis.

15. *Bis classe victus.*] Vide supra c. 15. de duplici naufragio.

CAPUT LXXII.

EX quibus sive criminibus sive maledictis, [1] infamiam impudicitiæ facillime refutavit, & præsentis & posteræ vitæ castitate. Item lautitiarum invidiam, cum & [2] Alexandria capta, nihil sibi præter unum [3] murrhinum calicem, ex instrumento regio, retinuerit, & mox vasa aurea assiduissimi usus [4] conflaverit omnia. Circa libidines [5] hæsit: postea quoque, ut ferunt, ad vitiandas virgines promptior, quæ sibi undique etiam ab uxore conquirerentur. Aleæ rumorem nullo modo expavit: lusitque simpliciter & palam oblectamenti caussa, etiam senex: ac, [6] præterquam Decembri mense, aliis quoque [7] festis profestisque diebus. Nec id dubium est: [8] autographa quadam epistola, *Cœnavi*, ait, *mi Tiberi, cum isdem. Acceserunt conviva [9] Vinicius & Silvius pater.* [10] *Inter cœnam lusimus* [11] *per duos & heri & hodie.* [12] *Talis enim jactatis, aut* [13] *quisque canem, aut senionem miserat, in singulos talos* [14] *singulos denarios in medium conferebat: quos tollebat universos qui* [15] *venerem jecerat.* Et rursus aliis literis, *Nos, mi Tiberi,* [16] *Quinquatrus satis jucunde egimus. Lusimus enim per omnes dies,* [17] *forumque aleatorium calfecimus.* [18] *Frater tuus magnis clamoribus rem gessit. Ad summam tamen perdidit non multum: sed ex magnis detrimentis præter spem paullatim*

Digitized by Google

paullatim retractus est. Ego perdidi [19] *viginti millia nummum, meo nomine: sed cum effuse in lusu liberalis fuissem, ut soleo plerumque. Nam si* [20] *quas manus remisi cuique, exegissem, aut retinuissem quod cuique donavi, vicissem vel quinquaginta millia. Sed hoc malo. Benignitas enim mea me ad cælestem gloriam efferet.* Scribit ad filiam, *Misi tibi denarios* [21] *ducentos quinquaginta, quos singulis convivis dederam, si vellent inter se, inter cœnam vel talis* [22] *vel par impar ludere.*

NOTÆ.

1. *Infamiam impudicitiæ*] Illius nempe, qua prostitutus existimabatur, refutavit autem illis legibus, quibus hujusmodi sceleribus pœnas irrogabat c. 34.

2. *Alexandria capta*] Supra c. 17.

3. *Murrhinum calicem*] Plinius lib. 37. varia circa gemmas considerans ac præsertim c. 2. iis annumerat murrham, & murrhina vasa, qua mente fuisse videtur & Seneca lib. 7. *de benefic.* c. 9 & Martialis aliique passim. Propertius tamen Elegia 5. lib. 4. fictilia fuisse murrhina vasa aperte indicat.

Seu quæ palmifera mittunt venalia Theba,
Murrheaque in parvis pocula cocta focis.

Ad quem locum Josephus Scaliger eadem esse dicit, quæ nos *porcellanea* nuncupamus. Et jure miratur ignotum Plinio hunc Propertii locum. certe idem hic auctor lib. 37. c. 2. dicit e Carmania advehi murrhina: quo probabile fit ignorasse antiquos qua ratione fierent murrhina, aut quid ipsa foret murrha. Qui enim regiones illas peragravere, porcellanea fieri narrant in Sina ex luto quodam albo in fornacibus cocto, appositè, ut patet ad mentem Propertii, quibus tamen viderint an ea conveniant omnia, quæ de murrhinis ibidem habet Plinius.

4. *Conflaverit*] Supra c. 52.

5. *Hæsit*] Quasi ad scopulum, Metaphora est, ut patet, ducta a re nautica, sic Cicero pro Roscio dixit *ne Scylleo illo aris alieni in freto ad columnam adhæresceret, in Tribunatus portum confugit.*

6. *Ac prater quam mense Decembri*] Hoc est præterquam quod ex more publico ludebat assidue per mensem Decembrem &c. Tunc enim temporis tota civitas ludorum & luxuriæ apparatu personabat, cum totus propemodum ille mensis, festis transigeretur, ut cap. 42. notatum est Saturnalia præsertim ad 14. Cal. Jan. magna hilaritate celebrabant, ut ex Macrobio colligere facile est.

7. *Festis, Profestisque diebus*] De his Macrobius lib. 1. c. 16. *Numa ut in menses annum, ita in dies mensem quemque distribuit, diesque omnes aut festos, aut profestos, aut intercisos vocavit. Festi diis dicati sunt. Profesti hominibus, ob administrandam rem privatam, publicamque concessi. Intercisi deorum hominumque communes sunt*, &c.

8. *Autographa*] Ipsius manu scripta.

9. *Vinicius & Silvius*] Forte Vinicius ille de quo supra c. 64. Pro *Silvius* scribit Casaubonus *Silius*. Fort. mallet *Salvius*. Fuit utraque gens Romana, non vero *Silvia*: fuit quidam tunc temporis M. Salvius Otho Liviæ familiaritate conspicuus, cujus meminit infra in Othone c. 1.

10. *Inter cœnam*] Hoc est inter cœnæ fercula, lautiores enim cœnis suis lusus inferebant, unde & cum apophoretis afferebantur quoque tali & tesseræ, ut ex Plauti Asinaria Act. 5. Sc. 2. v. 55. Propertio, Martialique, &c. colligas.

11. γηραιικῶς] Adverbium Græcum. Hoc est *seniliter*, more scilicet senum oblectamenti caussa, non cupiditate lucri. Ita Cicero in libro de Senectute 58. *nobis senibus ex multis voluptatibus talos relinquant, & tesseras: id ipsum tamen ut libebit* &c.

12. *Talis enim*, &c. Talus ossiculum est, quod bisulcis animalibus in posteriorum pedum articulo, sive ut aliis placet, in ipsa cruris posterioris suffragine reperitur. Ut ait Aristoteles lib. 2. de Historia animalium c. 1. & ex eo Plinius libro 11. c. 45 hujusmodi ossibus vel veris vel ad eorum similitudinem fictis ex ebore, v. g. auro, argento, &c. usi sunt senes & pueri ad ludendum quo modo hodieque tesseris ludimus, in tabulam quam & abacum & alveolum lusorium dixere missis vel manu, vel potius pyrgo seu turricula (qualem nos *in torno*) ne manus dexteritate fraus aliqua fieret: unde Martialis Epig. 16. Apophoret. pyrgum seu turri-

Digitized by Google

culam illam loquentem inducens ait,

Quarit compositos manus improba mittere talos,
Si per me mittit, nil nisi vota facit.

13. *Ut quisque Canem aut Senionem*] Talis quatuor lusere, totidem quot erant tali latera ad ludum adhiberi solita, summa quippe pars & ima curvatur magis, quam ut iis posset consistere: Latera hæc ita inter se opposita sunt, ut duorum alterum cavum, alterum dorso quodam emineat ὕπτιον illud hoc est *supinum*, hoc autem πρηνὲς hoc est *pronum* Aristoteles ibidem appellavit: alia duo latera sibi quoque opposita sunt, alterum non nihil cavum est instar literæ S, alterum ferme planum nisi si tantisper emineat, κῶα & χῖα de pluribus enim loquitur, vocat Aristoteles, χῖα Julius pollux appellat *hoc est unitatem*, Latini *canem*, ut & κῶα *Senionem* sive *ceum*. Supinum autem & pronum ternarii & quaternarii nomine appellavere, unde animadvertere est, quod notat Casaubonus opposita duo latera septenarium semper numerum effecisse hoc modo

canis	*senio* vel *ceus*
1	6
3	4

14. *Singulos denarios*] Nostrates 3 s. 6 d. ut in Jul. c. 4. notatum est. His verbis patet Senionem quoque ex infelicibus missibus unum fuisse, contra tamen omnino Persius qui Satyra 3. *dextrum* appellat. *quid dexter Senio ferret,*

Scire erat in votis, damnosa canicula quantum
Raderet, &c.

Et merito, Senio quippe, ut notant veteres Glossæ ad illum locum, *major missus, ut canis minor*. Hinc haud immerito colligas genus hoc ludendi, quo tunc utebatur Augustus, iisdem atque publicum aleatorum legibus non constitisse, quod certe innuere videtur ipsemet: nisi enim peculiari quadam lege lusisset, satis fuerat dixisse *inter cænam lusimus talis*. Infelicem fuisse canis missum tum ratione, quia minimus omnium, tum Persii loco patet aliorumque *qui damnosum appellant* Propert. lib. 4. Elegia 9.

Semper damnosi subsiliere canes.

Ovidius 2. de arte v. 206.

Seu jacies talos, victam ne pœna sequatur,
Damnosi facito stent tibi sæpe canes, &c.

15. *Qui Venerem jecerat*] Quatuor talorum quales modo descripti sunt missus diversi, non plures quam 35. ut notat Eustathius in penult. Iliados & animadvertenti patebit; aliis alii nominibus, ut quidam existimant, appellati, ut deorum Heroum, Poëtarum, meretricum, &c. Venus dicebatur omnium fortunatissimus, tuncque eveniebat cum missi e turricula tali diversa omnes facie apparebant hoc pacto 1. 3. 4. 6. binarius enim & quinarius in talis nullus erat, Martialis Apophoret. 14. cui titulus *tali eborei.*

Cum fleterit vultu nullus tibi talus eodem
Munera me dices magna dedisse tibi.

Et unus instar, omnium huic rei probandæ Lucianus in amoribus, ubi de eo adolescente loquitur qui talos apud statuam Veneris Gnidiæ jactat κἀγὼ βαλὼν ἐ'πὶ σκοπὸν μᾶλλον ἢ ἐπὶ τοῦτο καὶ σὺ μὲν οὐτινὶ ἐ'ν βαλὴ'τις μηδὲν ὃ ἀφ' ἁλὸς πεσόντος ἴσον ἐκ'μὴν αὐτοῦ νέμων, τὴν ἐ'πιθυμίαν πυ'ξιθεν νομίζων; hoc est, *& jactans ad scopum maxime si ipsam deam* (venerem) *feliciter jactasset, nullo talo æquali figura cadente, adorabat existimans se optata consecuturum*. Hoc eodem sensu Propertius ibid.

Me quoque per talos venerem quærente secundos, &c.

16. *Quinquatrus*] Torr. in optimo lib. legit *quinquatris* Casaubonus *quinquatriis* ita tamen ut probet *quinquatrus* ex Memmii & Lisiæi codicibus. Sed in accusandi casu, quod lectionem nostram confirmat, exigere quippe videtur hoc analogia, quamquam & *quinquatria* Domitiani c. 4. legas & Horatius epist. 2. ad Florum.

Puer ut festis quinquatribus olim.

Quinquatrua festa sunt Minervæ, sive quod post quintum diem Idus Martii contingerent; sive quod ut ait Ovidius 3. Fast. sub finem per quinque dies celebrarentur, *nominaque a junctis quinque diebus habent*. Ubi notare est ex Gellio lib. 2. cap. 21. terminationis caussa addi *atrus* ut etiam in *sexatrus septimatrus*, &c. aliquid addunt, Varro lib. 5. de L. L. & Macrob.

17. *Forum aleatorium*] Torrentius & Casaubonus interpretantur de lusorum qui frequentes adfuissent conventu, metaphora ducta a foro quo confluebant aleones, aliique eiusmodi homines sordidi, qui omnem existimationis suæ curam deposuerant, unde Cicero Philippica 2. *hominem omnium nequissimum qui non dubitaret in foro aleæ ludere*. Hinc ab ædilibus expellebantur lege quæ erat de alea, puniendi. Cicero ibidem *lege qua est de alea condemnatum qui in*

Digitized by Google

integrum restituit, is non apertissime studium suum ipse profitetur. Salmasius tamen ad Flavium Vopiscum utrumque misere falli ait, & forum aleatorium pro alveo lusorio, seu tabula ipsa in quam tali mittebantur, intelligit *nam*, inquit, *forus & tabula idem. Unde fori navium sunt tabulata, & fori torcularium.* Quod quam bene, viderint alii. Ego sane tanti viri eruditionem potius hîc laudaverim, quam sententiam.

18. *Frater tuus*] Drusus Nero de quo infra.

19. *Viginti millia nummum*, &c.] Hoc est nostrates libras 880. quinquaginta vero millia 2200 l. ut supra in Jul. c. 4.

20. *Manus*] Casaubonus explicat de pecunia quam quisque post jactum infelicem conferebat quem secutus Franciscus Guietus in notis suis vertit *coups de dez*.

21. *Ducentos quinquaginta denarios*] Hoc est mille nummos, in denario quippe quatuor nummi sestertii ut supra in Jul. cap. 4. notatum igitur 43 l. 15 s.

22. *Par impar*] Vel talis vel nucibus, quod & nummis fiebat, lusu præsertim puerili. Hinc Horatius *ludere par impar*, *equitare in arundine longa*; similis erat lusio quando quærebant *caput* aut *navim* de qua Macrobius lib. 1. c. 7.

CAPUT LXXII.

IN cæteris partibus vitæ continentissimum fuisse constat, ac sine suspicione ullius vitii. Habitavit primo juxta [1] Romanum forum supra [2] Scalas anularias, in domo quæ Calvi oratoris fuerat: postea in [3] Palatio: sed nihilominus in ædibus modicis Hortensianis, & neque laxitate neque cultu conspicuis: ut in quibus porticus breves essent [4] Albanarum columnarum, & sine marmore ullo aut insigni pavimento [5] conclavia. Ac per annos amplius quadraginta [6] eodem cubiculo hieme & æstate mansit: quamvis parum salubrem valetudini suæ urbem hieme experiretur, assidueque in urbe hiemaret. Si quando quid secreto aut sine interpellatione agere proposui sset, erat illi locus in edito singularis, quem Syracusas & [7] πτερόφυον vocabat: huc transibat, aut in alicujus libertorum suburbanum: æger autem in domo Mœcenatis cubabat. Ex secessibus præcipue frequentavit maritima, [8] insulasque Campaniæ, aut proxima urbi oppida, [9] Lanuvium, Præneste, Tibur: ubi etiam in porticibus [10] Herculis templi persæpe jus dixit. Ampla & operosa [11] prætoria gravabatur. Et neptis quidem suæ Juliæ, profuse ab ea extructa, etiam diruit ad solum: sua vero quamvis modica, non tam statuarum, tabularumque pictarum ornatu, quam [12] xystis & [13] nemoribus excoluit, rebusque vetustate ac raritate notabilibus: qualia sunt [14] Capreis immanium belluarum, ferarumque membra prægrandia, quæ dicuntur [15] Gigantum ossa, & arma Heroum.

NOTÆ.

1. *Romanum forum*] De foris quæ Romæ erant in Julio c. 26.

2. *Scalas anularias*] Scalæ anulariæ: nomen vici quem e regione fori collocat etiam Onuphrius Panuinus. Cur ita sit aptatus conjici vix possit. Beroaldus quidem existimat habitasse peculiari forte vico anularios artifices, quod Romæ magnus esset annulorum usus, sed cur *scalas* dixit?

3. *Palatio*] Supra c. 5. & 29.

4. *Albanarum columnarum*] Ex Albano lapide vicino & viliore, ut pote qui mollis esset, & nisi tegeretur, minime ad laborem idoneus.

5. *Conclavia*] Alii secretiora ædium loca ubi mulieres confabulari solerent, intelligunt: alii cœnationes & triclinia, aliaque id genus ædium membra, quæ una clavi eadem-

Digitized by Google

demque elauderentur, quam ſententiam præter nominis etymon, confirmet etiam quod de pavimentis ſubjungit.

6. *Eodem cubiculo*, &c.] Qua conſuetudine a delicatorum illius maxime temporis moribus longe aberat. Lucullus quippe mutandam cum tempore habitationem aiebat, ne hominibus prudentiores eſſe viderentur grues & ciconiæ. Mos hic ex Aſia Romam invectus eſt, ubi hoc ſuperadditum, ut non triclinia modo & cubicula pro tempore diverſa forent, ſed & ipſa domus ſupellex omnis, ac præſertim quæ auro conſtabat & argento, quin & anulos æſtivos ridet Juvenal. Sat. 1. v. 28.

Ventilet æſtivum digitis ſudantibus aurum
Nec ſufferre queat majoris pondera gemmæ.

Nota hic hiemandi verbum varie accipi: Eraſmus quippe exiſtimat idem eſſe ac tempeſtate ſeu incommodo affligi hiemis; vox enim hiems pro tempeſtate uſurpari ſæpiſſime notum eſt. Contra Torrentius ſimpliciter intelligit pro tempus hibernum peragere; ſed luxam faſſus orationem legit *hiemans* quod certe malim; vel *aſſidue tamen hiemabat*. &c. priore enim intellectu implexa fuerit oratio.

7. πυκνοφυὲς] Quaſi artium productio eſt a voce τέχνη, hoc eſt, *ars* & φύω hoc eſt *genero*. quod ad excolendas, excogitandaſve artes illuc ſecederet, quem locum *Syracuſas* quoque appellabat, ex more qui tum temporis invaluerat, ut delicata etiam, ſi ſic loqui fas eſt, nomina & a Græcis petita villis ſuis imponerent, v. g. Academia, Pauſylipum & cætera ejuſmodi celebrium villarum; ſive etiam, ut innueret, tam placere ſibi locum illum quam delicato cuidam Syracuſæ amœniſſima Siciliæ civitas.

8. *Inſulaſque Campaniæ*] In illo ſinu ſunt, Pandatheria cap. 65. Ænaria hodie *Iſchia* Capreæ, &c. Quam vero in deliciis fuerit omnis hæc ora Campaniæ, innumeris auctorum locis colligere eſt: Proceres enim Romani æſtate ſecedebant in Prætoria ſua magnificæ illic extructa; unde *amœna litorum* κατ' ἐξοχὴν pro locis omni genere voluptatis affluentibus, Tacitus Hiſt. 3. 76. *noctu dieque fluxi, & amœna litorum perſonantes.* Aurelius Victor in Aureliano, *qua in tantum petulantia proruperat, ut in Campania ſedens amœna litorum obſideret*, &c.

9. *Lanuvium Præneſte*, &c. Latii oppida illud dicitur hodie *Civita Indovina* hoc vero, *Paleſtrina*.

10. *Herculis templi*] Hinc Tibur Herculeum dixit Martialis lib. 1. Epig. 13.

Itur ad Herculeos gelidæ qua Tiburis arces.

Calig. c. 8. hodie *Tivoli*.

11. *Prætoria*] Villæ ſunt ad magnificentiam, una & voluptatem extructæ in amœnis præcipue litorum: unde Statius lib 1. Sylv. 3. de prætorio ad utramque fluvii ripam ex ædificato.

Litus utrumque domi nec te mitiſſimus amnis
Dividit, alternas ſervant prætoria ripas.

Jureconſulti pro parte villæ ad uſum patrisfamilias lautius ædificata, quod notat infra Torrentius c. 39. Tib.

12. *Xyſtis*] De his ſupra c. 45.

13. *Nemoribus*] His Romanos uſque eo delectatos notat Caſaubonus ex Seneca ut ni ſpatium aliud in ædibus urbanis ſuppeteret, nemora quandoque vel in ipſis tectis haberent.

14. *Capreis*] Notiſſima Tiberii ſeceſſu inſula hodie *Capri* millibus non plus quam 8. a Surrento diſſita. Urſini codex habet *capitu*.

15. *Oſſa Gigantum*] Quaſi ad illa uſque tempora viguiſſet fama debellatorum ab Hercule Gigantum in campis Phlegræis in Campania prope Puteolos, quod narrat Diodorus Siculus lib. 5. & Strabo lib. 5. unde eorum oſſa tranſlata in inſulam hanc fuiſſent, quod ne affirmet Suetonius utitur duntaxat voce *dicuntur*. Certe Gigantes vel ex ſacris literis fuiſſe conſtat: & oſſa eorum aliqua quibuſdam in locis, aſſervari, evincat multorum ἀυτοψία ut & ipſius Caſaubboni illud teſtantis. De his D. Auguſtinus lib. 15. de civitate Dei c. 23. eſt & Phlegra Macedoniæ civitas cujus meminere Stephanus & Plinius lib. 4. c. 10.

CAPUT LXXIII.

[1] INstrumenti ejus & ſuppellectilis parcimonia apparet etiam nunc, reſiduis [2] lectis atque menſis, quorum pleraque vix privatæ elegantiæ ſint. Ne [3] toro quidem cubuiſſe ajunt, niſi humili & modice inſtrato. [4] Veſte non temere alia quam domeſtica uſus eſt, ab uxore & ſorore & filia neptibuſque confecta: togis, neque reſtrictis neque fuſis: [5] clavo, nec lato nec anguſto: [6] calceamentis altiuſculis, ut procerior quam erat, videretur. Et [7] forenſia autem, & [8] calceos numquam non intra cubiculum habuit, ad ſubitos repentinoſque caſus parata.

NOTÆ.

1. *Inſtrumenti & ſuppellectilis*] Has voces ideo diſtinguit, quod inſtrumenta magis ad neceſſitatem, ſuppellectilia magis ad ornatum pertineant. Unde Cicero *pro domo ſua*, villæ ornamenta ſeparat ab ejuſdem inſtrumentis, hæc quoque apud Juriſconſultos ea ſunt omnia quæ incendii aut tempeſtatis cauſſa arcendæ comparantur; quales ſunt ſcalæ, perticæ, harpagones, canales, ſiphones, ſpongiæ, &c.

2. *Lectis*] Triclinaribus ſcilicet, ut patet ex eo quod de menſis illico ſubjicit & de toro.

3. *Toro*] Quæ etiam non levis parcimonia: quibus enim major erat elegantiæ cura, ii toros tam alte ſuffultos habebant; ut in eorum lectum quandoque gradibus eſſet aſcendendum, quandoque ſubſelliis duntaxat, quales etiamnum hodie videntur apud nonnullos. Toros hujuſmodi gravabatur Auguſtus, nec probabat niſi humiles, quos nempe facile poſſet aſcendere.

4. *Veſte non temere*, &c.] Torrentius hæc verba ſic tranſponit, *veſte non temere alia domeſticæ uſus eſt, quam*, &c. ut ſit ſenſus domeſticas duntaxat Auguſti veſtes, manibus illarum fuiſſe confectas, non vero etiam forenſes. Certum quidem eſt multis auctorum locis, veſtem aliam fuiſſe domeſticam, aliam forenſem, quod ſufficienter evincat unus Ciceronis locus 2. de finibus, *aut etiam ut veſtitum, ſic ſententiam habeant aliam domeſticam, aliam forenſem.* Et Suetonii infra in Vittellio c. 9. ſed & forenſes ab uxoribus contextas tam probaverit unus hic Statii locus Sylvarum 4. ubi Roma Domitianum alloquitur.

Da gaudia faſtis
Continua, hos humeros multo ſinûs ambibus oſtro
Et properata tua manibus prætexta Minerva.

De conſulari prætexta ſermonem eſſe per ſe notum: Qui mos & a Græcis; Alexander enim apud Curtium lib. 5. veſtem qua indutus erat ſororum non donum modo, ſed etiam opus eſſe Siſigambi errorem ſuum excuſans affirmat. Quibus forte adductus Torrentius *domeſticam* intelligi poſſe non diffitetur quamcumque veſtem domi factam.

5. *Clavo*] Hoc eſt tunica illa quæ Senatorium ordinem ab equeſtri diſtinguebat: *de qua ſupra in Iul. c. 45. & Aug. c. 38.* Senſus eſt ea nec ampla nimis erat, ut quorumdam qui apud vulgus amplitudine purpuræ gloriabantur, nec etiam anguſta nimis, ne ad nimiæ turpiſque parcimoniæ declinaret invidiam; illi namque tunicæ non minus aſſuti vel intexti erant clavi illi lati, qui laticlavios ab anguſticlaviis diſtinguebant.

6. *Calceamentis altiuſculis*] Mos ille tam Græcorum quam Romanorum, ſed maxime fœminarum, ut ſubere illis infarto ſtaturam adjuvarent.

7. *Forenſia*] Togam præſertim intelligit, atque aliud forte nonnihil, quod ad ornatum, dum foras prodibant, induerent; & ſuaſerit vox pluralis numeri *forenſia*.

8. *Calceos*] Lunatos illos hoc eſt litera C. ad creſcentis Lunæ ſimilitudinem inſignitos Juvenalis Satyr. 7. v. 192.

Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.

Unde etiam alutacinatos Catoni dictos notat Turnebus adverſariorum lib. 19. c. 24 ubi & mulleos dictos quoque ait vel a *mu lando* hoc eſt ſuendo ut ait Feſtus, apud quem

Digitized by Google

legitur *allucinatos* vel potius a rubro mulli piſcis colore, cum e contra piſci ipſi nomen inditum tradat Feneſtella propter ſimilem ejus cum ejuſmodi calceo colorem. His ergo dum foras prodibant calceati, in cubiculo ſoleas habebant, mulieres vero ſandalia quibus etiam in nuptiis eas calceari voluere ut ſui hoc Symbolo meminiſſent officii. Vide apud Feſtum verbum *mulleos* & notas Andreæ Dacerii viri doctiſſimi.

CAPUT LXXIV.

CONvivabatur & aſſidue, nec umquam niſi [1] recta: non ſine magno ordinum hominumque delectu. Valerius Meſſalla tradit, neminem umquam libertinorum adhibitum ab eo cœnæ, excepto [2] Mena, ſed [3] aſſerto in ingenuitatem, poſt proditam Sex. Pompeii claſſem. Ipſe ſcribit invitaſſe ſe [4] quendam, in cujus villa maneret, qui ſpeculator ſuus olim fuiſſet. Convivia nonnumquam & ſerius inibat, & maturius relinquebat: cum conviuæ & cœnare inciperent prius quam ille diſcumberet, & permanerent digreſſo eo. Cœnam [5] trinis ferculis, aut, cum abundantiſſime, ſenis, præbebat, ut non nimio ſumtu, ita ſumma comitate. Nam & ad communionem ſermonis tacentes vel ſubmiſſim fabulantes provocabat, & aut [6] acroamata, & hiſtriones, aut etiam triviales [7] ex circo ludios interponebat, ac frequentiſſime [8] aretalogos.

Notæ.

1. *Recta*] Hoc eſt cœna qua cibi iidem omnibus ſimul accumbentibus apponebantur, ad differentiam ſportularum, quas ſordidi quidam divites ſalutatoribus ſuis præbebant nonnumquam e limine domus auferendas: quod Juvenalis increpat Satyr. 1. v. 95.

Nunc ſportula primo
Limine parva ſedet, turba rapienda togata.

De quibus infra non ſemel ut Neron. c. 16. Veſp. c. 19. vel cum Budæo *in pandectas*, & Torrentio hîc rectam intellige qua recto hoc eſt juſto ordine ſuo ſcilicet quiſque diſcumberet, cum ſportulæ clientibus promiſcue præſtarentur. Rectam non raro intelligunt lautam & opiparam cœnam, quo ſenſu recte vivere aliquando pro laute vivere. Senec. *Omnes qui ut ita dicam recte vivunt.*

2. *Mena*] Pompeii Magni liberto de quo ſupra. In hunc acerbe admodum Horatius Epod. 4.

3. *Aſſerto in ingenuitatem*] Aſſeri in ingenuitatem aliud nihil eſt quam ingenuorum obtinere jura, civitatem v. g. Jus anulorum aureorum, ſedendi in quatuorde cim de quibus in Jul. cap. 8. & 19 & Aug c. 40. quæ proditionis præmia Menas ille tulerat ut Appianu lib. 5. *Civilium bellorum* & Dio lib. 48, tradidere unde Horatius in eum ibidem:

Sedilibuſque magnus in primis eques
Othone contempto ſedet.

4. *Quendam*] Libertum ſcilicet, cohæret enim cum eo quod de libertorum ſuburbanis c. 72. dixit. Hic vulgati *ſpiculator* MSS. *ſpeculator* legunt. Ille unus fuerit ex iis, quos ſpiculis armatos corporis ſui cuſtodes habebant: Hic ex iis qui hoſtibus ignoti ſeſe immiſcebant, in eorum uſque concilia nonnumquam penetrantes, quid conſilii caperent, exploraturi.

5. *Trinis ferculis*] Sabellicus de tribus ciborum generibus intelligit, qualia forte dicuntur a nobis *trois ſervices*. Caſaubonus vero de machinis illis quibus lautiores Romani, partim imponebant lances; partim appendebant, nec enim menſas attingebant: hujuſmodi machinam Petronius appellat repoſitorium, lautam illam cœnam deſcribens in Satyrico. Repoſitorium rotundum duodecim habebat ſigna in orbem diſpoſita: ſuper quæ proprium convenientemque materiæ ſtructor impoſuerat cibum ſuper arietem cicer aretinum, ſuper taurum, bubale fruſtum, &c.

6. *Acroamata*] Hæc apud Græcos proprie ſunt voces & auſcultationes Ariſtoteles enim ſic appellavit commentationes quaſ-

Digitized by Google

dam, quas discipulis suis ore proprio, non autem scriptis tradebat. Latini pro ipsis hominibus ἀκροάμασιν recitatoribus sumpsere, sed de jocis tantum & recitationibus ludicris intelligentes, unde *festivum acroama* Ciceroni dicitur. Apud Macrobium videntur sumi pro pueris Symphoniacis, lib. 2. c. 4. *delectatus inter cœnam pueris Symphoniacis Turonii Facci Mangonis, atque eos frumento donaverat, cum in alia acroamata fuisset liberalis nummis.* In Salmasii codice legitur *cromata.*

7. *Ex circo ludios*] Ii sunt infimæ sortis homines lucrum ex fallaciis captantes v. g. divinatione per inspectionem manuum, interpretatione somniorum. De quibus Cicero primo de divinatione, *non de Circo Astrologos, non Iliacos conjectores, non interpretes somniorum.* &c. Id enim genus homines in Circo morabantur fallacia suas stolidorum pecuniis insidiantes, unde Horatius Circum fallacem dicit.

Fallacem circum, vespertinumque pererro
Sæpe forum, &c.

8. *Aretalogos*] Casaubonus ab ἀρετὴ hoc est *virtus* & λόγος hoc est *sermo* deducit, ut ii intelligantur garruli quidam & in ostentationem virtutis loquaces Philosophi, qui cum scholas & sectatores non haberent, beatorum convivia frequentabant, variis eos de virtute & vitio disputationibus oblectantes, quales multos fuisse Cynicæ præsertim & Stoicæ sectæ ex Laërtii præsertim & Luciani scriptis constat. Turnebus adversariorum libro 10. c. 12. ab ἀρεστὸν hoc est placens, gratum, &c. ut intelligantur aretalogi nugatorum duntaxat aliquod genus, risum fabellis & acroamatis excitantium. Ut ut est, horum quoque meminit Juvenalis Satyra 6.

Risum fortasse quibusdam
Moverat ut mendax aretalogus.

Et infra Tib. c. 61. Certe Philo *legatione ad Caium* narrat Augustum super cœnam Philosophorum colloquio delectatum, quod Casauboni mentem firmare videatur adhibiti siquidem frequentissime dicuntur Aretalogi.

CAPUT LXXV.

FEstos & solennes dies profusissime, nonnumquam joculariter tantum, celebrabat. [2] Saturnalibus, & si quando alias libuisset, modo munera dividebat, vestem & aurum, & argentum: modo nummos omnis notæ, etiam veteres [3] regios ac peregrinos: interdum nihil præter [4] cilicia & [5] spongias, & [6] rutabula, & [7] forfices, atque alia id genus, titulis obscuris & ambiguis. [8] a Solebat & inæqualissimarum rerum sortes, & aversas tabularum picturas in convivio venditare: incertoque casu spem mercantium vel frustrari, vel explere: ita ut per singulos [9] lectos licitatio fieret, & seu jactura seu lucrum communicaretur.

INTERPRETATIO.

a *Assueverat etiam sæpe in epulis vendere sorte res maxime dispares pretio, & tabulas* pictas *aversa pictura: ut eventu ambiguo fallere vel explere spem licitantium: eo modo ut oblatio* pretii *fieret, per unum quemque lectum discubitorium, & damnum vel emolumentum commune esset.*

NOTÆ.

1. *Nonnumquam*] Repetit hanc vocem Casaubonus hoc modo *profusissime nonnumquam. nonnumquam joculariter,* &c. qua sane omissione phrasis imperfecta videatur.

2. *Saturnalibus*] Quo die Xenia mittebant ad sese invicem cum lemmatis, hoc est titulis illis jocosis, & festiviter ambiguis, de quibus hîc. Quin & servos libere agere

illo tempore & in pileis esse sinerent cap. 32. & 71.

3. *Regios*] Sabellicus de regibus peregrinis intelligendum existimat, Romanorum regum nummos habere ideo non potuisse arbitratus, quod nondum eorum temporibus signatum esset argentum. Sed Torrentium longe potius audierim, dicentem nummos ejusmodi non materia, sed vetustate æstimandos, ii siquidem, ut hodieque fit, mercium instar vendebantur. Constat autem Servio regnante, æs Romæ percussum, quin & Scortei ligneique nummi populo a Numa divisi leguntur. Cui accedit quod frustra dixerit *regios*, si de Romanis non intelligat, *peregrinos* enim dixisse sufficiebat, unde servanda foret Vitterbiensis codicis lectio a quo τὸ *regios* abest. *Peregrinos* igitur intellige Philippos v. g. Darios, victoriatum qui teste Plinio lib. 33. c. 3. ex Illyrico advectus est antequam Romæ percuteretur. Quod & in dubium revocaverint studiosi numismatum investigatores, qui Romano nemini ante Pompeium licuisse putant, monetæ nomen suum imprimere; *nisi forte* de privatis duntaxat intelligendum sit.

4. *Cilicia*] Vela quædam hirsuta ex villis caprarum confecta in usum nautarum & rei militaris.

5. *Spongiis*] His ad varias infirmitates medici utebantur, ut ex eorum libris colligere est. His quoque mensas detergebant, ut patet ex Martiali in Apophoret. Epig. cui titulus *spongia*.

Hac tibi sorte datur tergendis spongia mensis.

6. *Rutabulum*] Lignum illud est, quo utuntur ad proruendum ignem dum panis coquitur, aut coquendus est.

7. *Forcipes*] Instrumenta fabrilia quibus calida attrectantur. Hæc autem omnia aliaque id genus cum sua quæque inscriptione Saturnaliorum diebus mittebantur, ut etiam ex Martialis Xeniorum & apophoretorum libris constat quibus festivis inscriptionibus seu titulis, plerumque ambiguo sensu latebat obscœnitas.

8. *Solebat & inæqualissimarum rerum sortes venditare*] Hoc modo factum conjicere est. Paratas habebant urnas duas, in alteram rerum venalium singularum pretia totidem notata schedulis mittebant; in alteram rerum ipsarum nomina pari modo descripta; quo facto schedulaque e singulis urnis ducta ab unoquoque, ejus rei quæcumque obvenisset, pretium solvebat, quod schedula a se ducta notatum esset. Cum igitur diversissimi pretii res essent, fieri facile poterat, ut qui schedulam maximi pretii duxisset, eidem illi ex urna altera qua rerum nomina continebantur, non nisi minimi pretii res, sive rei schedula contingeret; aut e contra, quæ certe ampla jocorum, & cachinnorum materies; maxime si (quod existimat Casaubonus) de muneribus illis, & titulis festive ambiguis idem fieret; quod tamen haud videtur dicere Suetonius.

9. *Lectos*] Libro uno non malo Torrentius legit *libros*, quod probat Lipsius aut saltem *lotus*. quod idem est, ut sit ensus licitationem hanc factam eo intervallo quo manus ex consuetudine lavabant inter cœnandum, quoties nempe mutabantur fercula. Quo forte plus acuminis, & eruditionis, quam veritatis insit.

CAPUT LXXVI.

CIbi (nam ne hoc quidem omiserim) minimi erat, atque vulgaris fere. [1] Secundarium panem, & piscules minutos, & caseum bibulum [2] manu pressum, & ficos virides [3] biferas maxime appetebat: vescebaturque & ante cœnam, quocumque tempore & loco stomachus desideraſſet. Verba ipsius ex epistolis sunt, *Nos in* [4] *esseda panem &* [5] *palmulas gustavimus*. Et iterum, *Dum lectica* [6] *ex regia domum redeo, panis unciam cum* [7] *pauculis acinis uvæ duracinæ comedi*. Et rursus, *Ne* [7] *udeus quidem, mi Tiberi, tam diligenter* [8] *sabbatis jejunium servat, quam ego hodie servavi, qui in balineo demum post horam primam noctis duas* [9] *buccas manducavi* [10] *prius quam ungi inciperem*. Ex hac [11] inobservantia nonnumquam vel ante initum vel post dimissum convivium solus cœnitabat, cum pleno convivio nihil tangeret.

NOTÆ:

Notæ.

1. *Secundarium panem*] Hoc est plebeium ex secundo panificio, qui & Horatio secundus dicitur epist. 1. lib. 2.

Vivet siliquis, & pane secundo.

primus autem, qui mundus quoque dicebatur, fiebat ex purissimo furfure. De quibus differentiis videsis Plinium lib. 8. c. 9.

2. *Manu*] Mavult Torrentius *mane*, ut sit sensus recenti caseo delectatum. Certe sic stomacho creditur utilior.

3. *Biferas*] Biferum appellat fructum, pro ipsa arbore bis uno quoque anno fructus edente, quales præsertim ficus esse dicit Plinius lib. 16. c 26. & 27. Has *duplices* appellare videtur Horatius lib. 2. Satyr. 2.

Et nux ornabat mensas cum duplice ficu.

Hæ Athletharum præsertim deliciæ, quod & juvenum vires augere & senum reficere dicantur: Torrentius de quodam ejus pomi genere tam Horatium quam Suetonium intelligit. Dio Cassius his tandem Augustum Liviæ fraudibus enectum narrat; illa quippe Agrippæ nepoti reconciliatum illum dolens, veritaque ne si vitam diutius traxisset, Tiberius imperio frustraretur; ficus ejusmodi pendentes ab arbore veneno unxit, illasque ab Augusto decerpendas, illecebris & astutia muliebri curavit, non medicatas quas norat, cum ipsa decerperet, & una manducaret.

4 *In essedo*] Alii codices *vescendo*. Essedum currus est quo usi Britanni. Propert. lib. 2. Eleg. 1. in fine.

Si te forte meo ducet via proxima busto
Esseda celatis siste Britanna jugis.

Et Galli etiam.

5. *Palmulas*] Hoc est fructus palmarum, hujusmodi arborum unde quinquaginta tradunt esse genera, omniumque & cibo & succo celeberrimas eas esse quæ Caryotæ nuncupantur, de quibus Plinius lib. 13. c. 4. & alii. Martial. Epig 17. lib 13.

6. *Regia*] Hæc fuit Numæ Pompilii quam post ejectos reges habitavit rex sacrorum: Curia quoque Pompilia dicta est, & de ea Torrentius Horatium intelligit Ode 2. lib. 1.

Ire dejectum monumenta regis
Templaque Vestæ.

Erat quippe Vestalibus contigua unde & his postmodum donata est ab Augusto Pontificatum maximum adepto, ut auctor est Dio lib. 54. Augustus autem ipse domus Palatinæ partem primo, deinde totam publicavit: in publico quippe Pontificem habitare necesse erat, ut idem ait ibid. Dio, & in Julio c. 46. notatum est.

7. *Cum paucis acinis uvæ duracinæ*] Torrentius emendandum censebat *uvis duracinis*; arbitratus *acinos* pro *nucleis* accipiendos; contra quem Casaubonus fuse probat *acinos* in racemis sive uvis esse quæ *grana* nuncupamus, & revera Palladius ipse lib. 10. c. 11. sic loquitur. *Sed maturitatem vindemiæ cognoscimus hoc genere si expressa uva vinacia, quæ in acinis calantur, hoc est grana, sint fusca & nonnulla propemodum nigra, quam rem naturalis maturitas facit.* Quibus autem uvis durus erat acinus, hæ *duracinæ* dictæ quæ non alibi gratiores quam in Italia. Plinus lib. 14 cap. 1. & alibi & Columella toto lib. 3. & 4. unde etiam evincitur *acinos* id non esse, quod Torrentius existimavit, prioris saltem ævi Latinis auctoribus.

8. *Sabbatis*] Vel intellige de magno illo Sabbato, quo singulis annis recurrente, Pascha suum celebrabant Judæi, variis ante observatis jejuniis: vel de quibusdam singularum hebdomadarum diebus, quo sensu dixit Pharisæus apud D. Lucam cap. 18. v. 12. νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου quod interpretatum est: *jejuno bis in hebdomada.* Nec enim, si Sabbatum intelligatur ultimus ille dies hebdomadæ, quieti & cultui divino dicatus, verum esset quod Augustus hîc innuit, hoc nempe die jejunasse Judæos. Unde Casaubonus existimat Romanos morum Judaicorum ignaros, cum viderent & Sabbati diem præcipua a Judæis castimonia celebrari, & crebra ab iis usurpari jejunia, vel in derisionem eorum multa scripsisse quasi singulis Sabbati diebus jejunassent, vel idipsum serio credidisse. Hinc falsa apud Justinum lib. 36. c. 2. & Tacitum 4. Histor. 5. de hac jejunandi institutione testimonia. Hinc &. Petronii Epigramma, & Juvenalis Satyra 6. & 4. Horatii lib. 1. Sat. 9. & Martialis Epig 4. lib. 4. Scommata

9. *Buccea*] Hoc est frustula: panem enim in quadras, hoc est frusta, has vero secabant in buccea. Buccellatum dixerunt panem nauticum, quem nos bis coctum nuncupamus, ad usus nempe diuturnitatem excoctum,

Digitized by Google

10. *Priusquam ungi inciperem*] E balneo egressos ungi moris erat, cum tamen aliquid prius comedissent, dicebatur gustatio. Ut & de avunculo suo testatur Plinius junior lib. 3. Epist. & Senec. *lib. de consolatione ad Martiam.*

11. *Inobservantiam*] Casaubonus ex Turonensi codice probat hanc lectionem ut & Torrentius ex uno e suis & ante utrumque Beroaldus agnorat; quo posito intelligendus est Augusti circa victum indifferens animus, nullis quippe statis legibus addicti, ut de Julio supra c. 87. alii legunt *ex hac observantia.*

CAPUT LXXVII.

VIni quoque natura parcissimus erat. Non amplius ter bibere cum solitum [1] super cœnam in castris apud [2] Mutinam [3] Cornelius Nepos tradit. Postea, quoties largissime [4] se invitaret senos [5] sextantes non excessit, aut, si excessisset, rejiciebat. Et maxime delectatus est [6] Rhætico, neque temere interdiu bibit. Pro potione sumebat perfusum aqua frigida panem, aut [7] cucumeris frustum, vel lactuculæ [8] thyrsum, aut recens [9] acidumve pomum succi vinosioris.

NOTÆ.

1. *Super cœnam*] Hoc est inter cœnandum in Julio cap. 87. & Plinius epist. 22. lib. 4. *De hujus nequitia in commune omnes super cœnam loquebantur*, &c.

2. *Mutinam*] De Mutinensi bello c. 10.

3. *Cornelius Nepos*] Qui virorum illustrium scripserat vitam.

4. *Se invitaret*] Torrentius notat has voces abesse a duobus MSS.

5. *Sextantes*] Sextans nummulus erat duas valens uncias, ut & vas duorum capax cyathorum, quod sexties repetitum sextarii mensuram æquabat; cum enim cognata sit & connexa ponderum ac mensurarum ratio, si pondus mensuræ componimus, quanta libræ pars est uncia, tanta cyathus est sextarii; hic quippe in duodenos cyathos dividitur; legendus Budæus lib. 5. *de asse.* Sextarius autem Romanus Isidoro teste duas libras Romanas hoc est 24. uncias appendit, quantum aquæ pondus eam omnino mensuram implet (ut experimento probare promptum est) cuam ternos semisextariolos lingua vernacula urbis Parisiensis appellat, quæ largissima fuit Augusti in bibendo mensura, quam & honeste bibentibus sufficisse Horatius innuit Sat. 1.

Panis ematur, olus, vini sextarius, &c.

Idem de Tacito imperatore Vopiscus narrat, fuit vita parcissimus, ita ut sextarium vini totadie non potaverit, &c. Trientes igitur Quincunces Deunces vasa quoque sunt potoria totidem cyathorum unde Martialis Epig. 28. lib. 12. quemdam carpit.

Poto ego sextantes, tu potas, Cinna, deunces.

6. *Rhætico*] Strabo lib. 4. auctor est vinum illud e Rhæticorum montium radicibus Veronam usque nasci, generosisque Italiæ vinis accenset. In Augusti, ut verosimile est, gratiam illud quoque Virgilius laudavit in Georgicis.

Sed quo te carmine dicam
Rhætica, nec cellis ideo contende Falernis.

7. *Cucumeris frustum*] Cucumeres Tiberio quoque fuerunt in deliciis; & lactucis Augustum servavit Antonius Musa, de quo supra c. 59.

8. *Thyrsum*] Thyrsus de quavis herba sed de lactuca præsertim dicitur, estque caulis sive scapus illius *la coste* ou *la tige*, ad similitudinem Thyrsi bacchici, qui hasta quædam est Baccho sacra Plinius lib. 19. c 8. *Divus certe Augustus lactuca conservatus in agritudine fertur prudentia Musæ medici.* De quo supra c. 59. & infra c. 81.

9. *Acidumve pomum*] Torrentius in tribus MSS. legit *acidum.* Quia tamen acidum pomum, & succi vinosi idem esse videntur, ne abundet ulla vox, retinet *acidum*, hoc sensu: Autumno quibusque pomis promiscue utebatur Augustus, quod nempe tunc

Digitized by Google

temporis cum recens ab arbore decerpta sunt, omnium succus magis ad vinosum accedit, hieme vero v. g. aut alia anni tempestate, qua condita, & servata poma frigore constricta sunt, & quasi arefacta; tunc ea quæ succi forent vinosioris præferebat, juxta hunc Juvenalis versum Satyr. 11. versu 76.

Nec edoris mala recentis.
Nec metuenda tibi; siccatum frigore post-
quam
Autumnum, & crudi posuere pericula
succi.

CAPUT LXXVIII.

POst cibum [1] meridianum, ita ut vestitus calceatusque erat, [2] retectis pedibus, paullisper [3] conquiescebat, opposita ad oculos manu. A cœna lucubratoriam se in [4] lecticulam recipiebat. Ibi donec residua [5] diurni actus, aut omnia, aut ex maxima parte, conficeret, ad multam noctem permanebat. In lectum inde transgressus, non amplius, cum plurimum, quam septem horas dormiebat: ac ne eas quidem continuas, sed ut in illo temporis spatio ter aut quater expergisceretur. Si interruptum somnum recuperare, ut evenit, non posset: lectoribus, aut fabulatoribus arcessitis, resumebat, producebatque ultra primam sæpe lucem. Nec in tenebris vigilavit umquam, nisi silente aliquo. Matutina vigilia offendebatur: ac si vel officii, vel [6] sacri caussa maturius [7] evigilandum esset, ne id contra commodum faceret, in proximo cujuscumque domesticorum [8] cœnaculo manebat. Sic quoque sæpe indigens somni, & dum per vicos deportaretur, & [9] deposita lectica inter aliquas moras condormiebat.

NOTÆ.

1. *Post cibum meridianum*] Prandio levem facilemque cibum sumere moris fuit ævo illo. Hor. Sat. 6. lib. 1.

Pransus non avidè quantum interpellet inani
Ventre diem, &c.
Impransi corripitus voce magistri.

Unde colligit Casaubonus eos duntaxat prandere consuevisse, qui diem inter otium & curas dividebant, ita ut sex, septem-ve primis diei horis, negotiis vacarent, reliquas corporis curæ tribuerent, non item ii qui vitam vivebant occupatiorem. Medium Augusto servatum; prandium siquidem eo modo non sumebat, quo cœnam solebant, sed vestitus calceatusque non sumpta cænatoria veste, non depositis calceis ad sumendas soleas, &c. quæ in cœnis usitabantur, nec etiam statis horis, sed ubi stomachus interpellasset, ut supra c. 76. eodem sensu Senec. Epist. 84. *Panis deinde siccus, & sine mensa prandium, post quod non sint lavanda manus.*

2. *Retectis pedibus*] Legunt alii *rejectis* quasi exporrectis, quod secure & profunde dormientis indicium est, quod Terentius *in utramvis aurem dormire* dixit, quod ægre de Augusto persuaserint, quæ sequuntur, nisi hoc ipsum in caussa fuisse dicatur, cur noctu non dormiret. Hinc alii *rectis*, alii *retractis* legendum volunt. Omnium maxime probat Casaubonus *retectis* modo syllaba *re* intelligatur rem intendere, non vero negare, ut volebat Torrentius, hoc est bene tectis pedibus, non vero apertis: sic enim erit ex consuetudine veterum qui somno illi meridiano bene tectis pedibus indulgebant. Quod Casauboni judicium eo minus mirum videri debet, quod & aliis quoque vocibus, peculiari sensu utatur Suetonius, & alii quoque auctores usi sint, ut *recondere* apud Propertium modo *condere* & *servare* est, modo *premere*, sic & *inauratus*, *eburus*, *egelidus*, &c. ambiguæ significationis sunt, ut & de voce *expers* probat idem Casaubonus ad Persium Satyra 6.

3. *Conquiescebat*] Illud est quod meridiari dicebant, more & Græcis cognito,

Digitized by Google

apud quos μεσημβριαζειν idem omnino est.

4. *Lecticulam*] Pro cella quadam secretiore sumit Torrentius, eodem sensu quo Juvenalis Sat. 7.

Qui facis in parva sublimia carmina cella.

Contra quem Casaubonus multis argumentis probat lecticulam hanc lucubratoriam, nil aliud fuisse, quam lectulos illos, in quibus lectioni, aut meditationi operam daturi se componebant. Cicero 3. de Orat. 17. *Cum dedita opera in eam exhedram venissem, in qua Crassus lectulo posito recubuisset, eumque in cogitatione defixum esse sensissem, statim recessisso.* & lib. de Senect. 38. *Quasi exequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret meus ea ipsa cogitantem quæ agere non possem.* Senec. epist. 72. *quadam sunt quæ possis & in cisio scribere, quadam lectum & secretum & otium desiderant.* Et epist. 67. & Plinius lib. 5. epist. 5. *Visus est sibi jacere in lectulo suo compositus in modum studentis.* Ovid. Trist. lib. 1. Elegia 10.

Non hæc in nostris ut quondam scribimus hortis
Nec consueto meum lectule corpus habes.

Hinc Juvenalis de Poëtis & Historicis Sat. 7. v. 105.

Est genus ignavum quod lecto gaudet, & umbra.

Saltem ex lectione Casauboni, legunt enim alii *recto* non *lecto*, huc etiam trahit versum Persii in Sat. 1.

Non quid quid denique lectis
Scribitur in citreis, &c.

Quam tamen de lectis tricliniaribus alii non inepte intelligunt. Quæ omnia & variis Græcorum testimoniis confirmat idem Casaubonus apud quem causa præcipue notanda est ea, quam ex Galeni lib. 3. de *usu partium* adducit: ideo quippe veteres scriptioni operam daturi in ejusmodi lecticulas se recipiebant, quod non super mensis vel pluteis, ut plerique hodie, scriptitaren[t] sed super femore collocata charta.

5. *Diurni actus*] Ejus diarii de quo supra c. 64.

6. *Sacri caussa*] Ejusmodi officiorum & sacrorum caussa intellige, de quibus supra c. 53. dixit civilitatem ejus narrans. Erant enim quæ a media nocte inciperent, quod & abhac hora Romani diem suum auspicarentur, ut patet ex Censorino: videsis infra cap. 94.

7. *Evigilandum*] Vulgati libri legebant *vigilandum*. Quam vocem ut minime Latinam rejecit Casaubonus.

8. *Cœnaculo*] De cœnaculis quid essent supra cap. 45. Ex hoc loco constare potest cœnacula usque eo non fuisse contemnenda, in illis siquidem & amici Imperatoris habitarent. Nec enim hinc viliores domesticos quisquam intellexerit.

9. *Depositæ lecticæ*] Juvenal. Sat. 3. divitum commoda enumerans hanc recensel, quod lecticæ ope.

Si vocat officium, turba cedente feretur
Dives, &c.
Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus
Namque facit somnum clausa lectica fenestra.

CAPUT LXXIX.

FORMA fuit eximia, & per omnes ætatis gradus venustissima: quamquam & omnis lenocinii negligens, & in capite comendo tam [1] incurioſus; ut raptim compluribus simul tonsoribus operam daret: ac modo tonderet, modo raderet barbam: eoque ipso tempore aut legeret aliquid aut etiam scriberet. [2] Vultu erat, vel in sermone vel tacitus, adeo tranquillo serenoque, ut quidam e primoribus Galliarum confessus sit inter suos, eo se inhibitum ac remollitum, quo minus, ut destinarat, in transitu Alpium per simulationem colloquii propius admissus, in præcipitium propelleret. Oculos habuit claros ac nitidos: quibus etiam existimari volebat inesse quiddam [2] divini vigoris: gaudebatque, si quis sibi acrius contuenti, [3] quasi ad fulgorem Solis, vultum submitteret: sed in senecta

Digitized by Google

finiſtro minus vidit. Dentes raros & exiguos, & ſcabros: capillum [4] leniter inflexum & [5] ſufflavum, [6] ſupercilia conjuncta, mediocres aures: [7] naſum & a ſummo eminentiorem, & ab imo deductiorem: colorem inter [8] aquilum candidumque: ſtaturam brevem: (quam tamen Julius Marathus libertus etiam in [9] memoriam ejus [10] quinque pedum & [11] dodrantis fuiſſe tradit:) ſed quæ commoditate & æquitate membrorum oculeretur: ut nonniſi ex comparatione adſtantis alicujus procerioris intelligi poſſet.

INTERPRETATIO.

a *Vultus erat tam placido & tam ſereno, ſive eum loqueretur, ſive cum taceret, ut unus ex principibus* viris *Galliarum faſſus fuerit inter ſuos* populares *ſe impeditum ac delinitum fuiſſe illius* aſpectu *quo minus illum præcipitaret in tranſcendendis Alpibus, ut conſtituerat, ſub prætextu aliquid dicendi.*

NOTÆ.

1. *Incurioſus*] Hoc eſt negligens, incuria quippe negligentia eſt.

2. *Divini vigoris*] Hac etiam opinione delectarum Julium narrat Dio.

3. *Quaſi ad fulgorem ſolis*] Innuit quod Aurelius Victor narrat de milite quodam qui cum ab ejus ſe aſpectu averteret, petenti cauſſam Auguſto reſpondit *quia fulmen oculorum tuorum ferre non poſſum.* Plinius lib. 11. cap. 37. diverſa omnino a Suetonio & Victore de Auguſti oculis narrat *Divo Auguſto equorum more glauci fuere, ſupraque hominem albicantis magnitudinis: quam ob cauſſam diligentius ſpectari eos iracunde ferebat.* Plinio tamen Suetonium non male prætuleris, cum & auctoritate Virgilii nitatur qui lib. 1. Æneid. ſub Æneæ perſona Auguſtum dubio procul indicans ait.

Namque ipſa decorum
Cæſariem nato genitrix, lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis aſflarat honores.

4. *Leniter inflexum*] Nec omnino annulatum, nec etiam rectum.

5. *Sufflavum*] Hoc eſt modice flavescentem *tirant ſur le blond.* Coma flava in deliciis apud molles ejus ætatis erat, ſuper qua plura videſis infra in Calig. cap. 11. & 47.

6. *Naſum & a ſummo eminentiorem, & ab imo deductiorem*] Hoc eſt ferme aquilinum Caſaubono, niſi quod *deductiorem* interpretatur λεπτον, hoc eſt, *tenuem*: quo ſenſu dixit Pomponius vocem deducere, hoc eſt, tenuem illam ad mulieris modum effingere *vocem deducas oportet, ut mulieris videantur verba.* Alii volunt *deductiorem* eſſe *depreſſiorem* ſeu *demiſſiorem*, ut eminentiori opponatur; quod ſi diductiorem, hoc eſt, paulo latiorem ab ima parte intellexeris, ſimilior fuerit Auguſti, qui ſuperſunt, nummis.

7. *Supercilia conjuncta*] Hoc eſt indiſtincta & abſque intercilio ſeu glabella, qua diſcriminantur in aliis. Qualia habentes ſupercilia *ὁμοφὺεις* dicuntur Ariſtoteli *lib. de Phyſiognomonia cap. ultimo*, hoc eſt triſtes, ſeu ut explicant alii levibus de cauſſis anxii, & magnis ultra modum vexati. Oculi vero nitidi eidem Philoſopho, ſunt ſalacitatis indicia, rari dentes brevioris vitæ, aures mediocres morum optimorum argumenta. De quibus hæc eſt mens Plinii lib. 11. cap. 52. *mirer quidem Ariſtotelem non modo credidiſſe præſcita vita eſſe aliqua in corporibus ipſis, verum etiam prodidiſſe.* Et Paulo infra *nec univerſa hæc (ut arbitror) ſed ſingula obſervat frivola (ut reor) ſed vulgo narrata.* Supercilia conjuncta ad puellæ ſuæ pulchritudinem exoptat Anacreon Ode 28.

8. *Aquilum, candidumque*] Priorem ab aqua dictum, ait Feſtus quod aquæ inſtar incertus ſit & quaſi medius album inter & nigrum. Quid ſi ab *aquila* feceris *aquilum* eorum colorem non male referet, quos torruit ſolis ardor & voce vernacula *baſané* Caſaubonus indigetat.

9. *In memoriam*] Lipſius Electorum 1. lib. cap. 12. emendat *a memoria*, ut ſit ſenſus Marathum illum Auguſto fuiſſe a libellis

Digitized by Google

memorialibus, quemadmodum in Julio *a manu* servus dictus est c. 74. & *amanuensis* Aug. 67. *a libellis* infra Ner. 49. quod nec Torrentio displicet neque Casaubono: huic tamen sua magis placet, quam Lipsii conjectura, legenti *in memoria vita ejus* ut intelligatur Marathus ille quosdam de Augusti vita scripsisse commentarios, quos hic auctor memoriam appellaverit, quemadmodum & infra Claud. c. 1. & Bæbius Macer apud Servium: *Hoc etiam Augustus in libro secundo memoria vita sua complexus est.*

10. *Quinque pedum*] Mensuram summam adolescendi hominibus septem pedum esse dixit Gellius lib. 3. c. 10. ut pote quam non excessisse tradunt Herculem.

11. *Dodrantis*] Hoc est trium pedis quadrantium. De dodrante quid sit in Jul. c. 83.

CAPUT LXXX.

CORpore traditur maculoso, dispersis per pectus atque alvum genitivis notis, in modum & ordinem ac numerum stellarum cœlestis Ursæ: sed & callis quibusdam [1] ex prurigine corporis, assiduoque & vehementi [2] strigilis usu plurifariam concretis, ad impetiginis formam. [3] Coxendice, & femore, & crure sinistro, non perinde valebat, ut sæpe etiam inde claudicaret: sed remedio [4] harenarum atque [5] harundinum confirmabatur. Dextræ quoque manus [6] digitum salutarem, tam imbecillum interdum sentiebat, ut torpentem contractumque frigore, vix [7] cornei circuli supplemento scripturæ admoveret. Questus est & de vesica, cujus dolore, [8] calculis demum per urinam ejectis, levabatur.

NOTÆ.

1. *Prurigine*] *Demangeaison* & impetigo *gratelle* vernacula lingua.

2. *Strigilis*] Instrumentum est ad stringendum corpus, hoc est detergendas corporis sordes in balneis & sudoribus Persius, & Juven. Sat. 3.

I puer & strigiles Crispini ad balnea defer.

Quod instrumentum apud ipsos ex auro, argento, ferroque, apud nos nullo jam in usu; equorum quippe strigiles diversa multum ab antiquis forma.

3. *Coxendice*] Os illud quo femoris caput excipitur & quasi vertebrum est, quo femora vertuntur *coxa* & *coxendix* dictum est Latinis, nobis, *lahanche* Græcis ἰσχίον, unde Ischiadici & Ischiaci hoc morbo laborantes dicuntur Gellio lib. 4. cap. 13. ipse morbus ἰσχιὰς recentioribus autem medicis *ischias* nuncupatur. Femur autem intellige os a genu ad coxam protensum, quod totius corporis longissimum est, crus vero totum illud membrum quod perone & tibia continetur

4. *Harenarum*] Hæ calidi fomenti loco adhibebantur, narratque Gellius lib. 19. c. 8. virum quemdam aquæ intercutis morbo sanatum calentibus harenis, ubi & erudite discutit quæstionem an vox *harena* multitudinis numero bene efferatur. Celsus lib. 4. c. 22. Harenis: & calidis cataplasmatis utendum docet ad coxarum dolores. Et Plinius lib. 31 cap. 6. id quoque remedii tradit siccandis hydropicorum corporibus, & sanandis iis qui rheumatismos sentiunt. Id quidam ita intelligunt, ut in calente & alta harena sive litorali sive fluviali deambularent: probabilius existimat Casaubonus in illa sese potius volutasse. Certe hujus remedii mentio plurima fit in Veterum medicorum libris, calore quippe & siccitate noxius humor ex articulis & aliis partibus pellebatur, quod Lucanus videtur innuere lib. 5 de Antæo loquens.

Auxilium membris calidas infudit harenas.

5. *Harundinum*] Hoc remedio colligi videtur malum non ab humore delapso, sed a luxato coxendicis osse ortum: harundines enim viridis per medium diffissas luxatis membris adhibebant, illarum instar quas chirurgi nostri ferulas appellant, quibus commode per habenas adligatis sic membra constringunt, ut ossa luxata extra sedem suam evagari non possint amplius. Cato

Digitized by Google

lib. de re rustica c. 160. huic remedio incantationes quasdam barbararum vocum addit, & Gellius lib. 4. c. 13. *Proditum hoc,* ait, *a plerisque est ischiaci cum maxime doleant, tum si modulis lenibus tibicen incinat minui dolores*, &c. ubi & viperarum morsibus mederi tibicinem scite modulateque adhibitum, in Theophrasti libro legisse se refert & in Democriti, plurimis hominum morbis medicinam fuisse incensiones tibiarum Quamquam certe sola remedium esse poterat harundo sive a luxatione sive ab humore malum esset; vim enim habet extractoriam, ut ait Plinius lib. 24. c. 11. & *medetur luxatis & spina doloribus radix in aceto illita:* Hinc non mirum si quandoque claudicaret *coxarum enim*, inquit Celsus, *ingens dolor esse consuevit, isque hominem sæpe debilitat, & quosdam non dimittit.* Lib. 4. c. 22.

6. *Digitum salutarem*] Hoc est indicem qui nempe pollici proximus est. Salutaris ideo dictus, quod hoc ad os admoto silentium commoneretur in nuptiis & alibi quoque. Martianus Capella libro de nuptiis Philologiæ *quidam redimitus puer ad os compresso digito salutari silentium commonebat*, & Apuleius lib. 1. Metam. *at ille digitum pollici proximum oris suo admovens: tace tace inquit*, &c. Quia nempe silere, sæpe sæpius salutare est.

7. *Cornei Circuli*] Quo digitalis instar utebatur, digital est digiti tegumentum.

8. *Calculis*] Lapilli sunt, qui in vesica continentur, Gallice etiam *calculle.*

CAPUT LXXXI.

GRaves & periculosas valitudines per omnem vitam aliquot expertus est: præcipue [1] Cantabria domita, cum etiam [2] distillationibus jocinore vitiato, ad desperationem redactus, [3] contrariam & ancipitem rationem medendi necessario subiit: quia calida fomenta non proderant, [4] frigidis curari coactus: auctore [5] Antonio Musa. Quasdam & [6] anniversarias, ac tempore certo recurrentes, experiebatur. Nam sub natalem suum plerumque languebat: & initio veris præcordiorum inflatione tentabatur: [7] austrinis autem tempestatibus, [8] gravedine. Quare quassato corpore, neque frigora, neque æstus facile tolerabat.

NOTÆ.

1. *Cantabria*] De hoc bello c. 20.

2. *Distillationibus*] Morbi sunt quibus humores e capite cum nocumento distillant, quas inter periculosissimæ sunt, quæ ad pulmonem, jecurve descendunt.

3. *Contrariam*] Sidonius ait hanc medendi rationem a medicis adhibitam, ubi usitata remedia non prodessent, in hepaticis præsertim quos ipse jecorosos appellat. Hunc forsan ipsum Augusti morbum respexerit Livia suadens ipsi clementiam c. 19.

4. *Frigidis*] Fomentis scilicet, ut & Horatius epistola 3. lib. 1.

Quod si
Frigida curarum fomenta relinquere posses.

Calidis enim usus fuerat, ut patet ex capite superiori. Celsus lib. 4. c. 8 dicit Hepaticis abstinendum esse ab omnibus frigidis, *neque enim res ulla, jecur magis ladit.* Unde patet rationem hanc medendi non immerito ancipitem appellari.

5. *Antonio Musa.*] De quo jam supra c. 59. De eo & fratre ejus Euphorbo Jubæ regis medico Plinius lib. 25. c. 7. *Idem fratres instituere a balneis frigida multa corpora astringi, antea non erat mos nisi calida tantum lavari sicut apud Homerum etiam invenimus.*

6. *Anniversarias*] Stato quotannis tempore redeuntes.

7. *Austrinis tempestatibus*] Hoc est dum flaret Auster. ubi notandum cum Salmasio, Austrinas tantum & boreales dici tempestates ad designandam aëris constitutionem quamcumque venti faciunt · occidui enim flatus quia frigidiores sunt Septemtrionalibus accenset, ab ortu spirantes Austrinis.

Digitized by Google

quia calidiores. De quibus fuse Aristoteles lib 2. *Meteorologicorum c. 6.*

8 *Gravedine*] Gravedo malum aliud est non multum a distillatione diversum, nares quippe claudit, vocem obtundit, tussim siccam movet ut ait Celsus lib. 4 c. 4. unde gravedinosi dicuntur Ciceroni 4. Tuscul. 37. ad hujusmodi morbum proclives.

CAPUT LXXXII.

Hieme quaternis cum [1] pingui toga tunicis, & [2] subuculæ thorace laneo, & [3] feminalibus. & tibialibus muniebatur: æstate apertis cubiculi foribus, ac sæpe in [4] peristylio [5] saliente aqua, atque etiam [6] ventilante aliquo cubabat. Solis vero ne hiberni quidem patiens, domi quoque
5 non nisi [7] petasatus sub divo spatiabatur. Itinera lectica, & noctibus fere, eaque lenta ac minuta faciebat ut [8] Prænestę vel Tibur biduo procederet. Ac si quo pervenire mari posset, potius navigabat. Verum tantam infirmitatem magna cura tuebatur, in primis [9] lavandi raritate. Ungebatur enim sæpius, & sudabat [10] ad flammam: deinde perfundebatur [11] egelida aqua
10 vel sole multo calefacta. At quoties nervorum caussa, [12] marinis, Albulisque calidis utendum esset, contentus hoc erat ut insidens [13] ligneo solio, quod ipse Hispanico verbo *duretam* vocabat, manus ad pedes alternis jactaret.

Nota.

1. *Pingui toga*] Hoc est crassa: quo sensu pingues quoque lacernas dixit Juvenal. Sat. 9. v. 28.

Pingues aliquando lacernæ
Munimenta togæ duri crassique coloris
Et male percussæ textoris pectine Galli.

De Lacernis supra cap. 40. Martialis Epig. 143. lib 14.

Et pingues tunicas serra secare potest.

Cujusmodi vestibus hieme præsertim utebantur & crassas quoque dicebant. Horatius Sat. 3. lib. 1.

Et toga qua defendere solem
Quamvis crassa queas.

Ex quippe crassioris e Gallia lanæ, ut patet ex Juvenalis loco & ex Martiali.

Sequanica pinguem textricis alummam.

2. *Subucula*] Legunt alii *subucula* & *thorace*, ut sit sensus, eculiare id Augusto fuisse quod quamquam aliis thorax indumentum militare foret ex ære; vel ferro, sive ex corio, quin & ex lino ut infra *in Galba* instar loricæ; laneum tamen thoraca gestaret: receptior est nostra lectio hoc sensu ut subucula Augusti, qua pectus tegebat, ex lana foret, & nomine thoracis appellata. Est autem subucula, tunica ea quam sub aliis induebant: postquam enim duabus simul uti cœpere tunicis, *subuculam* & *indusium* dicere institutum est. Ut ex Varrone habet Nonius, Horatius ep. 1. lib. 1.

Si forte subucula pexæ
Trita subest tunicæ &c.

3. *Feminalibus*] Feminalia femorum quæ & femina dicuntur, tegumenta sunt, sicut & tibialia tibiarum. Amborum qualia nobis hodie sunt, usum antiquis Græcis & Latinis, prorsus incognitum fuisse, fuse & docte probat Casaubonus. Nil ergo apud ipsos aliud fuere femoralia & tibialia quam fasciæ quibus illas partes involvebant primo ægroti, & imbecilli, de quibus Horatius Satyra 3. lib. 2.

Ponas insignia morbi
Fasciolas cubital, focalia, &c.

Fasciolis etenim crura, cubitali brachia focalibus fauces involvebant. Ægrorum exemplo postea molles ac delicati sensim etiam extra morbos iis usi sunt, ut Ciceronis ætate nondum prorsus labilita consuetudine, Pompeius lasciviæ & mollitiei accusatus fuerit quod illis uteretur; ut aperte Cicero epist. 3. lib. 2. ad Attic. *Epicratem* (sic enim Pompeium vocat) *suspicor*

Digitized by Google

ut scribis, lasciviam fuisse, etenim mihi caliga ejus, ut crebrata fascia non placebant. Hinc illa tyrannidis affectatio illi a Favorino exprobrata, ut supra in Julio notatum & Valerius Max. ac Ammianus tradidere: hujusmodi fasciæ pedibus involvendis etiam adhibitæ, cum enim per longa secula nudis, nisi necessitas cogeret, pedibus egissent, assumptis demum calceis, pedules quoque sumpsere fasciatas, ad differentiam tibialium & cruralium, seu feminalium, quibus omnibus usæ sunt etiam puellæ: quemadmodum & hodie fœminæ plerumque solent. Adriani demique temporibus frequentior hæc in usu fuisse ex Ulpiano colligas, hic enim ordinariis eas vestibus accensetl. 25. ff. *de auro & argento mundo.* Tandem longa consuetudine cum Gallis, Germanis, Gothis aliisque Septemtrionalium regionum populis braccarum (de his in Jul. c. 80.) usum ab illis accepere, quas prius ut pote inclementissimi cœli argumentum & barbarorum vestitum aversabantur, ut innuit Ovidius lib. 5. tristium Elegia 10.

Quos ut non timeas posse odisse videndo,
Pellibus & longa corpora tecta coma.
Hos quoque qui geniti Græca creduntur ab urbe
Pro patrio cultu Persica bracca tegit.

Loquitur enim de Ponti accolis quos indignatur braccis uti, cum e Græcis originem ducere crederentur. Eo igitur solummodo tempore nova notione quæ etiamnum hodie perseverat cepere tibialia, & femoralia usurpari. Quapropter subligacula & campestria, quorum etiam apud auctores mentio, quæque nonnulli similia femoralibus nostris existimant, pannos duntaxat intellige, quibus ephebi se exercentes, Luperci currentes, atque etiam vilia quædam servitia inter ministrandum pudenda contegebant.

4. *Peristylio*] Locus columnis septus de quo jam supra cap. 29. Hic nota atria palatiorum sive peristylia nil fuisse aliud quam alas ædificii, quæ velut porticus fultæ columnis in medio subdival efficiebant.

5. *Saliente aqua*] Vide notam Casauboni. Statius in epithalamio Violantillæ sic canit.

Excludunt radios sylvis decussa vetustis
Frigora: perspicuis vivunt in marmore fontes.

6. *Ventilante*] Ex more ditiorum, quibus meridiantibus adstans aliquis flabello e pennis quibusdam; quæ elegantioribus erant pavoninæ, ventulum faciebat, tum refrigerandi, tum muscas abigendi causa unde etiam muscaria dicebantur hæc instrumenta. Terent. Eunuch. act. 3. Sc. 5.

Cape hoc flabellum, & ventulum huic fac facito
Dum lavamur, &c.

Qui mos desiit ubi lectos velis obtegere cœperunt, cum antea flabellis & umbellis cincti delicatiores præsertim fœminæ, etiam per vicos incederent, ut testis est Halicarnass. lib. 7. & ex multis poëtarum locis colligere est.

7. *Petasatus*] Ait *domi quoque*: novum enim illud & insolens, non alibi siquidem quam in peregrinationibus adhibiti petasi, hoc est quidam pilei ad umbram faciendam marginati, quales peregre venientibus aptat Plautus prologo Am. hitr. & Pseudolo. Act. 2. Sc. 4. &c. & Cicero lib. 15. Familiar. epist. 17. de Cassii tabellariis loquens jam jam profecturis. *Sed petasati veniunt, comites ad portam expectare dicunt*, &c. Petasi forma ex Mercurii Galero dignoscitur; pileum vero proprie dictum similem iis quos dormitorios vocamus existimat Lipsius libro de Amphitheatro c. 19.

8. *Præneste & Tibur*] Utrumque Latii fuit oppidum illud hodie *Palestrina* 24. millibus, hoc vero *Tivoli* 16. tantum millibus ab urbe dissitum.

9. *Lavandi varietate*] Nervorum enim doloribus balneum obesse, veteres medici credidere. Quod ideo notavit hîc Suetonius, quia non alibi difficilius parebant medicis ægroti, quam imperata balneorum abstinentia, ut patet ex eo quod de intemperante illo ægro dixit Persius Sat. 3. v. 98.

Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur.

10. *Ad flammam*] Celsus lib. 2. cap. 17. utilia hæc dicit esse sudandi genera, quoties humor intus nocet, isque detergendus est *ac nervorum quoque*, inquit, *quadam vitia sic optime curantur.*

11. *Egelida*] Hoc est temperata. Ovid.

Sed gelidum Boream, egelidumque Notum.

Voce hac persæpe Celsus utitur lib. præsertim 4. c. 24. ubi hæc ipsa quæ narrantur hic, Augusto dicit observata. Salmasius existimat voce *egelidum* utrumque significari tam *gelidum* quam *tepidum.*

12. *Marinis*] Torrentius legit *marinis*

calidis, albulisque. Ne inani epitheto fuerit usus, albulas enim non aliter quam calidas intelligi posse, ut pote sulphureas in agro Tiburtino Martial lib. 1. Epig. 13.

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces
Canaque sulphureis Albula fumat aquis.

Et Statius Silva 3. lib. 1. quæ est de Tiburtino Manlii.

Illic sulphureos cupit Albula mergere crines.

Marinæ huic morbo remedium erant calidæ ut patet ex Plinio lib. 31. c. 6. & Celsus lib. 4. c. 24. calidis fomentis opus esse dicit cum tumor nullus est & aquam marinam sive muriam fervefacere oportere, &c. Cum tamen Strabo lib. 5. Frigidas aperte dicat Albulas varioſque salutares ad morbos & ipse Martialis crudas appellat epig. 4 lib. 4.

Crudarum nebula quod albularum.

Et Plinius dicto libro *egelidas*. Dicendum videtur ex fontibus quos eo loci plures fuisse auctor est idem Strabo ibid. alios frigidos, alios vero calidos fuisse, vel eas ab Augusto sumptas alio quam quo orirentur loco. Hodie dicuntur *Bagni di Tivoli.*

13 *Ligneo solio*] Solium illud Balneare est sive vas balneatorium quo sedentes lavabantur.

CAPUT LXXXIII.

EXercitationes [1] campestres equorum & armorum statim post civilia bella omisit: & ad [2] pilam primo, folliculumque transiit: mox nihil aliud quam vectabatur & deambulabat: ita ut in extremis spatiis [3] subsultim decurreret, [4] sestertio vel lodicula involutus. Animi laxandi caussa, [5] modo piscabatur hamo: modo [6] talis, aut [6] ocellatis, nucibusque ludebat cum pueris [7] minutis, quos facie & garrulitate amabiles undique conquirebat, præcipue Mauros & Syros. Nam [8] pumilos, atque [9] distortos, & omneis generis ejusdem, ut ludibria naturæ malique ominis, [10] abhorrebat.

NOTÆ.

1. *Campestres*] Quæ fiebant in campo Martio de quibus non nulla c. 64. supra & Horatius lib. 1. Ode 8.

Cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque solis.

2. *Pilam & folliculum*] Ludorum istiusmodi species multæ. Trigonalis quæ in Trigone loco nempe figuræ triquetræ thermis utplurimum adjuncto exerceri solita, finistræ præsertim manus agilitate. Martialis Apophoret. 46.

Si me mobilibus scis expulsare sinistris
Sum tua, si nescis: rustice redde pilam.

Uni epigrammati titulus est *pila trigonalis.* Erat & Paganica quod ea pagani seu rustici præsertim uterentur pluma referta & Trigonali, quæ & pila simpliciter dicitur major Martialis ibid. Ep. 45.

Hac qua difficilis turget paganica pluma
Folle minus laxo est & minus arcta pila.

Unde patet etiam follem pilæ genus fuisse, hoc pueri ludebant, & senes, lentius enim fertur & magis resilit: idem Martial. ibidem epig. 48. qui quia pugno excutitur pugilatorium dicitur. Plauto in Rudente Act. 5. Sc. 4. vers. 15. exercitiis hujusmodi ad balnea sese præparabant Martial. lib. 7. epig. 31. quod est ad Atticum quemdam, otia literarum, laboribus hujusmodi præferentem.

Non pila non follis, non te paganica thermis
Præparat, &c.

3. *Subsultim*] Hoc est subsiliendo curreret. Quæ deambulandi ratio ejus, ut Casaubonus arbitratur, valetudini speciali quadam ratione conducebat; medici quippe tunc temporis præsertim Asclepiadis sectatores varios adinvenerant deambulandi modos, qui cuique morbo convenirent; per plana vel per clivosa, longioribus, vel brevioribus spatiis, contento vel levi cursu jubentes exerceri. Super quo Hipocratem a-

Digitized by Google

& 3. de Dieta & Oribasium lib. 6. aliosque medicos laudat idem Casaubonus. De his etiam nonnulla Plinius lib. 26. c. 5.

4. *Sestertio*] Turnebus adverſ. lib. 3. c. 18. unus e Tertentii libris *sextercitio*, & Beroaldus *sestiecla* ſed omnes parum commode. Emendavit Caſaubonus ex Cujacii obſervat. lib. 13. c. 13. *segestrio*. Fuerunt autem *segestre*, ſeu *segestrium* & *lodex* ſive *lodicula* lectorum ſupellectilis, ſegeſtria pauperum ut plurimum & in exercitu, lodices beatiorum, & in balneis ac gymnaſiis, cum enim in his nudi forent, ſi infirmitate laborarent aſtqua, pallam vel lodiculam, quam poſtea *ſabanam* dixere, ſumebant, ſecus ſolo campeſtri pudenda tecti. Ut cap. ſuperiori. Lucilius de ſegeſtri.

Pomula, ſi quæris cantarin', ſervu', ſegestre,
Utilius mihi quam ſapiens.

Varro lib. 4. de lingua Latina.

5. *Talis*] Talos pueriles verosimiliter intelligit; alio enim modo ſenes, alio pueri talis ludebant, ut arbitratur Eraſmus in *Aſtragaliſmo*, & ex c. 71. ſupra colligas.

6. *Ocellatis*] Hanc lectionem ut pote codicum optimorum ſervat Caſaubonus. Sunt autem ocellata globuli quidam vel eburnei vel lapidei quibus puellæ ludebant Ovidius 10. Metam. 9.

Modo grata puellis
Munera fert illi conchas, teretesque lapillos.

Ex eorum genere, qui in litoribus utplurimum inveniuntur, quo que a forma *umbilices* atque etiam *ninpharum oculos* dixere: unde hic *ocellata* ſive *ocellati* ſubaudiendo *lapilli*. ſeu *calculi*. Vulgati Codd. legebant *oſcillatis* ab *oſcillis* nempe. Sunt autem *oſcilla* imagunculæ quædam fictiles, quas pro ſe, & pro ſuis Saturno, vel Libero patri ſacrificabant, ut ait Macrobius lib. 1. c. 11. unde Saturnaliorum tempore miſſitabantur. De his plura Servius ad hunc. 2. Æneid. verſum.

Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu.

De quibus & infra Claudii c. 5. &c. Alt Beroaldus in veteriſſimo codice lectum ſibi *talellatis nucibus*, quod ludi genus & veteſtiſſimum eſt: Ovidius enim ait ubi de nuce.

Quatuor in nucibus non amplius alea tota eſt,
Cum ſibi ſuppoſitis additur una tribus.

Quod certe multum abeſt, ut obſoleverit.

7. *Minutis*] Id quoque moris apud antiquos fuit, ut minutos procaceſque pueros ſtudioſe conquirerent, quos & delicias appellabant, non quidem illas nefandas de quibus Græci, nec enim *delicatus puer* & *delicia* idem ſemper ſonant. Statius Epicedio in filium.

Non ego mercatus Pharia de puppe lequaces
Delicias, doctumque ſui convivia Nili
Infantem linguaque ſimul ſalibuſque protervum
Dilexi, &c.

Alexandrini quippe non minus ac Mauri, Syri, &c. idcirco erant in pretio. Senec. lib. 2. *de Tranquilitate vitæ* c. 11. *Eadem cauſa eſt cur nos mancipiorum noſtrorum urbanitas in dominos contumelioſa delectet: quorum audacia ita demum ſibi in convivio jus facit, ſi capit a domino*; & paulo infra *pueros quidem in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, & ſub magiſtro habent qui probra nuditate effundant*, &c. hujuſmodi pueris mulieres præſertim delectabantur, & veſtibus nudos auro multo, gemmiſque exornabant, ut narrat Dio lib. 58. de Auguſti cum Livia nuptiis loquens. Et Ammianus lib. 15. graphice deſcribit in mulierum comitatu.

8. *Pumilios*] Alii fere *pumiliones* dicunt quos & *nanos*, quamvis appellatione Græca Latine diti probat Gellius lib. 19. c. 13. hujuſmodi homunculi in divitum famulitio plures, quos non naturæ tantum ludibrio tales fuiſſe conſtat, ſed & arte: cum enim pretioſiores eſſent, illos quandoque mangones alebant arca concluſos, faſciiſque revinctos.

9. *Diſtortos*] Elegantiſſimæ formæ pædagogia & miniſteria habere gaudebant ab initio, ſed verſa in contrarium luxuria prodigioſi illi & quocumque vitio ſpectabiles in deliciis eſſe cœperunt. Quintil. in declamat. *Gratus eſt ille debilitate, ille infelicitate diſtorti corporis placet, alter emitur quia alieni coloris eſt*, &c. Et Inſtit. lib. 2. c. 5. *Illa quæ utcumque deflexa ſunt, tanquam exquiſitiora miramur, non aliter quam diſtortis & quocumque modo prodigioſis corporibus*. Et Seneca Epiſt. 5. de Harpaſte uxoris ſuæ fatua, &c.

10. *Abhorrebat*] Fuit tamen in ejus domo *Conopas* ille Juliæ neptis cura & amor

duorum dumtaxat pedum & palmi, auctore Plinio lib 7. c. 16. & Juliæ Augustæ liberta mulier *nana* nomine *Andromeda* de qua idem Plinius ibid. & ipse Augustus populo exhibuit Lucium illum de quo *supra* c. 43. qui tamen & aliis de caussis portentosus erat.

CAPUT LXXXIV.

ELOQUENTIAM studiaque liberalia ab ætate prima & cupide & laboriosissime exercuit. [1] Mutinensi bello in tanta mole rerum, & legisse & scripsisse & [2] declamasse quotidie traditur. Nam deinceps neque in Senatu, neque apud populum, neque apud milites locutus est umquam, nisi meditata & composita oratione: quamvis non [3] deficeret ad subita, [4] extemporali facultate. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut in ediscendo tempus absumeret: instituit recitare omnia. Sermones quoque cum singulis, etiam cum Livia sua graviores, nonnisi in scriptis, & [5] e libello habebat: ne plus minusve loqueretur ex tempore: pronuntiabat dulci & proprio quodam oris sono: dabatque assidue [6] phonasco operam: sed nonnumquam infirmatis faucibus, [7] præconis voce ad populum concionatus est.

NOTÆ.

1. *Mutinensi bello*] De quo supra c. 9. & 12. Idipsum repetit Suetonius lib. de Rhetoribus.

2. *Declamasse*] Declamatio aliud nihil est quam oratio scholastica, quæ sit forensium actionum meditatio, qua ad pugnam forensem velut præpilatis exerceri olim solebant, inquit Andreas Schotus libello de auctore & declamandi ratione, qui Suasoriis Senecæ præfigitur. Qua de re plura apud Senecam patrem præfatione controvers. & infra lib. de Rhetoribus. Quod mire insectatur Petronius statim ab initio eorum, quæ supersunt de Satyrico.

3. *Deficeret*] Casaubonus ex Vitterbiensi codice præfert *deficeret a subita*, &c. vel ut in aliis *deficeretur*. In Memmiano codice *deficeretur ad subita extemporali facultate*.

4. *Extemporali facultate*] Qua ex tempore citra meditationis laborem, orationem pronuntiaret. Quem jure Quintilianus studiorum fructum esse maximum existimat.

5. *Libello*] Sensus est eum in libello descripsisse, quæ cum ipsa Livia collocuturus erat, si gravioris ea momenti forent.

6. *Phonasco*] Hoc est formandæ vocis magistro, quales apud antiquos fuere frequentissimi: φωνὴ enim Latine vox est unde ars ipsa Phonascia dicta est. Fuit & palæstræ genus cujus præceptores, palæstrici dicebantur; hi motus gestusque formabant, ne v. g. rusticæ manus essent ne qua in movendis pedibus inscitia, ne demum status ulla ex parte foret indecorus, &c. quam artem qui non didicerant, ii ab antiquis apalæstri dicebantur. De quibus plura Budæus in annotationibus ad Pandectas ex Cicerone, Quintiliano, &c. Hoc enim ne ignorarent ingenui & liberaliter educati pueri maxime curaverunt.

7. *Præconis voce*] Imperatorum postea fuit illa consuetudo, ut eorum orationes, destinari in id ministri, qui quæstores candidati, de quibus supra, c. 65. in Senatu recitarent; præcones vero apud populum, si hunc per edictum non alloquerentur, ut sæpe sæpius factum ab Augusto supra notatum, infra Neron. c. 15. & Tit. c. 6.

Digitized by Google

CAPUT LXXXV.

MUlta varii generis prosa oratione composuit, ex quibus nonnulla in cœtu familiarium, velut in auditorio recitavit: sicut [1] *Rescripta Bruto de Catone*. Quæ volumina cum jam senior ex magna parte legisset, fatigatus Tiberio tradidit perlegenda. Item *Hortationes ad philosophiam*: & aliqua *De* [2] *vita sua*, quam tredecim libris, Cantabrico tenus bello, nec ultra exposuit. Poëticam summatim attigit, Unus liber exstat scriptus ab eo hexametris versibus, cujus & argumentum & titulus est. [3] *Sicilia*. Exstat alter æque modicus *Epigrammatum*, quæ fere tempore balinei meditabatur. Nam tragœdiam magno impetu exorsus, non succedente stylo, abolevit: quærentibusque amicis *quidnam Ajax ageret?* respondit, *Ajacem suum in* [4] *spongiam incubuisse*.

NOTÆ.

1. *Rescripta*] Contra Brutum scripta; quibus respondebat iis quæ Brutus de Catone Uticensi socero, avunculoque suo in vituperium, ut verosimile est Julii, Augustique scripserat.

2. *De vita sua*] Memoriales hoc opus appellat Appianus in Illyricis ὑπομνήματα reperiuntur quoque de his nonnulla in Digestis l. 1. *de Cadaveribus punitorum* & *lege* 12. *ff. de re militari*: quidam etiam ejus de disciplina militari liber videtur innui, de quo tamen nulla hîc mentio, ut nec de epistolis, sed hæ in confesso sunt apud omnes ut supra cap. 71. & Macrobius, Gellius, &c.

3. *Sicilia*] Verosimile est descriptionem ejus insulæ fuisse aliquam, & eorum, quæ habet memoranda, Ætnæ v. g. &c. nisi si mavis ad ea quæ ipse in Sicilia gessit adversus Sext. Pompeium de quo supra c. 16.

4. *In spongiam incubuisse*] Spongiam inter scribendum pingendumve paratam semper habebant, quam dixere deletilem, quod ea ad delenda quæ minus placerent, uterentur. Quare hoc responso festiviter alludebat Augustus ad Ajacis mortem, qui armorum Achillis judicio, de quo in Julio c. 84. victus præ dolore in ferrum incubuit, quod & Sophocli Tragœdiæ jam ante præbuerat argumentum, & Pacuvio ut ibid. notatum est supra.

CAPUT LXXXVI.

GEnus eloquendi secutus est [1] elegans & temperatum: vitatis sententiarum ineptiis, atque inconcinnitate, & *reconditorum verborum*, ut ipse dicit, *fœtoribus*. Præcipuamque curam duxit, sensum animi quam apertissime exprimere. Quod quo facilius efficeret, aut necubi lectorem vel auditorem obturbaret, ac moraretur, neque præpositiones verbis addere, neque conjunctiones sæpius iterare dubitavit, quæ detractæ afferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent. [2] Cacozelos & antiquarios, ut diverso genere vitiosos, pari fastidio sprevit. Exagitabat nonnunquam in primis Mæcenatem suum, cujus [3] μυσοπωγωνίς, ut ait, *cincinnos* usquequaque persequitur, & [4] imitando per jocum irridet. Sed nec Tiberio parcit & exoletas interdum, & reconditas voces aucupanti. M. quidem Antonium, ut insanum, increpat: quasi ea scribentem quæ mirentur potius

Digitized by Google

homines quam intelligant. Deinde ludens malum & inconstans in eligendo genere dicendi ingenium ejus, addidit hæc, *Tuque dubitas* [5] *Cimber ne Annius an Veranius Flaccus imitandi sint tibi? ita ut verbis quæ* [6] *C. Sallustius excerpsit ex originibus* [7] *Catonis, utaris? an potius* [8] *Asiaticorum* [9] *oratorum inanibus sententiis, verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda?* Et quadam epistola [9] Agrippinæ neptis ingenium collaudans; *Sed opus est*, inquit, *dare te operam ne molestè scribas aut loquaris.*

Notæ.

1. *Elegans*] De eo sic Gellius lib. 15. c. 7. *Cum librum epistolarum D. Augusti quas ad Caium nepotem suum scripsit, legeremus, duceremurque elegantiæ orationis, neque morosæ, neque anxiæ, sed facilis hercle & simplicis.* Et libro 10. c. 24. munditiarum patris sui, Julii scilicet, in sermonibus & epistolis sectatorem fuisse dicit.

2. *Cacozelos & antiquarios*] More suo divisim probandi, quæ simul proposuit utriusque exempla subdit, Mœcenatis nempe & Tiberii, illius enim κακοζηλίαν, hujus obsoletorum verborum, ut ita dicam, aucupium exagitat, sunt autem Cacozeli, mali imitatores, qui eo ipso dedecorant orationem quo illam putant exornari. In illud vitium incurritur quoties ingenium judicio caret & boni specie fallitur verborum novitate sucum orationis affectando, quod omnium in eloquentia pessimum ait esse Quintilianus, quod cætera, inquit, vitia vitentur: hoc vero etiam petatur. Antiquarios autem eos intellige, qui verba aucupantur obsoleta. Par cacozeliæ vitium, sic enim tanquam scopulus vitari debet inauditum atque insolens verbum, ut ait, ex Cæsaris libro de Analogia Gellius lib. 1. c. 10. & obsoletis aut novitatis duræ & illepidæ verbis uti, par delictum est, inquit idem Gellius alibi.

3. *μυροβρεχῆς.*] Hoc est *unguentis delibutos*; verba sunt Augusti: sæpius enim ita loquitur, ut sermoni suo vocabulum aut phrasim Græcam interserat, ut patet ex ejus literis infra in Claud. c. 4. &c. Quibus verbis affectatas & novas in Mæcenate loquendi rationes arguit, quod molliorem & luxu diffluentem virum hæ redolerent. Operum ejus fragmenta quædam refert Seneca epistola 114. & ridet. & de eo epist. 19. *Ingeniosus vir olim fuit & magnum exemplum Romanæ eloquentiæ daturus, nisi illum enervasset felicitas.*

4. *Et imitando per jocum ridet*] Sensus est Augustum quandoque literis cum Mæcenate jocatum imitando ejus in scribendo quasi mollitiem & κακοζηλίαν. Harum epistolarum fragmentum extat apud Macrobium lib. 2. c. 4. quo loco de Augusti in alios jocis, & aliorum vicissim in ipsum loquens ait: *In epistola ad Mæcenatem familiari plures in jocos effusa subtexuit, vale mel gentium, mellicule, ebur ex Etruria, laser Arretinum, adamas supernas, Tiberinum margaritum, Cilniorum smaragde, jaspis figulorum, berylle Porsenna, carbunculum Italiæ.*

5. *Cimber ne Annius*] In tribus ex suis libris Torrentius legit *Annæus*, de quo legisse se quidquam non meminit. Casaubonus existimat ejus mentionem fieri a Quintiliano & Epigrammate eo quod legitur in Catalectis quo in Rhetorem antiquarium ejus nominis luserit Virgilius. *Pro Veranio. Verrius flaccus* legit Beroaldus, ut de eo intelligatur, quem nepotibus præceptorem ab Augusto datum dixit lib. de Grammat. c. 17. sed vero parum simile putant, alii evectum ad id munerii eum, qui hoc ipso quod maxime oderat Augustus, orationis vitio laborasset; quod enim scriptum de *obscuris Catonis* a Verrio librum refert ex Gellii lib. 17. c. 6. dilucidum id potius auctorem probaverit quam antiquarium: obsoleta siquidem Catonis antiquarii verba susceperat explicanda. certe Veranii meminit quoque Macrobius lib. 3. c. 2. ut veterum quarumdam vocum interpretis. Ad rem igitur. Augustus ridet Antonium, qui illa agitet quæ deliberationem pati nullam debeant, num scilicet antiquarios illos imiturus sit, an loquaces Asiaticos, ut pote quorum æque in suo genere peccet oratio.

6. *Crispus Sallustius*] Arguitur quod vetera quæ in Catonis libris leguntur verba

Digitized by Google

maverit. Notum epigramma.

Et verba antiqui multum furate Catonis
Crispe Sugurthina conditor historia.

De quo & Quintilianus lib. 8. cap. 3. & ipse Suetonius infra de illustribus Grammaticis 15.

7. *Catonis*] Cato Censorius libros scripsit, quibus titulus erat *origines*, his omnia antiquitatis monimenta collegerat, de quibus multa apud Ciceronem mentio lib. præsertim de Oratore.

8. *Asiaticorum*] Hos in vivendo simul & dicendo secutus dicitur a Plutarcho Antonius: Petronius *nuper ventosa illa & enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit, animosque juvenum ad magna surgentes veluti pestilenti quodam sidere afflavit.*

9. *Agrippina neptis*] De hac supra c. 64. Vipsanii Agrippæ & Juliæ Augustæ altera filia Germanici uxor Caligulæ mater, de qua etiam plura infra in Tiberio & aliis.

CAPUT LXXXVII.

QUotidiano sermone quædam frequentius & notabiliter usurpasse eum, literæ ipsius [1] autographæ ostentant. In quibus identidem cum aliquos numquam soluturos significare vult, *Ad* [2] *Kalendas Græcas solvunt* ait: & cum hortatur ferenda esse præsentia, qualiacumque sint, *Contenti simus* [3] *hoc Catone*: & ad exprimendam festinatæ rei velocitatem, *Velocius quam asparagi coquantur.* Ponit assidue & pro stulto, [4] *baceolum*: & pro [5] pullo, *pullejaceum*: & [6] pro certo, [7] *vacerrosum*: & [8] *vapide sese habere*, pro male: & [9] *betissare*, pro languere: quod vulgo [10] *lachanissare* dicitur. Item [11], *simus*, pro sumus: & [12] *domos* genitivo casu singulari, pro domus. Nec umquam aliter hæc duo, ne quis mendam magis quam [13] consuetudinem putet. [a] Notavi & in chirographo ejus illa præcipue: non dividit verba, nec ab extrema parte versuum abundantes literas in alterum transfert: sed ibidem statim subjicit, [14] circumducitque.

INTERPRETATIO.

a *Observavi quoque in iis quæ ejus manu scripta erant hæc præsertim: non secat vocabula, & non transfert in versum* sequentem *literas abundantes in fine* præcedentis, *sed illas eodem in loco supponit, & circumductione* distinguit.

NOTÆ.

1. *Autographa*] Ipsius manu scriptæ.

2. *Kalendas Græcas*] Quia nullæ erant apud Græcos, hi quippe suos menses alio quam Latini modo computabant; a neomenia non kalendis incipientes, &c.

3. *Hoc Catone*] Qui illum Reip. statum in quo vixerat, constantissime retinendum pugnavit, nec mutato superstes fuit; quibus verbis convenit etiam, quod de Augusto Catonis domum ingresso narrat Macrobius lib. 2. c. 4. Straboni enim male de pervicacia Catonis existimanti dixit, *quisquis præsentem civitatis statum commutari non vult, & civis & vir bonus est.* Sensus est igitur quemadmodum Cato præsenti rerum statu contentus alium nolebat, ita & nos idem velimus. Casaubonus addit vocem hanc ab eo primum prolatam cum tribubus commendaret aut in Senatum legeret aliquem, cuius mores non admodum probarentur: Quod tamen dicit hoc loco *simus* ab eo usurpatum pro *sumus*, aliud quid innuere videatur. Augustus qui tales viros, qualis erat Cato, obfirmato nempe & invicto adversus tyrannidem odio, vero similiter non amabat, si quem legeret in Senatum modica virtute contentus, tantam nolebat, quanta fuerat in Catone, cum igitur *si quis*, ut ait

Valerius Max. lib 2. c. 5. in fine *sanctum & egregium civem significare velit sub nomine Catonis definiat*, ideo hunc Catonem, id est civem, ita bonum esse significaverit, ut meliorem nollet. Unde dictum illud ab eodem Augusto ad alia quoque translatum est. Hunc etiam locum alia ratione Turnebus explicat *adversariorum* lib. 24. c. 15.

4. *Baceolum*] Beroaldus legit *blaceolum* a Græco βλαξ, unde Festus *blitum* & *blatestare* deducit. hoc est, stulte & percupide loqui. Casaubonus *bateolum* in pluribus legit exemplaribus, & probat, ut deducatur a βατίω. vel βάτταλος quæ voces pro dissoluto & remisso primum; deinde pro voluptuoso etiam usurpatæ sunt. Verum hæc stultum vulgo non significant, unde præferenda videtur nostra lectio, tum quia plurium codicum auctoritas hanc tuetur, tum quia deduci potest a βάτταλος quæ vox idem significat atque βλαξ, hoc est stolidum hominem, supinum, & socordem, &c.

5. *Pro pullo*] Casaubonus in aliquibus, & Torrentius in uno codice *pullum* & in tribus *apud pullum* legit, alii quidam *puleio* ut deducatur a voce *puleium* quod herbæ genus *pouliot*, vulgatam tamen servavere quamvis *pro pullum* optime dici posse videatur, quo vero sensu pullum intelligeret, vix est ut quis eliciat: pullus enim de herbarum & vestium colore dicitur, pro quo pulleiaceum dixerit ut *herbaceus, hederaceus, miniaceus*, &c. ut & de animalium omnium partubus recens editis.

6. *Cerito*] Casauboni MSS. *territo* habent male, ut fatetur, Torrentii *cerrito* quod probat jure tum ex Festo, tum ex Horatio lib. 2. Sat. 3. v. 278.

Marius cum præcipitat se
Cerritus fuit.

Idem quod *limphatus fanaticus*, &c. quasi *cereritus* ut aiunt Cereris furore percitus Nonius tamen *ceritus* legit quo convitio turpes quosdam & exangui facie homines incessebant.

7. *Vacerrosum*] Hoc est, vecorde n vesanum quod & *vacerram* dicunt ex Festo, qui auctor est Verrium & alios complures hoc nomine dixisse stipitem ad quem equi religari solerent, & Ateium Philologum pro maledicto acerbitatis accepisse ut supra. Livius Andronicus habet.

Vecors & malefice Vacerra: vacerrosum.

Ergo dicebat Augustus ad significandum vecordiæ excessum, ut pro *cerito* esset: ejusmodi enim inclinamenta in *osus* immodicam quandam rei copiam significant ut *fecerosus, vinosus*, &c.

8. *Vapide*] Vapida sunt minus valentia si cum Torrentio a *vappa* deducis duplici *p.* scribendum erit. Notum porro est vappam dici vinum corruptum Horat. Sat. 3. lib. 2. v. 143.

Qui Vejentanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis.

Unde homines degeneres dicti sunt *vappæ*, Idem Satyr. 1. lib. 1. v. 104.

Non ego avarum
Cum veto te fieri, vappam jubeo aut nebulonem.

9. *Betissare*] Sic scripsit Casaubonus non *betizare* & *lachanizare*. Isidori auctoritate motus, is enim lib. Originum 1. c. 4. ait, *A Græcis quas literas mutuavit Latinitas y & z propter nomina Græca, & hæ apud Romanos usque ad Augusti tempus non scribebantur, sed pro z ss ponebant, ut hilarissas*, &c. Priscianus quoque *sæpe pro z literam s solemus geminatam ponere, ut patrisso pro patrizo*, &c.

10. *Lachanissare*] Non mirum sic vertisse Augustum, λάχανον enim Atticis *beta* est, sed oleris omne genus Horatio, si Lambinum audis Satyr. 6. lib. 2. vers. 115.

Ad porri & ciceris refero lachanique catinum.

Si Torrentium legeris *lagana* quod placentæ genus quoddam. Sed ut fatetur uterque λάχανον Græcis est omnis herba sativa, quæ edundo sit, quanquam Athenienſibus κατ' ἐξοχὴν sumatur pro *beta*; ut ut est *lachanissare* bene semper pro languere ponitur quid enim olere mollius & languidius? Catullus 68.

Languidior tenera cui pendent sicula beta, &c.

11. *Simus*] E converso sæpe legere est *u* pro *i*. v. g. *opium, cornufex*: unde colligas affinem fuisse earum literarum pronunciationem.

12. *Domos*] Sic quoque *u* sæpe positum pro *o* ut *colpam, publicum* &c. notat quippe Priscianus in 1. multis Italiæ populis, ut & vetustissimis quibusdam Romanis literam *u* inusitatam ab initio.

13. *Consuetudinem*] Hinc videtur ipse Augustus ab antiquariorum vitio, non procul abfuisse.

14. *Circumducit*] Non potest hoc melius quam ipsa scriptione demonstrari en

Fragmentum

Fragmentum epistolæ ad Cajum, quæ extat apud Gellium lib. 15. c. 7.

Ave mi Cai meus ocellus jucundissime
Quem semper medius fidius desidero
Præcipue diebus talibus qualis
Est hodiernus, &c.

Id autem faciebat perspicuitatis amore ne quasi avulsa a se invicem verba forent, quod tamen errandi postmodum autam præbuit criticis, qui circumductiones ejusmodi quandoque pro literis accepere, præsertim pro litera L majuscula propter aliquam similitudinem L. Hic autem notare est obiter versum etiam in prosa oratione dici hunc verborum ordinem quem nunc vulgo dicimus *lineam*.

CAPUT LXXXVIII.

ORthographiam, id est, formulam rationemque scribendi a Grammaticis institutam, non adeo custodiit: ac videtur eorum sequi potius opinionem, qui perinde scribendum ac loquamur existiment. Nam quod sæpe non literas modo, sed syllabas aut permutat aut præterit, communis hominum error est. Nec ego id notarem, [1] nisi mihi mirum videretur, tradidisse aliquos, legato eum consulari successorem dedisse, ut rudi & indocto, cujus manu *ixi* pro *ipsi* scriptum animadverterit. Quoties autem [2] per notas scribit, *b*, pro *a: c*, pro *b*, ac deinceps eadem ratione sequentes literas ponit. [3] Pro *z* autem duplex *aa*.

NOTÆ.

1. *Nisi mirum, &c.*] Videtur inde colligi posse hunc scribendi modum non tam a pronunciatione, quam ab orthographia abfuisse; Suetonii ut minimum temporibus; dubitat siquidem hic auctor utrum Augustus offendendus nec-ne fuerit hac viri consularis scribendi ratione; atque ideo vocem *ipsi* mollius & quasi medio quodam tono inter *issi*, pronunciatam, *x* enim litera duplex est *ss*. Quod autem consularem istum Casaubonus increpat, quod Augusti temporibus ignorata etiamnum erat, aut paucis cognita *litera x*, ut testatur Isidorus lib. 1. c. 24. certe ignoratam duntaxat inferre potest in scribendo, non etiam in dicendo seu pronuntiando, ut patet vel ipso Varronis testimonio, quod adducit *literarum partim sunt & dicuntur ut* A B *partim dicuntur & non sunt ut* H & X. saltem ergo dicebatur *x* litera, hoc est, pronunciabatur. quod sufficit ut ea sine vitio potuerit uti consularis ille, quin & Augusto poterat hac ratione gratificari, hujus methodum secutus in scribendo, perinde ac loqueretur.

2. *Per notas*] De his in Julio c. 56.

3. *Pro z*] Casaubonus legebat in omnibus libris *pro* x & emendavit pro z. patet enim ultimam hic literam intelligi, quo certe non admisso, dicendum esset z tunc temporis nondum in usu fuisse, de quo vide sis Isidorum lib. 1. c. 24.

CAPUT LXXXIX.

NE Græcarum quidem disciplinarum leviore studio tenebatur: in quibus & ipsis præstabat largiter, magistro dicendi usus [1] Apollodoro [2] Pergameno, quem jam grandem natu, Apolloniam quoque secum ab urbe juvenis adhuc eduxerat. Deinde etiam [3] eruditione varia repletus [4] Sphæri Arei [5] philosophi, filiorumque ejus Dionysii & Nicanoris contubernium iniit: non tamen ut aut loqueretur expedite, aut componeret

Digitized by Google

aliquid auderet. Nam & si quid [6] res exigeret, Latine formabat, vertendumque alii dabat. Sed plane Poëmatum quoque non imperitus, delectabatur etiam comœdia veteri, & sæpe eam exhibuit publicis spectaculis. In evolvendis utriusque linguæ auctoribus, nihil æque sectabatur quam præcepta & exempla publice vel privatim salubria: eaque ad verbum excerpta, aut ad domesticos, aut ad exercituum provinciarumque rectores, aut ad urbis magistratus plerumque mittebat: prout quique monitione indigerent. Etiam libros totos & senatui recitavit & populo notos per edictum sæpe fecit: ut orationes *Q.* [7] *Metelli*, *De prole augenda*, & [8] *Rutilii*, *De* [9] *modo ædificiorum*: quo magis persuaderet, utramque rem non a se primo animadversam, sed antiquis jam tunc curæ fuisse. Ingenia seculi sui omnibus modis fovit. Recitantes & benigne & patienter audivit: nec tantum carmina & historias, sed [10] & orationes & dialogos. Componi tamen aliquid de se, nisi & serio, & [11] a præstantissimis offendebatur: admonebatque Prætores, ne paterentur nomen suum [12] commissionibus [13]o solefieri.

Notæ.

1. *Apollodoro*] Idem habet Quintilianus initio lib. 3. cui addit Strabo illum Augusti gratia multum inclaruisse & sectæ Apollodoreæ initium fuisse, quam tamen jam inde ab Augusti temporibus plurimi non factam testatur lib. 13.

2. *Pergameno*] Pergamum sive Pergamus minoris Asiæ civitas est hodie *Pergamo*, sed multum a pristino splendore diversa.

3. *Eruditione varia*] Hujus loci sententia est Augusto eloquentiæ Græcæ præceptorem fuisse Apollodorum: philologiam vero quam vocant hoc est historiam, rerum antiquarum cognitionem, humaniores literas edoctum a Sphæro illo quæ omnia nomine Variæ eruditionis expressit auctor hic noster; quod in illis versati proprie dicantur eruditi ut adhuc infra Calig. c. 53. *E disciplinis liberalibus minimum eruditioni, eloquentiæ plurimum attendit.*

4. *Sphæri*] Omnes MSS. Torrentii habent *Sperarei* aut *Sperarci*. Quia tamen Dio lib. 48. Sphæri cujusdam mentionem fecit qui Augusti libertus idem & pædagogus fuerat ipsi carissimus ut pote quem fato functum, funere publico efferri voluerit; ideo sicut scriptum est, emendarunt.

5. *Arei*] Philosophus fuit Alexandrinus cujus in gratiam Augustus Alexandriam ingressus multis & vitam & bona condonarat. Hujus meminit & Plutarchus in Antonio & Seneca lib. *de Consolatione ad Marciam* c. 4. & supra c. 17. de eo jam aliqua notata sunt Cæsarionis occasione: meminit & Dio lib. 51. & Strabo, &c. lectionem autem *contubernium iniit* Casaubonus arguit, pro *in contubernium ascivit* aut *contubernio admovit* ut Tiberii cap. 14. unde cum in quibusdam codicibus legerit *contubernio* absque voce *iniit* quam nec habent Lisiæi codices, & Pithœi & Ursini, hanc repellit & retinet *contubernio*; sed hoc posito rejiciendus veniret Sphærus ut Areo solo superstite legeretur *eruditione varia repletus in Arei philosophi filiorumque ejus Dionysii & Nicanoris contubernio.*

6. *Res exigeret*] Hoc est si quando sibi Græce dicendum esset, v. g. cum Alexandriæ lingua Græca peroravit, ut refert Dio lib. 51. plurimum quippe tunc temporis valebat hæc lingua tum in Asia tum in Europa.

7. *Q. Metelli*] Is fuit censor anno U. C. 623. ante natalem Augusti sexaginta circiter & octo enixe in id incubuit ut populo connubia persuaderet. Videsis supra c. 34. & Epitomen Livii lib. 59.

8. *Rutilii*] Hic cum M. Manlio Maximo consul fuit ann. U. C. 649. & eundem existimat esse Torrentius cujus toties honorifice meminit Cicero lib. 1. de Oratore, ut

Digitized by Google

philoſophiæ dediti & quo ſanctior & integrior in civitate nullus eſſet; Qui tamen de architectura libros non ſcripſerit, ut vult Beroaldus, ſed orationes habuerit, ut & alii quoque, in Senatu vel ad populum de modo ædificiis imponendo ad inhibendum luxum, & amovenda incendia.

9. *Modo ædificiorum*] Strabo lib. 5. dicit conſtitutum ab Auguſto fuiſſe, ne quis ædes altius quam ſeptuaginta pedes tolleret. Quam altitudinem ad 60. pedes reductam a Trajano auctor eſt Aurelius Victor. Certe maximam ædificiorum Romanorum altitudinem tum ex his locis colligas, tum ex oratione Ariſtidis Sophiſtæ, cujus hæc ſunt verba, qualia ex Canteri verſione retulit Caſaubonus; *non tamen quieſcit donec æquales ſibi ſuper impoſitas urbes alteram ſuper alteram ferat, quo circa ſiquis eam* (Romam) *diligenter vellet evolvere & qua nunc in ſublimi ſunt urbes, humi juxta ſe invicem deponere, exiſtimarem fore ut omnis Italia reliqua pars compleretur atque una urbs, ad Jonium mare continua protenderetur.*

10. *Sed & orationes*] Hunc morem emendandi etiam, quæ componebantur gratia, obſervatum conſtat ex Plinii epiſt. 17. lib. 7. ubi aliquibus non probantibus quod & orationes recitaret, ut pote quæ declamandæ potius eſſent, ait *ſua cuique ratio recitandi mihi, quod ſæpe jam dixi, ut, ſi quid me fugit, ut certe fugit, admonear. Quo magis mirum quod ſcribis fuiſſe quoſdam qui reprehenderent quod orationes omnino recitarem, niſi vero has ſolas non putant emendandas.* Et infra *pluribus recito: ac ſiquid mihi credis tunc acerrime emendo.* Qua epiſtola plura ſuper hac conſuetudine.

11. *A præſtantiſſimis*] Hoc quoque innuit Horatius epiſtola ad Auguſtum.

Sed neque parvum
Carmen majeſtas recipit tua, nec meus
audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre
recuſent.

12. *Commiſſionibus.*] Quid ſit committere ſupra c. 45. hîc intelliguntur duntaxat vel oratorum inter ſe commiſſiones, & quaſi pugnæ in literarum exercitio; quales ciebat Verrius ille de quo paulo ſupra & adhuc infra lib. de Grammaticis c. 17. *Namque ad exercitanda diſcentium ingenia æquales inter ſe committere ſolebat, propoſita non ſolum materia quam ſcriberent, ſed & præmio quod Victor auferret.* Hinc Juvenalis de hujuſmodi pœtarum exercitio Satyra 1.

Securus licet Æneam, Rutulumque ferocem
Committas, nulli gravis eſt percuſſus
Achilles.

13. *Obſolefieri*] Ludicris ejuſmodi præerant prætores, ideo monebat illos ne & miſceri nomen ſuum ſinerent, & dehoneſtari vel inſulſis commiſſionum verſibus vel auctorum forte quorumdam indignitate.

CAPUT XC.

[1] CIRCA RELIGIONES talem accepimus. Tonitrua & fulgura paullo infirmius expaveſcebat: ut ſemper & ubique pellem [2] vituli marini circumferret, pro remedio: atque ad omnem majoris tempeſtatis ſuſpicionem, in abditum & [3] concameratum locum ſe reciperet: conſter- 5 natus olim per nocturnum iter tranſcurſu fulguris, ut [4] ſupra diximus.

NOTÆ.

1. *Religiones*] Supra cap. 31. de Auguſti erga deos pietate, nunc de ejuſdem ſuperſtitione, quæ nihil aliud eſt, quam meticuloſa quædam obſervatio eorum quæ eſſe a diis exiſtimantur.

2. *Vituli Marini*] De hac antiquorum perſuaſione quam ineptam multi veroſimillime tradiderunt Plinius lib. 21. c. 55. tabernacula ex eorum pellibus factitata narrat, *quoniam*, inquit, *hoc ſolum animal ex marinis non percutiat* (fulmen) *ſicut nec e volucribus aquilam, qua ob hoc armiger hujus teli fingitur.* Refert de hyæna quæ lupi genus eſt Ariſtoteli lib. 6. *de Hiſtoria animalium* c. 32. qui & in eodem opere paſſim vituli marini meminit, nullibi tamen hujus miraculi. De

Digitized by Google

hyæna quoque apud Plinium magica multa & fabulosa narrantur lib. 28. c. 8 Palladius lib. 1. c. 35. utriusque pellem animalis adversus grandinem remedium profert.

3. *Concameratum*] Legunt alii *concavernatum* quod verbum quamquam novum non displicet Torrentio; propter locum supra citatum ex lib. 2. c. 55 Plinii dicentis non altius quinque pedibus unquam descendere in terram, quare pavidi altiores specus timissimos putabant. Idem & Seneca lib. 6. naturalium quæst. c. 1. *Adversus tonitrua & & minas cœli subterranea domus, & defossi in altum specus remedia sunt. Ignis ille cœlestis non transverberat terram, sed exiguo ejus objectu retunditur.*

4. *Supra diximus*] Cap. 29. alii legunt *prædiximus*.

CAPUT XCI.

SOMNIA neque sua, [1] neque aliena de se negligebat. Philippensi acie quamvis statuisset non egredi tabernaculo, propter valetudinem: egressus est tamen [2] amici somnio monitus: cessitque res prospere, quando [3] captis castris, lectica ejus, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa atque lacerata est. Ipse [4] per omne ver, plurima, & formidolosissima, & vana, & irrita videbat: reliquo tempore rariora, & minus vana. Cum dedicatam in Capitolio [5] ædem Tonanti Jovi assidue frequentaret, somniavit queri [6] Capitolinum Jovem, cultores sibi abduci, seque respondisse: Tonantem pro [7] janitore ei appositum: ideoque mox [8] tintinnabulis fastigium ædis redimivit, quod ea fere [9] januis dependebant. Ex nocturno visu etiam [10] stipem quotannis die certo emendicabat a populo, [11] cavam manum [12] asses porrigentibus præbens.

NOTÆ.

1. *Neque aliena de se*] Forsan exemplo Julii, qui illa neglexerat, cautior factus, sibi quoque tam infeliciter aliquando non cederet, quod innuit Valerius lib. 1. cap. 5. Notat Casaubonus ex Artemidoro lib. 1. cap. 2. moris antiqui fuisse, ut quidquid quisque de Republica somniasset, illud vel præconis voce, vel pittacio, hoc est tabula quadam descriptum indicaret.

2. *Amici*] Sic omnes Torrentii MSS. contra quos tamen *medici* legendum cupit motus auctoritate Dionis, Velleii, & Valerii Maximi, qui medicum illum dicunt nomine Artorium.

3. *Castris captis*] Supra c. 13. auctor est Valerius Maximus lib. 1. c. 5. ipsa quæ Philippense prælium anteceſſit, nocte Minervæ speciem Artorio medico dormienti obortam præcepisse, ut Augustum gravi morbo licet implicitum moneret, ne ejus causa a prælio abstineret, &c.

4. *Per omne ver plurima*] Qualia melancholicis vinolentis, & febrientibus accidere tradit Aristoteles libro de insomniis cap. 4. ubi & causas investigat.

5. *Ædem Jovi tonanti*] Hanc voverat bello Cantabrico de quo supra c. 20. & 85. ac præcipue c. 29.

6. *Jovem Capitolinum*] Varia sunt Jovis cognomina: templum hoc voverat Tarquinius Priscus, perfecerat Superbus.

7. *Janitore*] Catenis vincti janitores stabant ad portas, ut testatur ipse Suetonius lib. de claris Rhetoribus c. 3. & Ovidius amorum lib. 1. Elegia 6.

Janitor indigne dura religate catena

Et adhuc infra eadem Elegia.

Sic dura numquam religere catena.

8. *Tintinnabulis*] Sensus est Augustum, ut janitoris loco prorsus esset Jovi Capitolino Jupiter tonans, hujus ædium fastigio imposuisse tintinnabula, quæ suo sono & janitoris, & tonantis etiam forte, speciem præberent aliquam. De fastigio videsis quid hoc sit in Jul. c. 81.

9. *Januis dependebant*] Ut hoc sono

Digitized by Google

janitores monerentur, aut excitarentur. Auctor est Dio his quoque custodes insularum familiam advocare solitos (quid sint insulæ vid. in Jul. cap. 41.) His quoque ad prandium cœnamve parandam, apponendam signum datum colligere est ex Senecæ epist. 95. & ex c. 12. lib. *de brevitate vitæ*. Unde & Trimalcio ille Petronianus *symphoniæ signum* hoc dari curat Martialis de hoc Apophoret. 163. cui lemma *Tintinnabulum*.

Redde pilam, sonat as thermarum, &c.

10. *Stipem quotannis*] Specie aliqua miseriæ placari sibi deam Nemesim existimabant hoc est deorum invidiam ut potentioribus fortuna utentibus obnoxiam, sicque lætissima rerum tristissimarum mentione temperabant, hinc illa vel extremi supplicii in triumphis instrumenta flagellum, tintinnabulum currui appensa jam inde ab Horatio illo Curiatiorum victore. Quibus de ritibus sæpe Plutarchus *in Camillo & Paulo Æmylio*. Fulvius Ursinus huc refert inscriptiones quas Romæ in sacra via repertas ait, sed hæ omnes anno novo vel Calendis Januarii collatam stipem testantur, quod de ea potius intelligendum videtur quæ strenæ nomine conferebatur.

11. *Cavam manum*] Quod mendicantium est, ac ideo majoris abjectionis indicium, ingenuisque viris eo minus dignum, quod illis probro verteretur, ut sordide avaris, ac rapacibus, ut ex Ammiani Marcellini lib. 16. probat clare Casaubonus, sed maxime ex Claudiano in Rufinum.

Dextera quin etiam ludo concessa vagatur
Æra petens pœnasque animi persolvit avari
Terribili lucro, vivosque imitata retentus
Cogitur adductis digitos inflectere nervis.

Qua circumlocutione patet mendicantis aut rapacis viri manum exprimi. Rufinus enim ille sub Honorio imperatore præfectus prætorio trucidatus est, & sic formata manu per Constantinopolim circumlatus. Hinc de Athenienſium avaritia hoc proverbium natum est τὴν χεῖρ' ὑπτίαν ἔχει καὶ ἀποθνήσκων Ἀθηναῖος. *Athenienſis vel moriens cavat manum.*

12. *Asses*,] De assibus in Jul. c. 4.

CAPUT XCII.

AUSPICIA quædam & omina pro certissimis observabat. Si mane sibi [2] calceus perperam, ac sinister pro dextero, induceretur, ut ditum: si terra marive ingrediente se longinquam profectionem, forte coorasset, ut lætum, maturique & prosperi reditus. Sed & [3] ostentis præcipue movebatur. Enatam inter juncturas lapidum ante domum suam palmam, in [4] compluvium Deorum Penatium transtulit: utque coalesceret, magno opere curavit. Apud insulam Capreas, veterrimæ ilicis demissos jam ad terram languentesque ramos convaluisse adventu suo, adeo lætatus est, ut eas [5] cum Republica Neapolitanorum permutaverit, [6] Ænaria data. Observabat & [7] dies quosdam, ne aut postridie [8] nundinas quoquam proficisceretur: aut [9] Nonis quidquam rei seriæ inchoaret: nihil in hoc quidem aliud devitans, ut ad Tiberium scribit, quam [10] δυσφημίαν nominis.

NOTÆ.

1. *Auspicia & omina*] Hoc est discrimen harum vocum. Auspicia ab avium inspectione, auguria ab eorumdem garritu omina ab hominum vocibus quibus vim quoque suam inesse crediderunt, quod Cicero notavit 1. *de divinatione* 102. ubi de his plura; quamquam idem auctor fulmen ipsum inter auspicia reponat ibidem lib. 2.

2. *Calceus*] Quo die seditione militari de qua supra c. 4. prope afflictus est, id sibi

Digitized by Google

contigerat, de quo egregie Plinius lib. 2. c. 7. *Divus Augustus lavum prodidit sibi calceum præposterè indutum, quo die seditione militari prope afflictus est. Qua singula improvidam mortalitatem involvunt, solum ut inter ista certum sit, nihil esse certi aut miserius quidquam homine, aut superbius.*

3. *Ostentis*] Ostentum dixere quidquid contra naturam factum genitumve esset ab ostendendo sicut portentum a portendendo: adisis Festum in his vocibus.

4. *Compluvium penatium*] Id ita Torrentius explicat, ut dii penates hîc intelligantur fuisse Jupiter ille herceus ab ἕρκος hoc est *septum* seu *vallum* dictus quod *intra consæptum domus cujusque coleretur, quem etiam deum penetralem appellabant*, inquit Festus in voce *herceus* Hujus dei meminit & Halicarnasseus lib. 1 cui & consecrata forent domorum impluvia in quibus & aram habuisse ad quam occisus fuerit Priamus colligunt ex illo Ovidii versu.

Cui nihil hercei profuit ara Iovis.

Verum Penates variis in locis ædium colebantur, in cubiculo ut supra c. 7. & infra in Domitiano c 17. maxime in foco, ut ex Valer. Max. lib. 2. c. 1. & multis aliis constare potest, in aliqua etiam atrii parte, ut ex Vitruvii lib. 6. cap. 4. Casaubonus existimat v. g. in compluvio, & denique in porticu compluvio adjuncta ex Petronio: *notavi etiam in porticu gregem cursorum cum magistro, se exercentem. Pratereà grande armarium in angulo vidi in cujus ædicula erant lares argentei positi* Unde colligere est compluvium illud penatium si in Augusti palatio fuerit nihil aliud fuisse quam locum illum sub Dio qui intra porticus illorum esset, a compluendo dictum sicut & in privatis domibus in quibus *si relictum erat in medio ut lucem caperet: deorsum quo impluebat, impluvium dictum: & sursum qua compluebat, compluvium*, ut ait Varro lib. 4. *de lingua Latina*. a quo nonnihil differt Festus in voce *impluvium*. Certe verosimilimum est delatam potius fuisse palmam hanc de qua hîc agitur, in compluvium templi Penatium ut ibi coleretur, (unde & constare potest compluvium in aperto fuisse ut refert Varro) templum enim illud haud procul a foro fuisse testatur idem ibidem Halicarnas. Ubi etiam servata dicit Trojana numina quæ secum Æneas advexerat, inter quæ & ipsum Palladium.

5. *Cum Rep. Neapolit.*] Civitates nonnullæ aliquam Reip. Romanæ formam retinuerant, ut supra c. 46. & his sua erant vectigalia hoc est publici reditus, ut supra ibid. in Tib. c. 49. & alibi.

6. *Ænaria*] Insula est in sinu Puteolano, sic dictam volunt a statione navium Ænex. Hodie *Ischia*. Capreæ vero *Capri* de qua insula sæpe in Tiberio.

7. *Dies quosdam*] Hoc est peculiari sua superstitione præter dies qui infausti publice habebantur, alios etiam observabat, quos hîc recenset.

8. *Postridie nundinas.*] Præter Calendas Nonas & Idus, erant quoque in mense Romano dies nundinarum feriæ scilicet quales ferme in nostro mense hebdomadæ cum hoc discrimine, quod nono quoque die recurrerent, ex variis institutionis causis hæc præcipua videtur, ideo nempe factum, ut octo diebus rustici in agris opus facerent nono autem die intermisso ad mercandum; legesque accipiendas Romam venirent, scitaque plebis & Senatusconsulta frequentiore populo proponerentur.

9. *Nonis*] Hæc est peculiaris Augusti superstitio. publica quippe superstitione ater non erat Nonarum dies, sed posterior quemadmodum & Calendarum & Iduum ut notat ex Verrio Flacco Beroaldus, & ex Nonio Marcello c. 2. in voce *atri* patet. Idque propter infortunia quædam quæ diebus illis contigerant, de quibus Livius lib. 6. Decadis 1. videsis etiam super hac re plura dicentes, Macrobium lib. 1, c. 16. & Gellium lib. 5. c. 7.

10. *δυσφημίαν*] Hoc est maledicentiam seu infaustam nominis vel ominis significationem: Nonis v. g. quasi *non is* cui simile est quod de eo qui Cauneas vænales clamabat Crasso navem conscendente, quasi *cave ne eas* de quo Plin. lib 15. c 19. & Cicero 2. de divinatione. Postridie autem nundinarum, vel exemplo cæterorum postridianorum, qui omnes inominati erant, ut modo notatum est, vel ut existimat Torrentius, quod cum fere proficiscantur homines, ut nundinis interfint, qui postridie iter instituat, præpostere agere & quasi post bellum machinas parare videatur. Quod autem de similitudine nundinarum & novemdialium dierum, qui mortuis dicati erant notat Casaub. id certe ipsas nundinas potius fecerit infaustas, quam postridianum earum diem.

Digitized by Google

CAPUT XCIII.

PEregrinarum cæremoniarum, ſicut veteres ac [1] præceptas reverentiſſime coluit, ita cæteras contemtui habuit. Namque Athenis [2] initiatus, cum poſtea Romæ pro tribunali de [3] privilegio ſacerdotum [4] Atticæ Cereris cognoſceret, & quædam [5] ſecretiora proponerentur, dimiſſo [6] concilio & corona circumſtantium, ſolus audiit diſceptantes. At contra non modo in peragranda Ægypto paullum deflectere ad viſendum [7] Apin ſuperſedit: ſed & Cajum nepotem, quod Judæam prætervehens, apud Hieroſolymam non [8] ſupplicaſſet, collaudavit.

NOTÆ.

1. *Præceptas*] Eraſmus & Beroaldus legunt *receptas*: contra Pulmannus & omnes Torrentii libri, præceptas retinuere, ut intelligatur de iis quas ipſe præſtantium virorum exemplo præcepiſſet ſupra c. 31. Majorum enim inſtituto Romani a peregrinis cæremoniis abhorrebant, quod a Romulo ad ſua uſque tempora obſervatum laudat Halicarnaſſeus lib. 2.

2. *Initiatus*] Hoc eſt ſacris Cereris Atticæ myſteriis imbutus. Templum diebus initiorum, hoc eſt ſacrificiorum ingredi, alteri licebat nemini præterquam initiato. Unde narrat Livius lib. 1. Decadis 4. ortum bellum Athenienſes inter & Philippum regem Macedonum propter occiſos ab Athenienſibus Acarnanas adoleſcentes duos, qui per dies initiorum imprudentes nec initiati templum intraverant cum turba.

3. *Privilegio*] Tota quippe Græcia ſacerdotum illorum magna erat auctoritas.

4. *Attica Cereris*] In Attica regione urbs eſt Eleuſis ubi templum illud celeberrimum Cereris quæ a loco Eleuſina dicta locum ferunt hodie dici *Lepſina*.

5. *Secretiora*] Nulla re magis quam ſilentio ſacræ erant ejuſmodi ceremoniæ. Juvenal. Satyr. 15. v. 141.

Quis enim bonus, & face dignus
Arcana qualem Cereris vult eſſe ſacerdos.

Unde & Horatius quaſi abominandum, & deorum vindictæ ſacrum averſari videtur eum, qui talia revelavit Ode 2. lib. 3.

Eſt & fideli tuta ſilentio
Merces, vetabo qui Cereris ſacrum
Vulgarit arcana, ſub iiſdem
Sit trabibus, &c.

De his multa vulgare non formidavit Tertullianus initio libri contra Valentinianos & D. Auguſtinus lib. 7. de Civitate Dei c. 20. de his adhuc infra non ſemel Claud. c. 26. Neron. c. 16. &c.

6. *Concilio*] Ex codice Salmaſiano legunt *conſilio*. Ut de Conſiliariis adſeſſoribus intelligatur, ut & Tiber. c. 18.

7. *Apin*] De eo Plinius lib. 8. cap. 46. *Boſin Ægypto numinis vice colitur, Apin vocant inſigne ei in dextro latere candicans macula cornibus luna creſcere incipientis, nodus ſub lingua quem Cantharum appellant*, &c. *ſunt delubra ei gemina, quæ vocant thalamos, auguria populorum*, &c. De hoc & Herodotus lib. 2. & Solinus Polyhiſtor. & Macrobius lib. 1. c. 21. &c. Serapidi conſecratum fuiſſe auctor eſt Euſebius lib. 8. *præparationis Evangelicæ*. Et D. Auguſtinus lib. 18. *de civitate Dei*; cum enim Apis rex Argivorum, navibus in Ægyptum tranſvectus eſſet ei mortuo divinos honores habuerunt Ægyptii, ac vox *ſerapis* inde facta eſt quia ejus ab initio conditorium venerabantur quod Græce σορὸς ex qua primum *ſoros apis* ac ſenſim degenerante pronuntiatione poſtea *Serapis* dixerunt.

8. *Non ſupplicaſſet*] Maxime immutatam oportuit iniquam hanc Auguſti adverſus Judæorum ſacra voluntatem: plurima quippe illis impetrita ab eo privilegia conſtat ex Joſeph. lib 16. *antiquitatum Judaicarum* c. 10. & ab aliis etiam Romanis ut ex ejuſdem lib. 14. c. 17. & 22. ſed quod maxime huic Suetonii loco adverſetur, ex Philone lib. de legatione ad Caligulam c. 9. Auguſtus ipſe certos de ſuo reditus conſtituit ut Judæorum ritu ſingulis diebus ſacrificia fierent DEO SUPREMO ΥΨΙΣΤΩΘΕΩ

Digitized by Google

quo etiam modo Judæorum deum appellat in quibusdam edictis. Unde Casaubonus existimat scriptum id vel dictum ab Augusto contra animi sententiam ne Judæorum sectæ addictus ullo modo videretur.

CAPUT. XCIV.

ET QUONIAM ad hæc ventum est, non ab re fuerit subtexere quæ ei prius quam nasceretur, & ipso natali die, ac deinceps evenerint, quibus futura magnitudo ejus, & perpetua felicitas sperari, animadvertique posset. [1] Velitris antiquitus tacta de cœlo parte muri, responsum est, ejus oppidi civem quandoque rerum potiturum: qua fiducia [2] Veletrini, & tunc statim & postea sæpius pene ad exitium sui cum pop. Rom. belligeraverant, sero tandem documentis apparuit, ostentum illud AUgusti potentiam portendisse. Autor est [3] Julius Marathus, ante paucos, quam nasceretur menses, prodigium Romæ factum publice, quo denuntiabatur [4] regem pop. Rom. Naturam parturire: Senatum exterritum censuisse ne quis illo anno genitus educaretur: eos qui gravidas uxores haberent, quo ad se quisque spem traheret, curasse ne senatusconsultum [5] ad ærarium deferretur. In [6] Asclepiadis Mendetis [7] Θεολογουμένων libris lego, Atiam, cum ad solenne [8] Apollinis sacrum [9] media nocte venisset, posita in templo lectica, dum [10] cæteræ matronæ dormirent, obdormisse: draconem repente irrepsisse ad eam, paulloque post egressum: illamque expergefactam quasi a concubitu mariti [11] purificasse se: & statim in corpore ejus exstitisse maculam, velut depicti draconis: nec potuisse umquam eximi: adeo ut mox [12] publicis balineis perpetuo abstinuerit: AUgustum natum [13] mense decimo, & ob hoc [14] Apollinis filium existimatum. Eadem Atia prius quam pareret, somniavit intestina sua ferri ad sidera, explicarique per omnem terrarum & cœli ambitum. Somniavit & pater Octavius, utero Atiæ jubar solis exortum. Quo natus est die, cum de Catilinæ conjuratione ageretur in curia & Octavius ab uxoris puerperium serius adfuisset, nota ac vulgata res est, P. [15] Nigidium comperta moræ caussa, ut [16] horam quoque partus acceperit, affirmasse, dominum terrarum orbi natum. Octavio postea cum per secreta Thraciæ exercitum duceret, in [17] Liberi patris luco [18] barbara cæremonia de filio consulenti, idem affirmatum est a sacerdotibus: quod infuso super altaria mero, tantum flammæ emicuisset ut supergressa fastigium templi ad cœlum usque ferretur: unique olim omnino Magno Alexandro apud easdem aras sacrificanti, simile proveniisset ostentum. Atque etiam sequenti nocte statim videre visus est filium mortali specie ampliorem, cum fulmine & sceptro, [19] exuviisque Jovis Opt. Max, ac radiata corona super [20] laureatum currum, bis senis equis [21] candore eximio trahentibus. Infans adhuc, ut scriptum apud C. Drusum extat, repositus vespere in cunas a nutricula, loco plano, postera luce non comparuit: & diu quæsitus, tandem in altissima turri repertus est, jacens contra Solis exortum. Cum primum fari cœpisset, in [22] avito suburbano obstrepentes forte ranas silere jussit: atque ex eo negantur ibi ranæ coaxare. Ad quartum lapidem [23] Campanæ viæ, in nemore prandenti, ex improviso [24] aquila

panem

Digitized by Google

panem ei e manu rapuit: & cum altissime volasset rursus ex improviso leniter delapsa reddidit. Q. Catulus post [25] dedicatum Capitolium, duabus continuis noctibus somniavit: prima, Jovem Opt. Max. [26] prætextatis compluribus circum aram ludentibus, unum secrevisse: atque in ejus sinum [27] signum Reip. quod manu gestaret, reposuisse: at insequenti, animadvertisse se in gremio Capitolini Jovis eundem puerum: quem cum detrahi jussisset, prohibitum monitu Dei, tanquam is ad tutelam Reip. educaretur. Ac die proximo obvium sibi AUgustum, cum incognitum alias haberet, non sine admiratione contuitus, simillimum dixit puero de quo somniasset. Quidam prius somnium Catuli aliter exponunt, quasi Jupiter compluribus prætextatis tutorem a se poscentibus, unum ex eis demonstrasset, ad quem omnia desideria sua referrent: ejusque osculum delibatum digitis [28] ad os suum retulisset. M. Cicero C. Cæsarem in Capitolium prosecutus, somnium pristinæ noctis familiaribus forte narrabat: puerum, facie liberali, demissum cœlo, catena aurea, ad fores Capitolii constitisse, eique Jovem [29] flagellum tradidisse: deinde repente AUgusto viso, quem ignotum adhuc plerisque avunculus Cæsar ad sacrificandum acciverat, affirmavit ipsum esse cujus imago secundum quietem sibi obversata sit. Sumenti virilem togam, tunica lati clavi [30] resuta ex utraque parte, ad pedes decidit. Fuerunt qui interpretarentur, non aliud significare quam ut is ordo [31] cujus insigne id esset, quandoque ei subjiceretur. Apud [32] Mundam D. Julius castris locum capiens, cum [33] silvam cæderet, arborem palmæ repertam conservari, ut omen victoriæ, jussit: ex ea continuo enata soboles, adeo paucis diebus adolevit, ut non æquipararet modo [34] matricem, verum etiam obtegeret, frequentareturque [35] columbarum nidis: quamvis id avium genus duram & asperam frondem maxime vitet. Illo & præcipue ostento motum Cæsarem ferunt, ne quem alium sibi succedere quam sororis nepotem vellet. [36] In secessu Apolloniæ Theogenis Mathematici [37] pergulam, comite Agrippa, adscenderat: cum Agrippæ, qui prior consulebat, magna, & pene incredibilia prædicerentur, reticere ipse [38] genituram suam, nec velle edere, perseverabat, metu ac pudore ne minor inveniretur. Quæ tamen post multas adhortationes vix & cunctanter edita, exsilivit Theogenes, adoravitque eum. Tantam mox fiduciam fati AUgustus habuit, ut [39] thema suum vulgaverit, nummumque argenteum nota sideris [40] Capricorni, [41] quo natus est, percusserit.

NOTÆ.

1. *Velitris*] Vide ad cap. 1. &c. *tacta de cœlo parte muri* Seneca lib. 2. *naturalium quæst.* c. 49. de variis Fulminum generibus loquens ea dicit esse regalia, quorum vi tangitur vel comitium vel principalia urbis liberæ loca, quorum significatio regnum civitati minatur.

2. *Velitrini*] Alii legunt *Velitorni*, ut sæpe Livius qui de eorum bellis loquens lib. 8. Decad. 1. tum alia plura, tum hoc præsertim refert sancitum in eos graviter & eorum muros dissectos.

3. *Iulius Marathus*] Libertus ille de quo supra c. 79.

Digitized by Google

4. *Regem*] Hunc etiam ex libris Sibyllinis cognitum probat Cicero lib. 2. *de divinatione*, quamvis refellat. Sed de Julio Cæsare Romani tunc temporis id intelligebant, quod de Christo Domino intelligendum Christiani postea censuerunt interpretes.

5. *Ad ærarium*] De hoc more in Jul. cap. 28.

6. *Asclepiadis Mendetis*] *Mendesii* vel *Mendita* legendum Casaubonus existimat, quia *Mendes* urbis Ægyptiacæ nomen est, miraturque haud immerito, qui factum fuerit ut Suetonius hominis duntaxat unius, & Ægyptii, testimonium accersere coactus fuerit ad narrandam tanti momenti historiam: unde colligi posse putat idem Casaubonus noluisse Romanos Augusti historiæ scriptores hac ei fabella divinitatem astruere, ne pudicitiam matris ejus in dubium vocarent; ea præsertim ætate qua non ita faciles erant in perhibendis ut nec credendis ejusmodi visionibus: quod certe Dionysius Halicarnasseus in referenda Servii Tullii historia, aperte satis indicat lib. 4. hoc tamen vix conveniat cum opinione quæ jam tunc temporis increbuisse videtur ex nummis. Si enim hoc credi, si & nummos id ipsum invenientes percuti Augustus ipse voluerit, ut ex c. 70. supra & ex Tortentio hîc colligere est; quid ni quod jam opinione vulgi receptum erat, scribendum fuisse arbitremur, saltem a Velleio Paterculo qui in aliis tot rebus genti Juliæ non timuit adulari.

7. Διαλογισμῶν] Hoc est *divinarum dissertationum*, vel *de Diis quæ Mendetes colunt*: quo posito bene legeretur *Mendetis*: quod ideo notavit etiam Casaubonus quia Græci librorum suorum titulos sic concipere amant ut Artemidorus qui γναφικὸν βιβλίον scripserat, Nicander ἑτεροιούμενα, Aristoteles ipse Διαλογικὰ βιβλία, &c. Fuit enim Mendetis religio omnium Ægyptiacarum fœdissima, ut pote in qua elegantissimæ formæ mulieres, hirco quem dei instar colebant, substernere non dubitarent, ut vidisse se scribit Herodotus, & Plutarchus *in Gryllo*, aliique referunt. Unde conjicere est Asclepiadem illum in suis de religione Mendesiorum libris ostendere voluisse Augusti etiam exemplo, horrendam ejusmodi conjunctionem non ita ridiculam esse ex ea siquidem, aut certe, non absimili, magni viri gignerentur, quos inter nec Alexandrum, nec Scipionem omissos, potuerit quis haud inepte suspicari.

8. *Apollinis sacrum*] Torrentius de pervigilio intelligit; sed hujusmodi sacro cultum Romanis Apollinem non reperias; quin imo tales Græcorum ritus abhorrebant, ut supra ex Dionysii Halicarn. lib 2. notatum est: quod tamen quamquam detur de pervigilio tamen locus hic intelligi nequiverit: pervigilia siquidem a noctis initio & hora, ut aiunt, lucernari ducebant initium: Atia autem non nisi media nocte venisse dicitur. Unde superest ut de sacris illis intelligatur, de quibus supra c. 53. & 78.

9. *Media nocte*] Hoc loco confirmatur quod de nocturnis sacris supra c. 53. & 78. cui Censorini locum hunc adde *Romani a media nocte ad mediam noctem, diem esse existimaverunt: indicio sunt sacra publica, & auspicia etiam magistratuum quorum si quid ante medium noctis est actum, dies qui præterit ascribitur: si quid autem post mediam noctem & ante lucem factum est, eo die gestum dicitur, qui eam sequitur noctem.* Plaut. quoque in Pœnulo Act. 1 Sc. 2. vers. 105.

Nimia nos secordia hodie tenuit. AD. quæ de re, obsecro?

AN. Quia non jam dudum ad ædem Veneris venimus,

Prima ut inferremus ignem in aram. AD. ah non facto est opus.

Quæ habent nocturna ora, noctu significatum ire occupant,

Priusquam Venus expergiscatur, prius properant sedulo

Sacrificare, &c.

10. *Dum cætera matrona dormirent obdormisse*] Somnum hunc matronarum eodem sensu Casaubonus intelligit quo supra c. 78. de Augusto in ipsa sua lectica dormiente; nec enim intelligi potest, quod vult Beroaldus, de illo antiquorum more quo quidam in deorum templis dormiebant, ut responsa super his rebus acciperent, quas postulabant: quod incubare dicebatur, ea quippe divinatio per incubationem privatis solummodo ceremoniis quærebatur: hîc solenne sacrum fuit: soli cubabant, hîc matronas adfuisse patet: Castitate & jejuniis præparaban ur, quorum hîc nulla mentio.

11. *Purificasse se*] Nec enim pollutum quemquam sacris interesse fas erat. Tibullus Elegia 1. lib. 2.

Discedat ab aris
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.

Digitized by Google

Ovidius amorum libro 3. Elegia septima, &c. quod aquæ aspersionibus fiebat idem.

Pureque lavari
Te memini, & puro secubuisse toro.

Et Persius Satyr. 2. vers. 15.

Hæc sancte ut poscas Tiberino in gurgite mergas
Mane caput bis, terque, & noctem flumine purgas.

Unde Cicero 2. de Legibus 1. *ad divos caste adeunto.*

12. *Publicis balneis*] Quanta eorum multitudo Romæ foret ex hoc Plinii loco æstimare est, lib. 36. cap. 15. ubi de Agrippa Augusti genero loquitur. *Adjicit ipse in ædilitatis suæ commemoratione, & ludos 58. diebus factos, & gratuita prabita balnea 170. quæ nunc Roma ad infinitum auxere numerum.* Cum enim rarior apud ipsos esset lini usus, sudorem sordesque corporis sæpius abluere necesse habebant, hinc Artemidorus lib. 1. *Oneirocrit.* Suo tempore quotidie lavari solitos præsertim ante cibum; ut balneum nil foret aliud quam via ad cibum, quod & voluptati tantæ apud aliquos erat, ut Gordianus Junior septies, Commodus autem octies in diem lavisse legantur.

13. *Mense decimo*] Virgilius de Pollione Salonino Eclog. 4. in fine

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Ad quem locum, Servius dicit maribus legitimum fuisse hunc nascendi mensem, ut fœminis nonum. Qua de re videsis Plinium lib. 7. cap. 5. ac præsertim Gellium lib. 3. cap. 16. varia & scitu dignissima super his narrantem.

14. *Apollinis filium*] Torrentius protulit numismata argentea Augusti, quorum parte aversa videtur Apollo lyram tenens medius inter hæc verba CÆSAR DIVI F. quibus videtur ambiguum consulto reliquisse an illius quem exhibet numisma, an vero Divi Julii filius intelligendus sit.

15. *P. Nigidium*] De eo Gellius lib. 19. c. 14. *Ætas M. Ciceronis & Cæsaris præstanti facundia viros paucos habuit; doctrinarum autem multiformium variarumque artium quibus humanitas erudita est columina habuit M. Varronem & P. Nigidium*, &c. Ubi de hujus operibus & eorum obscuritate ac subtilitate nonnulla subjungit. Figulus cognomen erat: unde Lucanus,

At Figulus cui cura deos secretaque mundi
Nosse fuit.

Hinc Dio initio lib. 45. tradit, prohibitis eum quibusdam studiis operam navare creditum. De conjuratione Catilinæ in Julio cap. 14. de Flammæ augurio vide lib. cap. 14.

16. *Hora partus*] Hujus observationem vocant horoscopum. Persius Satyr. 6. v. 18.

Geminos, horoscope, varo
Producis genio, &c.

Hinc verbum horoscopare Astrologis & signa horoscopantia, hoc est ipsi partui seu ejus horæ præsidentia.

17. *Liberi patris*] Bacchi sic dicti vel quod animum a curarum solicitudine liberet, vel quod licentia omni liberiores faciat, &c.

18. *Barbara cæremonia*] A Græcis vel Romanis diversa cæremoniis, Felix semper habitum flammæ Augurium, ut supra cap. 66. de Salvidieno notatum, & infra Tiber. c. 6. & 14.

19. *Exuviis Iovis Opt. Max.* Eæ sunt præter fulmen & sceptrum, toga prætexta, tunica palmata & picta: quæ utraque triumphalis. Hinc Juvenalis Satyr. 10. v. 38.

In tunica Iovis & picta Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnaque coronæ
Tantum orbem quanto cervix non sufficit ulla, &c.

De hoc habitu triumphali Livius quoque lib. 10. Decad. 1. & Lampridius in Severo, &c. Coronam radiatam intellige circulum quemdam radiorum quo circumdatum caput esset, quo etiam habitu fuisse Caligulam cum se medium inter Castorem & Pollucem adorandum præberet, infra in Calig. c. 22. innuit Plinius in Panegyr. *Illi jam dudum radiatum caput & media inter deos sedes*, &c. Et Lucanus lib. 8. de Pompeio, *fulminibus manes radiisque ornabis & astris.* & Florus lib. 4. c. 2. &c. deorum enim hic præsertim ornatus.

20 *Laureatum*] Lauri ramis ornatum quæ arbor triumphorum & triumphantium insigne. Legunt alii *deauratum*, quod currus triumphales auro bracteati forent.

21. *Candore eximio*] Triumphanti Camillo tales fuerant, quod & in religionem tractum dicit Livius lib. 5. Dec. 1. quod Jovi & Apollini æquiparatus esset: unde triumphus ejus clarior quam gratior fuerat, quod

tamen Scipioni nec aliis postea contigit: de quibus idem multis locis Livius.

22. *Avito suburbano*] Supra c. 6.

23. *Campana via*] Qua Capuam iter erat, viis nomina etiam ab iis qui illas straverant indita.

24. *Aquila panem e manu rapuit*] Idem de pileo Tarquinii Prisci Romam primum venientis refert Livius, ut futuræ regiæ dignitatis omen lib. 1. Decad. 1.

25. *Dedicatum Capitolium*] In Jul. c. 15.

26. *Prætextatis*] Pueris scilicet prætextam gerentibus de qua in Jul. c. 1.

27. *Signum Reip.*] Aquilam vel simulachrum libertatis Beroaldus interpretatur, Romæ effigiem Torrentius qui notarum errore R pro *Reip.* acceptum existimat: talis certe videtur in multis nummis, & nisi illa sit, quid fuerit, fatetur nescire se Casaubonus: quidquid id est constare videtur signum illud fuisse quod diplomata aliaque id genus Reipublicæ nomine obsignabantur. Unde futuram Augusti dominationem non immerito colligebant; morientes etenim sigillum suum sive anulum signatorium successoribus suis tradebant. Quod enim & de Alexandro moriente narrat Q. Curtius lib. 10 huc vulgo trahunt & de Tiberio moriente Suetonius c. 73. Tiber. & de privatis etiam heredibus Valerius.

28. *Ad os suum retulit*] Sensus est digitos suos Jovem ad os pueri admovisse osculoque illius delibatos ad suum ipsius os retulisse osculum, quasi digitis inhærens quod adorare dicebatur. De quo adhuc infra Galb. c. 5. & Plinius lib. 28. c. 2. *Sub finem in adorando dextram ad osculum referimus*, &c. *Et Iureconsulti ad legem 2. Codice de fabricensibus*, &c.

29. *Flagellum*] Opprimendæ libertatis signum, flagro quippe cœdi Quiritem nefas. Unde Juvenal. Satyr. 10. v. 109. de Julio.

Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites.

30. *Resuta*] Franciscus Guietus interpretatur *décousuë*. Salmasius refibulatam intelligit, nodis scilicet quibus astringebatur solutis. Quod quidni Suetonius dixisset? *Suta* dicuntur *resui* quemadmodum & *clausa recludi*. De hac particula *re* supra ad c. 78.

31. *Cujus insigne*] Vide supra in Jul. c. 45. & in Aug. 38. &c.

32. *Mundam*] De qua supra sæpe in Jul. c. 56. &c.

33. *Silvam*] Refert & Dio lib. 43. sed eo ipso quo pugnatum est loco enatum palmæ germen utroque modo stat ominis conjectura, magnum scilicet fructum ex Juli laboribus ab Augusto capiendum: vel Augustum avunculi sui cujus filius adoptione futurus erat gloriam superaturum, quod palma ipsa matrice major soboles portendebat.

34. *Matricem*] Palmam ex qua producta erat quasi matrem, ut dixit Virgilius lib. 2. Georgic. versu 18.

Parnasia laurus
Parva sub ingenti matris se subjecit umbra.

35. *Columbarum*] Hoc nomine palumbes intellige, neque enim domesticæ illæ columbæ in arboribus considere videas

36. *In secessu Apolonia*] Supra cap. 8. & 10.

37. *Pergula*] Breve quoddam ambulacrum est in edito & propatulo domus loco, ubi & professores docere & artifices opera sua ostentare solebant, ut de Apelle Plinius lib. 35. c. 10. Vopiscus in vita Saturnini sub finem *pergulas magistrales* vocat. Et Juvenal. Satyra 11. v. 137.

Cui cedere debeat, omnis
Pergula, discipulus Trypheri doctoris, &c.

38. *Genituram*] Nativitatem Beroaldus appellat, quod & auctor hic paulo supra, *partus horam*. Sed & de ipsa conceptione potest intelligi.

39. *Thema suum*] Hoc est figuram quæ cœli, planetarum, & stellarum dispositionem illam exprimeret, quæ tunc erat, cum natus sive conceptus esset.

40. *Capricorni*] Notum Zodiaci signum, quo Sol cum pervenit, brumale solstitium incipit, nec versus Polum ultra progreditur: hoc signum regibus & imperatoribus generandis præcipue potens: Julius Firmicus lib. 8. *Prima pars Capricorni si in horoscopo fuerit inventa regem faciet ac principem, & cui maxima deferantur insignia potestatis.* Hoc nati feruntur Carolus V, Cosmus Mediceus, & Selimus Turcarum Imperator.

41. *Quo natus est*] 9. *Kal. Octob. paulo ante solis exortum*, ut supra c. 5. Quod tamen impossibile dicit Joseph. Scaliger lib. 2. de Emend. temporum cap. 2. quo cum Petavius lib. 10. de doctrina temporum c. 64 & lib. 11. c. 6. erratum a Suetonio diserte pronuntiat. Viri illi præstantes diem illum Augusti natalem in 21. aut 22. Julii mensis hodierni

Digitized by Google

referunt, hunc existimantes eundem esse cum 9. Kal. Oct. anni Pompiliani nondum a Julio reformati (de quo supra in Julio c. 40.) & horam paulo ante Solis occasum, non exortum, fuisse similiter asseverant, quippe cum alio modo, tunc horoscopasse dici non possit Capricornus, quod cæteroqui nemo dixerit, cum rei fidem faciant nummi etiamnum hodie extantes. Suetonius hic, & Manilius lib. 2.

contra Capricornus in ipsum
Convertit visus; quid enim mirabitur ille
Majus, in Augusti felix cum fulserit ortum.

Nec tamen alio quam Septembri mense Calendarii Juliani, quo scilicet utimur, natum Augustum persuadere posse videtur tantorum virorum auctoritas, quippe Dio lib. 55. idipsum diserte affirmat: Suetonius c. 5. Augustus ipse tum apud Suetonium supra c. 31. tum apud Gellium lib. 15. c 7. ubi laudatur Fragmentum quoddam unius ex Augusti Epistolis ad Caium nepotem suum: cujus exemplum est 8. Kal. Octob. *Ave, mi Cai, meus ocellus jucundissimus, quem semper meus animus desidero cum a me abes, sed præcipue diebus talibus, qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium: quem ubicunque hoc die fuisti, spero lætum & bene valentem celebrasse quartum & sexagesimum natalem meum.* Quos omnes, cum post reformatam a Julio Calendarium scripserint, alio quam Juliano modo computasse parum verisimile sit: nec etiam alia quam matutina, non vero serotina, quadam hora natus credatur, obstat historia Nigidii, quam & Suetonius hoc capite & Dio eodem lib. 55. retulere. Si enim Octavius tardiorem adventum puerperio uxoris excusaverit, hoc ipso mane parturisse eam verosimillimum, ne dicam certissimum est: meridies siquidem finis erat rebus publicis agendis & supra *in Jul.* cap. 20. notatum est ex Plutarcho. Nisi noctu convocatum propter urgentem Catilinæ conjurationem Senatum, conjicias, quod nec ullus dixit, nec omissurus fuit Sallustius in illius conjurationis historia, si non nocturna modo, sed vel insolita quadam hora, Senatus hac de causa convocatus esset. Quibus positis, ut ea poni necessum omnino videtur, tota superest de Capricorno difficultas; hic enim Augusti tunc temporis horoscopus esse non potuit: Verum quid si, non quidem de nativitate, sed de conceptione factum a Theogene thema dicatur; hæc enim etiam ab Astrologis attenditur in thematibus seu figuris ejusmodi componendis, quin imo longe certiorem & præferendam esse aiunt, si ejus momentum tam certo agnosci possit, quam nativitatis. Fore videtur, ut hoc modo conveniant omnia; si enim a 23. Septembris per novem menses ordine retrogrado procedas, incidet nonus in 23. Decembris, quo tempore primas Capricorni partes Sol obtinet, & eo maxime ad imperia favorabilis est Capricornus, ut nota proxime superiore Firmicus observat. Theogenes igitur vel ipsa suæ artis præceptione, vel (quod forsan non inepte suspiceris) adulatione ductus, audita Augusti partus hora, neque ex hac imperia secundum artis regulas promitti posse advertens, ab ea ad conceptionis momentum retrogressus fuerit, quam re vera horoscopante Capricorno factam invenerit. Unde imperia promittendi, vel caussa, vel ansa; at enim Suetonius hic & supra c. 5. *natum* non *conceptum* constanter dicit? Certe alienum a probabili non videtur Suetonium hæc e Græcorum vel ipsius forte Theogenis Memoriis desumpsisse, apud quos cum γένεσις tam generationem seu conceptionem ipsam, quam nativitatem significet, hujus loco intellexerit, quod de illa tantum erat intelligendum.

CAPUT XCV.

POST necem Cæsaris, reverso ab Apollonia & ingrediente eo urbem, [1] repente liquido ac puro sereno, circulus ad speciem cœlestis arcus orbem Solis ambiit: ac [2] subinde [3] Juliæ Cæsaris filiæ monumentum fulmine ictum est. [4] Primo autem consulatu ei [5] augurium capienti, duodecim se vultures, ut Romulo, ostenderunt: & [6] immolanti omnium victimarum [7] jocinora replicata intrinsecus ab ima fibra [8] paruerunt: nemine peritorum aliter conjectante, quam læta per hæc & magna portendi.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Circulus*] Idem narrat Velleius *lib.* 2. 59. & Seneca *lib.* 2. *Quæst. naturalium c.* 2. ubi *halo* Græcis, *coronam* Latinis dici ait, & fere nonniſi noctibus apparere, ac circa Lunam & Stellas frequentiores eſſe ſubjungit. Dio & Zonaras ipſum cœleſtem arcum ἴριν ſcilicet fuiſſe dicunt, neque Auguſti magnitudinem, ſed turbas mox futuras indicaſſe.

2. *Subinde*] Nonnumquam ſumitur pro *mox* vel *ſtatim*. Horatius Epiſt. 6. lib. 1.

primum gaudere, ſubinde
Præceptum auriculis hoc inſtillare memento.

Quo ſenſu prodigioſum magis & ſignificans illud erat, quam ſi identidem decidiſſet adhuc infra de hac voce in Galba *c.* 1. & 10. Ejuſmodi fulmina ſereno cœlo decidentia bellorum civilium indicia fuere, ut & Virgilius lib 1. Georgicorum portenta quæ Julii mortem ſecuta ſunt, enumerans:

Non aliàs cœlo cecidêre plura ſereno
Fulgura.

& Lucanus lib. 1. inter belli civilis prodigia:

Emicuit cœlo tacitum ſine nubibus ullis
Fulmen.

Quod tamen in malam partem non ſemper acceptum eſt, ut ex Virgilio Æneid. 9. &c.

3. *Iulia monumentum*] In Campo Martio de quo ſupra *c.* 84. *in Iul.*

4. *Augurium captanti*] More a Romulo inſtituto candidati dicebantur augurium capere, cum nocte cui Comitiorum dies illuceſcere debebat, ipſi cubabant extra urbem eo in loco quem augures certis cæremoniis hac de cauſſa conſecrarent, quique Templum dicebatur. Ibi cum illuxerat vel ſedentes ſolida ſella, ut ex Feſto in voce *ſolida* tradit Caſaubonus; vel ſtantes, ut de Romulo Halicarnaſſeus *lib.* 2. *initio*, mactatis inde victimis felix aliquod ſignum expectabant. Hoc in Magiſtratuum Comitiis dicit obſervatum Dicit idem Halicarnaſſeus etiam poſt ſublatam monarchiam: ſua vero ætate, quæ & Auguſti fuit, non niſi quandam juris illius imaginem remanſiſſe; nec enim expectabant re vera donec ſe ſignum aliquod oſtenderet, ſed ſatis eſſe rati ſi nullum interceſſiſſet; peractis cæremoniis ad magiſtratum petendum diſcedebant, quæ cum exequeretur Auguſtus, illud ei re vera factum eſt auſpicium.

5. *Primo conſulatu*] Auctor eſt Dio id ei contigiſſe primo die Comitiorum illorum, quibus Conſul factus eſt; unde colligit Caſaubonus voces *primo conſulatu* ita non accipiendas quaſi jam Conſul fuiſſet renunciatus, ſed dum captaret auguria quæ Conſulatus Candidatis de more capienda erant. Contrà tamen alii de Auguſto Conſulatum ineunte ſeu auſpicante, locum hunc Suetonii, & aliorum teſtimonia de Magiſtratibus auſpicaturis intelligunt.

6. *Immolanti*] Caſaubonus exiſtimat hoc eſſe ὕστερον πρότερον poſterius nempe dictum quod prius factum eſt. Dio *lib.* 56. ſacrificium illud factum ait, quo die ſibi bellum adverſus Antonium cum poteſtate Prætoria delatum eſt. Idem & Plinius refert *lib.* 11. *c.* 37.

7. *Ictinora replicata*] Hoc eſt duplicia, quæ Valerius Maximus *lib.* 1. *c.* 6. 8. & Plinius *lib.* 11. *c.* 37. læviſſimi ominis eſſe notaverunt.

8. *Paruerunt*] Beroaldus legit *patuerunt*. Leviſſima quidem immutatione, ſed mendoſa; eſt enim auguralis diſciplinæ verbum: hoc eſt, *apparuerunt, reperta ſunt*, Virgilius in 10.

Cui pecudum fibra, cœli cui ſidera parent.

De qua voce adhuc infra *Calig. c.* 8.

CAPUT XCVI.

QUIN & bellorum omnium eventus ante præſenſit. Contractis ad Bononiam Triumvirorum copiis, aquila tentorio ejus ſuperſedens, duos corvos hinc & inde infeſtantes afflixit, & ad terram dedit: notante omni exercitu, futuram quandoque inter collegas diſcordiam talem, qualis ſecuta eſt, ac exitum præſagiente. In Philippis, Theſſalus quidam de futura victoria nuntiavit, auctore D. Cæſare, cujus ſibi ſpecies itinere avio

Digitized by Google

occurriſſet. Circa [2] Peruſiam ſacrificio non litante, cum [3] augeri hoſtias imperaſſet: ac ſubita eruptione hoſtes omnem rei divinæ apparatum abſtuliſſent: conſtitit inter haruſpices, quæ periculoſa & adverſa ſacrificanti denuntiata eſſent, cuncta in illos recaſura qui exta haberent. Neque aliter evenit. Pridie quam Sicilienſem pugnam claſſe committeret, deambulanti in litore, piſcis e mari exſiluit, & ad pedes jacuit. Apud Actium deſcendenti in aciem, aſellus cum aſinario occurrit: [4] Eutychus, homini: beſtiæ, Nicon, erat nomen. Utriuſque ſimulacrum æneum victor poſuit in [5] templo, in quod caſtrorum ſuorum locum vertit.

NOTÆ.

1. *Beneniam*] Prope quam Triumviratus inſtitutus ſupra *c.* 14.

2. *Peruſiam*] Supra c. 9. & 14. dixit *ſacrificio non litante*. Virgilius lib. 4. Æneid.

Tu modo poſce deos veniam, ſacriſque litatis
Indulge hoſpitio.

Ubi Servius: *Dii litatis debuit dicere non enim ſacro, ſed Deo ſacris litamus.*

3. *Augeri*] Verbum ſacrorum eſt de quo ſupra c. 7. Hoſtiæ aliæ aliis adjutantur, donec aliqua litatum eſſet, ut de Paulo Æmilio apud Valerium Maximum, & de Julio *c.* 81. notare eſt, ubi & quid ſit *litare*.

4. *Eutychus*] Hoc eſt *bene fortunatus*. *Nicon* vero vincens idem bonum omen refertur a Plutarcho in Antonio, ubi dicitur Auguſtus nomen ab aſinario petiiſſe.

5. *Templo*]. Supra c. 18.

CAPUT XCVII.

MORS quoque ejus, de qua dehinc dicam, divinitaſque poſt mortem, evidentiſſimis [1] oſtentis prægnita eſt. Cum [2] luſtrum in Campo Martio magna populi frequentia conderet, aquila eum ſæpius circumvolavit: tranſgreſſaque [3] in vicinam ædem, ſuper nomen Agrippæ, ad primam literam ſedit: quo animadverſo, vota, quæ in proximum luſtrum [4] ſuſcipi mos eſt, collegam ſuum Tiberium nuncupare juſſit. Nam ſe quamquam conſcriptis paratiſque jam tabulis, negavit ſuſcepturum quæ [5] non eſſet ſoluturus. Sub idem tempus ictu fulminis ex inſcriptione ſtatuæ ejus prima nominis litera effluxit. Reſponſum eſt, centum ſolos dies poſthac victurum, quem numerum *C* litera notaret: futurumque ut inter Deos referretur, quod *ÆSAR*, id eſt, reliqua pars e [6] Cæſaris nomine, Etruſca lingua Deus vocaretur. Tiberium igitur in Illyricum dimiſſurus, & [7] Beneventum uſque proſecuturus, cum interpellatores aliis atque aliis cauſis in jure dicendo detinerent, exclamavit, (quod & ipſum mox [8] inter omina relatum eſt) *Non, ſi omnia morarentur, amplius ſe poſthac Romæ futurum*. Atque itinere inchoato, [9] Aſturam perrexit: & inde, [10] præter conſuetudinem, de nocte ad occaſionem auræ evectus eſt.

NOTÆ.

1. *Oſtentis*] Supra c. 92.

2. *Luſtrum conderet*] De cenſu videtur intelligendum potius quam de exercitus luſtratione. Quinto quoque anno fiebat a Cenſoribus ſtante Republica, & ideo luſtrum appellatum eſt, quia luſtrabatur: hoc eſt, vel recognoſcebatur populus vel purificabatur, ſue, ove, & tauro immolatis:

Digitized by Google

unde nuncupatur sacrificium *suovetaurilia*.

3. *Vicinam eidem*] Auctor est Dio proprium Agrippæ monumentum in Campo Martio fuisse, in quod tamen corpus ejus condi noluit Augustus, sed in suum ipsius Mausoleum de quo supra c. 43. & infra 100 & 101. De utro hic sermo sit non liquet; quamquam inscriptio nominis Agrippæ, de qua videtur hic agi, de ejus monumento persuaserit. Verum utut se res habet, *A* illud Augustum significabat huc brevi deferendum, vel numinis instar colendum, ac proinde moriturum.

4. *Suscipi mos est*] Peracto lustro, Magistratus qui illud condiderat, vota faciebat pro æternitate imperii, pro salute civium, ac postea Imperatorum, &c facie velata, manu ad pectus admota, aliisque ejusmodi cæremoniis nuncupabat seu pronuntiabat votum, præeunte Summo Pontifice, qui illud e tabulis in quibus exscriptum erat, prælegebat. Quod votum nuncupare est.

5. *Non esset soluturus*] Quasi certior factus ante proximum lustrum e moriturum.

6. *Cæsaris nomine*] Scilicet *ÆSAR*. Livius lib. 9. Decad. 1. refert Romanos pueros Hetruscis antiquitus literis, ita eruditi solitos, quemadmodum postea Græcis. Notat ex Hesychio Casaubonus αἶσα Fatum a pellari ab Hetruscis, & vocem *ÆSAR* Græcam esse, Hetrusca terminatione formatam: αἶσα enim Fatum est seu Parca.

7. *Beneventum*] Nomen retinuit, estque in Regno Neapolitano.

8. *Inter omina*] Brevi scilicet moriturum inde ominati, quod Romæ posthac se non futurum dixisset.

9. *Asturam*] Etiam hodie *Astura*, olim oppidum Latii ubi Cicero ab Antonianis interfectus est, hodie exiguum Castrum adhuc *Sturæ*.

10. *Præter consuetudinem*]. Non quod nocti vel maritimo itineri se commiserit; utrumque enim amabat, ut supra c. 82. retulit: sed quod minuta duntaxat & lenta itinera conficere solitus, ut ibidem dixit, majus suscepit, Astura enim longiori ab urbe distat intervallo, quam quod solitis itineribus emetiretur: unde tamen adhuc evehi non dubitavit, concurrente, ut patet, & venti placidioris occasione & noctis, quod postea Veteres more suo in futuræ mortis omen (sed postquam illa contigisset) traxerunt.

CAPUT XCVIII.

CAUSSAM valetudinis contraxit ex profluvio alvi. [1] Tunc Campaniæ ora, proximisque insulis circuitis, Caprearum quoque secessui quatriduum impendit: remississimo ad otium & ad omnem comitatem animo. Forte Puteolanum sinum prætervehenti, [2] vectores nautæque de [3] navi Alexandrina, quæ tantum quod appulerat, candidati, coronatique, & thura libantes, fausta omina & eximias laudes congesserant: *Per illum se vivere: per illum navigare: libertate atque fortunis per illum frui.* Qua re admodum exhilaratus, [4] quadragenos aureos [5] comitibus divisit; jusque jurandum, & cautionem exegit a singulis, non alio datam summam, quam in emptionem [6] Alexandrinarum mercium absumpturos. Sed & cæteros continuos dies, inter varia munuscula, togas insuper ac pallia distribuit, lege proposita, ut [7] Romani Græco, Græci Romano habitu & sermone uterentur. Spectavit assidue & [8] exercentes ephebos, quorum aliqua adhuc copia ex [9] vetere instituto Capreis erat. Iisdem etiam epulum in conspectu suo præbuit, permissa, immo exacta jocandi licentia, [10] diripiendique pomorum & obsoniorum, rerumque [11] missilium. Nullo denique genere hilaritatis abstinuit. Vicinam [12] Capreis insulam Ἀνακαπρεῶν appellabat, a desidia secedentium illuc e comitatu suo. Sed ex dilectis unum Masgabam nomine, quasi conditorem insulæ, [13] ἀνακτα vocare consueverat:

Digitized by Google

fueverat: hujus Maſgabæ, ante annum defuncti, tumulum cum ex triclinio animadvertiſſet magna turba, [14] multiſque luminibus frequentari, verſum compoſitum ex tempore clare pronuntiavit,

a. Κτηνὸς ὁ τύμβον εἰσορᾷς πυρούμενον.

Converſuſque ad [15] Thraſyllum Tiberii comitem, contra accubantem, & ignarum rei, interrogavit cujuſnam Poëtæ putaret eſſe: quo hæſitante, ſubjecit alium:

b Ὀρθῶς φάσκει Μαγάβαν τιμώμενος;

De hoc quoque conſuluit: cum ille nihil aliud reſponderet, quam cujuſcumque eſſent, optimos eſſe: [16] cachinnum ſuſtulit, atque in jocos effuſus eſt. Mox Neapolim trajecit, quanquam & tum infirmis inteſtinis morbo variante: tamen & [17] quinquennale certamen gymnicum honori ſuo inſtitutum perſpectavit; & cum Tiberio ad [18] deſtinatum locum contendit. Sed in redeundo, aggravata valitudine, tandem [19] Nolæ ſuccubuit: revocatumque ex itinere Tiberium, diu [20] ſecreto ſermone detinuit, neque poſt ulli majori negotio animum accommodavit.

Interpretatio.

a *Conditoris tumulum video incenſum.*
b *Vides luminibus honoratum Maſgabam.*

Notæ.

1. *Campania*] *Terra di lavoro* in regno Neapolitano. Puteoli *Pozzuoli* in eadem regione. Capreæ *Capri.*

1. *Vectores*] Dicuntur tam qui vehunt quam qui vehuntur.

3. *Navi Alexandrina*] Hanc Beroaldus exiſtimat unam e tabellariis fuiſſe, quæ ſecuturæ claſſis adventum denuntiarent. In eundem ferme ſenſum Torrentius, qui legendum exiſtimat *quadam*, aut prorſus delendum, ut ſcribatur *qua tantum quod*, hoc eſt, *modo* vel *paulo ante advenerat.* quod ſupra c. 63. ex Pulmanno; cum vulgati legant hic, *qua tunc quidem advenerat.* Contra Caſaubonus exiſtimat eam eſſe claſſem quæ & commeatus Alexandrinus dicitur huic Auctori in Nerone c. 20. Ex legibus enim Ægypto impoſitis, cum illam Auguſtus Provinciam fecit ſup. c. 18. certus frumenti modus debebat ab illa ſuppeditari, & Romam invehi ad illas frumentationes & diviſiones, de quibus ſupra c. 37. & in Julio c. 26. & 41. & alibi paſſim in hoc Opere Candidatos autem illos intellige candidis veſtibus indutos, & pro *omina* in aliquibus legi *omnia*

4. *Quadragenos aureos*] Hoc eſt 175 lib. Aureus unus ex Budæo *lib. 2. de Aſſe*, centum ſeſtertiis æquivalet. Vide & in Othone c. 4.

5. *Comitibus*] Suis ſcilicet ipſius Auguſti. Videſis in Julio c. 4. & in Caligula c. 19. ubi de amicorum cohortibus.

6. *Alexandrinarum mercium*] Frequentes erant tunc temporis Alexandria in Italiam navigationes tum annonæ cauſſa, tum mercaturæ, cujus palma penes Alexandrinos erat. Hi invehebant aromata, libros, chartas, papyrum, lina, ſtuppas, ſyndones, veſtes tum Babylonicas, tum Ægyptiacas, mancipia illa venuſta de quibus ſupra c. 83. &c.

7. *Romani Græce*, &c.] Hoc eſt, Romani pallium ſumerent, Græci togam. Vide in Jul. c. 48. Inde videtur quæſitus ludus & delectatio; vero enim ſimile eſt, neque Romanos græce, neque Græcos latine, ſatis expedite locutos.

8. *Exercentes Ephebos*] Græcam loquendi formulam obſervat Caſaubonus, pro *exercentes ſe.* Sed jam ſupra eodem modo in Julio c. 26. & ex ipſius Julii, ut videtur, epiſtola. Ephebi ſunt pueri a decimoquarto ætatis anno; hac enim ætate incipiebat ἐφηβία, auctore Donato. Hæc prima adoleſcentia ſeu extrema pueritia hinc apud

Digitized by Google

Romanos in palæstrarum ædificiis membrum erat exercendis ejusmodi adolescentibus destinatum: quod Græco ritu ephebeum dicebatur.

9. *Vetere instituto*] Græco scilicet: nam Capreas quoque Græci tenuere, ut & Tacitus Annal. 4. auctor est. Et ex hoc loco colligas, quin & has regiones quæ Regnum Neapolitanum hodie constituunt. Strabo lib. 5. de Neapoli loquens, inter alias Græcanici ritus reliquias refert gymnasia & puberum cœtus.

10. *Diripiendi pomorum*, &c. Eadem loquendi ratio & apud Plautum in Captivis, *nominandi istorum copia*, & Varronem lib. 2. c. 1. de Re Rustica, *principium generandi animalium*: & Gellius Suetonio coætaneus, *magis admonendi quam alios docendi gratia*. *lib.* 16. *c.* 8.

11. *Missilium*] Torrentius in libro vetustissimo legit *rerumque missilia*: quod & potest, ut in Caligula c. 18. & Nerone c. 11. Missilia hæc dicit esse Beroaldus, quæ ex liberalitate Principum spargi solerent in vulgus, quæ quamvis & missilia dicta sint, non tamen hoc loco sic intelligenda videntur: unde multo melius Torrentius de missilibus rebus vel cibis intelligit, qui e convivio mitti ad aliquem vel absentem, vel alibi discumbentem; cum revera iste mos innuatur *lib.* 2. *c.* 4. apud Macrobium, ubi quidam eques dicitur, petita ab Augusto mittendi turdi venia, misisse per fenestram.

12. *Capreis*] Torrentius legendum censet *Capreas*; quia dicit Suetonius Augustum non nisi quatriduo Capreis fuisse; unde colligit, id ab ipso dictum in ora Campaniæ de ipsa Caprearum insula. Sed capitis hujus initio dixit ea se relaturum, quæ in ora Campaniæ proximisque insulis fecisset: de his enim loqui videtur ab his verbis, *spectavit assidue*, ac præsertim de Capreis, ad hæc verba *trajecit Neapolim*. Ex quibus colligere est, ex insulis illis demum in continentem trajecisse, sed in illarum aliqua saltem fuisse (si Capreis non esset) cum ἀπραγοπολίαν dixit, hoc est *otii* seu *desidiæ* civitatem: ἀπραγία enim *desidia* est, πολὶς vero *civitas*.

13. Κτίσιν] Κτίσης *creator* sive *conditor* significat. Suetonius autem dicit *quasi conditorem*. Nec enim ipsius Masgabæ insula erat, utpote quam à Neapolitanis redemptam ab Augusto dixit supra c. 92. Sed per facetias sic appellasse creditur, quod cum incolis illam frequentari vellet, hanc Masgabæ curam detulerat, qui ideo ab ipsis popularibus quasi re vera conditor insulæ colebatur. Instituto in ejus honorem anniversario cultu ex more supra notato c. 1. hunc Masgabam, quamvis de eo nihil legendo repererit, Afrum tamen fuisse Casaubonus ex nomine suspicatur.

14. *Multisque luminibus*] Hinc intelliguntur facta tunc temporis Masgabæ parentalia, quibus & cerei & faces accendebantur; nec eo solum tempore, sed & in tumulis aliisque locis in quibus Religionis aliquid inesse suspicabantur, lumina apponebant; qui mos ad Martyrum Christianorum tumulos translatus, ad nos usque pervenit. Nec Religionis tantum ergo, sed & in publica lætitia diebusque festis, lucernas, cereos, funaliaque accensa reperias. Juvenal. Sat. 12.

Cuncta nitent, longos erexit janua ramos
Et matutinis operitur festa lucernis.

Et infra in Tiberio c. 13. in Caligula c. 15. & alibi. Seneca postremis libri de brevitate vitæ verbis.

15. *Thrasyllum*] Mathematicum, de quo plura in Tiberio. De comitibus in Julio c. 4. &c.

16. *Cachinnum*] Propter imperitiam Thrasylli, qui Mathematicus & divinationis peritus Poëtæ nomen ignorabat.

17. *Quinquennale*] De his supra c. 59. & infra Claud. c. 12. &c.

18. *Destinatum locum*] Beneventum scilicet, quousque Tiberium comitari destinarat. Idem enim dicit Velleius lib. 2. c. 23.

19. *Nola*] Campaniæ civitas est, nomen retinens.

20. *Secreto sermone*] Tacitus 1. Annal. 5. dicit satis compertum non fuisse *an spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam an exanimem repererit; acribus namque custodiis domum & vias sepserat Livia*. &c. Quod tamen Suetonius iterum confirmat lib. sequenti c. 21. & Velleius lib 2. c. 23. Negant prorsus Græci, ex quibus Dio id quod prodidit scriptum fuisse affirmat a pluribus & fide dignissimis Auctoribus.

Digitized by Google

CAPUT XCIX.

SUPREMO die identidem exquirens, an jam de se tumultus foris esset, petito speculo, capillum sibi comi, ac malas [1] labentes corrigi præcepit. Et amicos admissos percunctatus, *Ecquid iis videretur* [2] *mimum vitæ commode transegisse*, adjecit & clausulam : A. U. C. DCCLXVII.

[a] Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κροτήσατε.

Omnibus deinde dimissis, dum advenientes ab urbe de [4] Drusi filia ægra interrogabat, repente in osculis Liviæ, & in hac voce defecit: *Livia, nostri conjugii memor vive, ac vale*: sortitus exitum facilem, & qualem semper optaverat. Nam fere quoties audisset, cito ac nullo cruciatu defunctum quempiam, sibi & suis [5] εὐθανασίαν similem (hoc enim & verbo uti solebat) precabatur.

INTERPRETATIO.

a *Date plausum, & vos omnes cum gaudio* manus *tundite.*

NOTÆ.

1. *Labentes*] Casaubonus legit *labantes*, notatque etiam hac in re, vel Augusti dissimulationem, quasi voluisset composito vultu spem facere longioris vitæ: vel, quod probabilius fuerit, quemdam Antiquorum morem qui diligenter id caverent, ne sibi morientibus indecorum quid aut minus compositum esset. Conjecturam firmat aliquibus Euripidis & Homeri in Odyssea locis, quibus addere licuerit locum illum c. 82. supra in Julio, qui ut honestius caderet, sinum togæ ad ima crura deduxit. Simile quid innuere videtur Seneca lib. de Tranquillitate c. 12. de Turannio quodam.

2. *Mimum*] Allusit ad Histrionem qui laudatur cum omnes Fabulæ Actus transegit, ut par est ex veteri Græcorum Proverbio μίμος ὅλος: juxta quem Augustus, & post illum Seneca Epist. 80. & Laërtius in Zenone, & Epictetus Enchiridii c. 23. &c.

3. Δότε, &c.] Hæc verba paulo aliter ex veteri codice eruisse se dicit Turnebus Adverss. lib. 24. c. 1. sed eodem sensu: hæc est enim communis tam Græcis quam Latinis Comœdiarum clausula. Unde Horatius:

Donec cantor, Vos plaudite, dicat.

4. *Drusi filia*] Drusilla Livilla, Druso & Antonia minore genita, de qua Claud. c. 1. in fine.

5. Εὐθανασίαν] Facilem mortem, de qua Horatius Sat. 1. lib. 1. v. 118.

qui se vixisse beatum
Dicat & exacto contentus tempore vitæ,
Cedat uti conviva satur.

CAPUT C.

VNUM omnino ante efflatam animam signum alienatæ mentis ostendit, quod subito pavefactus, a quadraginta se juvenibus abripi questus est. Id quoque magis præsagium quam mentis deminutio fuit: siquidem totidem milites [1] Prætoriani extulerunt eum in publicum. Obiit in [2] cubiculo eodem quo pater Octavius: Duobus Sextis, Pompeio & Appuleio Coss. XIV. Kal. Septembris, hora diei nona, septuagesimo & sexto ætatis anno, diebus quinque & triginta minus. Corpus [4] Decuriones municipiorum & coloniarum a Nola [5] Bovillas usque deportarunt: noctibus propter [6] anni tempus, cum interdiu in basilica cujusque oppidi, vel in [7] ædium sacrarum maxima reponeretur. A Bovillis equester

Digitized by Google

ordo ſuſcepit, urbique intulit, atque in veſtibulo domus [8] collocavit. Senatus & in funere ornando, & in memoria honoranda eo ſtudio certatim progreſſus eſt, ut inter alia complura cenſuerint quidam, funus [9] triumphali porta ducendum, præcedente [10] Victoria, quæ eſt in curia, canentibus [11] næniam [12] principum liberis utriuſque ſexus. Alii exſequiarum die [13] ponendos anulos aureos, ferreoſque ſumendos: nonnulli [14] legenda oſſa per ſacerdotes [15] ſummorum collegiorum. Fuit & qui ſuaderet appellationem menſis Auguſti in Septembrem transferendam; quod hoc genitus Auguſtus, illo defunctus eſſet. Alius, ut omne tempus a primo die natali ad exitum ejus, ſeculum Auguſtum appellaretur, & ita in faſtos referretur. Verum adhibito honoribus modo, [16] bifariam laudatus eſt: pro æde D. Julii a Tiberio: & pro Roſtris [17] Sub veteribus, a Druſo Tiberii filio, ac Senatorum humeris delatus in Campum, crematuſque. Nec defuit vir prætorius qui ſe effigiem cremati [18] euntem in cœlum vidiſſe juraſſet. [19] Reliquias legerunt primores equeſtris ordinis, [20] tunicati & diſcincti pedibuſque nudis, ac in [21] Mauſoleo condiderunt. Id opus inter Flaminiam viam, ripamque Tiberis, ſexto ſuo conſulatu exſtruxerat: circumjectaſque ſilvas & [22] ambulationes in uſum populi tunc jam publicarat.

Notæ.

1. *Prætoriani*] Honoratiores erant aliis, & ante Prætorium excubabant Inter hos aſcripti quoque amici & voluntarii ac fortiſſimi quique, ut hoc loco patet, quorum numerum per bella civilia auctum, cum ante nonniſi horum unica cohors eſſet, Auguſtus in novem cohortes diſtribuit, & circa ſe habuit. De his adhuc infra ſæpe.

2. *Cubiculo*] Tacitus lib. 1. Annalium: *Multus hinc ipſo de Auguſto ſermo, pleriſque vana mirantibus: quod idem dies accepti quondam Imperii Principis, & vitæ ſupremus.* Quod & Dio confirmat. De primo ejus Conſulatu, is quippe gradus fuit & aditus ad reliquos honores quibus poſtea cumulatus eſt.

3. XIV. *Calendas Septembris*] Auguſti menſis decimo nono a quo ad IX. Kalend. Octobris, quo die natus erat, deſunt triginta quinque dies, ut recte narravit Auctor. Quod & de annis ejus vitæ itidem computare facile eſt. Natus ſiquidem anno U.C. 691. Obiit 766. ut ex Faſtis colligere eſt.

4. *Decuriones*] Hi ſunt illarum quaſi Senatores de quibus ſupra c. 46. ut & de municipiis & coloniis, in Julio c. 8. & 14.

5. *Bovillas*] Oppidum Latii, hodie *Bobuco*. Ferrario aliter eſt quoque ejuſdem nominis pagus Romæ vicinus, cujus meminere Ovidius 3. Faſt. & Propertius Eleg. 1. lib. 4. Suburbanam hic Bovillam, ille ſuburbanas Bovillas appellat. Unius tantum meminit Plinius lib. 3. c. 5.

6. *Anni tempus*] Calores ſcilicet menſis Auguſti.

7. *Ædium ſacrarum maximæ*] Vulgati legunt *in æde ſacrarum maximæ*. Hoc ideo notavit Suetonius, quia non aliud honoris maximi majus indicium eſt; id enim Romanis legibus vetitum erat, quin imo ne in urbes quidem recipi mortuos fas erat; quod ea quæ ſuperis diis ſacrata erant, ſolo rei funeſtæ contactu pollui crederent. Nec id Romanis tantum, ſed & Judaïcis legibus idem fieri nefas erat, ut ex lib. 2. Regum c. 14. 15. & 23. conſtat.

8. *Collocavit*] De collocatione ſupra in Julio c. 84.

9. *Triumphali porta*] Idem refert Tacitus 1. Annalium. Hac pompa triumphorum traducebatur, ubi hodie Xenodochium Sancti Spiritus. Viſunturque prope Vaticanum in interiore fluminis ripa pontis & portæ quondam reliquiæ.

10. *Victoria*] Hanc Victoriæ imaginem olim Tarento advexerat Auguſtus, & in

Digitized by Google

Curia Julia, a se in Julii honorem dedicata posuerat.

11. *Naniam*] Funebre carmen de quo jam in Julio nonnulla c. 84. & Festus & Nonius, ac præsertim Cicero 2. de Legibus meminere: *Honoratorum virorum laudes in concione memorentur, easque etiam cantus ad tibicinem prosequatur, cui nomen Nania.* De aliis etiam rebus Nænia dicitur, ut ex Quintiliani lib. 8. c. 2. patet.

12. *Principum liberis*] Quasi communem parentem lucturis: Næniam enim cæteroqui cantabant mortuorum propinqui, aut saltem eorum loco præficæ, de quibus in Julio c. 84.

13. *Ponendos anulos aureos*] Equestris & Senatoriæ dignitatis insignia; ferrei enim plebis erant.

14. *Ossa legenda*] Colligenda post crematione. Virgil. in 6.

Ossaque lecta cado texit Corinæus aheno.

15. *Summorum collegiorum*] Quod & legibus vetitum erat, ut de ædibus sacris dictum. Hi Sacerdotes erant, Pontifices, Augures, Septemviri epulones, & Quindecimviri sacris faciundis, quibus commissum erat quidquid Sacerdotale spectabat officium. His accessere postea sodales Augustales, de quibus infra.

16. *Bifariam*] Hoc est duobus, ut patet, locis. Ita & *plurifariam* Claud. c. 21.

17. *Sub veteribus*] Locus Urbis prope Forum romanum sic dictus. Legunt quidam *sub veteribus rostris*: qui enim de Urbe scribunt, nova & vetera rostra recensent.

18. *Eumdem in cælum*] Ut de Romulo Proclus apud Livium, &c. Dio refert prætorio illi viro nomen fuisse *Numerius Atticus*, a quo testimonium illud HS vicies emerat Livia. Hinc erecta Augusto templa, & consecrati sexus utriusque Sacerdotes, &c.

19. *Reliquias legerunt*] Perusto cadavere, cognati & amici colligebant cineres & ossa quæ cado sive urna condita deferebant, pura tamen aqua prius aspersi, & ita expiati seu lustrati à Sacerdote. De quo lib. 6. in funere Miseni:

Idem ter socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.
Lustravitque viros, &c.

Porro Casaubonus sic dispositum fuisse cadaver existimat, ut ossa ejus & cineres nullo negotio discerni quiverint. Quod certe ita fuisse oportet, alioqui animalium etiam quæ simul plerumque comburebantur, ossa potuissent, vel ipsa legi, vel confundi. Quod autem de linteo quodam lini ἀσβέστου, hoc est incombusti, narrant aliqui, id commentitium existimat, & ex Plinii perperam explicati auctoritate male deductum: hujus tamen aperta videtur super hac re sententia, lib. 19. c. 1. *Inventum est etiam* (linum) *quod ignibus non absumeretur. Vivum id vocant, ardentesque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas sordibus exustis splendescentes igni magis quam possent aquis. Regum inde funebres tunica corporis favillam ab reliquo separant cinere*, &c. Fateor equidem illud in usu vulgari esse non potuisse, adeo siquidem inventu rarum erat, ut inventum æquaret *pretia excellentium margaritarum*, ut ait idem ibidem Plinius: sed ut aliquid sit rarum, non continuo sequitur nullum esse. Plinii auctoritati accedit & Plutarchi; is enim lib. de Oraculorum defectu traditlinum id in rupe Carystia nasci, &c. Meminit etiam Pausanias in Atticis.

20. *Tunicati & discincti*] Hoc in aliorum quoque funeribus factum indicat Tibullus:

Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incincta nigra candida veste legant.

Nudis quoque pedibus alias ceremonias peragebant, ut de Vestalibus Florus testatur lib. 1. c. 13. & Ovid. 6. Fast.

Huc pede matronam nudo descendere vidi, &c.

21. *Mausoleo*] Hujus adhuc visuntur reliquiæ prope Adriani Mausoleum, quod hodie montem Sancti Angeli indigitant.

22. *Ambulationes*] Suas etiam monumentis leges imponebant, ne v. g. quisquam inferretur contra vetitum, ut de filia sua & nepte Augustus vetuit, terminos statuebant, ut quid religiosi loci, quid puri circa relinqueretur, appareret. De quo videsis Horatii Interpretes ad Sat. 8. lib. 1. & de ambulationibus illis Strabonem lib. 5 ubi & de Mausoleo toto plura & egregia narrat.

Digitized by Google

CAPUT CI.

TESTAMENTUM, L. Planco, C. Silio, Coss. III. Nonas Aprilis ante annum & quatuor menſes quam decederet, factum ab eo, ac duobus codicibus, partim ipſius, partim libertorum Polybii & Hilarionis manu ſcriptum, depoſitumque [1] apud ſe Virgines Veſtales, cum tribus ſignatis æque [2] voluminibus protulerunt. Quæ omnia in Senatu aperta atque recitata ſunt. Heredes inſtituit primos, Tiberium [3] ex parte dimidia, & ſextante, Liviam [4] ex parte tertia, quos & ferre [5] nomen ſuum juſſit: [6] ſecundos, Druſum Tiberii filium [7] ex triente, & ex partibus reliquis Germanicum, [8] liberoſque ejus tres ſexus virilis: tertio gradu, propinquos amicoſque complures. Legavit [9] Populo Romano quadringenties, [10] tribubus tricies quinquies H. S. Prætorianis militibus [11] ſingula millia nummorum: cohortibus [12] urbanis [13] quingenos: legionariis [14] trecentos nummos: [15] quam ſummam repræſentari juſſit: nam & [16] confiſcatam ſemper repoſitamque habuerat. Reliqua legata varie dedit: [17] produxitque quædam ad vicena ſeſtertia: quibus ſolvendis annuum diem finiit, excuſata rei familiaris mediocritate: nec plus perventurum ad heredes ſuos, quam [18] millies & quingenties profeſſus: quamvis viginti proximis annis [19] quaterdecies millies ex teſtamentis amicorum percepiſſet: quod pene omne cum duobus paternis patrimoniis, cæteriſque hereditatibus in Rempub. abſumpſiſſet. Julias, filiam neptemque, [20] ſi quid his acciditſſet, vetuit ſepulchro ſuo inferri. De tribus voluminibus, uno, mandata de funere ſuo complexus eſt: altero, [21] indicem rerum à ſe geſtarum: quem vellet incidi in [22] æneis tabulis, quæ ante Mauſoleum ſtatuerentur: tertio breviarium totius imperii, quantum militum ſub ſignis ubique eſſet, quantum pecuniæ in ærario & [23] fiſcis, & vectigaliorum reſiduis. Adjecit & libertorum ſervorumque nomina, a quibus ratio exigi poſſet.

NOTÆ.

1. *Apud ſe*] Legunt alii *apud ſex*. Mendoſe. Idem de Julio c. 83. & de Antonio ſupra c. 17.

2. *Voluminibus*] Quatuor ea fuiſſe auctor eſt Dio lib. 56. Sed quartum, partem tertii fuiſſe magis quam ſeparatum opus exiſtimat Caſaubonus: illo enim præcepta bene gubernandi & Tiberio & Reipublicæ relinquebat, & rerum omnium ſtatum propria manu perſcripſiſſe, auctor eſt Tacitus, qui & alia etiam refert, de quibus in fine hujus capitis agitur.

3. *Ex parte dimidia*] In Julio c. 83. dictum eſt totam hereditatem aſſis nomine appellari, & ejus inſtar duodecim unciis conſtare: pars ergo dimidia ſunt ſex unciæ, quibus addito ſextante, octo fiunt unciæ; ſextans enim eſt ſexta pars hereditatis. Octo unciæ bes vulgo dicuntur. De Teſtamento Auguſti, in quo Tiberius ex parte dimidia & ſexta fuit heres inſtitutus, nempe ex beſſe, meminit Cujacius ad l. 27. §. 8. ff. ad Senatuſconſ. Trebellianum.

4. *Ex parte tertia*] Lege Voconia cavebatur ne quis cenſus, hoc eſt, qui centum millia in bonis haberet, mulieri aut virgini ſupra quadrantem bonorum ſuorum Teſtamento relinquere poſſet, aut ei plus donare quam ad heredem heredeſve pertineret: unde ſcribit Dio lib. 56. Auguſtum à Senatu impetraſſe ut hac Lege ſolveretur in gratiam Liviæ.

5. *Nomen ſuum*] Id qua ratione fieri deberet, ſupra in Julio c. 83. Notat præ-

Digitized by Google

serea Casaubonus cætera Augusti nomina jam inde ab adoptionis, de qua supra c. 65. tempore Tiberio indita fuisse, sed *Augusti* cognomen sibi uni servasse patrem, quod illud communicari nollet, utpote quo potentiæ suæ partem non exiguam consistere crederet. Livia quoque post mortuum Augustum, Augustæ nomen recepit & Juliæ (nam in Juliam quoque familiam adoptata est, auctoribus Tacito & Velleio) quæ tamen, ipso vivente, nomina non assumpserat.

6. *Secundos*] Hoc est substitutos, de quibus supra in Julio c. 83.

7. *Triente*] Quatuor unciis. Ibid.

8. *Liberosque ejus*] De his in Claudio c. 7.

9. *Populo*] Hoc est, civibus Romanis, qui ejusmodi largitionum partem capere solerent, aut possent. Vox *populus* omnes cives complectitur; ad differentiam plebis, quæ Senatu & Equitibus exceptis, cæteros cives continet, quamquam has voces & hic Auctor, & alii plerumque promiscue usurpent. Quadringenties sunt 1750000 lib.

10. *Tribubus*] Vocem hanc à quibusdam codicibus abesse Beroaldus affirmat, qua sublata legeretur, *Populo Romano quadringenties tricies quinquies*, aperto sensu. Verū quia vulgatior habita est prior lectio, hanc ita servat Lipsius Electorum lib. 1. c. 12. ut tamen non *tribubus*, sed *tribulibus* substituat. Horum appellatione Augusti tribules, de quibus supra c. 40. intelligens, extra sortem donatos, quia cæteroqui bis idem diceret, cum populi nomine aliud nihil intelligat quam Tribus ipsas quæ numero triginta quinque populum constituebant universum, quod & de hujus divisione supra noratum est. Verum hoc nec a Dione nec a Tacito prætermittendum fuisse, si tanta liberalitate erga illos usus esset, verosimillime Torrentius existimat, & Beroaldi sententiam præfert. Casaubonus nihil immutat, Tribusque sic distinguit à populo, ut illarum appellatione intelligantur e sola plebe pauperrimi. Et re vera apud Auctores passim observare est, modo tres, modo quatuor populi ordines innui, quorum ultimus Tribus nomine nuncupetur, Martialis lib. 8. Epig. 15.

Dat Populus, dat gratus Eques, dat thorax Senatus,
Et ditant Latias tertia dona Tribus.

Et sæpe etiam Tribules dicuntur e plebe vilissimi, ut Horatius:

Et cum pileolo soleas conviva Tribulis.

Et Martial. lib. 9. Epig. 50.

Nunc annus, & tremulo vix accipienda Tribuli.

11. *Singula millia*] HS. Vide in Julio c. 26. Summa est 43 lib. 15 s.

12. *Urbanis*] Has distinguit à Legionariis, quod hæ in Provinciis, illæ in Urbis regionibus ad earum custodiam dispositæ essent. Supra c. 30.

13. *Quingenos*] HS. 21 lib. 17 s. 6 d.

14. *Tricenos*] 13 lib. circiter.

15. *Quam summam*] Non postremam tantum, sed & eam Casaubonus intelligit, quæ ex illis omnibus exurgeret, & certe dubio locus non videtur esse. Hæc autem additis in unam omnibus partibus, qua ratione supra computatæ sunt nostro ritu 190320 5 lib. 12 s. 6 d.

16. *Confiscatam*] Fiscis conditam. Vide supra c. 15.

17. *Produxitque*] Sic intelligit Torrentius, ut quæ legata, vicena HS. excederent horum diem; hoc est, solutionem distulerit in annum. Hæc sunt 875 lib.

18. *Millies & quingenties*] 6562500 lib.

19. *Quaterdecies millies*] 61250000 lib.

20. *Si quid accidisset*] His verbis utebantur, vitandi ominis caussa, ne scilicet mortem pronuntiarent.

21. *Indicem rerum*] Descriptum hujus exemplum cum Ancyrani postulassent, in Augusti Templo magnifice exposuerunt. Habetur hodie sub titulo Lapidis Ancyrani, sed multis modis vel ab initio vel temporum iniquitate corruptum. Videsis ad calcem operis.

22. *Æneis tabulis*] Notat Casaubonus πίναξι dici apud Dionem: unde colligere est in pilæ quadratæ facies insertas fuisse.

23. *Fiscis*] Jam supra notatum est, fiscum dici propriam Principis pecuniam; ærarium vero, publicam populi. c. 15.

Digitized by Google

Digitized by Google

C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CÆSARIBVS.

LIBER III.

TIBERIUS NERO CÆSAR.

CAPUT I.

PATRICIA gens Claudia (fuit enim & alia plebeia, nec potentia minor nec dignitate) orta est [2] ex Regillis, oppido Sabinorum. Inde Romam [3] recens conditam, cum magna [4] clientum manu commigravit, auctore [5] Tito Tatio consorte Romuli: vel, quod magis constat, [6] Atta Claudio gentis [7] Principe, post Reges exactos sexto fere anno, à patribus in patricios cooptata. Agrum insuper trans [8] Anienem clientibus, [9] locumque sibi ad sepulturam [10] sub Capitolio publice accepit. Deinceps procedente tempore, duodetriginta consulatus, dictaturas quinque, censuras septem, triumphos septem, duas [11] ovationes adepta est. Cum [12] prænominibus cognominibusque variis distingueretur, Lucii prænomen consensu repudiavit, postquam e duobus [13] gentilibus præditis eo, alter latrocinii, cædis alter convictus est. Inter cognomina autem, & [14] Neronis assumpsit, quo significatur lingua Sabina fortis ac strenuus.

NOTÆ.

1. *Patricia*] De Patriciis in Julio c. 41. & Augusto c. 2. Hæc autem gens dicta fuit Pulchrorum ad differentiam plebeiæ, quæ Marcellorum. De quibus Cicero *lib* 1. *de Oratore* plura. Utrum autem hæ familiæ ut nominis, sic & ejusdem, necne, originis fuerint, haud reperio. Certe ex Cicerone *lib.* 9. *Epist. Famil.* & 2. *de Legibus* constat, aliis quoque Romanorum nominis & originis ejusdem familiis id contigisse, ut altera patricia foret, & altera plebeia: quod evenire necesse erat, cum non tota gens aliqua, sed quædam ejus familia a patriciis ad plebem transibat, ut ab uno e patriciis

Digitized by Google

Claudiis, adſtipulante Cæſare, factum vidimus ſupra in Julio c. 20.

2. *Regillu*] Dionyſio Halicarnaſſeo & Stephano *Regidus:* Livio *Regillum* dicuntur. Diſtat ab Urbe, teste eodem Halicarnaſſeo, ſexaginta ſtadiis prope Liberim. Sabinorum autem nomen etiam hodie *ii Sabini*, regioque ipſa *Sabinia*.

3. *Recens conditam*] Prior hæc Suetonii ſententia de Claudiorum migratione nuſquam legi testatur Beroaldus, poſteriorem confirmat Dionyſius Halicarnaſſeus, & alii paſſim Hiſtorici: imprimis Plutarchus in Publicola, ubi ſeditione popularium ad id coactum refert, ac Sabinarum familiarum quinque millia ſecum deduxiſſe.

4. *Clientum*] De clientibus ſupra in Julio c. 2. Ex hoc loco notare eſt, clientelas non Romani duntaxat inſtituti fuiſſe.

5. *Tito Tatio*] Sabinorum Rege, quem Romuli conſortem dicit, propter conſociatum & in eamdem civitatem (Romam nempe) collatum Regis utriuſque regnum. De quibus Livius *lib. 1. Decad. 1.*

6. *Atta*] Varie legitur hoc nomen. Alii quippe *Attio* legunt, alii *a Tatio*, ac denique *Appio*. In re tam vaga certum quid vix affirmes. Tria fortaſſe apud Sabinos ei fuere nomina, *Atta, Tatius, Claujus*, vel forte poſtquam commigravit, Romano more ſuum nomen effinxit, ut eſſet *Appius Claudius*. Quod factum à Lucumone legitur, qui cum Tarquiniis Romam veniſſet, L. Tarquinii nomen edidit. Eſt vero *Atta* vox vetus Sabina, quæ hominem ambulando quaſi ſubſilientem ſignificat, propter pedum aut crurium vitium, quo fit ut plantis non inſiſtat, ut ait Feſtus: *Attam pro reverentia ſenis cuilibet dicimus, quaſi eum avi nomine appellemus.* Ἅλλομαι ſubſilire eſt, &, ut ait Caſaubonus, nuſquam ferme pedem figere.

7. *Principe*] De hoc fuſe Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 5.

8. *Antenem*] Fluvium hodie *Teverone*. Dionyſius Halicarnaſſeus addit, comitatui datum agrum Fidenas inter & Piculiam viritim dividendum, unde mox facta fuerit Tribus Claudia. Videſis & Plutarchum in Publicola ſub finem.

9. *Locumque ſibi*] In margine Vitterbienſis codicis legerat Caſaubonus *locum*, nec probavit. De ſepultura tacet Dionyſius ibidem, dicitque tantum conceſſam fuiſſe ad ædificandum Urbis partem, quantam petiit.

10. *Sub Capitolio*] Speciali hoc Populi Romani ſtudio factum, bene notat Donatus Skildius, ſed contra leges fuiſſe male (ni fallor) innuit; quam enim Legem ex duodecim Tabulis in teſtimonium profert, HOMINEM MORTUUM IN URBE NE SEPELITO, NEVE URITO, ea cum aliis e Græcia nondum erat allata; anno enim duntaxat poſt exactos Reges 58. deſcriptæ ſunt hæ Leges, & ideo familii, quibuſdam ſepulchrum intra Urbem ſuum fuiſſe auctor ipſe ibidem Cicero. Ac de Aeca Laurentia teſtis Macrobius *lib. 1. c. 10.*

11. *Ovationes*] Hæ ſunt triumphi quidam minores, à majoribus in hoc præter cætera diſcrepantes, quod triumphantes curru, ovantes autem equo vel etiam pedibus Urbem ingrederentur, oviſque (unde nomen) non taurus immolaretur.

12. *Prænominibus*] Ut nomina Romanorum gentes inter ſe diſtinguebant, cognomina vero gentis ejuſdem familias; ita & prænomina fratres ejuſdem familiæ. Primo igitur loco prænomen, tum nomen, inde cognomen ponebatur ab initio: quæ tamen omnia, ſtante Republica, identidem immutata eo venerunt, ut Monarchiæ temporibus, quæ primo loco erant fratribus diſtinguendis prænomina, ea duntaxat ultimo poſita reperiantur. De quibus fuſe Sigonius, Lipſius, &c.

13. *Gentilibus*] Gentiles ſunt Patricii tantum, ut quidam volunt, gentis, hoc eſt originis ejuſdem; gens enim & familia eo modo differunt, quo totum & pars, ut patet ex ipſo Suetonio infra in Galba: quamvis promiſcue, non raro uſurpentur. Qui autem varias hujus vocabuli acceptiones pluribus perſequi volet, is e Juriſconſultorum libris eas repetat.

14. *Neronis*] De hoc Gellius lib 13. c. 21. *Itaque ex Claudiis qui erat egregia & præſtanti fortitudine, Nero appellatus eſt; ſed id Sabini accepiſſe à Græcis videntur, qui vincula & firmamenta membrorum νέρα dicunt; unde nos quoque Latini nervos appellamus.* Annotavit Caſaubonus Sabinos origine Dores extitiſſe.

Digitized by Google

CAPUT II.

MULTA multorum Claudiorum egregia merita, multa etiam secus admissa in Rempublicam exstant. Sed ut præcipua commemorem, [1] Appius Cæcus societatem cum Rege Pyrrho, ut parum salubrem iniri dissuasit. [2] Claudius Caudex, primus freto classe transjecto, Pœnos Sicilia expulit. [3] Claudius Nero advenientem ex Hispania cum ingentibus copiis Asdrubalem, prius quam Hannibali fratri conjungeretur, oppressit. [a] Contra Claudius Appius Regillianus [4] decemvir legibus scribendis virginem ingenuam per vim, libidinis gratia, in servitutem asserere conatus, caussa fuit plebi secedendi rursum a patribus. Claudius Drusus, statua sibi cum diademate [5] ad Appii Forum posita, Italiam per clientelas occupare tentavit. [b] [6] Claudius Pulcher apud Siciliam, [7] non pascentibus in auspicando pullis, ac per contemptum religionis mari demersis, quasi ut biberent, quando esse nollent, prælium navale iniit: superatusque, cum [8] Dictatorem dicere à Senatu juberetur, velut iterum illudens discrimini publico, [9] Ilyciam viatorem suum dixit. [c] Extant & fœminarum exempla diversa æque: siquidem gentis ejusdem utraque Claudia fuit, & quæ navem [10] cum sacris matris Deûm Ideæ obhærentem Tiberino vado extraxit, precata propalam, *ut ita demum sequeretur,* [11] *si sibi pudicitia constaret*: & quæ [12] novo more judicium majestatis apud populum mulier subiit, quod in conferta multitudine ægre procedente carpento, palam optaverit: *ut frater suus Pulcher revivisceret, atque iterum classem amitteret, quo minor turba Romæ foret.* Præterea notissimum est, Claudios omnes, excepto duntaxat P. Clodio, qui ob expellendum Urbe Ciceronem, plebeio homini, atque etiam [13] natu minori, in adoptionem se dedit, [14] optimates [15] assertoresque unicos dignitatis ac potentiæ patriciorum semper fuisse, atque adversus plebem [16] adeo violentos ac contumaces, ut ne capitis quidem [17] quisquam reus apud populum mutare vestem aut deprecari sustinuerit: nonnulli in altercatione & jurgio [18] Tribunos plebis pulsaverint. Etiam virgo Vestalis [19] fratrem [20] injussu populi triumphantem, adscenso simul curru, usque in Capitolium prosecuta est, ne vetare, aut intercedere fas cuiquam Tribunorum esset.

A U. C.
CDLXXIV.
CDXC.
DXLVII.
CCCIV.
DV.
DVIII.
DCXCV.
DCXI.

INTERPRETATIO.

a *E contrario Claudius Appius Regillianus Decemvir* electus *ad scribendas Leges cum propter libidinem tentavisset per vim servam facere puellam liberam, prabuit plebi caussam discedendi iterum à Senatoribus.*

b *Claudius Pulcher prope Siciliam cum pulli gallinacei non manducarent in agendo auspicio & abiecisset eos in mare per despectionem Religionis, quasi bibendi caussa, siquidem nolebant comedere.*

c *Sunt etiam exempla fœminarum tam varia. Quandoquidem amba Claudia fuerunt ejusdem gentis.* illa *nempe qua evellit navem qua vehebantur sacra Cybeles adhærentem vado Tiberino. postquam precata esset publice,* ut tandem hoc modo cederet si sua pudicitia certa esset: *&* illa *qua* licet *fœmina. damnata fuit crimine læsa Majestatis, nova consuetudine, quia cum currus suus in densa turba difficiliter progrederetur, publice*

Digitized by Google

optavit ut frater suus Pulcher suscitaretur e mortuis, & rursus perderet classem, ut multitudo esset rarior in Urbe. Insuper, si excipias solummodo P. Clodium qui permisit se adoptari ab homine plebeio & juniori, ut ejiceret Ciceronem ex Urbe, constat omnes Clodios fuisse semper optimates & solos defensores amplitudinis & auctoritatis Patriciorum, & tam violentos ac superbos contra plebem, ut nequidem ullus adduci potuerit ad mutandam vestem aut ad amovendum precando periculum, cum de ejus vita disceptaretur, populo judice.

NOTÆ.

1. *Appius Cæcus*] Idem refert & Valerius lib. 1. c. 2. & Livius lib. 9. Decad. 1.

2. *Claudius Canuex*] Hoc cognomento insignitus, quod, ut ait Seneca *lib. de Brevitate vita c.* 13. *primus persuaserit Romanis navem conscendere; quia plurium tabularum contextus candex apud Antiquos vocabatur, unde publica tabula codices dicuntur: & naves nunc quoque quæ ex antiqua consuetudine per Tiberim commeatus subvehunt, Caudicariæ vocantur.* Festus in hac voce. Alia auctorum testimonia videsis apud Nonium c. 13. Claudius ille Caudex, Cæci frater fuit, ut tradit Auctor *de Viris illustribus*, & primus ad explorandas hostium copias fretum piscatoris nave trajecit.

3. *Claudius Nero*] De hoc fuse & egregie Livius *lib.* 8. *Decad.* 3. & Horatius *lib.* 4. *Ode* 4.

Quid debeas, o Roma, Neronibus
Testis Metaurum flumen, & Asdrubal
Devictus, &c.

4. *Decemvir*] Non ita multo post exactos Reges, Romani Viros decem elegerunt, quibus Consulare simul & regium Imperium sine provocatione tradidere, qui ex patriis moribus & peregrinis Legibus quas e Græcia per Legatos in id missos descriptas, Romam deferri curaverant, optima quæque seligentes ura Populi Romani constituerent universos perpetuo Romanos astrictura, si eos Populus unà & Senatus accepissent, ut re vera acceperunt. Tanta hac auctoritate Claudius ille nefarie usus virgini ingenuæ, cujus amore captus erat, mortis causam attulit, dum eam pretio ac spe pellicere frustra adortus, in servitutem denique suborn- testimonio vindicasset; pater enim virginis cui nomen Virginius, cum alia via hanc Appii libidini non posset eripere, arrepto e proxima lanionis taberna cultro perfodit. Miserabili hac necessitate commotus populus, Decemviros sustulit, iisque pœnas partim morte, partim exilio dederunt. Quæ omnia fuse apud Livium narrantur *lib.* 3. *Decad.* 1.

5. *Forum Appii*] Latii quondam oppidum in clientela gentis Claudiæ, sic dictum quod ibidem Appius forum egisset; sic enim & *Forum intelligitur*, apud Festum, *cum is qui Provinciæ præest, Forum agere dicitur, cum civitates vocat, & de controversiis earum cognoscit.* Et Nonius Marcellus: *Fora loca fuerunt in quibus jus dicebatur.* Iis enim locis sua nomina Magistratus imponebant, vel quod ibi Forum egissent, vel nundinationes instituissent. Hinc *Forum Flaminium, Forum Julium*, &c. in Hetruria & in Provincia.

6. *Claudius Pulcher*] Hoc factum narrat quoque Valerius Maximus *lib.* 1. *c.* 4. & *lib.* 8. *c.* 1. & Polybius *lib.* 1.

7. *Non pascentibus pullis*] Deferebantur in cavea pulli ad auspicia capienda. Hæc dira semper habebantur, si auspicia petenti Imperatori renunciatum a pullario esset, eos non comedere objectam offam: contra vero fausta omnia, si ex comedentium ore aliquid in terram decidisset: quod tripudium solistimum dicebatur (quasi aliter contingere posset, cum pulli gallinacei pultis offam invadunt) Quæ omnia quam vana forent, vel ex hoc uno colligere est, quod observavit ipse Cicero & retulit *lib.* 2. *de Divinatione.* Paulus enim qui ipsis paruerat, non minus cecidit in Cannensi pugna cum exercitu. Cui & illa de contrario addere est, quod Papyrius Samnites funditus deleverit; quamvis falso nuntiatum ei foret tripudium illud solistimum, ut patet ex Livii *lib.* 10. *Decad.* 1.

8. *Dictatorem*] Dictatorem dicere Consulis erat, idque viva voce, nec nisi raro per literas non Senatus nec populi; quamquam hic nominaret aliquando quem dici vellet.

9. *Ilyciam viatorem*] Alii *Hilyciam*, alii *Glanciam* legunt vel *Glyciam*, quod

Digitized by Google

poſtremum tueri quoque potuerit auctoritas Flori in epitome liviana *lib.* 19. ubi factum hoc narrat, & *Glauciam* vel *Glyciam* legunt. Viatores erant miniſtri qui ab initio Senatores ex agris in Urbem accerſerent; quos à lictoribus alios non fuiſſe auctor eſt Gellius *lib.* 12. *c.* 3.

10. *Cum ſacris*] Vaſtante Italiam Annibale, Romani repererant in libris Sybillinis alienigenam hoſtem Italia pelli poſſe, ſi mater Idea Peſſinunte Romam advecta foret. Quapropter miſſis ad Attalum Phrygiæ Regem Legatis, impetrarunt ab eo Romamque deportarunt ſacrum illum lapidem, quem matrem Deûm eſſe credebant; contigitque tunc miraculum illud de quo Suetonius hoc loco; quod tamen mirum eſt à Livio rem ab initio deſcribente *lib.* 9. *Decad.* 3. prætermiſſum. Cybele porro mater Deorum dicitur, Idea mater & Dyndimene a montibus Ida & Dyndimo, ubi colebatur; ut & Peſſinuntica ab urbe Galatiæ Peſſino in Phrygiæ magnæ confinio.

11. *Si ſibi pudicitia conſtaret*] Aliud caſtitatis experimentum huic non abſimile de Tuccia Veſtali ſtupri itidem ſuſpecta, refert Valerius Maximus *lib.* 8. *c.* 1.

12. *Novo more judicium majeſtatis ſubiit*] Valerius Maximus *lib.* 8. *c.* 1. *Adjiciatur his Claudia, quam inſontem crimine quo accuſabatur, votum impium ſubvertit.* Novum igitur fuit, tum quia propter votum duntaxat, tum quia mulier, crimine læſæ Majeſtatis damnata fuerit. De hac & epitome Livii lib. 19. & Gellius lib. 10. c. 6. Crimen Majeſtatis eſt quod adverſus populum aut ſecuritatem ejus committitur.

13. *Natu minori*] De hac adoptione ſupra in Julio *c.* 20. & Cicero in Oratione *ad Pontifices.* Æque contra naturam ac contra leges erat: pro monſtro enim eſt ut major ſit filius quam pater. Hinc Imperator in Inſtitutionibus *de Adoptionibus: Minorem natu majorem non poſſe adoptare placet; adoptio enim naturam imitatur* &c.

14. *Optimates*,] De illis factionibus in Julio *c.* 1. & 15.

15. *Aſſertores*] Anceps vocabulum: tam enim de eo dicitur qui in libertatem, quam qui in ſervitutem vindicat. Poſterius tamen priore minus frequens eſt.

16. *Adeo violentus*] Exempla videſis plura apud Livium *lib.* 2. 5. & 9. *Decad.* 1.

17. *Quiſquam reus*] Livius tamen *lib.* 3. *Decad.* 1. ubi Appium Claudium Decemvirum in vincula propter crimen illud ejus hîc mentio facta eſt, conjectum retulit. Hæc habet de C. Claudio ejus patruo loquens: *Is magno jam natu cum ad periculum ejus deprecandum redisſet, cujus vitia ſegerat, ſordidatus cum gentilibus clientibuſque in Foro prehenſabat ſingulos,* &c. Quod iterum *lib.* 6. refert. Unde adverſari Livio Suetonius videatur, niſi eos tantum vestem non mutaſſe dicas, qui rei erant, ut de altero Claudio narrat idem Livius ſub finem libri 2. *Illum non minæ plebis, non Senatus preces perpellere unquam potuere, non modo ut veſtem mutaret,* &c. quæ hanc Claudiorum contumaciam, de qua hîc agitur, graphice deſcribunt.

18. *Tribunos pulſaverint*] Confirmat idem Livius *lib.* 3. *Decad.* 1. Quod tamen grande piaculum apud Romanos fuit: legibus enim ſuis Tribunos fecerant ſacroſanctos & inviolabiles, ut ejus caput ſacrum foret; qui ex illis unum pulſaſſet, ſacer autem qui ſit, hunc impune licet occidere.

19. *Fratrem*] Valerius Maximus *lib.* 5. *c.* 4. & Cicero in Oratione *pro Cælio* patrem dicunt, ut fateri neceſſe ſit: aut *patrem* legendum, contra codicum fidem, aut alicubi ſubeſſe mendum.

20. *Injuſſu populi*] Triumphum decernere Senatus quidem erat. Sed de illo Decreto ad Populum quoque ferebatur, qui ſi rogationem antiquaret, impediebatur; vel ſi e Tribunis unus pluresve intercederent, rogationemve ad Populum ferre nollent. Magnam porro virginum Veſtalium auctoritatem inde colligas: adeo ſiquidem illas Magiſtratus reveriti ſunt, & ex ſupradictis in Julio *c.* 1. & Auguſto *c.* 44. & infra in Vitellio *c.* 16. & ex Cicerone in Oratione *pro Fonteio: Superbum ſit ejus obſecrationem repudiare, cujus preces ſi Dii aſpernati fuerint, hæc ſalva eſſe non poſſunt.* De Veſtali ſorore Fonteii loquitur: ejus enim in cauſſa fratris interceſſione fuerat uſus.

CAPUT III.

EX hac ſtirpe Tiberius Cæſar genus trahit, & quidem utrumque: paternum à Tiberio Nerone, maternum ab Appio Pulchro: qui ambo Appii Cæci filii fuerunt. Inſertus eſt & Liviorum familiæ, adoptato in eam materno avo. Quæ familia, quamquam plebeia, tamen & A. U. C. 5 ipſa admodum floruit, octo conſulatibus, cenſuris duabus, triumphis DL. tribus: Dictatura etiam ac magiſterio Equitum honorata: clara & inſignibus viris, ac maxime Salinatore, Druſiſque. [1] Salinator univerſas Tribus in Cenſura notavit [2] levitatis nomine, quod cum ſe poſt priorem Conſulatum multa irrogata condemnaſſent, [3] Conſulem iterum DCLXXI. 10 Cenſoremque feciſſent. Druſus hoſtium duce [4] Drauſo cominus trucidato, ſibi poſteriſque ſuis cognomen invenit. Traditur etiam Proprætore ex Provincia Gallia retuliſſe aurum, [5] Senonibus olim in obſidione Capitolii datum: nec, [6] ut fama, extortum a Camillo. [7] Ejus abnepos, ob eximiam adverſus [8] Gracchos operam Patronus Senatus DCLXIII. 15 dictus, filium reliquit, quem in [9] ſimili diſſenſione multa varie molientem, diverſa factio per fraudem interemit.

NOTÆ.

1. *Salinator*] Cognomen hoc ſortitus eſt hic Livius ex Salaria annona, cui vectigal, cum Cenſor eſſet, adinvenit.

2. *Levitatis nomine*] Metia Tribu duntaxat excepta, quæ nec condemnandum judicarat, nec poſtquam condemnatus eſt, eligendum. De quibus plura Titus Livius *lib.* 9. *Decad.* 3. & Valerius Maximus *lib.* 2. *c.* 4. 7.

3. *Conſulem*] Una cum Claudio Nerone cujus præſertim opera afflictus fuerat, ſuas tamen inimicitias Reipublicæ condonarunt. Valerius Maximus lib. 4. c. 1. & 2.

4. *Drauſo*] Germanus aut Gallus hic vulgo creditur: uter fuerit, nemo, quod ſciam, dixit.

5. *Senonibus*] Urbem a Senonibus Gallis captam & ope Camilli receptam, nemo neſcit. Fuſe enim iſta Livius lib. 5.

6. *Fama eſt*] Ereptum ab ipſo Camillo diſertis verbis affirmat Livius lib. 5. *Aurum quod Gallis ereptum erat, quodque ex aliis Templis inter trepidationem, in Jovis ſellam collatum, cum in qua conferri oporteret, confuſa memoria eſſet, ſacrum omne judicatum, & ſub Jovis ſella pons juſſum.* Et Plinius lib. 33. c. 1.

7. *Abnepos*] Quartus eſt in linea inferiore directa gradus conſanguinitatis, cui in ſuperiori reſpondet abavus

8. *Gracchos*] Tiberium & Caium qui legibus agrariis, de quibus in Julio cap. 20. popularem auram aucupantes interfecti ſunt. Horum vitam ſcripſit Plutarchus.

9. *Simili diſſenſione*] Diſſimilis ipſe patri: *Leges novas & mala Gracchana* iterum movit, ut ait Seneca lib. de Brevitate vitæ c. 6. tantiſque largitionibus plebem ſibi conciliare conatus eſt, ut apud Florum lib. 3. c. 17. extet: *Vox ipſius nihil ſe ad largitionem ulli reliquiſſe, niſi ſi quis aut cœnum dividere vellet aut cœlum.* Appianus lib 1. Bellorum Civilium auctor eſt, illum cum domi in obſcura quadam porticu cœtum haberet, ſubito ictu percuſſum concidiſſe, reperiumque in ejus femore cultrum ſutorium: per inguen acceptum vulnus auctor eſt Seneca ibid.

Digitized by Google

CAPUT IV.

PATER vero Tiberii, [1] Quæstor C. Cæsaris, Alexandrino bello, classi præpositus, plurimum ad victoriam contulit. Quare & [2] Pontifex in locum P. Scipionis substitutus, & ad [3] deducendas in Galliam colonias, in queis Narbo & Arelate erant, missus est. Tamen Cæsare occiso, cunctis turbarum metu abolitionem facti decernentibus, etiam de præmiis [4] tyrannicidarum referendum censuit. Prætura deinde functus, cum exitu anni discordia inter [5] Triumviros exorta esset, retentis ultra justum tempus [6] insignibus, L. Antonium Consulem Triumviri fratrem ad [7] Perusiam secutus, deditione a cæteris facta, solus permansit in partibus: ac primo [8] Præneste, inde Neapolim evasit: servisque [9] ad pileum frustra vocatis, in Siciliam profugit. Sed indigne ferens, nec statim se in conspectum [10] Sex. Pompeii admissum, & [11] fascium usu prohibitum, ad M. Antonium trajecit in [12] Achaiam. Cum quo brevi [13] reconciliata inter omnes pace, Romam rediit, uxoremque [14] Liviam Drusillam, & tunc gravidam, & ante jam apud se filium enixam, petenti Augusto concessit. Nec multo post diem obiit, utroque liberorum superstite, Tiberio Drusoque [15] Neronibus.

A. U. C. DCCVII. DCCX. DCCXIII.

NOTÆ.

1. *Quæstor*] De hoc munere in Julio c. 6.

2. *Pontifex*] Plures erant ejusdem collegii Pontifices, inter quos cooptatus est; nec enim de Pontificatu Maximo hic locus intelligendus. Hunc siquidem possidebat Julius ipse. In Julio c. 13.

3. *Deducendas colonias*] Tribus utplurimum viris, id mandabatur, qui inde Triumviri coloniis deducendis, appellati sunt in Julio c. 20. & Augusto c. 4. Vulgatæ editiones legebant *Narbona*, contra MSS. fidem. Has colonias ex decumanis & sextanis militibus conscriptas auctor est Plinius lib. 3. c. 4. cum eas decumanorum & sextanorum colonias appellat.

4. *Tyrannicidarum*] Sic & ipse Cicero Julii Cæsaris interfectores appellabat in Epistolis ad Atticum *Tyrannoctones*.

5. *Triumviros*] Augustum, Antonium & Lepidum. In Augusto c. 12. & 13.

6. *Insignibus*] Prætoriis scilicet ornamentis; prætexta, sella Curulis, præcipue hasta & gladius: hic ad quæstionem, ut supra in Julio c. 6. & 11. Illa ad jurisdictionem, ut in Augusto c. 24. & 26. Ministri præterea Scribæ, accensi Lictores cum fascibus; sed sex tantum, ad differentiam Consulum quibus duodecim erant.

7. *Perusiam*] In Augusto c. 14. de Bello Perusino.

8. *Præneste*] Non longe ab urbe hodie *Palæstrina*.

9. *Ad pileum*] Hoc est ad libertatem, servi quippe libertate donati raso capite pileum sumebant. Plautus in Captivis:

Quod illi faciat Jupiter ut ego hic hodie raso
Capite calvus, pileum accipiam.

Et Juvenal. Sat. 5.

Omnia ferre
Si potes & debes, pulsandum vertice raso
Prabebis quandoque caput, &c.

10. *Sexti Pompeii*] Supra in Augusto c. 16.

11. *Fascium usu*] Inciviliter prorsus egit Sextus Pompeius; Provinciarum quippe Rectores qui famam comitatis aliquam ambiebant, id Senatoribus honoris indulgebant, ut patet ex Cicerone Epistola ad Cornificium 21. lib. 12. *Idque à te peto, quod ipse in Provincia facere sum solitus, ut omnibus Senatoribus Lictores darem, quod idem acceperam à summis viris factitatum.*

12. *Achaiam*] Achaia proprie dicta fuit

in Peloponneſo, qui hodie *Morea*. Ex diviſione Græciæ a Romanis facta, ipſum comprehendebat Peloponneſum, Græciam proprie dictam, & circumjacentes inſulas.

13. *Reconciliata*] De his reconciliationibus ſupra in Auguſto c. 16.

14. *Liviam*] In Auguſto c. 62. 69. 71.

15. *Neronibus*] Idem utrique nomen & Horatius Ode 4. lib. 4.

Auguſti paternus
In pueros animus Nerones.

CAPUT V.

TIBERIUM quidam [1] Fundis natum exiſtimaverunt, ſecuti levem conjecturam, quod materna ejus avia Fundana fuerit, & quod mox ſimulacrum [2] Felicitatis ex Senatuſconſulto publicatum ibi ſit. Sed ut plures, certioreſque tradunt, natus eſt Romæ in [3] Palatio,
A. U. C. DCCXII. XVI. Kal. Decemb. [4] M. Æmilio Lepido iterum, L. Munatio Planco Coss. poſt bellum [5] Philippenſe. Sic enim [6] in faſtos [7] Actaque publica relatum eſt. Nec tamen deſunt qui partim antecedente anno Hirtii ac Panſæ, partim inſequente, Servilii Iſaurici [8] Antoniique Conſulatu, genitum eum ſcribant.

Notæ.

1. *Fundis*] Auſonum in Latio civitas fuit etiam hodie *Fondi*.

2. *Felicitatis*] Adulatorie in Tiberium quaſi Orbis felicitati natum. Torrentius lubens legat *fœcunditatis*, ut in Juliæ, Severi & Fauſtinæ, & M. Aurelii nummis legitur *Fœcunditas Auguſta*.

3. *In Palatio*] Hoc eſt, vel in monte Palatino, vel in Palatina regione Urbis: nec enim tunc e tructa Auguſti domus Palatina, de qua ſupra in Auguſto c. 29. & c. 5. &c.

4. *M. Æmilio Lepido*] Anno ab U. C. 712. ante Chriſtum natum circiter 39.

5. *Bellum Philippenſe*] In Auguſto c. 13. Torrentius legit in tribus libris *per bellum*. &c. Verum quia his Coſſ eſtum eſt, retinetur vulgata lectio, quia ſub anni finem natus eſt.

6. *In faſtos*] De his quid ſint in Julio c. 40. In hos retulere Tiberii nativitatem, ut Auguſto adularentur illius natalitia tanquam dies feſtos celebrantes.

7. *Acta publica*] Jam inde a Servii Tullii temporibus inſtitutum fuerat & obſervatum, ut in cenſu agendo non facultatum modo, ſed & liberorum ſibi natorum nomina & ætatem profiterentur: quod poſt Leges Julias & Papias majore adhuc obſervatum cura veroſimillimum eſt, ut Torrentius annotavit, propter orborum pœnas & patrum commoda. De quibus in Auguſto c. 34. Sed locus hic intelligi quoque videtur poſſe de iis actis quæ Julius in ſingulos dies confici & publicari juſſerat, ut ſupra in Julio c. 20. In acta vero præter cætera, nativitates illuſtres referebantur.

8. *Antoniique*] Antonius ille frater fuit Triumviri. De quo in Auguſto c. 13.

CAPUT VI.

INFANTIAM pueritiamque habuit [1] luxurioſam & exercitatam: comes uſquequaque [2] parentum fugæ: quos quidem apud Neapolim ſub irruptionem hoſtis navigium clam petentes, vagitu ſuo pene bis prodidit: ſemel, cum à nutricis ubere, item cum a ſinu matris raptim auferretur, ab iis qui pro neceſſitate temporis mulierculas levare onere tentabant. Per Siciliam quoque & Achaiam circumductus, ac Lacedæmoniis publice, quod in [3] tutela Claudiorum erant, demandatus, digrediens

Digitized by Google

egrediens inde itinere nocturno, discrimine vitæ adiit: [4] flamma repente e silvis undique exorta, adeoque omnem comitatum circumplexa, ut Liviæ pars vestis & capilli amburerentur. Munera, quibus a Pompeia Sexti Pompeii sorore in Sicilia donatus est, [5] chlamys & [6] fibula item [7] bullæ aureæ, durant, ostenduntur que adhuc Baiis. Post reditum in urbem a [8] M. Gallio Senatore [9] testamento adoptatus, hereditate adita, mox nomine abstinuit: quod Gallius adversarum Augusto partium fuerat. [10] Novem natus annos, defunctum patrem pro Rostris laudavit. Dehinc pubescens, Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est, sinisteriore [11] funali equo, cum [12] Marcellus Octaviæ filius dexteriore veheretur. Præsedit & [13] Actiacis ludis, & [14] Trojanis Circensibus, ductor turmæ puerorum majorum.

NOTÆ.

1. *Luxuriosam*] Sic in veteribus libris Casaubonus, sic & Torrentius legunt. Sensus est juxta Sabellicum, magnis incrementis fuisse præditam Tiberii juventutem. *Luxuria* siquidem ex Nonio c. 4. *intempestiva abundantia* est. Quo sensu Cicero lib. de Oratore c. 81. *latas segetes luxuriosa frumenta* dixit, ut & Virgilius lib. 1. Georgic. v. 191.

Aut si luxuria foliorum exuberat umbra, &c.

Pithœus & Ursinus emendabant *laboriosam*. Torrentius *luctuosam*, inducti, ut videtur, auctoritate Taciti; is enim Annal. 4. in hanc prorsus sententiam de Tiberio loquens: *Casum prima ab infantia ancipites; nam proscriptum patrem exul secutus, ubi domum Augusti privignus intravit, multis annulis conflictatus est.* Notat Casaubonus in Manuscriptis legi *exercitatam*, cum vulgati haberent *exercitam*. Quæ vocabula veteribus Grammaticis distinguebantur, v. g. *exercitus laboribus, exercitatus studiis*, quæ tamen a magnis etiam neglecta promiscue usurpantur.

2. *Parentum fuga*] Supra c. 4.

3. *Tutela*] Hoc est clientela; clientum enim tutores ac defensores Patroni. Vide in Augusto c. 16. Lacedæmon sive Sparta nota quondam Peloponnesi civitas, hodie *Misithra*.

4. *Flamma repente, &c.*] Auctor est Thucydides lib. 2. id in montibus plerumque contingere, collisis invicem ventorum viarboribus: quod eleganter describitur a Lucretio lib. 1.

At sæpe in magnis sic montibus, inquit, ut altis
Arboribus vicina cacumina summa terantur
Inter se, validis facere id cogentibus Austris
Donec fulserunt flammai, flore coorto.

Et Manil. lib. 1. v. 776.

Sunt autem cunctis permissi partibus ignes
Qui gravidas habitant fabricantes fulmina nubes
Et penetrant terras, &c.
Ac silice in dura, viridique in cortice sedem
Inveniunt cum sylva sibi collisa crematur.

Hoc & in faustum flammæ augurium verti potuerit, ut supra in Augusto c. 66. & 94. & infra c. 14. Poëta originem ejusmodi incendiorum, quæ egregie omnino describit 3 Georgicorum v. 303. pastoribus attribuit.

5. *Chlamys*] Vestis erat militaris una & puerilis, ut testatur Virgilius de Andromache chlamydem Ascanio donante lib. 3. Æneid.

6. *Fibula*] Cinguli ornamentum ad vestem subligandam. Virgilius:

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Comœdorum & Tragœdorum fibulæ aliud quid erant, de quibus videsis Juvenalem Sat. 6 Martialem Epig 81 lib. 7 & passim.

7. *Bulla*] De his in Julio c. 84. Cum autem in plurali numero dixerit *bullæ*, ideo

Digitized by Google

non pueriles tantum illas intelligit, ſed & eas quibus quaſi clavorum quorumdam aureorum capitibus ornabantur, etiam virorum cingula & baltei. Quo ſenſu Virgilius Æneid. 9. dixit:

Phaleras Rhamnetis & aurea bullis
Cingula.

Et lib. 12. in fine:

Notis fulſerunt cingula bullis.

Sic etiam Cicero in Verrinis appellat capita quædam clavorum eminentiora, quibus fores adornantur; Verrem enim accuſat qui tales ex valvis templi magnificentiſſimi detractas abſtulerit. Ita & Plautus in Aſinaria Act. 2. Scen. 4. v. 20.

Juſſiſti in ſplendorem dari bullas has foribus noſtris.

8. *Gallio*] Supra in Auguſto cap. 27. Mentio fit cujuſdam Gallii, quem Auguſtus occidi juſſit; unde non mirum hujus fratrem vel gentilem aliquem Auguſto adverſatum, nec ejus nomen à Tiberio acceptum, quamvis jubente Teſtamenti lege.

9. *Teſtamento adoptatus*] De his adoptionibus jam ſupra in Julio c. 8. & Auguſto c. ultimo.

10. *Novem annos natus*] Idem officii Juliæ aviæ ſuæ reddidit Auguſtus duodecim natus annos; idem & de prætextatis quibuſdam fertur, ſed orationibus quas aliena induſtria compoſitas fuiſſe vel ex hoc uno ſuſpiceris quod, Nero quanquam ſeptimum & decimum ætatis annum attigiſſet, ut infra in ejus vita c. 8; oratione tamen a Seneca compoſita, laudationem Claudii pronuntiavit, ut patet ex Tacito initio lib. 13. Annalium.

11. *Funali equo*] Turnebo lib. 14. Adverſariorum c. 17. funalis equus dicitur qui extra jugum eſt & jugali opponitur. Torrentio quivis equus extra jugum poſitus funalis eſt, ſive a latere ſive a fronte, & intelligit hunc a latere jugalis collocatum, quia alter erat ad ſiniſtram, alter ad dextram. Verum ſi eo modo juncti fingantur, quo quatuor equos rhedis noſtratium jungi videmus, & funales duo fuerint, & ſiniſterior alter, alter vero dexterior. Rem definiunt antiqua numiſmata in quibus videntur quatuor equi triumphalium currum a latere invicem diſpoſiti, nullo præcedente, & in illis ſedere ſolitos triumphantium filios etiam prætextatos. Auctor eſt Cicero in Oratione pro Murena: & Torrentius profert aurea quædam Auguſti numiſmata, in quibus quatuor junctis ad currum elephantis quomodo dictum eſt, totidem pueri inſident.

12. *Marcellus*] In Auguſto cap. 63. & 66.

13. *Actiacis*] Quos Auguſtus in memoriam Actiacæ victoriæ quinto quoque anno celebrandos inſtituit. De qua in Auguſto cap. 26. His Tiberius præfuit & cucurrit, quod & alias factum ex Plutarcho in Antonio, & infra in Caligula cap. 2. conſtat.

14. *Trojanis Circenſibus*] Vide in Julio c. 39. & Auguſto c. 43.

CAPUT VII.

1 VIRILI toga ſumpta, adoleſcentiam omnem, ſpatiumque inſequentis ætatis uſque ad principatus initia, per hæc fere tranſegit. Munus gladiatorium in 2 memoriam patris, & alterum in avi Druſi dedit, diverſis temporibus, ac locis: primum in foro, ſecundum in 3 Amphitheatro: 3 rudiariis quoque quibuſdam revocatis, 4 auctoramento centenûm millium. Dedit & ludos, ſed abſens: cuncta magnifice, impenſa matris ac 5 vitrici. 6 Agrippinam M. Agrippa genitam, neptem 7 Cæcilii Attici Equitis Romani, ad quem ſunt 8 Ciceronis epiſtolæ, duxit uxorem: ſublatoque ex ea filio Druſo, quanquam bene
A. U. C. DCCXLIV. convenientem, rurſumque gravidam, dimittere, ac Juliam Auguſti filiam 9 confeſtim coactus eſt ducere: non ſine magno angore animi, cum & Agrippinæ conſuetudine teneretur, & Juliæ mores improbaret: ut quam ſenſiſſet ſui quoque ſub priore marito appetentem, quod ſane vulgo etiam exiſtimabatur. Sed Agrippinam & abegiſſe poſt divortium

Digitized by Google

doluit: & semel omnino ex occursu visam, adeo contentis & [10] tumentibus oculis prosecutus est, ut custoditum sit, ne unquam in conspectum ejus posthac veniret. Cum Julia primo concorditer, & amore mutuo vixit: mox dissedit, & aliquanto gravius, ut etiam perpetuo secubaret, A.U.C. DCCXXXV.
5 intercepto communis filii pignore, qui [11] Aquileiæ natus infans exstinctus est. [12] Drusum fratrem in Germania amisit, cujus corpus pedibus toto itinere prægrediens, Romam usque pervexit.

NOTÆ.

1. *Virili toga*] In Julio cap. 8.

2. *In memoriam patris*] Sic & Cæsar supra in Julio c. 10. & alii.

3. *Rudiariis*] Rude donatis, de quibus in Augusto cap. 45. & Claudio cap. 21. Quo tempore cœperint amphitheatra, quidve a theatris differant, supra in Augusto cap. 29. 31. 43.

4. *Auctoramento*] Auctorare est, mercedem præmiumque pro opera pacisci; & auctorati ludo, dicuntur obligati & astricti, qui suam in ludos operam elocabant; & auctoramentum merces est, seu potius obligatio alicujus rei faciendæ sub conditione certæ mercedis. Rudiarii igitur illi gladiatores revocati sunt à Tiberio, promissis centum millibus sestertiorum, hoc est 4375 lib. quia peritiores erant, & hac parte celebriores ludos effecturi, ut & de Cæsare supra in Julio c. 26.

5. *Vitrici*] Augusti scilicet, qui Liviam ejus matrem conjugem habebat. In Augusto c. 8.

6 *Agrippinam M. Agrippæ genitam*] Vipsaniam illam appellat Tacitus 1. Annal. Hic tres uxores habuerat, neptem illam Attici conciliante Antonio Triumviro, Marcellam, & Juliam, de quibus in Augusto c. 63.

7. *Cæcilii Attici*] Hic est ille Pomponius Atticus, qui Cæcilii nomen ab avunculo adoptatus accepit, quamvis priore notior fuerit. Doctissimus una & politissimus ille Pomponius, cujus vitam scripsit Cornelius Nepos.

8. *Ciceronis Epistola*] De quibus Seneca Epistola 21. *Nomen Attici perire Ciceronis Epistola non sinunt. Nihil illi profuisset gener Agrippa, Tiberius progener, & Drusus Cæsar nepos* (Tiberii nempe filius, de quo hoc capite) *inter tam magna nomina taceretur, nisi Cicero illum applicuisset.*

9. *Coactus est ducere*] Vide causas in Augusto c. 63. Dimissa a Tiberio Vipsania Agrippina nupsit Asinio Gallo Pollionis filio, Virgilii quoque operibus claro, ut supra notatum est in Julio.

10. *Tumentibus*] Hoc est prominentibus, quales dolentum esse solent. Quidam legunt *connventibus*, quo longe diversus fieret sensus. Contentis autem dixit pro defixis obtutu quodam firmo. Quo sensu Virgilius lib. 12. Æneid. v. 74.

Illum turbat amor, figitque in virgine vultus.

11. *Aquileiæ*] Hodie *Aquilegiæ* Venetæ ditionis.

12. *Drusum fratrem*] Consulem anno U. C. 745. de quo adhuc infra Claud. c. 1.

CAPUT VIII.

1 CIVILIUM officiorum rudimentis Regem [2] Archelaum, [3] Tralianos, & Thessalos, varia quosque de caussa Augusto cognoscente defendit. Pro Laodicenis, Thyatirenis, Chiis terræ motu afflictis, opemque implorantibus, Senatum deprecatus est. [4] Fannium Cæpionem, qui cum Varrone Muræna in Augustum conspiraverat, [5] reum majestatis apud judices fecit, & [6] condemnavit. Interque hæc duplicem curam administravit, annonæ, quæ arctior inciderat: & repurgandorum tota Italia [7] ergastulorum, quorum domini in invidiam vene-

Digitized by Google

rant: quasi exceptos supprimerent, non solum viatores, sed & quos [8] sacramenti metus ad hujusmodi latebras compulisset.

Notæ.

1. *Civilium officiorum*] Rudimenta hæc fuerunt caussarum agendarum tyrocinium, quod vulgo auspicabantur vel defensione, ut hîc; vel accusatione quadam, ut de Cæsare supra in ejus vita c. 4. Vide & August. c. 26.

2. *Archelaum*] Fuit quidam ejus nominis Rex Cappadociæ, qui Actiaci belli temporibus Augusti contra Antonium partes amplexus est. Huic quid rei fuerit, haud reperio. Fuit & alter Herodis in Judæa successor, accusatus quidem ante Augustum, sed præsidente Caio nepote, Nicolao autem, non Tiberio, defendente. Auctore Josepho lib. 17. Antiquit. Jud. c. 11.

3. *Trallianos* } Tralles sive Trallis, urbs Lydiæ, hodie *Chora*.
Thessalos } Thessalia Macedoniæ pars, hodie *Lamina*, aliis *Thumenestria*, & *Comenolitari* aliis.
Laodicenis } Laodiceæ plures: alia in Cœlesyria ad montem Libanum, hodie *Lizza*, & *Liche*. Alia quæ in Syria littorali. Tertia in Lydia, hodie *Laudschia*.
Thyatirenis } Thyatira hodie *Tire*, in Lydia quoque
Chiis } Chios hodie *Scio*, insula maris Icarii.

4. *Capionem*] August. c. 29.

5. *Reum fecit apud Judices*] De illis intellige qui quæstiones exercebant, de quibus in Julio cap. 12. Reum faciebant accusando, his verbis, *Aio tale crimen admissum a te.* v. g. Ciceronis apud Prætorem, cum Verrem accusaret; *Aio spoliatos a te Siculos.* Quod si negarent, tunc tempus ad inquirenda crimina petebatur.

6. *Condemnavit*] Hoc est, reum peregit, seu esse probavit.

7. *Ergastulorum*] De his in Augusto cap. 32.

8. *Sacramenti*] Vide coërcitionis modum quo Augustus militare sacramentum detrectantes plectebat. In Augusto c. 24.

CAPUT IX.

A. U. C. DCCXXVIII. DCCXXXIV.

[1] STIPENDIA prima expeditione [2] Cantabrica [3] Tribunus militum fecit: deinde ducto ad Orientem exercitu, regnum [4] Armeniæ Tigrani restituit, ac pro tribunali diadema imposuit. Recepit & signa quæ M. Crasso ademerant [5] Parthi. Post hæc [6] comatam Galliam anno fere rexit, & barbarorum incursionibus, & Principum discordia inquietam. Exhinc [7] Rhæticum Vindelicumque bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum gessit. Rhætico atque Vindelico, gentes Alpinas: Pannonico, [8] Breucos & Dalmatas subegit. Germanico, [9] quadraginta millia deditiorum trajecit in Galliam, juxtaque ripam Rheni sedibus assignatis collocavit. quas ob res, & [10] ovans, & curru urbem ingressus est, [11] primus, ut quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, novo nec antea cuiquam tributo genere honoris Magistratus & maturius inchoavit, & pene junctim percurrit, [12] Quæsturam, Prætu-ram, Consulatum: interpositoque tempore, Cos. iterum, etiam [13] Tribunitiam potestatem in quinquennium accepit.

DCCXXXI. DCCXXXVII. DCCXII. & DCCXLVII.

Digitized by Google

Notæ.

1. *Stipendia prima*] Militiæ tyrocinium. De ſtipendiis in Julio c. 26.

2. *Cantabrica*] In Hiſpania, c. 20. & 21.

3. *Tribunus militum*] De hoc munere in Julio c. 5.

4. *Armenia*] Memorat hoc & Horatius Epiſtola ad Iccium lib. 1.

Cantaber Agrippa, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit.

Agrippa recrudeſcentibus novis ſemper Cantabrorum defectionibus denique finem impoſuit. Infra c. 41.

5. *Parthi*] In Auguſto cap. 21. Addit Horatius loco modo citato,

jus imperiumque Phraates
Cæſaris accepit genibus minor.

6. *Comatam*] Excepta Narbonenſi Gallia reliquam continet. De hujus diviſione ſupra in Julio c. 25.

7. *Rhæticum Vindelicumque*] Auguſti auſpiciis geſtum eſt, ut ſupra in Auguſto c. 21.

8. *Breucos*] Torrentius & Caſaubonus in omnibus ſuis MSS. varie legebant *Brennes, Breunos, Brencos.* Brennorum meminit Horatius Ode 14. lib. 14. ſed de gentibus Alpinis loquitur & de Vindelico bello. Breucorum meminere Ptolemæus & Plinius lib. 3. cap. 25. & Pannonicis annumerant; unde retenta eſt vulgatior lectio. Carniolam aut regiones finitimas habitabant; eos enim circa Saum fluvium Plinius collocat.

9. *Quadraginta millia*] Ii eſſe videntur dedititii, de quibus in Auguſto c. 21.

10. *Ovans & curru*] De ovatione ſupra c. 1. De triumphis Auguſti & ejus orationibus, in Auguſto c. 22. Quod autem hic addit *& curru*, videtur de tertio quodam triumphandi genere intelligendum ab oratione & triumpho majore diverſum: Velleius enim lib. 2. cap. 121. de Pannoniis Dalmaticiſq; juſtum triumphum egiſſe dicit; tum capite 122. *Quis enim dubitare poteſt, quin ex Armenia recepta & ex Rege ei prapoſito, &c. ovans triumphare debuerit? & Vindelicorum Rhætorumque victor curru Urbem ingredi?* Quæ tria narrare videtur ut diverſa.

11. *Primus, ut quidam putant*] Torrentius in veteri codice legit *prius*. & retinendum cenſet, ut ſit ſenſus; Conceſſa jam Tiberio hæc ornamenta, antequam ovaſſet aut triumphaſſet, non autem illi omnium primo. Certe ſupra in Auguſto c. 38. triginta ducibus ea Auguſtum indulſiſſe retulit; unde parum veroſimile eſt, adoleſcente tunc temporis Tiberio, priorem nullum extitiſſe, eoque magis quod Dio auctor ſit, ea non illi, ſed Agrippæ primo conceſſa fuiſſe. Quia tamen Suetonius dubitanter id refert, vulgata lectio retinenda videtur.

12. *Quæſturam*] De his Magiſtratibus ſupra in Julio c. 6. & 14. Hîc Ædilitatis nulla mentio; quæ tamen, ſtante Republica, gradus ad Præturam fuit. Sed hæ leges jam evaneſcebant, junctim ſiquidem eos Magiſtratus geſſit, quæ non niſi interpoſito aliquo tempore, ſinguli poterant obtineri.

13. *Tribunitiam poteſtatem*] De hac in Auguſto c. 27.

CAPUT X.

TOT proſperis confluentibus, integra ætate ac valetudine ſtatuit repente ſecedere, ſeque e medio quam longiſſime amovere. Dubium, uxoris ne tædio, quam neque criminari aut dimittere auderet, neque ultra perferre poſſet, an ut vitato [1] aſſiduitatis faſtidio, auctoritatem abſentia tueretur, atque etiam augeret, ſi quando indiguiſſet ſui Reſpublica. Quidam exiſtimant, adultis jam [3] Auguſti liberis, loco & quaſi poſſeſſione, uſurpati a ſe diu ſecundi gradus, ſponte ceſſiſſe: exemplo M. [4] Agrippæ, qui M. Marcello ad munera publica admoto, Mitylenas abierit: ne aut obſtare, aut obtrectare præſens videretur. Quam cauſſam & ipſe, ſed [5] poſtea, reddidit. Tunc autem honorum ſatietatem, ac requiem laborum prætendens, [6] commeatum petiit. Neque aut matri ſuppliciter precanti, aut vitrico, deſeri ſe etiam in Se- A U. C. DCCXLVIII

Digitized by Google

natu conquerenti, veniam dedit. Quin & pertinacius retinentibus, cibo per quatriduum abstinuit. Facta tandem abeundi potestate, relictis Romæ uxore & filio, confestim [8] Ostiam descendit: ne verbo quidem cuiquam [9] prosequentium reddito, paucosque admodum in digressu [10] osculatus.

NOTÆ.

1. *Assiduitatis fastidio*] Vel quo ipse tenebatur propter officia Augusto exhibenda, vel in quod ipse poterat incidere, assiduitate satietatem pariente. Quo sensu Livius de Scipione dixit: *Decimum jam annum assiduus in oculis hominum fuerat. Qua res minus virendos magnos homines ipsa satietate facit.* Quo & consilio Augustum in Gallias abiisse, Dio notat in Actis anni 718. Quibus accedit quod assidua illa præsentia magis aperiantur cuiusque vitia.

2. *Adgeret*] Qui enim e longinquo ad opem ferendam evocatur, longe majus beneficium conferre videtur, quam qui singulis diebus copiam sui faciat.

3. *Augusti liberis*] Gaio & Lucio, de quibus supra in Augusto, adoptione quidem liberis, natura vero nepotibus. Idem & Velleius & Tacitus Annal. 1.

4. *Agrippæ*] In Augusto c. 66.

5. *Postea*] Refertur ad expletum potestatis tribunitiæ tempus.

6. *Commeatum petiit*] Hoc est temporariam secedendi veniam; quemadmodum enim milites a castris sine permissu abesse non poterant, ut infra c. 12; ita nec Magistratus ab Urbe, ut ex hoc loco & infra Calig. c. 29. colligitur.

7. *Vitrico*] Augusto, ut supra c. 7.

8. *Ostiam descendit*] Urbs est ejusdem etiamnum hodie nominis, ad ostia Tiberina.

9. *Prosequentium*] De hoc prosequendi Magistratus abeuntes officio, supra in Julio c. 71. & alibi.

10. *Osculatus*] Tam frequentia erant apud Romanos oscula, ut obvios modo levi familiaritate junctos oscularentur, ac potissimum peregre proficiscentes, ut etiam lege peculiari Tiberius modum ipsis posuerit, ut infra cap. 34. De jure osculorum, Claud. c. 26.

CAPUT XI.

AB Ostia oram Campaniæ [1] legens, imbecillitate Augusti nuncia-ta, paullum substitit. Sed [2] increbrescente rumore, quasi ad occasionem majoris spei commoraretur, tantum non adversis tempestatibus Rhodum enavigavit, [2] amœnitate & salubritate insulæ jam inde captus, cum ad eam ab Armenia rediens appulisset. Heic modicis contentus ædibus, nec multo laxiore [3] suburbano, [4] genus vitæ civile admodum instituit: sine lictore aut viatore gymnasia interdum obambulans: mutuaque cum Græculis officia usurpans, prope ex æquo. Forte quodam in [5] disponendo die, mane prædixerat, quidquid ægrorum in civitate esset, visitare se velle: id a proximis [6] aliter exceptum est: jussique sunt omnes ægri in publicam porticum deferri, ac per [7] valitudinum genera disponi. Perculsus igitur inopinata re, diu quid ageret incertus, tandem singulos circuit: excusans factum etiam tenuissimo cuique & ignoto. Unum hoc tantummodo, neque præterea quidquam notatum est, in quo exercuisse jus Tribunitiæ potestatis visus sit: Cum circa scholas & auditoria professorum assiduus esset, moto inter [8] antisophistas graviore jurgio, non defuit qui eum intervenientem & quasi studiosiorem partis alterius convitio incesseret. Sensim itaque regressus

Digitized by Google

domum, repente cum [9] apparitoribus prodiit: citatumque pro tribunali voce præconis convitiatorem rapi jussit in carcerem. Comperit deinde Juliam uxorem ob libidines atque adulteria damnatam, [10] repudiumque ei suo nomine, ex auctoritate Augusti, remissum: [b] & quanquam lætus animo, tamen officii duxit, quantum in se esset, exorare filiæ patrem frequentibus literis, & vel utcumque meritæ, quidquid umquam [11] dono dedisset, concedere. Transacto autem [12] Tribunitiæ potestatis tempore, confessus tandem nihil aliud secessu devitasse se, quam æmulationis cum Caïo Lucioque suspicionem, petiit ut sibi securo jam ab hac parte, corroboratis his, & secundum locum facile [13] curantibus, permitteretur revisere necessitudines, quarum desiderio teneretur. Sed neque impetravit: ultroque etiam admonitus est, dimitteret omnem curam suorum, quos tam cupide reliquisset. A. U. C. DCCLII.

Interpretatio.

a *Verum cum fama invalesceret, eum consistere velut ad* captandam *occasionem majoris expectationis Rhodum evasit ferme invitis tempestatibus.*

b *Et quamvis gauderet* tali nuntio, *tamen existimavit esse officium* civilis animi *flectere Augustum in gratiam filiæ per crebras epistolas, & huic relinquere quacunque dona a se unquam accepisset, quasi quodammodo iis etiam digna fuisset.*

Notæ.

1. *Legens*] De hoc verbo supra in Augusto c. 16.

2. *Amœnitate insulæ*] Quæ ab aliis quoque antiquis multum commendata est: ideo Soli sacratam illam dicebant, & in ea auro pluisse canit Pindarus, de qua & Horatius Ode 7 lib. 1. Strabo lib. 14. Rhodiorum urbem omnibus aliis anteponit, & secessui aptissimam antea Censuerunt & alii, ut docent Bruti & Matii ad Ciceronem Epistolæ, quorum postremus, *Mihi quidem*, ait, *si optata contingant quod reliquum est vitæ, in otio Rhodi degam.* Lib. 11 Epist. 28. in fine.

3. *Suburbano*] Hoc est villa quam prope civitatem emerat. Vide in Augusto cap. 6.

4. *Civile genus*] Privati & civis instar, utpote qui Tribunitia potestate licet exornatus, lictores tamen, & alia Romani Magistratus insignia non haberet. De civilitate in Augusto c. 51. & infra non semel, & in Julio c. 65.

5. *Disponendo die*] Hoc est, dividendis diei cujusdam occupationibus & curis, quod diligentissimis quoque factitatum est, ut sui sibi temporis ratio constaret.

6. *Aliter acceptum*] Aliter nempe ac ipse Tiberius sentiebat; circumstantes enim existimavere id eo consilio dici, ut id quod factum est aut tale quid faciendum innueret, ut commodo suo magis consuleretur; quæ tamen ejus mens non erat, sed contra singulos domi invisere. Explicationem hanc probabiliorem facit Velleii auctoritas; hic enim lib. 2. c. 114. hanc ipsam Tiberii in ægrotos alios humanitatem laudat Quod si verba, non sensum aliter acceptum velis, probabilior videtur Salmasiani codicis lectio, *vitare* quam Torrentiani, *agrorum*; quamvis enim latine diceretur, *visitare agros*: quod paulo videtur infrequentius; vero tamen simile non sit, in Urbe frequentissima agrorum tantum fuisse: cui accedit quod & aliorum Principum laudata reperiatur eadem in ægros comitas, ut de Hadriano Spartianus, de Trajano & Gratiano Ausonius in Panegyrico, & de ipso Tiberio Dio lib. 57. Quod notavit Torrentius, quanquam *agrorum* legere malit.

7. *Valitudinum genera*] Secundum varias morborum differentias: ut uno v. g. loco podagri simul omnes, alio febricitantes, &c.

8. *Antisophistæ*] Eo vulgo Sophistæ differunt a Philosophis, quo adulterinum a sincero. Hîc Antisophistæ sumpti videntur

simpliciter pro Philosophis illis Rhodiis oppositis docentibus; q od enim Tiberio ab altera parte stanti convitiatus ille fuerit, certe innuit e iusdem generis, sed diversæ sententiæ fuisse disputantes, potius quam Philosophos veros contra fallaces.

9. *Apparitoribus*] Ministri sunt quibus accusati evocabantur ad respondendum; quod *citare* etiam dictum est De his supra in Augusto cap. 14. Unde rei *comparere* dicuntur.

10. *Repudium*] Fiebat enim inter absentes misso libello, quem ideo libellum repudii dicebant.

11. *Dono*] De iis intelligit quæ Tiberius aliquando Juliæ dederat, quia delicatum omnem cultum huic ademptum dixit supra in Augusto cap. 65. Aut etiam de iis quæ repudiata propter adulterium uxor invito marito servare non poterat: quod à Tiberio lubenter factum videtur in memoriam prioris illius concordiæ de qua supra c. 7. locutus est: nec referendum ullatenus videtur ad donationes inter virum & uxorem.

12. *Tribunitia potestatis tempore*] Quinquennio scilicet, ut in fine præcedentis. Hinc patet, Tribunitiam illam potestatem eam non fuisse, qua Tribuni plebis, stante Republica, fruebantur: hi siquidem, ut constat ex Dionysio Halicarnasseo & Livio, suam potestatem extra Urbem non exercebant.

13. *Curantibus*] Beroaldus ac nonnulli codices, quos inter Memmianus, legunt *turantibus*, alii *curantibus*. Hoc servavit Casaubonus, quod vox ea Sallustio & Tacito familiaris est, quanquam certe *turantibus* tueatur Terentii & Ciceronis auctoritas non uno in loco.

CAPUT XII.

REMANSIT ergo Rhodi contra voluntatem: vix per matrem concessum ut ad velandam ignominiam, quasi legatus ab Augusto abesset. Enimvero tunc non privatum modo, sed etiam [1] obnoxium, & trepidum egit, mediterraneis agris abditus, vitansque prætervectantium officia, quibus frequentabatur assidue: nemine cum imperio, aut magistratu tendente [2] quoquam, quin diverteret Rhodum. Et accesserunt majoris solicitudinis caussæ. Namque [3] privignum Caïum, Orienti præpositum, cum visendi gratia trajecisset [4] Samum, alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollii comitis & rectoris ejus. Venit etiam in suspicionem per quosdam [5] beneficii sui centuriones, a [6] commeatu castra repetentes, mandata ad complures dedisse ambigua, & quæ tentare singulorum animos ad novas res viderentur. De qua suspicione certior ab Augusto factus, non cessavit effligitare aliquem, [7] cujuslibet ordinis, custodem factis atque dictis suis.

NOTÆ.

1. *Obnoxium*] Hoc est, alicujus culpæ vel suspicionis caussa invisum aut minus gratum: quo sensu dictum est supra in Julio c. 14. caviisse Senatores ne homini obnoxio assiderent. Varios hujus vocabuli significatus fuse prosecutus est Gellius c. 17. lib. 7.

2. *Quoquam*] In transmarinas regiones, Asiam v. g. vel Africam, &c.

3. *Privignum Caium*] Ideo Tiberii privignus dicitur, quia Juliæ uxoris Tiberii filius erat ex Agrippa priore marito, ut supra in Augusto c. 66. & alibi.

4. *Samum*] Insula est maris Icarii, etiam hodie *Samo*. Contra omnino Velleius lib. 2. c. 10. refert Caium venisse ad Tiberium. Suetonio adstipulatur Dio; sed in Chium insulam, non Samum, obviam iisse dicit.

5. *Beneficii sui*] Beneficiarios indicat; sic enim ii dicti sunt, quos Imperatores vel Provinciarum Rectores, aut etiam Tribuni militum

militum promovebant ad altiores militiæ gradus, ſed ea ſemper conditione, ut ea ſucceſſoribus rata non eſſent niſi triginta diebus poſt redditas rationes; quin & eorum nomina in ærarium referebantur, unde *referre in beneficiis ad ærarium*. De militibus ejuſmodi Vegetius lib. 1. c. 7.

6 *A commeatu*] Præpoſitio *a* ſumitur hîc pro præpoſiti ne *poſt*, ut ſit ſenſus; Centuriones illos in caſtra revertentes expleviſſe commeatus conceſſi tempus: commeatus enim ſignificat tempus illud quod Imperator indulget militi vel centurioni, ut ſine culpa a caſtris abeſſe liceat; hoc autem elapſo, ſi reverſi non eſſent, deſertorum aut emanſorum (de quibus in Julio c. 67.) loco habebantur. Hinc Suetonium Torrentius accuſat, quaſi minus proprie locutum cum dixit *a commeatu*, pro *ad diem commeatus*, ut Jureconſulti ad Leges 12. 14. *ff. de re militari*: aut ſine præpoſitione, ut infra c. 72.

7. *Cujuſlibet ordinis*] Senatorii, Equeſtris vel Plebeii: quaſi dicat, ſe ab infimo quoque obſervari æquo laturum animo.

CAPUT XIII.

EQUI quoque, & armorum ſolitas exercitationes omiſit: redegitque ſe, depoſito patrio habitu, [1] ad pallium, & crepidas: atque in tali ſtatu biennio fere permanſit, contemptior in dies, & inviſior: adeo ut imagines ejus & ſtatuas [2] Nemauſenſes ſubverterint; ac familiari quodam convivio, mentione ejus orta, exſtiterit qui Caïo polliceretur, *Confeſtim ſe, ſi juberet, Rhodum navigaturum, caputque exſulis* (ſic enim appellabatur) *relaturum*. Quo præcipue, non jam metu, ſed diſcrimine, coactus eſt tam ſuis quam matris impenſiſſimis precibus reditum expoſtulare: impetravitque, adjutus aliquantum etiam caſu. Deſtinatum Auguſto erat, nihil ſuper ea re, niſi ex voluntate [3] majoris filii, ſtatuere. Is forte tunc [4] M. Lollio offenſior, facilis exorabiliſque in [5] vitricum fuit. Permittente ergo Caïo, revocatus eſt: verum ſub conditione, ne quam partem curamve Reipublicæ attingeret.

NOTÆ.

1. *Pallium & crepidas*] Loco togæ & calceorum: hic Græcus eſt habitus, ut ſupra in Julio c. 48. notatum eſt; quemadmodum enim togati, hoc eſt Romani, calceis utebantur; ita & palliati, hoc eſt Græci, crepidis. Pedum tegumentum ambobus duplex, Romanis calcei & ſoleæ, Græcis ἐμβάδια & σανδάλια, hæc ſoleis, illa veſtimillima calceis. Horum varia fuit forma, ſed totum pedem omnes tegebant, ſoleæ non niſi plantarum calces infimas, cætera prope nuda teretibuſque habenis ad pedem religata. Soleas voce ipſa Græca dixerunt quoque *crepidulas*, atque etiam *Gallicas*, auctore Gellio lib. 13. c. 20. qui ante Ciceronis tempora hac voce neminem uſum exiſtimat.

2. *Nemauſenſes*] Nemauſus, *Niſmes*, in Gallia Narbonenſi. His inviſum ſe veroſimiliter præbuerat, cum Gallias regeret. In MSS. omnibus exemplaribus Torrentius legit *Remanſenſes* aut *Reimanſenſes*.

3. *Majoris filii*] Adoptivi, ſcilicet Caii, qui Lucio major erat.

4. *M. Lollio offenſior*] Is propter ſpoliatas Provincias amicitia Caii interdictus, veneno ſibi necem conſcivit. Meminit & Plinius lib. 9. c. 35. & c. præcedenti.

5. *Vitricum*] Matris ſuæ maritum, ſupra c. 7. & in Auguſto c. 64.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

A. U. C. DCCLV.

REDIIT octavo post secessum anno, magna, nec incerta spe futurorum, quam & ostentis, & prædictionibus ab initio ætatis conceperat. Prægnans enim Livia, cum an marem editura esset, [1] variis captaret ominibus, ovum incubanti gallinæ subductum, nunc sua nunc ministrarum manu per vices usque eo fovit quoad pullus insigniter cristatus exclusus est. Ac de infante [2] Scribonius Mathematicus præclara spopondit: *etiam regnaturum quandoque, sed sine* [3] *regio insigni*: ignota scilicet tunc adhuc Cæsarum [4] potestate. Et ingresso primam expeditionem, ac per Macedoniam ducente exercitum in Syriam, accidit, ut apud Philippos sacratæ olim [5] victricium legionum aræ, [6] sponte subitis collucerent ignibus, & mox cum Illyricum petens, juxta Patavium adisset [7] Geryonis oraculum [8] sorte tracta, qua monebatur ut de consultationibus in [9] Aponi fontem [10] talos aureos jaceret: evenit ut summum numerum jacti ab eo ostenderent: hodieque sub aqua visuntur ii tali. Ante paucos vero quam revocaretur dies, aquila, nunquam antea Rhodi conspecta, in culmine domus ejus assedit: & pridie quam de reditu certior fieret, vestimenta mutanti, tunica ardere visa est. [11] Thrasyllum quoque Mathematicum, quem ut sapientiæ professorem contubernio admoverat, tunc maxime expertus est, affirmantem nave prævisa gaudium afferri, cum quidem illum durius, & contra prædicta cadentibus rebus, ut falsum & secretorum temere conscium, eo ipso momento dum spatiatur una, præcipitare in mare destinasset.

NOTÆ.

1. *Variis captaret ominibus*] Intelligit, ut patet de variis illis modis quibus futurorum cognitionem Antiqui requirebant, vel a conjectoribus, ut in Julio c. 7. vel in Templis cubando, ut in Augusto c. 94. & similibus, quamquam Casaubonus ἐμπαιγνιώτερον dictum existimet, velitque *omen captare* de aliis non dici quam de iis qui ex vocibus casu auditis divinationem quærebant, qui nempe cum ad consulendum venirent, Deo ad aurem, ut visum erat, interrogato, postquam auribus obturatis exiverant, & in foro protinus ab iis manus amovebant, ac quæ prima vox audiebatur, hæc erat instar oraculi, ut narrat Pausanias in Achaïcis, & innuit Apuleius diserte libello *de Deo Socratis*.

2. *Scribonius*] Hunc Nigidio Figulo de quo in Augusto c 94. Torrentius æquiparat; illas enim disciplinas ferme nonnisi Græci tunc temporis excolebant.

3. *Regio insigni*] Hoc erat diadema quod Romani Imperatores ante Aurelianum non sumpsere. Tacitus lib. 1. Annal. *Non regno neque dictatura, sed Principis nomine constitutam Rempublicam.*

4. *Potestate*] Qualis ea fuit postmodum Respublica, tunc flagrabat civilibus discordiis, ut patet ex cap. 5. supra, ubi natum Philippensis belli tempore Tiberium, retulit, biennio duntaxat a morte Julii: tunc autem Cæsarum dominationem, ejusve principatus, de quo Calig. cap. 22. institutionem nedum animo prævidebant, quin e contra erectis, ut supra dictum est August. c. 12. Pompeianorum animis post cladem Mutinensem, asserendam omnes libertatem sperabant.

5. *Victricium legionum ara*] Ibi Brutus & Cassius ab Augusto & Antonio victi. In Augusto c. 13. Dio in Actis anni 724. ab U. C. Has aras dicit ab Antonio constitutas super tumulum.

6. *Sponte subitis collucerent ignibus*] Ignis

Digitized by Google

quoque futuram Augusto magnitudinem portendit, supra in Augusto cap. 94. Idem Servio Tullio Regi Romano, Titus Livius lib. 1. & Dionysius Halicarnasseus lib. 4. initio. Et de L. Martio concionante simile quid narrat idem Titus Livius lib. 5 Decad. 3. non procul a fine. Idem Salvidieno gregem pascenti, Dio lib. 48. ut supra in Augusto c. 66. notatum. Quæ omnia confirmat Virgilius his Eclogæ 8. versibus:

Aspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse, bonum sit.

Ad quem locum Servius idem contigisse dicit Ciceronis uxori sacrificanti Consulatus omen, nec illud tam constans apud Antiquos summæ potentiæ & dignitatis augurium Iulo suo deesse voluit idem Virgilius lib. 2. Æneid. v. 682.

Cum subitum dictuque oritur mirabile monstrum;
Namque manus inter mœstorumque ora parentum,
Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Quod & de Olympia cum Alexandrum pareret, & de ipsius Alexandri natalibus narrat Plutarchus. Huc quoque adduci potest, atque etiam ex Historiis recentioribus exempla alia.

7. *Geryonis*] Oraculi hujus historiam etiamnum hodie quærendam dicit Beroaldus, cui assentiuntur Interpretes. Unde quis non male, ni fallor, secutus fuerit codices illos veteres in quibus *regionis* legi testis est Cœlius Calcagninus opere illo quem de ludis Antiquorum conscripsit, cap. de talis.

8. *Sorte tracta*] Variæ sunt species ejus divinationis quæ per sortes quærebatur. Quandoque descriptos Poëtæ cujusdam versus & in urnam conjectos educebant, aut emittebant, idque oraculi vice habebatur quod cuique acciderat: quandoque fatidicos versus in tabella describebant, & talis divinationem peragebant: aut arrepto temere & aperto Poëtæ cujusdam libro quod se primum oculis carmen objecerat, hoc pro sorte & oraculo habebant. Hinc Virgilianæ sortes apud Lampridium in Alexandro, & Spartianum in Hadriano, &c.

9. *Aponi fontem*] Fons ille propter medicatas aquas celebratus à Claudiano egregio Elegidio:

Publica morborum requies commune medentum
Auxilium, præsens numen, inempta salus.

Unde verosimillime nomen sortitus est; ἄπονος enim *sine labore* est. Meminit & Lucanus lib. 7. vers. 192.

Euganeo, si vera fides memorantibus, augur
Colle sedens, Aponus terris ubi sumifer exit,
Venit summa dies, geritur res maxima, dixit.

Unde etiam colligi potest Euganeos qui Herculis comites fuere, construxisse illic quædam suæ in Geryonem victoriæ monimenta, quorum locus *Geryon* appellatus fuerit; aut sortis ibi modum quemdam instituisse, vel a Geryone inventum, vel quo usi fuerint, adversus eum profecturi. Quæ Sabellici suspicio est: Euganei hodie *Li monti di Padoa*. Hujus fontis meminere Plinius & Cassiodorus, &c.

10. *Talos aureos*] Fuit & hæc divinandi per talos ratio apud priscos Græcos in more posita; auctor enim est Pausanias, fuisse in agro Burensium (qui gens Achaica) Fanum Herculis, in quo cujusvis rei suscipiendæ captabant augurium ex talis & abaco; precibus quippe Deo rite peractis, quatuor talos, quorum ibi magna copia, in mensam jactabant, cumque singulorum figuræ certam haberent in ipsa tabella descriptam interpretationem, ex eorum figura & situ, futura conjectabant. Hanc autem discendæ sortis rationem per talos in aquam missos Casaubonus annotavit, tum ex Pausania in Laconicis, tum ex Sozomeno lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 19. Hinc dona quædam in fontes conjiciebant, accepta forte ad eorum modum, qui accepto ab oraculis responso donaria votiva Templorum tholis seu parietibus affigebant. Exemplum est apud Plinium lib. 8. Epist. 8. ubi de Clitumno fonte agit, in cujus proximo Fano erant quoque sortes. Et de Apono testatur Claudianus eodem Elegidio:

Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi,
Tunc veteres hastæ regia dona micant.

Digitized by Google

Summum talorum jactum hîc intelligit Venerem, utpote felicissimum, ut supra in Augusto c 71.

11. *Thrasyllum*] Hunc Philosophum quoque fuisse patet ex hoc Suetonii loco. Vetus Juvenalis Scholiastes tradit hunc multarum rerum scientiam professum, Platonicæ demum sectæ sese dedidisse, ac deinde Matheſi, qua præcipue viguit apud Tiberium. Tacitus 6. Annal. & Dio lib. 55. experimentum hoc artis narrant paulo aliter. Hujus mentio jam supra Aug. c. 98.

CAPUT XV.

ROMAM reversus, [1] deducto in forum filio Druso, statim e [2] Carinis ac Pompeiana domo, [3] Esquilias in hortos Mœcenatianos transmigravit: totumque se ad quietem contulit, privata modo officia obiens, ac publicorum munerum expers. Caio & Lucio [4] intra triennium defunctis, adoptatur ab Augusto simul cum fratre eorum M. Agrippa: coactus prius ipse [5] Germanicum fratris sui filium adoptare. Nec quidquam postea pro patrefamilias egit: aut [6] jus quod adoptione amiserat, ex ulla parte retinuit. Nam neque donavit, neque manumisit: nec hereditatem quidem, aut legata percepit ulla aliter quam ut [7] peculio [8] referret accepta. Nihil ex eo tempore prætermissum est ad majestatem ejus augendam, ac multo magis postquam, [9] Agrippa abdicato atque sepositо, certum erat, uni spem successionis incumbere.

NOTÆ.

1. *Deducto in forum*] De hoc more in Augusto c. 26. & infra Calig. c. 10. &c.

2. *Carinis*] Carinæ vicus Urbis, in quo Pompeii Magni domus erat. Hinc scamma illud Sexti Pompeii in Antonium, quod retulit Velleius lib. 2. cap. 77. *Cum Pompeio quoque circa Misenum pax inita* (de qua in Augusto cap. 16.) *qui haud absurde cum in navi; Cæsaremque & Antonium cœna exciperet, dixit: In Carinis suis se cœnam dare, referens hoc dictum ad loci nomen in quo paterna domus ab Antonio possidebatur.* Et Dio lib. 48. auctor est Pompeium cum universa classe in colloquium venisse in extincto aggere mari circumfluo, astantibus in proximo continenti Cæsare & Antonio.

3. *Esquilias*] Esquiliæ quintam Urbis regionem faciebant. In ea parte hodie est Templum S. Laurentii in Lucina.

4. *Intra triennium defunctis*] Sic legit in omnibus MSS. Casaubonus. Unde non immerito explicat de triennio à Tiberii reditu ad ipsorum mortem, non autem quasi Caius & Lucius Cæsares trium annorum spatio vita functos significare voluerit, quos Aug. cap. 5. dixit, in duodeviginti mensium spatio periisse ambos, non sine suspicione fraudis a Livia & a Tiberio factæ.

5. *Germanicum fratris sui*] Drusi de quo supra cap. 7. Adoptio hæc eo facta consilio, ut protinus illa facta, Germanicus inciperet Augusti nepos esse. De illa adoptione, seu potius adrogatione, meminit Justinianus tit. *de adoptionibus*, §. *illud proprium*.

6. *Jus quod amiserat*] Cum enim ante adoptionem paterfamilias esset & sui juris, per eam filiusfamilias & alieno juri subjectus factus erat; qua in conditione multa sibi, salvis legibus, non licebant: v. g. Testamentum condere, donationes facere, &c.

7. *Peculio*] Quæ bona filio suo paterfamilias concedebat, aut ipse filius certis quibusdam modis, de quibus fuse Jureconsulti, acquirebat, ea filii peculium dicebantur, aliud nil proprium habere poterat: unde quæ Tiberio donationibus aut legatis obveniebant, non poterat alio jure possidere quam peculii, quasi illa sibi concessa fuissent a patre suo Augusto, cui ipse soli hoc modo acquirebat, non sibi, cum filius familias esset.

8. *Referret accepta*] In tabulis illis de quibus supra in Julio cap. 42. multa erant capita, v. g. negotiationis, fœnoris, legatorum, hereditatum, &c. Simul igitur ut

Digitized by Google

pecuniarum aliquid acceperant, in caput hoc vel illud, hoc est huic vel illi nomini acceptum referebant. Si ex hereditate, (v. g.) in hereditatum caput, hinc ea loquendi ratio, *acceptum referre*. Cicero 2. Philippic. *Ego enim sestertiûm ducenties hereditatibus acceptum retuli.*

9. *Agrippa abdicato*] Supra in Aug. c. 65.

CAPUT XVI.

A. U. C. DCCLVII. DCCLX.

DATA rursus [1] potestas Tribunitia in quinquennium: [2] delegatus pacandæ Germaniæ status: Parthorum legati, mandatis Augusto Romæ redditis, eum quoque adire in Provinciam jussi. Sed nuntiata Illyrici defectione, transiit ad curam novi belli: quod gravissimum omnium externorum bellorum [3] post Punica, per xv. legiones, paremque [4] auxiliorum copiam, triennio gessit: in magnis omnium rerum difficultatibus, summaque frugum inopia. Et quamquam sæpius revocaretur, tamen perseveravit: metuens, ne vicinus & prævalens hostis instaret ultro cedentibus. Ac perseverantiæ grande pretium tulit: [5] toto Illyrico, quod inter Italiam, [6] regnumque Noricum & Thraciam, & [7] Macedoniam, interque Danubium flumen, & sinum maris Adriatici patet, perdomito & in ditionem redacto.

NOTÆ.

1. *Potestas Tribunitia*] Vide in Augusto cap. 27. Hanc sumebant Imperatores, vel primo imperii sui die, si privati ad hoc fastigium eveherentur; vel ab eo tempore quo designabantur, si adoptione aut natura succederent.

2. *Delegatus*] Casaubonus legendum existimat, *delegatus pacando Germaniæ statui*: vel, *delegatus pacandus Germaniæ status.*

3. *Post Punica bella*] Hoc est, post centum, & amplius, annos. Hujus belli terrorem tantum fuisse dicit Velleius lib. 2. *ut stabilem illum & firmatum tantorum bellorum experientia Cæsaris Augusti animum quateret atque terreret.* Habiti itaque delectus illi de quibus in Augusto cap. 25.

4. *Auxiliorum*] Legiones Romanis militibus, auxilia externis quarumvis gentium. Si quinque hominum millia singulis legionibus tribuas, (tot enim vulgo constabant) 150000 hominum erat hic exercitus.

5. *Toto Illyrico*] Hoc divisum fuit olim in duas partes, quarum una dicitur Liburnia, ab Arsia fluvio, ejusdem hodie nominis, ad Titium amnem qui nunc est *Cherca*. Altera dicitur Dalmatia a Titio ad Lissum oppidum, hodie *Alessia*. Hæc quamvis proprie circa maritimam oram, toti tamen Illyrico hodiernam dedit appellationem; Liburnia vero *Contado di Zara*. Quæ omnia Sclavoniæ hodiernæ partes sunt, quanquam certe, auctore Cluverio lib. 4. Introduct. cap. 4. confusis Pannoniæ Illyricique limitibus, imo Sclavoniæ nomine accipiatur quidquid terrarum à Dravo amne ad Adriaticum mare protenditur.

6. *Regnum Noricum*] Norici qui etiam ipsas Alpes tenuere apud Fori Julii regionem, capiunt hodie Austriam, Bavariæ Tirolensisque Comitatus partem, &c.

7. *Macedoniam*] In Julio cap. 35. Hanc Occidentem versus, Drilo fluvius, quem alii *Drino*, alii *la Boiana*, hodie dicunt, separat ab Illyrico, juxta Cluverium lib. 4. cap. 4. Introd.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

A. U. C. DCCLXII. CUI gloriæ amplior adhuc ex opportunitate cumulus accessit. Nam sub id fere tempus [1] Quintilius Varus, cum tribus legionibus in Germania periit: nemine dubitante, quin victores Germani juncturi se [2] Pannoniis fuerint, nisi debellatum prius Illyricum esset. Quas ob res triumphus ei decretus est, multique & magni honores. Censuerunt etiam quidam, ut [3] *Pannonicus*, alii ut *Invictus*, nonnulli ut *Pius* cognominaretur. Sed de cognomine [4] intercessit Augustus, eo contentum repromittens, quod se defuncto suscepturus esset. Triumphum ipse distulit, mœsta civitate clade Variana. Nihilominus Urbem [5] prætextatus & laurea coronatus intravit, positumque in [6] Septis tribunal, Senatu adstante, conscendit: ac medius inter duos Coss. cum Augusto simul sedit: unde, populo consalutato, circum templa deductus est.

Notæ.

1. *Quintilius Varus*] Vide Aug. cap. 23. Velleium lib. 2. cap. 117. *Tantum quod ultimam imposuerat Pannonico ac Dalmatico bello Cæsar manum, cum intra quinque consummati tanti operis dies funesta ex Germania epistola casi Vari trucidatarumque legionum trium*, &c.

2. *Pannoniis*] Hos intra Illyrici fines includit Appianus, & Strabo lib. 7. in Dalmatiam usque distentos tradit, sed distentos, non inclusos; perpetua quippe montium juga Illyrios a Pannoniis dirimunt usque ad Unæ fontes, atque inde ducta linea ad Dimari, nunc *Lim*, & Drini, vel Driinii confluentes.

3. *Pannonicus*] Cæteri Imperatores cognomina a devictis gentibus congesserunt, ut *Gothicus*, *Alanicus*, *Vandalicus*, &c. & crescente adulatione, *Invictus*, *Pius*, &c. præsertim ab Antonino Pio, ac denique circa Diocletiani tempora, *Felix*, *Inclytus*, *Victor*, *Triumphator*, *Maximus*, *Sempiternus*.

4. *Intercessit*] Hoc est impedivit: Augusti enim cognomine insigniendus erat; sed post Augusti mortem, ut supra in Augusto notatum: quod his omnibus futurum erat illustrius.

5. *Prætextatus*] Prætexta indutus; hæc enim inter ornamenta Consularia, de quibus Aug. c. 38.

6. *Septis*] Septa quæ & *ovile* dicebantur, quid essent supra Aug. cap. 43.

7. *Medius*] Qui locus apud Romanos æque ac barbaros erat honoratissimus, infra Calig. cap. 24.

CAPUT XVIII.

DCCLXIII. PROXIMO anno repetita [1] Germania, cum animadverteret, [2] Varianam cladem temeritate & negligentia ducis accidisse, nihil non de consilii sententia egit: semper alias sui arbitrii, contentusque se uno, tunc præter consuetudinem cum pluribus de ratione belli communicavit. Curam quoque solito exactiorem præstitit. Trajecturus Rhenum, commeatum omnem ad certam formulam adstrictum non ante transmisit, quam consistens apud ripam explorasset [3] vehiculorum onera: ne qua deportarentur, nisi concessa aut necessaria. Trans Rhenum vero eum vitæ ordinem tenuit, ut sedens in [4] cespite nudo cibum caperet: sæpe sine tentorio pernoctaret: præcepta sequentis diei omnia, & si quid subiti muneris injungendum esset, per libellos daret, addita monitione, ut de quo quisque dubitaret, se, nec alio [5] interprete, quacumque vel noctis hora uteretur.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Germania*] Intelligendum de iis regionibus quæ Rhenum inter & Albim sitæ sunt; has enim duntaxat Augusti Tiberiique auspiciis perdomitas notat Cluverius lib. 3. Introd. c. 7.

2. *Varianam cladem negligentia*] Velleius lib. 2. cap. 120. confirmat his verbis ubi factum narravit: *Ex quo apparet Varum sane gravem & bona voluntatis virum magis Imperatoris defectum consilio, quam virtute militum destitutum, se magnificentissimumque perdidisse exercitum.*

3. *Vehiculorum*] *Vehiculatorum* legisse se Turnebus ait, & defendi posse ut ita dicatur *vehiculator*, quemadmodum *naviculator*.

4. *Cespite nudo*] More veterum Romanorum. Unde Horatius Ode 15. lib. 2. ævi sui mores taxans & antiquos requirens,

non ita Romuli
Præscriptum, & intonsi Catonis
Auspiciis veterumque norma.

Et paulo post,

Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, &c.

De quo & Plutarchus in Catone, &c.

5. *Interprete*] Ne quis ambigua scriptura seipsum excusaret. Hujusmodi præcepta scriptis quoque data fuisse ab aliis, auctor est Frontinus lib. de Aquæductibus.

CAPUT XIX.

DISCIPLINAM acerrime exegit: animadversionum & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis: atque etiam legato legionis, quod paucos milites cum liberto suo trans ripam [2] venatum misisset, ignominia notato. Prælia, [3] quamvis minimum fortunæ casibusque permitteret, aliquanto constantius inibat, quoties lucubrante se subito ac nullo propellente, [4] decideret lumen & exstingueretur: confidens, ut aiebat, ostento, sibi ac majoribus suis in omni [5] ducatu expertissimo. Sed re prospere gesta, non multum abfuit quin a [6] Bructero quodam occideretur: cui inter proximos versanti, & trepidatione detecto, tormentis expressa confessio est cogitati facinoris.

NOTÆ.

1. *Disciplinam*] Idem de Augusto c. 24. ubi etiam de variis ignominiarum generibus, quibus addesis venæ sectionem; ignominiæ quippe causa sanguis mittebatur, ut nempe sanguinem quem cum gloria fundere pro patria noluerant, eum cum ignominia amitterent: quæ mens est Antonii Mureti lib. 13. variarum Lectionum cap. 20. Quo tamen loco diversus abit ab Aulo Gellio lib. 10. c. 8.

2. *Venatum*] Id quoque ex Augusti disciplina fuisse evincunt Macri Jurisconsulti verba, quæ Torrentius retulit: *Debet qui meminerit se armatis præesse parcissime commeatum dare, equum militarem extra Provinciam duci non permittere ad opus privatum, venatum, piscatum militem non mittere. Nam in disciplina Augusti ita cavetur.*

3. *Quamvis minimum fortunæ*] Idipsum vere laudandum mire exaggerat Velleius, lib. 2. cap. 115. utpote cui & ipse bello simul interfuerit.

4. *Decideret lumen & extingueretur*] Id quoque apud Romanos in more positum notat Plutarchus in Problematis, & causas investigat cur non extinguerent lumen, sed seipso deficere permitterent.

5. *Ducatu*] Imperio vel Præfectura utitur iterum hac voce, infra in Nerone c. 35. & Lampridius in Heliogabalo. Capitolinus in Pertinace, & Maximinis, Spartianus in Pescennio, &c.

6. *Bructero*] Sic Torrentius in melioribus duobus codicibus legit. Beroaldus & vulgati *Rutheno*. Si nomen appellativum est, Gallicum est. Rutheni quippe Aquitaniæ sunt populi, *Roüergue*. Breucteri quoque sæpe memorantur a Tacito lib. 1. Annal. ad Amusiam fluvium, vulgo *Ems*, qui VVestphaliam alluit.

Digitized by Google

CAPUT XX.

A GERMANIA in Urbem post biennium regressus, triumphum quem distulerat, egit: prosequentibus etiam legatis, quibus
A U.C. DCCLXV. [1] triumphalia ornamenta impetrarat. Ac priusquam in [2] Capitolium flecteret, descendit e curru, seque præsidenti patri [3] ad genua submisit. [4] Batonem Pannonium ducem ingentibus donatum præmiis, Ravennam transtulit: gratiam referens, quod se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum, passus esset evadere. [5] Prandium dein populo mille mensis, & congiarium [6] trecenos nummos viritim dedit. Dedicavit & [7] Concordiæ ædem: item Pollucis & [8] Castoris, suo fratrisque nomine, de manubiis.

NOTÆ.

1. *Triumphalia ornamenta*] In Augusto cap. 38.

2. *In Capitolium flecteret*] Pro more triumphantium; hi enim deductam per vicos pompam in Capitolio terminabant.

3. *Ad genua*] De hoc triumpho Ovidius lib. 2. de Ponto, Eleg. 2. in fine:

Maturosque pater nati spectabit honores,
Gaudia percipiens quæ dedit ante suis.

4. *Batonem*] Vulgati legebant *Bationem*. Alteram lectionem firmat Ovidius ibidem:

Totque tulisse duces captivis addita collis
Vincula, &c.
Maxima pars horum vitam veniamque tulere
In quibus & belli summa, caputque Baton.

Cujus loco quidam in fine hujus versus legunt *fuit*. Hunc Dalmatiæ, non Pannoniæ Regem fuisse auctor est Dio lib. 55. quem Scaliger falsi accusat in Chronico Eusebiano num. 2203. ubi ex veteri lapide Pannonium fuisse probat.

5. *Prandium*] De prandiis illis & congiario quid sint, supra notatum est in Julio cap. 38.

6. *Trecenos nummos*] Sestertios scilicet 13 lib. 2 s. 6 d.

7. *Concordiæ ædem*] Suo & Tiberii fratris nomine dedicatam auctor est Dio lib. 56. Romæ plures erant ædes Concordiæ: hanc extruxerat Camillus, Livia vetustate collapsam aut collapsuram instaurarat, ut patet ex Ovidio lib. 1. Fast. 13. De manubiis in Julio cap. 26.

8. *Castoris*] De æde illis dicata locutus quoque est in Julio cap. 10. unde verosimile est ab ipso quoque instauratam. Dedicationes ejusmodi fiebant a Magistratibus hoc ferme modo. Qui dedicaturus erat, apprehenso Templi poste, modicoque igne accenso, solennia verba præeunte Pontifice proferebat, quibus Templum *illud*, Aras, Tabulas, ac demum quidquid esset in eo, ab omni usu profano exemptum, ei Deo consecrabat cujus in honorem consecratio peragebatur. Plura super ejusmodi ceremoniis doctissime collegit Barnabas Brissonius lib. 7. de Formulis.

CAPUT XXI.

AC non multo post Lege per Coss. lata, ut [1] Provincias cum
DCCLXVI. Augusto communiter administraret, simulque censum ageret,
DCCLXVII. [2] condito lustro in [3] Illyricum profectus est. Et statim ex itinere [4] revocatus, jam quidem affectum, sed tamen spirantem adhuc Augustum reperit: fuitque una secreto per totum diem. Scio vulgo persuasum, quasi egresso post secretum sermonem Tiberio, vox Augusti per [5] cubicularios

Digitized by Google

[1] cubiculatios excepta sit: *Miserum populum Romanum, qui sub tam* [6] *lentis maxillis erit.* Nec illud quidem ignoro, aliquos tradidisse, Augustum palam nec dissimulanter morum ejus [7] diritatem adeo improbasse, ut nonnumquam remissiores hilarioresque sermones superveniente eo abrumperet: sed expugnatum precibus uxoris adoptionem non abnuisse: vel etiam ambitione tactum, ut tali successore [8] desiderabilior ipse quandoque fieret. Adduci tamen nequeo quin existimem, circumspectissimum & prudentissimum Principem, in tanto præsertim negotio, nihil temere feciisse: sed vitiis virtutibusque Tiberii perpensis, potiores duxisse virtutes: præsertim cum & [9] *Reipublicæ caussa adoptare se eum* pro concione juraverit: & epistolis aliquot, ut peritissimum rei militaris, atque unicum Populi Romani præsidium prosequatur. Ex quibus in exemplum pauca hinc inde subjeci. *Vale, jucundissime Tiberi, & rem gere feliciter,* [10] a ἐμοὶ καὶ ταῖς Μούσαις στρατηγῶν. *Jucundissime, & ita sis felix, vir fortissime, & dux* [11] νομιμώτατε. [12] *Vale, & Ordinem æstivorum tuorum? Ego vero, mi Tiberi, & inter tot rerum difficultates,* b [13] καὶ τοσούτων μεμψιμοιρούντων *non potuisse quemquam prudentius gerere se, quam tu gesseris, existimo. Hi quoque, qui tecum fuerunt omnes, confitentur versum illum in te posse dici,*

Unus homo nobis vigilando restituit rem.

Sive, inquit, *quid incidit, de quo sit cogitandum diligentius, sive quid stomachor valde, medius fidius Tiberium meum desidero: succurritque versus ille Homericus,*

c Ἰς Τύτθ' ἐσσυμένοιο, νόῳ ὀπὶ πυκὸς ἰαύων
Ἄμφω νοησάσθην, ἐπὶ εὖ εἰδὼ νοῆσαι.

Attenuatum te esse continuatione laborum, cum audio & lego, Dii me perdant nisi cohorrescit corpus meum: teque rogo ut parcas tibi: ne si te languere audierimus, & ego & mater tua exspiremus, & de summa imperii sui Populus Romanus periclitetur. Nihil interest valeam ipse nec ne, si tu non valebis. Deos obsecro ut te nobis conservent, & valere nunc & semper patiantur, si non Populum Romanum perosi sunt.

INTERPRETATIO.

a *Mihi & Musis exercitum ducens.*

b *Tantam desidiam militantium.*

c *Hoc quidem comite ambo vidimus ex igne ardentis; nam valde novit consulere.*

NOTÆ.

1. *Provincias*] Aug. cap. 47. dictum est quas Senatui Provincias tradidisset, quas vero sibi servasset Augustus. De postremis intelligendus videtur hic locus.

2. *Condito lustro*] Tunc temporis Augusti collega erat, supra in Augusto c. 97.

3. *Illyricum*] Supra cap. 16.

4. *Revocatus*] Vide in Augusto cap 98. ubi discrepantia super hac re Historicorum testimonia.

5. *Cubiculariis*] De his Domitiani cap. 17. commodius.

6. *Lentis maxillis erit*] Casaubonus in Vitterbiensi legebat *edit*, nec probavit, quamvis idem verbum ex duobus MSS. Torrentius non improbet. Comparat lentam Tiberii morositatem bestiæ sævæ, quæ dentibus prehensum cruciatu longo vexet, antequam conficiat. Lentam hanc Tiberii indolem Plutarchus dubio procul innuit in

Problematis, cum Augustum dicere solitum refert, relinquendum a se successorem eum qui de re eadem numquam bis cogitaret. Tacitus tamen lib. 1 Annal. *Literas ad exercitus tanquam adepto Principatu misit, nusquam contabundus nisi cum in Senatu loqueretur.*

7. *Diritatem*] Hoc est acerbitatem & intolerantiam morum, ut infra cap. 56. In duobus MSS. *duritatem* Torrentius legerat.

8. *Desiderabilior*] Tacitus Annal. 1. rumores funeris die sparsos referens, *ne Tiberium quidem caritate aut Reipublica cura successorem ascitum: sed quoniam arrogantiam saevitiamque ejus introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quaesivisse.* Dio lib. 56.

9. *Reipublica caussa*] Testamentum adjectum, *Reipublica caussa facio*; scribit Velleius lib. 2. cap. 104.

10. ἐμοὶ καὶ τοῖς Μούσαις] Intepretes in quibusdam vetustioribus legerant καὶ τοῖς σοῖς, hoc est *mihi & tuis*. In aliis, καὶ τοῖς ἐμοῖς, *& meis*. Alii aliter, ut ἄριστε στρατηγῶν *optime Imperator*, &c. Quæ lectiones vulgatis meliores viderentur, quarum sensus Torrentio hic est: Tiberium in æstivis aut hibernis degentem hortatur ut ille otii tempore Musis det operam, exemplo forsitan suo, ut canit Horatius Ode 4. lib. 3. de ipso Augusto:

Vos Caesarem altum militia simul
Fessas cohortes abdidit oppidis
Finire quarentem labores
Pierio recreatis antro.

Aut certe dicit Musis exercitum ducere, quasi facientem aut facturum, quæ suis Musæ carminibus olim exornarent.

11. Νομιμώτατε] *Maxime, legitime* seu *compositissime, regulatissime*. Ideo ut videtur quod disciplinam severissime regeret, ut supra c. 19. Alii legunt εὐβουλώτατε, *optimi consilii, prudentissime, consultissime.*

12. *Vale, & ordinem aestivorum, &c.*] Deest verbum, seu phrasis istius conjunctio cum reliqua epistola, quam non retulit, v. g. *ordinem serva* aut *retine*, &c. Æstiva sunt loca in quibus milites æstate continebantur, quæ si ad exiguum tempus fuissent, *mansiones* postea dicta sunt: si diutius in illis immorandum, *stativa*.

13. Τεσσάρων μηνῶν] Sub finem Augusti non ita lubentes militiæ conditionibus acquiescebant, ut colligere est ex seditionibus post ejus statim mortem exortis, de quibus Tacitus Annal. 1. & 2. & Suetonius infra cap. 25. Unde videtur Tiberius hoc apud Augustum conquestus fuisse.

14. *Unus homo*] Notus Ennii versus de Fabio Maximo bellum gerente adversus Annibalem, in quo tamen Augustus pro *cunctando* scribebat *vigilando*, ut ostenderet Romanas res meliorem in statum restitutas Tiberii vigilantia, quemadmodum alias Fabii cunctatione, propter eam de qua cap. 18. cautionem.

15. Τοῦτο, &c.] De Ulysse dictum a Diomede in concilio Græcorum, cum in Trojana castra speculatum iturus hunc sibi socium postulat. Iliad. 10.

CAPUT XXII.

EXCESSUM Augusti non prius palam fecit quam [1] Agrippa juvene interemto. Hunc Tribunus militum custos appositus occidit, lectis [2] codicillis, quibus ut id faceret, jubebatur. Quos codicillos dubium fuit, Augustusne moriens reliquisset, quo materiam tumultus post se subduceret: an nomine Augusti Livia, & ea conscio Tiberio an ignaro, dictasset. Tiberius renuntianti Tribuno [3] factum esse quod imperasset, [4] *Neque imperasse se, & redditurum eum Senatui rationem respondit:* invidiam scilicet in præsentia vitans. Nam mox silentio [5] rem obliteravit.

NOTÆ.

1. *Agrippa juvene*] Tiberii privigno; ejus enim matrem duxerat, ut supra sæpe. Tertius erat Agrippæ ex Julia filius.

2. *Codicillis*] Codicilli sunt aliquando chartulæ quædam complicatæ, lino trajectæ, & obsignatæ, quibus mandata mitte-

Digitized by Google

bantur, dicunturque diplomata. Sunt etiam sæpe privata charta qua quis absque Testamenti solennitatibus ea describit, quæ post mortem suam fieri vult. August. cap 50. & infra ad cap. 51. Hoc sensu recte definitur Codicillus, intestati voluntas, vel Testamenti sequela minus solennis.

3. *Factum quod imperasset*] Ex more militaris disciplinæ, qua Centuriones vel Tribuni, Imperatori renuntiare tenebantur facta esse mandata, his ipsis verbis: *Imperator, factum quod imperasti*, ut colligere est ex Tacito, & infra Claud. cap 29.

4. *Neque imperasse*] Eadem iisdem ferme verbis omnia refert Tacitus Annalium 1. nisi quod Centurioni tribuit quod Suetonius Tribuno.

5. *Rem*] Torrentius hanc vocem e tribus exemplaribus abesse testatur.

CAPUT XXIII.

[1] JURE autem Tribunitiæ potestatis coacto Senatu, inchoataque [2] allocutione, derepente velut impar dolori congemuit: utque non solum vox, sed & spiritus deficeret, optavit: ac perlegendum [3] librum Druso filio tradidit. Illatum deinde Augusti Testamentum, non admissis [4] signatoribus nisi Senatorii ordinis, cæteris extra curiam signa agnoscentibus, recitavit per libertum. Testamenti initium fuit: *Quoniam sinistra fortuna Caium & Lucium filios mihi eripuit, Tiberius Cæsar mihi ex parte [5] dimidia & sextante heres esto.* Quo & ipso aucta est suspicio opinantium, successorem adscitum eum [6] necessitate magis quam judicio; quando ita præfari non abstinuerit.

NOTÆ.

1. *Jure Tribunitia potestatis*] Tacitus Annal. 1. *Et ambiguus imperandi, ne edictum quo patres in curiam vocabat, nisi Tribunitia potestatis præscriptione posuit, sub Augusto accepta.* Gellius lib. 14. cap. 7. ex Varrone Tribunos plebis annumerat iis quibus convocandi Senatus potestas esset. Cum vero dies quidam essent quibus id nemini liceret, ideo ne sibi quid ad summam auctoritatem deesset, Augustus accepta potestate Tribunitia id quoque concedendum curavit, ut quoties vellet, Senatum cogere posset. Auctor est Dio in Actis anni 732.

2. *Allocutione*] Notanda vocis proprietas. Ex Varrone lib 6. de Lingua Latina: *Allocutum mulieres ire aiunt cum eunt ad aliquam locutum consolandi gratia.* Apud Senecam in Troade Ulysses:

Alios parentes alloqui in luctu decet,
Tibi gratulandum est.

Quo exemplo Muretus lib. 2. Antiquarum Lectionum cap. 4. dicit se nescire an nullum in Scriptoribus antiquis extet illustrius. Item Catullus ad Cornificium Epig. 39.

Quem tu quod minimum facillimumque est,
Qua solatus es allocutione.

De quo & Torrentius hîc & ad Oden 13. lib. Epod. & Petrus Victorius lib. 8. Var. Lect. cap. 23 Et Virgilius hac voce ferme non utitur nisi in doloris affectu.

3. *Librum*] Quo dicenda describerat.

4. *Signatoribus*] Jam supra notatum est, Testamentis adhibendos fuisse testes, ut ea valerent: Ii apposita sua signa recognoscere, ne qua fraus fieret, mortuo Testatore debebant. Cum autem Senatorii ordinis omnes non essent, hinc omnes in curiam admissos noluit, ut ficta hac Senatoriæ majestatis observantia, Senatum demereretur, donec auctoritati una & securitati suæ caviſſet. Indicat Tacitus 1. Annalium: *Tiberius cuncta per Consules incipiebat tanquam vetere Republica & ambiguus imperandi.*

5. *Dimidia*] De his partibus August. cap. 101.

6. *Necessitate magis*] Cap. 21. supra.

Digitized by Google

CAPUT XXIV.

[a] PRINCIPATUM, quamvis neque occupare confestim, neque [2] agere dubitasset, & statione militum, hoc est, vi & specie dominationis assumpta, diu tamen recusavit impudentissimo animo: nunc adhortantes amicos increpans, ut ignaros [3] quanta bellua esset Imperium: nunc precantem Senatum, & procumbentem sibi ad genua, ambiguis responsis & [4] callida cunctatione suspendens: ut quidam patientiam rumperent, atque unus in tumultu proclamaret, [5] *Aut agat, aut desistat:* alter coram exprobraret, [b] *Ceteros quod polliciti sint, tarde præstare: sed ipsum quod præstet, tarde polliceri.* Tandem quasi coactus, & querens *miseram & onerosam injungi sibi servitutem*, recepit imperium: nec tamen aliter quam ut depositurum se quandoque spem faceret. Ipsius verba sunt hæc: *Dum veniam ad id tempus quo vobis æquum possit videri, dare vos aliquam senectuti meæ requiem.*

INTERPRETATIO.

a *Etsi non dubitasset protinus usurpare Principatum, & exercere, accepta etiam custodia militari, qua est potentia & pompa dominationis: nihilominus, &c.*

b *Alios sero exequi promissa sua, ipsum* Tiberium *sero promittere quod exequatur.*

NOTÆ.

1. *Principatum*] Hoc nomine non regni titulo insignita fuit Cæsarum potestas, ut supra cap 14. notatum est ex Tacito.

2. *Agere*] Agere pro Principe scilicet, utpote qui *defuncto Augusto signum prætoriis cohortibus ut Imperator dederat, excubia, arma, caetra aulæ, miles in forum, miles in curiam comitabatur. Literas ad exercitus tanquam adepto principatu misit*, &c. ut narrat Tacitus Annal. 1.

3. *Quanta bellua*] Eadem sententia Saturnini apud Vopiscum amicos & exercitum alloquentis: *Nescitis, amici, quid mali sit imperare. Gladii & tela nostris cervicibus impendent, imminent hasta undique, undique spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur, non cibus pro voluptate*, &c.

4. *Callida cunctatione suspendens*] Tacitus ibidem: *Tiberioque etiam in rebus quas non occuleret, seu naturæ seu assuetudine, suspensa semper & obscura verba: tunc vero nitenti ut sensus suos penitus abderet, in incertum & ambiguum magis implicabantur.*

5. *Aut agat*, &c.] Hoc est, vel tandem aperte profiteatur sumere se principatum, vel ab eo sumendo desistat; nam re ipsa, ut dictum est, jam agebat Principem & principatum occuparat. Hæc verba tribuenda videntur alicui, qui id ipsum non attenderet.

CAPUT XXV.

CUNCTANDI causa erat, metus undique imminentium discriminum: ut sæpe [1] *lupum se auribus tenere* diceret. Nam & servus Agrippæ, Clemens nomine, non contemnendam manum in ultionem domini compararat: & L. [2] Scribonius Libo vir nobilis res novas clam moliebatur: & duplex seditio militum in Illyrico & in Germania exorta est. Flagitabant ambo exercitus multa extra ordinem: ante omnia, ut æquarentur stipendio prætorianis [3] Germaniciani. Quidam etiam Principem detrectabant non a se datum: summaque vi

Digitized by Google

Germanicum, qui tum iis præerat, ad capeſſendam Rempublicam perurgebant, quamquam obſirmate reſiſtentem. [5] Quem maxime caſum timens, partes ſibi quas Senatui liberet, tuendas in Republica depopoſcit: quando univerſæ ſufficere ſolus nemo poſſet; niſi cum altero, vel etiam cum pluribus. [4] Simulavit & valitudinem, quo æquiore animo Germanicus celerem ſucceſſionem, vel certe ſocietatem principatus opperiretur. Compoſitis ſeditionibus, [7] Clementem quoque fraude deceptum, redegit in poteſtatem: Libonem, ne quid in novitate acerbius fieret, ſecundo demum anno in Senatu coarguit, medio temporis ſpatio tantum cavere contentus. Nam & inter Pontifices ſacrificanti ſimul, pro [8] ſeceſpita plumbeum cultrum ſubjiciendum curavit: & ſecretum petenti nonniſi adhibito Druſo filio dedit; dextramque obambulantis, veluti incumbens, quoad peragereturſermo, continuit.

INTERPRETATIO.

4 Finxit etiam ſe valetudinarium eſſe, ut Germanicus expectaret lubentius, aut ſe brevi ſucceſſurum, aut ſane, venturum in partem Imperii.

NOTÆ.

1. *Lupum auribus*, &c.] Proverbium ab animalis hujus natura & ferocia; cum enim capite plurimum valeat, neque aures ejus ita longæ ſint ut iis facile retineri poſſit, undique *periculum* imminet, hac illum parte apprehendenti; tantum enim in dimittendo periculum, quanta in retinendo difficultas. Terentius in Phormione Act. 3. Scen. 2. v. 21. de adoleſcente in anguſtias redacto:

imo quod aiunt, Auribus teneo lupum:
Nam neque quo mittam a me invenio, neque ut retineam ſcio.

Ubi Græcum Proverbium expreſſit prope ad verbum, τῶν ὤτων ἔχω τὸν λύκον; οὔτ' ἔχω οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι: *Auribus teneo lupum, nec retinere nec relinquere poſſum.*

2. *Scribonius Libo*] Hujus amita fuit Scribonia Auguſti conjux, Juliæ mater, ut patet ex cap. 62 & 63. in Auguſto: Cæſarum Caii & Lucii avia, ut & Agrippæ Poſthumi, quem Tiberius occidi juſſit, cap. 22. Pompeii pronepos. Hinc animi elati. De quo Tacitus 2. Annalium, & Seneca Epiſt. 70. plura.

3. *Germaniciani*] Vulgati legebant, *Germanicianis Prætorianis*. Male. Conſtat enim potiorem horum fuiſſe conditionem; majora quippe ſtipendia, & maturior miſſio competebat, ut infra in Galba cap. 20. & Dio lib. 54. Caſaubonus veterem Roberti Stephani ſecutus editionem, ſic interpungit, *ut aquarentur ſtipendio prætorianis. Germaniciani quidem etiam Principem detrectabant.* Ut ſit ſenſus, exercitum utrumque petiiſſe ſtipendii cum prætorianis æqualitatem, ac Germanicum inſuper exercitum detrectaſſe Tiberii imperium. Quod & reſtituit hoc modo Torrentius, & veritati convenit, ut patet ex cap. 1. libri ſequentis, & ex Tacito 2. Annalium, ubi notanda vocum *Germanici* & *Germaniciani* differentia: qui in Germania erant exercitus Romani, ii dicebantur exercitus Germanici, eorum vero exercituum milites Germaniciani. Hoc ſenſu conſtanter locutus eſt Suetonius in Othone cap. 8. & Veſpaſiano cap. 6.

4. *Germanicum*] Quem Tiberius adoptaverat, ſupra cap. 15 Hunc & vi & precibus ad imperium volebant evehere, ut infra Calig. cap. 1. & præclare ac fuſe Tacitus lib. 1. Annal.

5. *Quem maxime caſum timens*] Ne tandem exoratus Germanicus principatum acciperet. Tacitus ibidem: *Cauſſa præcipua* (cunctandi) *ex formidine, ne Germanicus in cujus manu tot legiones, immenſa ſociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium quam expectare mallet.* &c.

6. *Depopoſcit*] Innuit hiſtoriam Aſinii

Digitized by Google

Galli, quem Tiberius secreto jam odio prosequebatur; duxerat enim Agrippinam, de qua supra cap. 7. Rem fuse narrat quoque Tacitus 1. Annal.

7. *Clementem*] Is Agrippam se munere deûm morti ereptum mentiebatur; & *per contanti Tiberio quomodo Agrippa factus esset? respondisse fertur, Quomodo tu, Cæsar. Ut ederet socios subigi non potuit*; quamquam multi ex ipsa Principis domo sustentasse illum opibus & consiliis dicerentur. Refert quoque fusius Tacitus Annal. 2.

8. *Secespita*] Paulus ad Festum: *Secespita cultrum ferreum, oblongum manubrio eburneo, rotundo, solido, vincto ad capulum auro argentoque fixo clavis aneis, are Cyprio, quo Flamines Flaminica virgines Pontifices que ad sacrificia utebantur.* Et paulo infra: *Secespitam, alii securim, alii dolabram aneam, alii cultellum putant.*

CAPUT XXVI.

VERUM liberatus metu, [1] civilem admodum inter initia ac paullo minus quam privatum egit. Ex plurimis maximisque honoribus, præter paucos & modicos non recepit. Natalem suum plebeiis incurrentem [2] Circensibus, vix [3] unius bigæ adjectione honorari passus est. Templa, Flamines, Sacerdotes decerni sibi prohibuit: etiam [4] statuas, atque imagines, nisi permittente se poni: permisitque, ea sola conditione, ne inter simulacra Deorum, sed inter ornamenta ædium ponerentur. Intercessit & quo minus in [5] acta sua juraretur: & [6] ne mensis September, Tiberius; October, Livius vocarentur. [7] Prænomen quoque IMPERATORIS, cognomenque PATRIS PATRIÆ, & [8] civicam in vestibulo coronam recusavit. Ac ne AUGUSTI quidem nomen, quamquam hereditarium, ullis nisi ad Reges ac [9] dynastas epistolis addidit. Nec amplius quam omnino tres Consulatus, unum paucis diebus, alterum tribus mensibus, tertium absens usque in Idus Maias gessit.

NOTÆ.

1. *Civilem*] De civilitate supra in Julio cap. 75. & Augusto non semel.

2. *Circensibus*] Quid ii sint ludi, supra in Julio cap. 39. & Augusto cap. 45. & alibi. Plebeii autem Circenses sunt ludi quos, aut pro libertate parta, exactis Regibus, aut pro eadem revocata post secessionem plebis instituerant. De his videsis Asconium Pædianum in 1. Verrinam.

3. *Unius bigæ*] An in Curuli certamine unius bigæ cursus; an vero unica tantum cæteris bigis addita? Non distinguit. Patet ex hoc loco voces istas *biga, triga*, numero quoque singulari efferri potuisse, contra Cæsaris opinionem libro de Analogia, apud Gellium lib. 19. cap. 8. ubi *quadrigas*, non *quadrigam*, dicendum volebat.

4. *Statuas & imagines*] Ille lapideæ vel æneæ, hæ cereæ vel depictæ.

5. *In acta sua juraretur*] Ne Populus ac Senatus jurejurando se astringeret, Tiberii acta ipsumque Tiberium inviolatum fore, ut de Julio Cæsare factum, in Julio cap. 86.

6. *Ne mensis September*] Casaubonus ex Dionis lib. 57. sic legit: *Ne mensis November Tiberius, & September Livius vocaretur*; quod videtur certe melius: Novembri quippe mense natus erat, ut supra cap. 5. Dio ibidem auctor est Senatoribus id obstirmate postulantibus dixisse, τί δ' οὐχὶ πάντες, ὦ συγκλητικοὶ Καίσαρες γενήσεσθε; *Quid, inquit, facietis, si tredecim Cæsares fiant?*

7. *Prænomen Imperatoris*] Quæ tamen omnia Julius Cæsar acceperat, invidiose quidem, ut supra in Julio cap. 76.

8. *Civicam*] In Julio cap. 12. In vestibulo domus appendebatur Imperatorum clementiæ dicata. Plinius lib 16. cap. 4. Valerius Maximus lib. 2. Dio lib. 53 Hinc apud Ovidium Metam. Daphnida in laurum mutatam alloquens Phœbus:

Digitized by Google

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.

Hinc etiam Plinius lib. 15. cap. ult. Laurum appellat Cæsarum janitricem. De civica iterum corona idem Ovidius 4. Fast. in ipso fine:

State Palatina quercus, prati: at tua quercus
Stet domus, &c.

9. *Dynastas*] Potentiores quosdam exteros, sive Principes, sive Magistratus.

CAPUT XXVII.

ADULATIONES adeo aversatus est, ut neminem Senatorum aut officii aut negotii caussa ad lecticam suam admiserit: consularem vero [1] satisfacientem sibi, ac per genua orare conantem ita suffugerit, ut caderet supinus: atque etiam si quid in sermone, vel in continua oratione blandius de se diceretur, non dubitaret interpellare ac reprehendere, & commutare continuo. [2] *Dominus* appellatus a quodam, denuntiavit, ne se amplius contumeliæ caussa nominaret. Alium dicentem, *sacras ejus occupationes:* & rursus alium, *auctore eo Senatum se adisse*, verba mutare, & pro [3] *auctore, suasorem:* [4] pro *sacris, laboriosas* dicere coëgit.

Nota.

1. *Satisfacientem*] De ejusmodi satisfactione in Julio cap. 73. Hîc videtur innui Haterius ille de quo infra c. 29.

2. *Dominus*] Augusti exemplo, supra cap. 53. ubi in contumeliam id ab aliis quoque nonnunquam acceptum aut prolatum observavimus.

3. *Pro sacris*, &c.] Torrentius admodum apposite notat non ita a posterioribus Imperatoribus prohibitum: hi quippe non occupationes modo suas, sacras dici permisere, sed & sua omnia, ne stabulo quidem excepto.

4. *Pro auctore suasorem*] Nisi ideo distinguas quod suasoris consilium non semper sequimur. Idem significant plerumque, Plautus in Stico Act. 1. Scen. 2. v. 72.

Mihi auctores ita sunt amici, &c.

Cui respondent senis illius filiæ:

At enim nos quarum res agitur, aliter auctores sumus.

Iterum in Pœnulo Act. 3. Scen. 4. v. 11. &c. Terentius in Adelphis Act. 5. Scen. 8. v. 15.

satis sanus es?
Ego novus maritus anno demum quinto & sexagesimo
Fiam, atque anum decrepitam ducam? Idne estis auctores mihi?

Et Virgilius lib. 2. Georgic. v. 285.

Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor, &c.

Verum in publicis negotiis sæpius etiam is auctor dicitur, qui ex dignitate sua auctoritatem, hoc est potestatem habet aliquid jubendi: v. g. cum dicuntur patres auctores fieri, vel dum dicitur Senatoria vel Prætoria auctoritate sancitum quid esse. De his Jureconsulti. Livius & Cicero passim.

CAPUT XXVIII.

SED adversus convitia malosque rumores & famosa de se ac suis carmina firmus ac [1] patiens, subinde jactabat, *In civitate libera linguam mentemque liberas esse debere.* Et quondam Senatu cognitionem de ejusmodi criminibus ac reis flagitante: *Non tantum*, inquit, *otii habemus ut implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si* [2] *hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis:* [3] *omnium inimicitiæ hoc prætextu ad vos deferentur.* Exstat & sermo ejus in Senatu percivilis: *Siquidem locutus aliter*

Digitized by Google

fuerit, dabo operam ut rationem factorum meorum dictorumque reddam; si perseveraverit, [4] *invicem eum odero.*

NOTÆ.

1. *Patiens*] Notanda dissimulatio si cum cap. 51. in Augusto conferas hunc locum.

2. *Hanc fenestram*] Hoc est: Si hunc delatoribus aditum patefeceritis. Sic & Terentius:

Hui quantam fenestram ad nequitiam patefeceris.

3. *Omnium inimicitia*] Cum suum quivis inimicum delaturus sit.

4. *Invicem odero*] De quodam suo obtrectatore dicta sunt hæc. Paulo aliter Augustus de suo, Aug. cap. 51.

CAPUT XXIX.

ATQUE hæc eo notabiliora erant, quod ipse in appellandis venerandisque singulis, & universis, prope excesserat humanitatis modum. Dissentiens in curia a Q. [1] Haterio, *Ignoscas*, inquit, *rogo, si quid adversus te liberius, sicut Senator,* [2] *dixero.* Et inde omnes alloquens, *Dixi & nunc & sæpe alias P. C. bonum & salutarem Principem, quem vos tanta & tam libera potestate instruxistis, Senatui servire debere, & universis civibus sæpe, & plerumque etiam singulis: neque id dixisse me pœnitet, & bonos & æquos & faventes vos habui* [3] *dominos & adhuc habeo.*

NOTÆ.

1. *Haterio*] Illo verosimiliter de quo supra cap. 7. Tacitus Annal. 1. *Suspicacem animum perstrinxere. Haterius cum dixisset, Quousque patieris, Cæsar, non adesse caput Reipublicæ? Scaurus quia, &c. in Haterium statim invectus est. Scaurum cui implacabilius irascebatur, silentio transiit.*

2. *Dixero*] Quidam legebant *dixi* & *dixit*. Emendavit Torrentius ex vet. cod.

3. *Dominos*] Hoc est, quod dixit excessisse civilitatis modum: sed eos diu dominos non habuit, quibus paulo post durius quam servis dominatus est.

CAPUT XXX.

QUINETIAM [1] speciem libertatis quandam induxit, conservatis Senatui ac Magistratibus & majestate pristina & potestate: neque tam parvum quidquam, neque tam magnum publici privatique negotii fuit, de quo non ad P. C. referretur. De vectigalibus ac [2] monopoliis, de exstruendis reficiendisve operibus, etiam de legendo vel [3] exauctorando milite, ac legionum & auxiliorum descriptione: denique quibus imperium prorogari, aut extraordinaria bella mandari, quid & qua forma Regum literis rescribi placeret. [4] Præfectum alæ, de vi & rapinis reum, causam in Senatu dicere coëgit. Nunquam curiam nisi solus intravit: lectica quondam introlatus æger, [5] comites a se removit.

NOTÆ

NOTÆ.

1. *Speciem libertatis*] His omnibus civilitatis indiciis, quæ hoc & sequenti capite memorantur, Dio in Actis anni 768 addit solitum dicere se non nisi servorum Dominum, exercituum Imperatorem, reliquis duntaxat antepositum, &c. *Non tamen ideo fidem faciebat civilis animi.* Auctor Tacitus 1. Annal. Verum donec firmaretur imperium, ejus potestatem sub specie nominum suetorum retinebat, maxime quamdiu timendum habuit Germanicum, ut supra cap. 25. & infra Calig. cap. 1. videre est.

2. *Monopoliis*] Monopolium est jus vendendæ certæ cujusdam mercis, quod unus pluresve Principis permissu sibi vendicant, sub onere vectigalis. Sumitur etiam quandoque pro ipso vectigali quod Principi ad monopolium exercendum pendebatur: quod postea Justinianus Imperator abrogavit codice suo, prohibito prorsus monopolio. *L. unica, Cod. de Monopoliis.*

3. *Exauctorando*] Dimittendo. Vide in Augusto cap. 24. & supra cap. 7.

4. *Præfectum alæ*] Vide in Augusto cap. 38. & in Claudio cap. 25. Id quoque ut Senatus auctoritatem magis ac magis extollere se velle probaret: hujus enim caussa, nisi intra vallum agi non debebat, & coram illo qui castris præerat, aut ipso Principe, sed legibus militiæ veteris. Juven. Sat. 16. v. 15. & *L. 3. ff. de re militari.*

5. *Comites*] Quales multi non Principi modo, sed & divitum cuique, maxime si prodirent in judicium. Unde Juven. Sat. 7. v. 141.

Respicit hoc primum qui litigat, an tibi servi
Octo, decem comites, &c.

Martialis quoque passim.

CAPUT XXXI.

QUÆDAM adversus sententiam suam decerni ne questus quidem est. Negante eo, destinatos Magistratus abesse oportere, ut præsentes honori [1] acquiescerent, Prætor designatus [2] liberam legationem impetravit. Iterum [3] censente ut Trebianis legatam in opus novi
5 theatri pecuniam ad munitionem viæ transferre concederetur, obtinere non potuit quin [4] rata voluntas legatoris esset. Cum Senatusconsultum per [5] discessionem forte fieret, transeuntem eum in alteram partem in qua pauciores erant, secutus est nemo. Cætera quoque nonnisi per Magistratus & jure ordinario agebantur: tanta Coss. auctoritate ut Legati
10 ex Africa [6] adierint eos, querentes trahi se a Cæsare, ad quem missi forent. Nec mirum, cum palam esset ipsum quoque eisdem assurgere, & decedere via.

NOTÆ.

1. *Acquiescerent*] Hoc est fruerentur, gauderent honore sibi delato. Hoc verbo iterum utitur infra cap. 56.

2. *Liberam legationem*] Liberæ legationes concedebantur iis, qui cum domestica haberent in Provinciis negotia, hoc honoris mero titulo in illis esse exoptabant. Talis, v. g. stante Republica, fuisset hæc legatio, quam Tiberio, post expletum Tribunitiæ potestatis tempus, ut sine ignominia posset abesse, Livia mater obtinuit, supra cap. 12. Quanquam Lege prohibitæ forent, *rei sua ergo ne quis legatus esto*, ex Cicerone lib. 3. de Legibus; his tamen viri boni iique multi, nomina, hoc est æris alieni exigendi caussa usi sunt, ut patet ex eodem Cicerone in Oratione pro Flacco. Hujusmodi legationem Scipioni Nasicæ decretam a Senatu auctor est Plutarchus in Gracchis, ut posset cum honore secedere, quia Tiberii Gracchi morte maximam apud populum invidiam incurrerat.

3. *Censente ut Trebianis*] Censere quid

Digitized by Google

sit, in Augusto cap. 15. & alibi. Trebia fluvius & oppidum, ille in Gallia Togata Padum influens, hodie itidem *La Trebia:* hoc in Umbria, hodie *Trevi.*

4. *Rata voluntas legatoris*] Patet concessam Testamento pecuniam hanc ab aliquo privato. Sic autem jubet Lex XII. Tabularum, *Uti paterfamilias super pecunia tutelave rei suæ legassit, ita jus esto.* Legassit, hoc est *legaverit.*

5. *Per discessionem*] Ex Gellio lib. 14. cap. 7. Senatusconsultum fiebat *duobus modis; aut per discessionem, si consentirentur; aut si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas.* Quare discessionem facere dicebantur, cum unius sententiæ auctores unum in locum, alius in alium concederent. Hinc *pedibus ire in sententiam alicujus,* apud Ciceronem & Livium toties: hinc & pedarii Senatores, de quibus idem Gellius lib. 3. cap. 18. qui pedibus, non verbis, aliquam se sententiam amplecti significabant, ignari plerumque vel assentatores, quod tamen in majoribus negotiis Augustus immutarat, ut in Augusto cap. 35. Particula *forte* quam Suetonius addidit, indicio est, omnia Senatusconsulta per discessionem facta non fuisse juxta mentem ejus, quo tamen modo facta omnia arbitratur Ateius Capito apud Gellium lib. 14. cap. 7.

6. *Adierint eos querentes trahi*] Hoc est, Consules convenerint, expostulantes sua negotia protrahi in longum & differri infecta.

CAPUT XXXII.

CORRIPUIT [1] consulares exercitibus præpositos, quod non de rebus gestis [2] Senatui scriberent: quodque de tribuendis quibusdam militaribus donis ad se referrent: quasi non omnium tribuendorum ipsi [3] jus haberent. Prætorem collaudavit, quod honore inito, [4] consuetudinem antiquam retulisset de majoribus suis pro concione memorandi. Quorumdam illustrium exsequias [5] usque ad rogum frequentavit. Parem moderationem minoribus quoque & personis & rebus exhibuit: cum Rhodiorum Magistratus, quod literas publicas sine [6] subscriptione ad se dederant, evocasset, ne verbo quidem insectatus, ac tantummodo jussos scribere remisit. Diogenes Grammaticus disputare [7] Sabbatis Rhodi solitus, venientem, ut se [8] extra ordinem audiret, non admiserat; ac per servulum suum in septimum diem distulerat. Hunc Romæ salutandi sui caussa pro foribus adstantem, nihil amplius quam ut post septimum annum rediret, admonuit. Præsidibus onerandas tributo Provincias suadentibus rescripsit, [9] *Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere.*

NOTÆ.

1. *Consulares*] De his & proconsularibus, in Augusto cap. 47.

2. *Senatui scriberent*] Ex more qui tum invaluerat cum stabat Respublica.

3. *Jus haberent*] Exemplum habes apud Tacitum 3. Annal. *Eo pratio Rufus Helvius servati civis decus retulit, donatusque est ab Apronio torquibus & hasta. Cæsar addidit civicam ebronam, quod non sum quoque Apronius jure Proconsulis tribuisset, questus magis quam offensus.* De militaribus donis, Aug. cap. 8. & 25.

4. *Consuetudinem*] Novi Magistratus honore inito, Populo gratias egebant Oratione celebri qua & de majoribus suis commemorandi potestas erat. Quod genus honoris uni postea Principi delatum est, eodem tamen die, Calendis nempe Januariis, a novis Consulibus Oratione panegyrica. Quod Senatusconsulto jussum indicat Plinius Panegyrico ad Trajanum. Quod a Præsidibus Provinciarum observatum quoque narrat Dio lib. 58.

5. *Usque ad rogum*] Casaubonus colligit ex hoc loco Principes non prosecutos funeris pompam nisi usque in forum, ubi

Digitized by Google

laudatione pro Roſtris peracta, cum ad cremandum extra urbem cadaver, cæteri procederent, ſeſe ipſi recipiebant, ſed & plerosque alios id factitaſſe, colligere eſt ex illo Propertii diſticho, ubi Cynthia de ſuo funere loquens ait:

Si piguit portas ultra procedere, at illud
Juſſiſſes lectum lentius ire meum.

Quo tamen in officio Tiberius id quoque civilitatis adjungebat, ut extra portas uſque ad rogum ipſum comitaretur pompas funebres illuſtrium. De funebribus ceremoniis in Julio cap. 84. & 85.

6. *Subſcriptionem*] Subſcriptiones ejuſmodi non erant nominum, ſed clauſulæ quædam iis literis adhibitæ, quas ad Principem mittebant, cujuſmodi ſunt vota pro Imperii Imperatoriſque ſalute. Quod & Caſaubonus hîc, & Briſſonius libro 8. de Formulis ſuſpicantur, ex Dionis lib. 57. ubi Auctor ille accerſitos dicit Rhodios Magiſtratus, quia mittentes ad ipſum quidpiam δίκας, hoc eſt *preces*, non fecerant; & ſimile quid etiam colligas ex illo Fragmento Auguſti ad Tiberium epiſtolæ ſupra c. 21. & ex Plinii epiſtola 1. lib. 10. quæ eſt ad Trajanum. Exempla etiam Epiſtolarum ejuſmodi paſſim apud Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ, in quibus tamen omnibus non extat clauſula.

7. *Sabbatis*] De Judæorum Sabbatis in Auguſto cap. 76. Verum quid huic Grammatico Rhodio cum illis? Torrentius exiſtimat Judaica illum Religione imbutum, ac more Judæorum Sabbati diebus de divinitate rerumque principiis diſputaſſe, cujus audiendi cupidus Tiberius illum adiezit alio die quam Sabbati, poſtulans ut præter conſuetudinem ſuam, res illas agitaret. Caſaubonus autem ideo ſcriptum hoc cenſet, quia ſparſis per orbem Judæis, mos ille jam tum invaluerat, ut in vitæ quotidianæ functionibus hebdomadas obſervarent etiam non Judæi; unde Sabbati quoque nomen aliqui retinuerint, ut Rhodius ille Grammaticus, qui Sabbatis ſingulis, hoc eſt ſeptimo quoque die, diſputaret. Certe ex Joſepho lib. 2. adverſus Appionem patet nullam ferme (ſuo ſaltem tempore) Græcam urbem fuiſſe in qua ſeptimus dies peculiari honore cultus non eſſet, non modo ceſſatione ab omni opere, ſed & lampadibus accenſis, quin & jejuniis & ſibi a quibuſdam cibis temperando.

8. *Extra ordinem*] Hoc eſt, die vel hora qua ſibi diſputare moris non eſſet. Sic ſeptimo quoque die ferias pueris concedere ſolebant, ex Gellio lib. 15. cap. 2. de ſeipſo loquente. Diſputationem autem illam intelligunt declamationem publicam, qua ille Rhodius, ut & alii bene multi, artem oſtentarent, ut de Antonio Gnipho ne Suetonius lib. de illuſtr. Grammat. c. 7. & de Rhetoribus diſcipulos ſuos in id exercentibus Juven Sat. 7.

Nil ſalit Arcadico juveni cujus mihi ſexta
Quaque die, miſerum dirus caput Annibal implet.

9. *Boni paſtoris*] Hanc ſententiam ex Batonis Dalmatæ reſponſo natam colligunt; is enim interrogatus à Tiberio cur rebellaſſet, Quia, inquit, ad greges veſtros non canes, aut paſtores, ſed lupos cuſtodes mittitis: ὅτι ἐπὶ τοῖς ἀγέλαις ὑμῶν φύλακας ἀντὶ ποιμένων ἀπὸ λύκους πέμπετε.

CAPUT XXXIII.

PAULLATIM Principem [1] exercuit, præſtititque: etſi varium diu, commodiorem tamen ſæpius, & ad utilitates publicas proniorem. Ac primo eatenus interveniebat ne quid perperam fieret. Itaque & conſtitutiones quaſdam Senatus reſcidit: & Magiſtratibus pro tribunali cognoſcentibus plerumque ſe offerebat [2] conſiliarium, aſſidebatque miſtim, vel ex adverſo in [3] parte primori: & ſi quem reorum elabi gratia rumor eſſet, ſubitus aderat, judiceſque aut e [4] plano, aut e [5] quæſitoris tribunali, legum & [6] religionis, & noxæ de qua cognoſcerent, admonebat: atque etiam ſi qua in publicis moribus deſidia aut mala conſuetudine labarent, corrigenda ſuſcepit.

NOTÆ.

1. *Exercuit*] Casaubonus in Vitterbiensi codice legit *exemit*: in Pithœi codicibus *exeruit*, quod Turnebo placet lib. 14. Adversar. cap. 17. & significantius est, *principem exerere*, hoc est *agere principem*, vel *pro principe se gerere*, quod tum latine, tum græce eleganter dici multis utriusque linguæ testimoniis probat Casaubonus.

2. *Consiliarium*] Prætores aliique Magistratus quibus dirimendæ lites erant, Consiliarios sibi quosdam assumebant, quorum sententia juvarentur in judicando, ut de Augusto ipso supra in Augusto capite 35. ex Dione notatum est, & Cicero de seipso testatur libro de Amicitia, *Aderam Lanati, & Rutilio Coss. in consilio.* Et de clariis Orat. *Consules re audita amplius de consilii sententia pronunciant.* Et multis aliis locis. Hinc illæ notæ D. S. C. hoc est de Sententia Consilii. Et Spartianus in Hadriano, &c.

3. *In parte primori*] Tacitus 1. Annal. partem hanc primorem, cornu Tribunalis, appellat. Torrentius illam honoratiorem esse dicit, quod nisi respectu Judicum, verum esse non potest, salva Taciti sententia; ideo enim factum narrat, *ne Prætorem Cæruli depelleret.*

4. *De plano*] Magistratus dicitur aliquid statuere de plano, cum non in excelso præparatoque loco, quale est Tribunal, sed in transitu vel ubicunque se dat occasio sine strepitu judiciorumque solennibus.

5. *Quæstoris*] Ille est qui quæstioni præerat, de quo in Julio cap. 12.

6. *Religionis*] Jurabant enim *omnimodo se cum veritate, & legum observatione, judicium esse disposituros.* Lege ult. codice de Judiciis, &c.

CAPUT XXXIV.

LUDORUM ac [1] munerum impensas corripuit: mercedibus scenicorum rescissis, paribusque gladiatorum [2] ad certum numerum redactis. [3] Corinthiorum vasorum pretia in immensum exarsisse, [4] trescque mullos xxx. millibus nummûm venisse, graviter conquestus, adhibendum suppellectili modum censuit: [5] annonamque macelli, Senatus arbitratu, quotannis temperandam, dato [6] ædilibus negotio, popinas [7] ganeasque usque eo inhibendi, ut ne [8] opera quidem pistoria proponi venalia sinerent. Et ut parcimoniam publicam exemplo quoque juvaret, [9] solennibus ipse cœnis pridiana sæpe ac [10] semesa opsonia apposuit, [11] dimidiatumque aprum; affirmans, [12] *Omnia eadem habere quæ totum.* [13] Quotidiana oscula prohibuit edicto: item [14] strenarum commercium, ne ultra Kalendas Januarias exerceretur. Consueverat & quadruplam strenam & de [15] manu reddere: sed offensus interpellari se toto mense ab iis qui potestatem sui die festo non habuissent, ultra non reddidit.

NOTÆ.

1. *Munerum*] Munera, gladiatorum intelligit spectacula. Vide in Julio cap. 39. & Augusto cap. 43. ubi de ludis & muneribus.

2. *Ad certum numerum*] Quod Julii temporibus constitutum, ut in Julio cap. 10. non obtinuerat, & a Tiberio instauratum diu quoque non obtinuit; edicto quippe Caligula permisit exhibere quot paria gladiatorum vellent. De quo plura apud Lipsium lib. 1. Saturnal. cap. 12.

3. *Corinthiorum*] Supra in Augusto c. 70. dicuntur *exarsisse*; hoc est, in immensum auctum fuisse pretium illorum. Quo sensu Varro 3. de Re Rustica: *Cœna collegiorum excandefaciunt annonam macelli.*

4. *Tresque mullos*] Mulli sunt pisces quos Cicero & Varro appellant *Barbatulos*

Digitized by Google

& *Barbates*. Pretiosissimi fuere apud Priscos, sed tribus libris non ponderosiores, ut ex Horatii Satyra 2. lib. 2. colligere est:

Laudas insane trilibrem
Mullum in singula, quem imminuas
pulmenta necesse est.

quamvis ad sex usque libras aliquos appendisse videatur, ex Juvenalis Sat. 4. v. 15.

mullum sex millibus emit
Æquantem sane paribus sestertia libris.

Quod tamen pondus adulatione supra modum auctum hoc indicat quod addit:

Ut perhibent qui de magnis, majora
loquuntur.

Triginta porro millia juxta nostras rationes sunt 1312 lib. 10 ſ quod a Plinio prætermissum Torrentius miratur, nec injuria, Auctor siquidem ille lib. 9. cap. 17. notatu dignum censuit quod, Caligula Principe, Asinius Celer mullum octo millibus emisset. Sed nec hujus rei meminit Seneca libris Quæst. Natur. ubi tam multa de mullis, & circa ipsos luxuria. Et Epistola 95. ubi loquitur de mullo quem *Tiberius Cæsar missum sibi cum in macellum deferri & venire jussisset, Amici, inquit, omnia me fallunt, nisi istum mullum aut Apicius emerit, aut P. Octavius*, &c. Quod ita factum est, & mullus ille quinque millibus ab Octavio emptus. Certe illi Auctores non videntur hoc, de quo hîc sermo est, ignorare, si verum est, potuisse; aut si resciviſſent, tacituri.

5. *Annonam macelli*] Legibus sumptuariis de quibus Jul. cap. 43. & Aug. cap. 34. Huic etiam impensæ modus ponebatur.

6. *Ædilibus negotio*] Quod ipsorum, stante Republica, munus erat, ut patet ex Halicarnassei lib. 6. quanquam id Censores sibi quoque sumebant aliquando, si luxum hac parte coërcendum censerent.

7. *Ganea*] Festus: *Ganeum Antiqui locum abditum ac velut sub terra dixerunt*. Et Nonius: *Sunt loca vinulentia ac libidini apta.*

8. *Opera pistoria*] Quæ a pistoribus multiplices in formas effingebantur, v. g. placentulas, scriblitas, hamos, lacertulos, spicas, globulos, &c. Martialis Apophoret. 222. cui lemma, *Pistor dulciarius*:

Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Extruit, &c.

9. *Solennibus cœnis*] Quales fiebant diebus festis, vel publice vel privatim, ut Calendis, Natalibus, Saturnalibus, Nuptiis, &c. quibus lautius epulabantur.

10. *Semesa obsonia*] Torrentius ex uno codice in quo non extat vox *obsonia*, & ex altero unde abest conjunctio *que*, totum locum ita componit *solennibus ipse cœnis pridiana sape ac semesa apposuit, dimidiatum aprum affirmans omnia eadem habere quæ totum*. Quæ lectio plana quidem est & simplex, at vulgata non clarior, nec alio sensu intelligenda; siquidem eosdem iterum cibos non intactos, sed semesos apponi sibi voluisse Tiberium utrobique patet.

11. *Dimidiatum aprum*] Bini & terni nonnumquam in cœnis illis apri simul apponebantur, ut patet ex Plinii lib. 8. c. 51. Quin & singulis convivis singulos apros, in quadratis quibusdam lancibus appositos auctor est Athenæus lib. 9. cap. 14. eosque Erymanthæos, ne porculos credideris, atque argenteis venabulis transfixos. Et Seneca Epist. 110. quorumdam meminit milliariorum, qui scilicet mille pondo essent. Hinc Juven. Sat. 1. exclamat:

quanta est gula quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter convivia
natum.

12. *Omnia eadem habere*] Casaubonus ex Hipocratis libro de locis in homine existimat hoc juxta Philosophorum mentem pronunciatum a Tiberio fuisse, quasi idem sensisset quod Auctor ille, partium nempe consensionem eam esse ut nulla principium sit alterius, quasi in circulo, nec in maxima corporis parte quicquam inesse quod non sit in earumdem minima, τὸ σώματος τὸ ξυμπεφυκὸς πάντα ἔχει ὅσπερ καὶ τὸ μέγιστον. Quod certe a Tiberio sic intellectum esse potuit, aut aliquo alio sensu non ita obvio; verumtamen videtur aliud intelligere nihil, nisi quod apri exacte dimidiati, altera medietas nihil habeat quod non sit in utraque.

1. *Quotidiana oscula*] De his jam supra in Cæsare cap. 13. & infra Claudii cap. 26. Neronis cap. 37. &c. Ex quibus colligere est hoc edicto non prohibita oscula nisi quæ dabantur passim ab obviis summa quandoque molestia: quem morem Domitiani temporibus iterum invaluisse testatur Martialis lib. 11. Epig. 99.

Effugere non est Basse basiatores (runt,
Instant, morantur, persequuntur, occur-

Digitized by Google

Et hinc, & illinc, usquequaque, quacunque. &c.

Quod edictum Casaubonus eo consilio Tiberium promulgasse credit, ne, quia quotidianis ejusmodi osculis morosus ille gravabatur, vitio ipsi verterent quod ab illis abstineret, aut potius ut majestati suæ consultum esset. Valerius enim Maximus lib. 2. cap. 1. in fine, hoc nomine Reges Numidas laudat, quia *nulli mortalium osculum ferebant.* Quicquid enim *in excelso fastigio positum est, humili & trita consuetudine, quo sit venerabilius, vacuum esse oportet.*

14. *Strenarum*] De his supra in Augusto cap. 57. Commercium dicit quia vicissim dabantur xenia seu strenæ, & remittebantur apophoreta: Unde etiam Martialis strenas Saturnalitias duobus libris distinxit strenarum & apophoretorum.

15. *De manu*] Non per dispensatorem: quo loco Torrentius miratur quadruplum a Tiberio redditum, cum Augustus non nisi tantumdem aut duplum remitteret. Dio Auctorem illum sub Calendarum tempus abesse solitum, ne strenas acciperet, quod ab Augusto factitatum improbabat, nempe propter molestiam & impensas. Utut est, Principes illos suo quemque more strenas accepisse, & reddidisse, colligere est ex cap. 42. in Caligula.

CAPUT XXXV.

[1] MATRONAS prostratæ pudicitiæ, quibus [2] accusator publicus deesset, ut [3] propinqui more majorum de communi sententia coërcerent, auctor fuit. Equiti Romano jurisjurandi [4] gratiam fecit, ut uxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se numquam repudiaturum ante juraverat. [5] Fœminæ famosæ, ut ad evitandas [6] legum pœnas [7] jure ac dignitate matronali exsolverentur, [8] lenocinium profiteri cœperant: & ex juventute utriusque ordinis profligatissimus quisque, quo minus in opera scenæ arenæque edenda [9] Senatusconsulto tenerentur, famosi judicii notam sponte subibant. [10] Eos easque omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset, exsilio affecit. Senatori [11] latum clavum ademit, cum cognovisset [12] sub Kal. Julii demigrasse in hortos, quo vilius post diem ædes in Urbe conduceret. Alium & Quæstura removit, quod uxorem [13] pridie sortitionem ductam, postridie repudiasset.

NOTÆ.

1. *Matronas*] *Idonei vocum antiquarum enarratores tradiderunt matronam dictam esse proprie, quæ in matrimonium cum viro convenisset, quoad in eo matrimonio maneret, etiamsi liberi nondum nati forent: dictamque esse a matris nomine, non adepto jam, sed cum omine & spe mox adipiscendi. unde ipsum quoque matrimonium dicitur.* Gellius lib. 18. cap. 6.

2. *Accusator publicus*] Adulterium enim ex iis criminibus erat, quæ publico judicio coërcebantur; eo nempe quod quilibet e populo poterat intendere. De quo plura videsis in Institutionibus Justiniani lib. 4. tit. 18 & in tribus libris Sigonii quos de Judiciis conscripsit, &c. In hac tamen adulterii accusatione, pater marituſque mulieris impudicæ præferebantur, ut patet ex eo Legis Juliæ *de adulteriis* fragmento, quod inter alia collegit & retulit Barnabas Brissonius lib. 2. de Formulis, ac peculiari super his Commentario: *Viro patrique qui in potestate habet sexaginta dies utiles ad accusandum dantur; intraque eos dies cuilibet præferantur: post eos dies patri maritoque lapsos, extranei quilibet admittuntur.*

3. *Propinqui more majorum*] Ante Legem Juliam, de qua jam supra in Augusto cap. 5. & alibi, pœna adulteriis publica certaque nulla fuit; quæ enim præcesserant Leges Scantinia, vel Scatinia, & aliæ, ex non adulteriis magis quam alii cuivis impudico facinori, ac nefandis præsertim libidinibus pœnas leves, utpote multatitias

Digitized by Google

duntaxat irrogabant : sed impudicarum mulierum coërcitionem habebant, earumdem propinqui & necessarii. Tacitus lib. 13. Annal. *Plautus prisco instituto propinquis coram, de capite famaque conjugis cognovit.* Livius lib. 9. Decad. 4. ac præsertim Dionysius Halicarnasseus lib. 2. Valer. Maximus lib. 6. cap. 3. &c.

4. *Gratiam fecit*] De hac loquendi ratione jam supra cap. 16. in Augusto. Hinc colligere est ejusmodi gratiam ab Imperatoribus collatam, & confirmat Lex 38. ff. *ad municipalem de Incolis*, ubi Papirius Justus auctor est jurisjurandi quoque gratiam ab Antonino & Vero factam, *ei qui juraverat se ordini non interfuturum, & postea Duumvir creatus esset.* In Salmasii codice legitur *jusjurandi.*

5. *Fœmina famosa*] Posterius vocabulum fere semper in malam partem accipitur; unde non immerito illud abundare dicit F. Ursinus, eo magis quod in veteri codice non Legi affirmet.

6. *Legum pœnas*] Quales erant relegatio, vel deportatio, de quibus in Augusto cap. 5. His pœnis mulieres infames tanquam censura Legum indignas non adstrinxerat Lex Julia de adulteriis. Quapropter matronæ quædam impudicæ lenocinium sponte profitebantur apud Ædiles: quod fieri oportebat, ut infames factæ, libidini suæ tuto possent indulgere. Tacitus 2. Annal. *Vistilia licentiam stupri apud Ædiles vulgaverat, more inter Veteres recepto, qui satis pœnarum adversus impudicas in ipsa professione flagitii credebant.*

7. *Jure matronali*] Hoc situm erat in peragendis quibusdam sacrificiis & in usu stolæ, qua matronæ induebantur ad impudicarum differentiam toga, eaque succincta utentium, stola quippe ad pedes imos demittebatur.

8. *Lenocinium*] Lenocinium is facere dicitur, qui liberos vel servos prostitutos habet. Seneca lib. 7. de Beneficiis cap. 4. *Is, inquis, cujus prostituta sunt, leno est.* De quo plura & Jureconsulti Lege 4. §. 1. ff. *De his qui notantur infamia*, &c.

9. *Senatusconsulto*] Quo cautum est ne Equestris aut Senatorii ordinis viri descenderent in arenam, de quo verosimiliter supra Aug. cap. 43. Hoc certe quanquam Senatusconsulto prohibitum ante non esset, infame tamen erat, ut ex lib. 1. cap. 39 constat.

10. *Eos easque omnes*] Meminit quoque ejus rei Tacitus Annal. 2. ubi de Vestilia loquitur.

11. *Latum clavum*] Supra in Julio cap. 45. & Aug. c. 38. & 94. &c.

12. *Sub Calendas Julii*] Quo die domicilium mutare moris erat iis, qui in conducto habitabant, ut Martialis indicat acerbo illo Epigrammate quod est 32. libri 12.

O Juliarum dedecus Calendarum
Vidi Vacerra sarcinas tuas, vidi, &c.

Igitur sensus est, Senatorem illum ad Calendas Julias ædem non conduxisse, ut suetο locationum tempore transacto, vilius postea, sive ab eodem sive ab alio locatore conduceret, cum jam se locaturos ultra non sperarent.

13. *Pridie sortitionem*] Ita in Memoriano Casaubonus. Vulgati legebant *sortitione*, alii *sortitionis.* Priori videretur sorte acceptam ab illo Quæstore conjugem: quo pacto apud Plautum in Casina Act. 2. Scen. 5. & 6. Chalynus & Olympio sortiuntur, uter Casinam conjugem sit habiturus. Juxta lectionem nostram intelligendum potius est de sortitione illa Quæstoris vel Quæsitoris, de qua in Julio cap. 11. & Augusto cap. 29. quod nempe Quæstor ille adepta dignitate ut majores se divitias adepturum, ita & ditiorem ducturum speraret uxorem. Alii referunt ad Legem Papiam, quæ cum cœlibes arceret a Magistratibus, eam tali matrimonio ille Quæstor eludebat.

CAPUT XXXVI.

[1] EXTERNAS cærimonias, [2] Ægyptios Judaicosque ritus compescuit: coactis qui superstitione ea tenebantur, [3] religiosas vestes cum [4] instrumento omni comburere. Judæorum juventutem, per speciem [5] sacramenti, in Provincias [6] gravioris cœli distribuit: reliquos
5 gentis ejusdem, vel similia sectantes, urbe submovit, sub pœna perpetuæ

ſervitutis, niſi obtemperaſſent. Expulit & [7] Mathematicos: ſed deprecantibus, ac ſe artem deſituros promittentibus, veniam dedit.

NOTÆ.

1. *Externas cæremonias*] Idem ab Auguſto factum Aug. cap. 93.

2. *Ægyptios*] Fuſe cauſſas referunt Joſephus lib. 18. Antiquitatum cap. 4. & 5. & Hegeſippus lib. 2. Hiſtor. ubi Paulinæ ab Ægyptiacis Sacerdotibus, & Fulviæ a Judæis quibuſdam fugitivis varie deceptarum hiſtorias referunt.

3. *Religioſas veſte*] Judæorum videſis apud Joſephum lib. 3. Antiquitatum cap. 8. Ægyptiorum apud Herodotum lib. 2. c. 37. & Apuleium libro ult. Metam. & quædam infra Domit. cap. 1. & Othon. 12.

4. *Inſtrumento*] Hoc eſt reliquo ſacrorum apparatu, quales erant lucernæ, menſæ, thuribulum, &c.

5. *Sacraments*] Militaris ſcilicet, de quo ſupra in Julio cap. 42. & Aug. 24. &c.

6. *Gravioris cœli*] Quatuor millia in Sardiniam miſſa refert Joſephus lib. 18. Antiquitatum cap. 5. Quam Inſulam cœli admodum inclementis eſſe indicat Martialis Epigrammate 60. lib. 4.

Nulla fata loco poſſis excludere; cum mors
Venerit in medio Tibure, Sardinia eſt.

7. *Mathematicos*] Horum appellatione, & hîc & ſupra, intelligendi duntaxat qui Aſtrologiam aliaſque divinatorias artes profitebantur, qui quia vana futurorum prædictione ſæpe multis illudebant, vel etiam forſan hac ipſa de cauſa quod vera quandoque prædicerent, Tiberio non placebant. De quibus multa apud Tacitum paſſim.

CAPUT XXXVII.

INPRIMIS tuendæ pacis a [1] graſſaturis ac latrociniis ſeditionumque licentia curam habuit. Stationes militum per Italiam ſolito frequentiores diſpoſuit. Romæ caſtra conſtituit, quibus [2] Prætorianæ cohortes, vagæ ante id tempus, & [3] per hoſpitia diſperſæ, continerentur. Populares tumultus exortos graviſſime coërcuit; & ne orirentur ſedulo cavit. Cæde in theatro per diſcordiam admiſſa, [4] capita factionum & hiſtriones, propter quos [5] diſſidebatur, relegavit; nec ut revocaret, umquam ullis populi precibus potuit evinci. Cum [6] Pollentina plebs funus cujuſdam [7] primipilaris non prius [8] ex foro miſiſſet, quam [9] extorta pecunia per vim heredibus ad gladiatorium munus; cohortem ab urbe, & aliam a [10] Cotti regno, diſſimulata itineris cauſſa, detectis repente armis, concinentibuſque ſignis, per diverſas portas in oppidum immiſit; ac partem majorem plebis ac [11] decurionum in perpetua vincula conjecit. Abolevit & [12] jus, moremque aſylorum, quæ uſquam erant. [13] Cyzicenis in cives Romanos violentius quædam auſis, publice libertatem ademit, quam [14] Mithridatico bello meruerant. Hoſtiles motus, nulla poſtea expeditione ſuſcepta, per legatos compeſcuit: nec per eos quidem, niſi cunctanter & [15] neceſſario. Reges infeſtos ſuſpectoſque comminationibus magis & querelis quam vi repreſſit. Quoſdam per blanditias atque promiſſa extractos ad ſe non remiſit; ut [16] Maraboduum Germanum, [17] Thraſcypolim Thracem, Archelaum [18] Cappadocem, cujus etiam Regnum in formam Provinciæ redegit.

NOTÆ.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Grassaturis*] Supra in Augusto cap. 32.

2. *Prætorianæ cohortes*] Quid sint, in Augusto cap. 100. Inde castra illa Prætoria de quibus hîc agitur, prope Urbis muros collocata versus orientem Solem, forma quadrata, inter portas Viminalem & Tiburtinam, ut refert Onuphrius, & colligi potest ex Nerone cap. 48.

3. *Per hospitia*] Hoc est per domos Romanas, in Augusto cap. 49. quod impulsu Sejani factum narrat Tacitus lib. 4. Annal.

4. *Capita factionum*] Hoc est, Principes cujuslibet factionis histrionicæ Unde colligere est histrionum quemadmodum & quadrigariorum factiones appellatas fuisse, de quibus infra in Caligula cap. 18. & 55. & Nerone cap. 26.

5. *Dissidebatur*] Eodem forte aut simili modo quo supra in Augusto cap 45. Dissidium ejusmodi Justiniani ævo in tantum exarsisse refert Zonaras, ut eo quadraginta hominum millia ceciderint: quæ causa Justiniano fuerit factiones penitus abolendi.

6. *Pollentina plebs*] Pollentiæ plures, alia in Balearibus Insulis, alia in agro Piceno, tertia in regionibus Alpinis. De hac potissimum intelligendum esse locum hunc, Probare videtur, quod de Cotii regno subjicit, erat enim in iis regionibus, quas ejus ideireo nomine Cotias Alpes nuncupavere, quod eas, auctore Ammiano, molibus magnis post Gallos perdomitos extructis, compendiarias & viatoribus opportunas reddidisset. In eo tractu sunt quem hodie *Monicenu* vel *Mon Genebre* appellamus. Pollentia vero *Palanza* vel *Polenzo*, lanis quondam suis celebris fuit. Silius Italicus lib. 8.

Fuscique ferax Pollentia villi.

Hanc Ptolemæus lib. 3. cap. 1. Liguribus attribuit.

7. *Primipilaris*] Hoc est primi Centurionis, qui *non solum aquila præerat, sed etiam quatuor centurias in prima acie gubernabat*, ut ait Vegetius lib. 2. cap. 8. Cum autem in primipili tutela foret aquila legionis, inde manavit ut aquilam pro ipso Principatus munere sumptam reperias apud Plinium lib. 14 c 1. Et Lipsius lib 2. de Militia Romana, Dialog. 8 sic intelligit hunc Juvenalis Sat. 14. versum,

Ut locupletem aquilam sibi sexagesimus annus
Adferat, &c.

De his videsis plura apud eundem Lipsium ibidem sub finem, ubi de primipilorum commodis & divitiis legere est: non pauca Manipuli ex Polybio, juxta Lipsii emendationem lib. 2. Dialog. 3. Singuli tres partes habebant, earum unaquæque prima, pilus dicebatur, &c.

8. *Ex foro*] Ad pompam funebrem, de qua supra in Julio cap. 84. & Aug. cap. 101.

9. *Extorta pecunia*] De hac tanta spectaculorum aviditate jam supra nonnihil in Augusto.

10. *Cotii*] Ursinus legendum hîc volebat *Cotys*, sed male, ut notavit Casaubonus. Roberti Stephani editio una cum veteribus habet *Cottii*, unde *Cottia Alpes* legendum colligas.

11. *Decursionum*] Quinam hi in coloniis essent, supra in Augusto cap. 46.

12. *Jus asylorum*] Asylum locus erat inviolabilis, unde ad pœnam extrahi nemo poterat, quale aperuit in Capitolio Romulus, quale erat in Templo Apollinis Delii, Ephesinæ Dianæ, &c. quale & hodie in Templis multis præsertim Italiæ.

13. *Cyzicenis libertatem ademit*] De his Aug. cap 47 Cyzicus urbs est & insula Propontidis ferme juncta continenti Mysiæ, hodie *Chizico* vel, ut aliis placet, *Spiga*. Libertas illa de qua hîc, in eo præcipue posita erat, ut a vectigalibus immunes suis se legibus regerent.

14. *Mithridatico bello*] Cum enim arcte obsessi tenerentur a Mithridate, ad ultimam sui perniciem in fide manserunt: quare Lucullus, prostratis hostibus, eos libertate donavit, eratque eorum civitas, & agri ampli post sione dives, & cum Asiæ pulcherrimis componenda. De qua plura habet Strabo lib. 12.

15. *Necessario*] *Nihil enim*, inquit Tacitus lib. 2. *ipsum tam anxium habuit quam ne composita turbarentur.*

16. *Marobodum*] Torrentii libri habent *Marabodum* aut *Marobodum*.

17. *Thrascypolim*] Alii *Rascypolim*. Tacitus & Dio *Hescuporim* & *Rascuporim* vocant; Fuerunt hujus nominis in Thraciæ Reges, quorum meminit Cæsar 3. de Bello civili. Lucanus lib. 5. &c.

18. *Cappadocem*] Cappadocia Asiæ regio ampla, &c.

Digitized by Google

CAPUT XXXVIII.

BIENNIO continuo post adeptum imperium, pedem porta non extulit: sequenti tempore, præterquam in propinqua oppida, & cum longissime, [1] Antio tenus nusquam abfuit: idque perraro & paucos dies, quamvis provincias quoque & exercitus revisurum se sæpe pronuntiasset; & prope quotannis profectionem præpararet; vehiculis comprehensis, commeatibus per municipia & colonias dispositis. Ad extremum vota pro itu & reditu suo suscipi passus, ut vulgo jam per jocum [2] *Callipides* vocaretur: quem cursitare ac ne cubiti quidem mensuram progredi, proverbio Græco notatum est.

NOTÆ.

1. *Antio*] De quo quantum ab urbe distaret, supra dictum est in Augusto c. 58.

2. *Callipides*] Beroaldus ex Plutarcho in Apophtegmatis Laconicis notat, Agesilai Magni temporibus appellatum sic fuisse mimum quemdam, qui prout fabulæ argumentum exigebat, modo discurraret, modo resiliret, nec quanquam celerrime moveretur, ultra cubiti longitudinem procederet. Hujus appellatione ii dicti sunt postea qui multa incipientes aut simulantes, nihil tamen promovebant. Quæ explicandi ratio iis longe præstat quæ afferunt alii de *Gallipede*, hoc est Galli gallinacei instar currente; alii de *Gallipedibus* Indiæ populis, quos ob tardum fortasse incessum sic appellatos autumant. Quid enim voci, quæ tota græca est, cum his latinis? Eoque magis, quod res apud Latinos quoque in proverbium ad Græcum abierit: Cicero enim ad Atticum de Varrone scribens lib. 13. Epist. *Biennium præteriit cum ille Καλλιππίδης assiduo cursu cubitum nullum processerit.*

CAPUT XXXIX.

A. U. C. DCCLXXIX

SED orbatus utroque filio; quorum [1] Germanicus in Syria, Drusus Romæ obierat: secessum Campaniæ petiit: constanti & opinione & sermone pene omnium, quasi neque [2] redituru umquam, & cito mortem etiam obiturus: quod paullo minus utrumque evenit. Nam neque Romam amplius rediit; sed & paucos post dies juxta [3] Terracinam [4] in Prætorio, cui speluncæ nomen erat, [5] incœnante eo, complura & ingentia saxa fortuito superne delapsa sunt; multisque convivarum & ministrorum elisis, præter spem evasit.

NOTÆ.

1. *Germanicus*] Adoptivus, ut supra cap. 15. & de ejus obitu infra in Caligula. Drusus autem naturalis ex Agrippina, ut supra cap. 7. Vide infra cap. 52.

2. *Redituru unquam*] Hac de re Tacitus: *Ferebant periti cœlestium iis motibus siderum excessisse Româ Tiberium, ut reditus illi negaretur. Unde exitii causa fuit multis prosperum finem vitæ conjectantibus vulgantibusque.*

3. *Terracinam*] Nomen vetus retinuit. De hac in Julio.

4. *Prætorio*] Hoc est villa, supra in Augusto cap. 72. & Caligula cap. 37. & c. Tacitus lib. 4. Annal. in villa factum dicit.

5. *Incœnante*] Hoc est intus cœnante: quo modo Columella lib. 2. de Re Rustica cap. 18. dixit *impasci*, de pratis loquens: *Ac neque suem velimus impasci, quoniam rostro suffodiat.* Et lib. 6. cap. 5. Et Statius lib. 8. Thebaid. *inservare.*

An tibi felices lucos miseratus Averni
Rector & Elysias dedit inservare volucres.

De Amphimaro loquens. Alias *incœnatus* apud Plautum pro *non cœnato* usurpatur.

Digitized by Google

CAPUT XL.

PEragrata Campania, cum [1] Capuæ [2] Capitolium, [3] Nolæ Templum Auguſti, quam cauſſam profectionis prætenderat, dedicaſſet, Capreas ſe contulit; præcipue delectatus inſula, quod uno parvoque litore adiretur, ſepta undique præruptis immenſæ altitudinis rupibus, & profundo maris. Statimque revocante aſſidua obteſtatione populo, propter cladem, qua apud [4] Fidenas, ſupra XX. hominum millia gladiatorio munere amphitheatri ruina perierant, tranſiit in continentem, poteſtatemque omnibus adeundi ſui fecit; tanto magis quod ab urbe egrediens, ne quis ſe interpellaret, edixerat, ac toto itinere adeuntes ſubmoverat.

Notæ.

1. *Capuæ*] In Julio ad cap. 87.

2. *Capitolium*] Ad ſimilitudinem Romani fortaſſe extructum, cujus meminit & Silius lib. 11. de Campanis loquens:

monſtrant Capitolia celſa
Stellatoſque docent campos, Cereremque benignam.

quale & Beneventi fuiſſe notat Beroaldus. Unde arces alias Capitolii nomine poſtmodum appellatas veroſimile fit ex his Apollinaris verſibus:

Salve Narbo potens ſalubritate
Urbe & rure ſimul bonus videri
Delubris, Capitoliis, monetis, &c.

3. *Nolæ*] Ubi Auguſtus obierat, in Auguſto cap. 98. ubi & de Capreis inſulis.

4. *Fidenas*] Latii oppidum quod nunc in tenuibus incertiſque veſtigiis circa Anienis, Tiberiſque confluentes oſtenditur, auctore Cluverio lib. 3. Introduct. cap. 17. Multitudinem hanc, non Fidenatium, ſed peregrinorum fuiſſe Caſaubonus ex eo colligit quod Fidenæ tunc temporis non multum frequentatæ, ut innuit Horatius lib. 1. Epiſt. ad Bullatium:

Scis Lebedus quam ſit Gabiis deſertior atque Fidenis
Vicus: &c.

CAPUT XLI.

REgressus in inſulam, Reipublicæ quidem curam uſque adeo abjecit, ut poſtea non [1] decurias Equitum unquam ſupplerit: non Tribunos militum Præfectoſque, non Provinciarum Præſides ullos mutaverit: Hiſpaniam & [2] Syriam per aliquot annos ſine [3] conſularibus legatis habuerit: [4] Armeniam a [5] Parthis occupari, [6] Mœſiam a [7] Dacis [8] Sarmatiſque, Gallias a Germanis vaſtari neglexerit; magno dedecore imperii, nec minori diſcrimine.

Notæ.

1. *Decurias Equitum*] Hoc eſt Judicum illorum de quibus in Aug. cap. 29.

2. *Syriam*] Aug. cap. 17.

3. *Conſularibus legatis*] De his quid ſint, in Auguſto cap. 47. Idem habet Tacitus lib. 1. Annalium: *Id quoque morum Tiberii fuit continuare imperia, ac pleroſque ad finem vitæ in iiſdem exercitibus aut juriſdictionibus habere. Cauſa variæ traduntur, alii tædio novæ curæ, ſemel placita pro æternis ſervaviſſe, quidam invidiâ, ne plures frue-rentur, &c.* Et hunc Joſephus lib. 18. ideo laudat, quod hac imperii diuturnitate ditiores, & ſaturi facti, fierent ad rapiendum denique ſegniores.

4. *Armeniam*] Hæc regio Euphrate flumine dividebatur in majorem, quæ hodie *Turcomania, Popul & Curdi*; & minorem, quæ *Perſam & Bozoch* appellantur. In Julio cap. 44.

5. *Parthis*] In Auguſto cap. 8.

6. *Mœſiam*] Supra Macedoniam ac

Digitized by Google

Thraciam, hodie *Servia & Bulgaria.*

7. *Dacis*] Transſilvani ſunt, aliique de quibus in Julio cap. 44.

8. *Sarmatis*] Sarmatas Europæos intelligit qui hodie Poloni.

CAPUT XLII.

CÆTERUM ſecreti licentiam nactus, & quaſi civitatis oculis remotus, cuncta ſimul vitia male diu diſſimulata, tandem profudit: de quibus ſigillatim ab exordio referam. In caſtris tyro etiam tum, propter nimiam vini aviditatem, pro Tiberio, *Biberius*; pro Claudio, [1] *Caldius*; pro Nerone, *Mero* vocabatur. Poſtea Princeps in ipſa publicorum [2] morum correctione cum Pomponio Flacco & L. Piſone noctem continuumque biduum epulando potandoque conſumſit: quorum alteri Syriam Provinciam, alteri [3] Præfecturam Urbis confeſtim detulit, [4] codicillis quoque *jucundiſſimos & omnium horarum amicos* profeſſus. Seſtio Gallo libidinoſo ac prodigo ſeni, olim ab Auguſto ignominia notato, & a ſe ante paucos dies apud Senatum increpito, cœnam ea lege [6] condixit, ne quid ex conſuetudine immutaret aut demeret; utque [7] nudis puellis miniſtrantibus cœnaretur. Ignotiſſimum Quæſturæ candidatum nobiliſſimis antepoſuit, ob epotam in convivio, propinante ſe, vini [8] amphoram. Aſellio Sabino [9] H S. ducenta donavit, pro [10] dialogo, in quo [11] boleti & [12] ficedulæ, & [13] oſtreæ, & [14] turdi certamen induxerat. Novum denique officium inſtituit a [15] voluptatibus, præpoſito Equite Romano T. Cæſonio Priſco.

NOTÆ.

1. *Caldius*] *Caldum* & *calidum* æque dixerunt Antiqui. Martialis lib. 1. Epig. 12.

Iam defeciſſet portantes calda miniſtros.

Caldius autem dictus videtur propter epotiones calidas quibus Antiqui tantopere delectabantur; orto fortaſſe more ob frequentem balneorum uſum, & ipſam quoque ſanitatem; huic enim calidam prodeſſe dicit Athenæus lib. 2. cap. 2. ſi poſt exercitium, jejuni, vel ſolam vel vino miſtam illam bibant. De quo plura in Medicorum libris. Conſuetudinem illam a Græcis ad Romanos defluxiſſe colligas ex Plauto in Curculione Act 2. Scen. 3. v. 28.

Tum iſti Graci palliati, capite operto qui ambulant,
Ubi quid ſurripuere, operto capitulo caldum bibunt
Triſtes atque ebrioſi incedunt, &c.

Socratem ea uſum teſtatur Xenophon de fact. & dict. Socratis, & Laërtæ patri talem parat Ulyſſes apud Homerum Odyſſ. 24. & Acron locum hunc Horatii lib. 3. Ode 19.

quo Chium pretio cadum
Mercemur? Quis aquam temperet ignibus? &c.

Ait, inquam, Interpres ille *temperet, id eſt tepefaciat; nam tepefactis aquis ſolebant Graci vina temperare.* Quæ poſtmodum apud Romanos in uſu fuere frequentiſſimo. De quo facete Plautus in Milite Act. 3. Scen. 2. verſ. 31. ubi de Thermopolio colloquentes Palæſtrio & Lurcio ille ait:

Neque tu bibiſti? Lurcio, di me perdant ſi bibi.

PA. *Qui jam?* Lu. *quia enim abſorbui; nam mihi nimius calor*
Comburebat gutturem.

Martialis lib. 12. Epig. 61.

ne calda Sabello
Deſit; & ut liquidum potet alauda merum.

& Apophoret. 113.

Si calidum potas ardenti Myrrha Falerno.

& innumeris tum ipſius Martialis, tum aliorum Auctorum locis conſtat. Et antiquos quoque Chriſtianos calida uſos pro-

Digitized by Google

bat Justini & Ignatii, aliorumque auctoritas.

2. *Morum correptione*] Quæ cura, stante Republica, Censorum erat, qui singulis quinquenniis creabantur, & in eos translata postmodum est; quos morum Præfectos dixere quam sibi ipsis Cæsar & Augustus arrogaverant, ut supra in Julio cap. 76. & Augusto cap. 27. Alii legunt *correctione*. Quod potest; corrigebant enim & corripiebant, ut de Censorum veterum in mores potestate. Gellius lib. 4. cap. 20.

3. *Præfecturam Urbis*] De hoc munere in Augusto cap. 97. Hæc tam arcta Tiberii cum Lucio Pisone consuetudo persuaserit eumdem fuisse, qui ejusdem Tiberii impulsu Germanicum in Syria veneno sustulit, ut infra in Caligula cap. 2. nisi quod Lucius hic, Cneus ille vocaretur.

4. *Codicillis*] Hoc est vel literis vel pugilaribus, quin & accipi possunt pro diplomatibus, quæ quid sint supra in Augusto cap. 50. Vide & infra cap. 51. &c.

5. *Omnium horarum*] Qui nempe sese tam seriis quam jocis ejus accommodarent.

6. *Condixit*] Hoc est, cœnaturum se denuntiavit; Jurisconsultis enim condictio est denunciatio in certum diem. Hinc condictæ cœnæ ex dicebantur, ad quas convivæ seipsos invitarent. Cicero lib. Famil. Epist. 9. *Cum mihi condixisset, cœnavit apud me.* Et infra Claud. cap. 21. *Subita condictaque cœnula*, &c.

7. *Nudis*] Alii legunt *nullis*. Quod & potest, quasi nempe id unum e consuetudine voluisset immutatum.

8. *Amphoram*] Hæc est liquidorum mensura, quarum partes has refert Budæus lib. 5. de Asse. Capiebat urnas duas, modios tres, congios octo, sextarios quadraginta octo. Sextarius autem Romanus, ut experientia ab eodem facta & ibidem relata colligitur, nostratis *pinta* (qua scilicet Parisiis cauponantes utuntur) dodrantem capit, hoc est tres *semisextariolos*. Qua ratione amphoram qui exsiccaverit, hunc triginta sex nostrates *pintas* hausisse oportuit: quod & idem Budæus dicit credibile fieri.

9. H S. *ducenta*] Hoc est 8750. lib. Singula enim sestertia mille sestertios valent, ut supra in Julio cap. 26. notatum est.

10. *Dialogo*] Quo illa introducebat festiviter inter se certantia de saporis bonitate & mensarum palma.

11. *Boleti*] *Champignon.* Boletum auro argentoque pretiosiorem indicat Martialis in Xeniis Epig. 47.

Argentum atque aurum, facile est laenamque, togamque
Mittere, boletos mittere difficile est.

12. *Ficedula*] *Beccasi*, sic dicta, quod ficis alatur, si Martialem audias Epigrammate sequenti:

Cum me ficus alat, & pascar dulcibus uvis,
Cur nomen potius non dedit uva mihi?

13. *Turdi*] Turdus *une Grive.* Turdos variis modis in turdario ad id extructo saginabant. De his & Martialis ibidem Epigram. 50. & apud Horatium Mœnius Scurra Epist. 15. lib. 1.

cum sit obeso
Nil melius turdo.

14. *Ostrea*] De his multa passim apud Auctores. Laudatissimæ apud Circeios Latii promontorium idem Horatius Sat. 4. lib. 2. vers. 33.

Ostrea Circeis, Miseni oriuntur echini.

ac præsertim apud Plinium de his plura.

15. *Voluptatibus*] Officii nomen quemadmodum *a manu*, *a memoria*, &c. de quibus supra. Xerxes proposuerat olim præmium ei qui voluptatis novum genus inveniisset: quod & de Heliogabalo narrat Lampridius.

CAPUT XLIII.

SECESSU vero Capreensi, etiam [1] sellariam excogitavit sedem arcanarum libidinum; in quam undique conquisiti puellarum & exoletorum greges, monstrosique concubitus repertores, quos [2] *spintrias* appellabat, triplici serie connexi, invicem incestarent se coram ipso, ut
5 adspectu deficientes libidines excitaret. Cubicula plurifariam disposita tabellis ac sigillis lasciviissimarum picturarum & figurarum adornavit, libriisque [3] Elephantidis instruxit; ne cui in opera edenda exemplar

Digitized by Google

[4] impetratæ ſchemæ deeſſet. In ſilvis quoque ac nemoribus paſſim Venereos locos commentus eſt, proſtanteſque per antra & cavas rupes, ex utriuſque ſexus pube, [5] Paniſcorum & Nympharum habitu; palamque jam & vulgato nomine inſulæ abutentes, [6] *Caprineum* dictitabant.

NOTÆ.

1. *Sellariam*] Legunt alii *ſellaria*, utrumque a ſedendo dictum. Loca ſunt in quibus ſellæ erant ad libidinem ordine diſpoſitæ. Alii legunt *cellaria*, quod & poteſt, ut intelligatur de meretricum cellis, cum enim cellæ ſint partes quædam in domibus remotiores a celando dictæ, hinc factum ut hoc nomine manſiunculas illarum appellarent, Juven. Sat. 8.

Et dubitas alta Chionen deducere cella,

& Sat. 6.

ultima cellam
Clauſit, &c.

2. *Spintrias*] Σπινθῆρες, hoc eſt ſcintilla, quod quaſi libidinis & impudicitiæ ſcintillæ fomiteſque eſſent. De hac voce plura Turnebus lib. 5. Adverſ. cap. 1. ubi pro eo qui muliebria patiatur, explicandum cenſet. Et infra Calig. cap. 16. & Vitellii cap. 3. Tacitus lib. 6. initio: *Tuncque primum ignota ante vocabula reperta ſunt, Sellariorum Spintriarum & fœditate loci & multiplici patientia.*

3. *Elephantidis*] Elephantis, quem alii virum, alii feminam exiſtimant, fuit Auctor obſcœni cujuſdam libelli, cujus meminit & Martialis lib. 12. Epig. 43.

Nec molles Elephantidos libelli.

4. *Impetrata ſchema*] Alii *ſcena*, hoc eſt fœdi illius ſpectaculi, quod Interpretum nulli probatur. *Schemam* dixere Veteres pro *ſchema*, quemadmodum & *diademam* & *dogmam*, &c. de quibus videſis Priſcianum lib. 6. Senſus eſt, ſui quemque facinoris exemplar ſumpſiſſe vel ex picturis vel ex libris Elephantidos quibus eo conſilio cubiculum inſtruxerat. Torrentius legiſſe ſe dicit *perpetrata*, quod & poteſt.

5. *Paniſcorum*] Paniſci Dii ſylveſtres, quaſi minores Panes.

6. *Caprineum*] Caſaubonus legit *caprinum eum* vel *caprium eum*. Torrentius *caproneum*. Eodem uterque ſenſu: κάπρος enim & κάπριος obſcœna ſignificat, & ad Inſulæ nomen alludit. Quod ſi non placet, Torrentius ſubſtituit *Caprinicum* ut *Balearicum*, *Creticum*, &c. alludens ſemper ad nomen inſulæ caprarum hircorumque fœtorem & laſciviam.

CAPUT XLIV.

MAJORE adhuc & turpiore infamia flagravit, vix ut referri audirive, nedum credi fas ſit. Quaſi pueros primæ teneritudinis, quos piſciculos vocabat, inſtitueret, ut natanti ſibi inter femina verſarentur, ac luderent: lingua morſuque ſenſim appetentes, atque etiam quaſi infantes firmiores, necdum tamen lacte depulſos, inguini ceu papillæ admoveret: pronior ſane ad id genus libidinis & natura & ætate. Quare [1] Parrhaſii quoque tabulam, in qua Meleagro [2] Atalanta ore morigeratur, legatam ſibi ſub conditione, ut ſi argumento offenderetur, [3] decies pro ea HS. acciperet: non modo prætulit, ſed & in cubiculo dedicavit. Fertur etiam in ſacrificando quondam captus facie miniſtri [4] acerram præferentis, nequiſſe abſtinere, quin pene vix dum re divina peracta, ibidem ſtatim ſeductum conſtupraret, ſimulque fratrem ejus tibicinem; atque utrique mox, quod mutuo flagitium exprobrabant, [5] crura fregiſſe.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Parrhasii*] Ephesius Pictor fuit, Zeuxidis æmulus, qui primus picturæ symmetriam dediſſe fertur; ſed quo non alter inſolentius abuſus eſt picturæ gloria, ut ipſe ſe abrodiætum, hoc eſt delicatum ac mollem, appellare non dubitaret, obſcœnis ejuſmodi jocis & rebus petulantibus pingendis animum relaxans. De quo plura apud Plinium lib. 35. cap. 10.

2. *Atalanta*] Virgo venatrix quæ prima Calidonium aprum percuſſit, unde Meleager obtulit ei caput occiſæ feræ. Horum amores & ſortem Ovidius deſcripſit lib. 8. Metamorph.

3. *Decies*] Supple centena millia ſeſtertiorum noſtræ monetæ 43750 lib. Plinius eodem capite 10. ſcilicet lib. 35. meminit etiam cujuſdam Archigalli ab eodem Parrhaſio picti, quem Tiberius ſexaginta ſeſtertiis æſtimatum cubiculo ſuo incluſit.

4. *Acerram*] Sic quoque Feſtus appellat Aram illam in qua ante ſepulchrum conſtituta odores incendebant poſt oſſa & cineres illata. Alii arculam thurariam eſſe dicunt, qua thura reponebant. Virgilius:

Farre pio & plena ſupplex veneratur acerra.

& Horatius Ode 8. lib. 3.

Quid velint flores, & acerra thuris Plena, &c.

Quo ſenſu hîc quoque accipi conſtare videtur.

5. *Cura fregiſſe*] De hoc ſupplicio videſis in Auguſto cap. 67.

CAPUT XLV.

FOEMINARUM quoque, & quidem illuſtrium, [1] capitibus quantopere ſolitus ſit illudere, evidentiſſime apparuit, Malloniæ cujuſdam exitu: quam [2] perductam, nec quidquam amplius pati conſtantiſſime recuſantem, [3] delatoribus objecit; ac ne ream quidem interpellare deſiit, *Ecquid pœniteret*, donec ea, relicto judicio, domum ſe abripuit, ferroque tranſegit, obſcœnitate oris hirſuto atque olido ſeni clare exprobrata. Unde nota in [4] Atellanico [5] exodio proximis ludis aſſenſu maximo excepta, percrebuit: *Hircum vetulum capris naturam ligurrire.*

NOTÆ.

1. *Capitibus*] Eodem ſenſu quo Juvenalis Sat. 5.

Si tibi contigerit capitis matrona pudici.

De quo & non nihil innuebatur in Julio cap. 22.

2. *Perductam*] Alii *productam*: quod & poteſt; lenonum verbum eſt; ſed perductores invitarum dicit eſſe Beroaldus, cum lenones ultroneas concilient.

3. *Delatoribus*] Accuſatoribus qui eam adulterii vel impudicitiæ ream facerent.

4. *Atellanico*] Atellanæ fabulæ ab Atella Oſcorum civitate nomen & originem duxere, argumentis dictiſque jocularibus, Græcorum Satyricis ſimiles, ſed quæ non agebantur ab hiſtrionibus.

5. *Exodio*] Exodium dicitur, quod cum argumenti partem non faciat; huic tamen inſeritur oblectamenti cauſa; exodia etenim plerumque ridicula, Atellanis potiſſimum fabulis adhibita; quæ ſi ſtatim ab initio recitarentur, erant εἰσόδια, quaſi *ingreſſus*; ſi in medio, ἐμβόλια, hoc eſt *interjecta*; ſi in fine ἐξόδια, hoc eſt *exitus*. Atellanas tamen ipſas extra argumentum & exodii loco interpoſitas dicit Torrentius, quemadmodum apud Græcos Satyræ, ex Juvenalis Sat. 6.

Urbicus exodio riſum movet Atellana Geſtibus Autonoës, &c.

Sed non apparet quare de ipſius Atellanæ exodio Juvenalem non intelligat.

Digitized by Google

CAPUT XLVI.

[1] PECUNIÆ parcus ac tenax, [2] comites peregrinationum expeditionumque numquam salario, cibariis tantum, sustentavit: una modo liberalitate ex indulgentia vitrici prosecutus, cum [3] tribus classibus factis pro dignitate cujusque [4] primæ sexcenta sestertia, secundæ [5] quadringenta distribuit, ducenta tertiæ, quam non amicorum, sed [5] Græcorum appellabat.

NOTÆ.

1. *Pecunia parcus*] Contrarium referunt & Dio & Tacitus; hic enim satis firmum adversus pecuniam Tiberium prædicat, lib 3. Annal.

2. *Comites*] De comitibus jam supra in Julio cap. 4. & 42. sed quales erant sub Magistratibus. Imperatorum autem comites, quanquam ad eorum similitudinem introducti, ab iis tamen procedente tempore magis ac magis diversi fuere. Primo Imperatoribus amicissimi fuere, & a consiliis unde Augustorum Consiliarii dicti sunt, cujus consuetudinis exordium legas in Augusto cap. 35. Cum autem Consistorium sit Principis consilium, & quasi Senatus, hinc Comites quoque Consistoriani appellati sunt, donec Constantinus titulum honorarium esse voluit, & ad varias administrationes adhibuit, quas hoc titulo decoravit Hinc, ut notavit Brissonius de verb. significic. Comitum appellationes, & species variæ, pro administrationum varietate, v. g. Comes sacrarum Largitionum, Comes Rerum privatarum, Comes Sacri Palatii, &c.

3. *Tribus classibus*] Amicorum, non navium, ut sentiebat Beroaldus: erant enim hæ classes, varii ordines juxta eum gradum quem quisque in amicitia Principis obtinebat, ut essent amici, primi, secundi & tertii ordinis; ac totidem admissiones quas, stante Republica, inventas patet ex Senecæ lib. 6. de Beneficiis cap. 34. *Apud nos primi omnium C. Gracchus, & mox Livius Drusus instituerunt segregare turbam suam, & alios in secretum rscipere, alios cum pluribus, alios cum universis. Habuerunt itaque isti amicos primos, habuerunt & secundos, numquam veros.* Unde etiam fortasse Tiberio innovandi istius moris animus, quod Drusus ille unus e suis majoribus inter ejus auctores recenseretur. Hinc amicorum cohortes de quibus infra.

4. *Primæ*] Hi erant honestiores & quasi interiores amici, quos iterum Seneca lib. 1. de Clementia cap 10 *totam cohortem primam interioris admissionis*, appellat. Hinc etiam admissionales amici, & admissionis officium

Sexcenta	26250 lib.
Quadringenta	17500 lib.
Ducenta	8750 lib.

5. *Græcorum*] Hos & eorum linguam magno in contemptu habitam à Tiberio notat Casaubonus; unde quamvis in Comitatu principum virorum Græci semper fuerint, iique urplurimum litterati homines & Philosophi, ut supra in Julio cap. 48. notatum est; satius tamen videtur id intelligere de contemptis illis amicis quos parasitorum instar habebat, non vero de iis duntaxat, qui natione Græci forent. Hinc patet ferri non posse lectionem quam in uno ex suis codicibus Torrentius viderat, & Turnebus asserere voluerat; *graterum* scilicet quod certe ipsa hujus loci lectione refellitur.

CAPUT XLVII.

PRINCEPS neque opera ulla magnifica fecit. Nam & quæ sola susceperat, [1] Augusti templum, restitutionemque [2] Pompeiani theatri, imperfecta post tot annos reliquit: neque spectacula omnino edidit; & iis, quæ ab aliquo ederentur, rarissime interfuit, ne quid [3] expostcaretur, utique postquam comœdum Actium coactus est manumittere.

Digitized by Google

mittere. Paucorum Senatorum inopia ſuſtentata, ne pluribus opem ferret, negavit ſe aliis ſubventurum, niſi Senatui juſtas neceſſitatum cauſſas probaſſent. Quo peracto, pleroſque modeſtia & pudore deterruit: in quibus Hortalum Q. [4] Hortenſii oratoris nepotem, qui permodica re familiari, [5] auctore Auguſto, [6] quatuor liberos tulerat.

NOTÆ.

1. *Auguſti Templum*] Tacitus lib. 5. Annal. dicit opera hæc ab eo perfecta, ſed vel propter ſenectutem vel ambitionis contemptum minime dedicata. De eo autem Auguſti Templo, quod Romæ foret, intelligendum videtur, cum aliud Nolæ dedicaſſet, ut paulo ſupra cap. 40.

2. *Pompeiani theatri*] In Auguſto c. 31.

3. *Expoſceretur*] Hoc eſt, Ne quid populus a ſe peteret, quod recuſare pudor non pateretur, ut manumiſſionis illius exemplum ſatis innuit: ex quo etiam patet Comœdos e ſervis fuiſſe quemadmodum & Pictores, & etiam Medicos, ut ſupra in Julio cap. 4 notatum.

4. *Hortenſii*] Celeberrimi illius Oratoris, quem diu Cauſſarum Regem in Foro fuiſſe dicit Aſconius, donec Ciceroni palma illa cedere coactus eſt, unoque illo vixit inferior.

5. *Auctore Auguſto*] Tunc veroſimillime cum Papiam Legem de maritandis ordinibus ſuaſit Auguſtus, cunctoſque ad conjugium adhortatus eſt. Supra in Auguſto cap. 34.

6. *Quatuor liberos*] Quare beneficiis Principis tanto dignior erat, quod tres liberos habentibus competebant Legis immunitates, ſi auſus eſſet inopiam in Senatu profiteri.

CAPUT XLVIII.

PUBLICE munificentiam his omnino exhibuit: [1] propoſito millies HS. gratuito in triennii tempus; & rurſus quibuſdam [2] dominis Inſularum, quæ in monte Cœlio deflagrarant, pretio reſtituto. [3] Quorum alterum magna difficultate nummaria populo auxilium flagitante coactus eſt facere, cum per Senatuſconſultum ſanxiſſet, ut fœneratores duas patrimonii partes [4] in ſolo collocarent, debitores totidem æris alieni ſtatim ſolverent; nec res expediretur: [5] alterum ad mitigandam temporum atrocitatem. Quod tamen beneficium tanti æſtimavit, ut montem Cœlium, appellatione mutata, vocari [6] Auguſtum juſſerit. Militi poſt duplicata ex Auguſti [7] Teſtamento legata nihil umquam largitus eſt, præterquam [8] ſingula millia denariorum prætorianis, quod Sejano ſe non accommodaſſent; & quædam munera [9] Syriacis legionibus, quod ſolæ nullam Sejani imaginem inter ſigna coluiſſent; atque etiam [10] miſſiones veteranorum rariſſimas fecit, ex ſenio mortem, ex morte [11] compendium captans. Ne provincias quidem ulla liberalitate ſublevavit; excepta Aſia, disjectis terræ motu [12] civitatibus.

NOTÆ.

1. *Millies*] 4375000 lib. Tacitus quoque auctor eſt hanc ſummam per menſas juſſiſſe diſtribui, ut egentibus mutuo ſine fœnore concederetur. Quod & de bonis damnatorum ab Auguſto factum ſupra dixit cap. 41.

2. *Dominis inſularum*] De his ſupra in Julio cap. 41. In damno illo ſarciendo millies etiam a Tiberio donatum tradunt Dio & Tacitus, ſed ille in aſſignanda cauſſa, a Tacito una & Suetonio diſſentit; Tiberis enim exundatione everſa refert ædificia,

Digitized by Google

nisi si utroque illo modo, deflagratione scilicet & exundatione, gemina clades contigerit.

3. *Quorum alterum*] Pecuniam scilicet mutuatitiam, quam sine fœnore præbere coactus est, quod ipsius decreta pecuniarum defectu non expederentur.

4. *In solo*] Hoc est, in prædiis coëmendis. Qui loquendi modus Jurisconsultorum est; his enim res immobiles, dicuntur res soli, quasi quæ solo inhærent, ut domus, agri, fundi, &c. quorum pretium augetur fœnore imminuto, ut supra in Augusto cap. 41.

5. *Alterum*] Hoc est pretium Insularum, cæteroquin multis exitio futura erat clades illa.

6. *Augustum*] Tacitus lib. 4. Annalium, de Senatus Sententia sic appellatum scribit; sed cum Tiberio volente factum sit, ideo Senatus nulla mentio apud Suetonium.

7. *Testamento*] Quo quid singulis datum esset supra vide in Augusto cap. 101. Beroaldus & Sabellicus legunt *duplicata*; quod Suetonius duplicationis illius alibi non meminerit; sed eam ex Taciti Annal. 1. colligere est.

8. *Singula milllia denariorum*] Denarius, ut supra in Julio cap. 4. notatum est, quatuor sestertiis æquivalet: qua ratione quaterna millia nummûm hîc intelligenda sunt, nostræ vero monetæ 175 lib. quam summam singulis Prætorianis Tiberius largitus est. Cum igitur novem Prætorianorum cohortes circa se Augustus habuerit, si tot milites singulis Prætorianorum cohortibus assignaveris, quot in Legionariis cohortibus erant, scilicet 420, erit illius donativi summa 654500 lib. Tanta enim exurgit multiplicato per 175 hominum numero, qui ratione posita 3780 fuerint: tot enim reperias, si 420 per 9 multiplicaveris.

9. *Syriacis*] Romanas intelligit, quæ in Syria militabant. De Sejano & ejus seditione mox plura.

10. *Missiones*] De his supra in Julio cap. 7. & Augusto cap. 49. & de illarum commodis, infra Calig. cap. 44.

11. *Compendium*] Hoc est, lucrum: præmia enim veteranis danda, si missi fuissent, lucrabatur.

12. *Civitatibus*] Plinius lib. 2. cap. 84. auctor est tempore Tiberii contigisse terræ motum, post hominum memoriam maximum, quo una nocte duodecim Asiæ civitates prostratæ sint.

CAPUT XLIX.

PROCEDENTE mox tempore, etiam ad rapinas convertit animum. Sat constat, [1] Cn. Lentulum augurem, cui census maximus fuerit, metu & angore ad fastidium vitæ ab eo actum, & ut ne quo nisi ipso herede moreretur. Condemnatam & generosissimam fœminam Lepidam, in gratiam [2] Quirini consularis prædivitis, & [3] orbi, qui dimissam eam e matrimonio post vigesimum annum veneni olim in se comparati arguebat: præterea Galliarum & Hispaniarum, Syriæque & Græciæ Principes confiscatos, ob tam leve ac tam impudens calumniarum genus: ut quibusdam non aliud sit objectum, quam quod [4] partem rei familiaris in pecunia haberent. Plurimis etiam civitatibus & privatis veteres immunitates & [5] jus metallorum ac [6] vectigalium ademta. Sed & [7] Vononem Regem Parthorum, qui pulsus a suis, quasi in fidem Populi Romani cum ingenti gaza [8] Antiochiam se receperat, spoliatum perfidia & occisum.

NOTÆ.

1. *Cn. Lentulum*] Seneca lib. 2. de Beneficiis cap. 27. *Cneus Lentulus augur divitiarum maximum exemplum quater millies sestertium fuum vidit*, id est 1750000 lib. quibus tantis bonis cumulatus ab Augusto nec contentus fuerat.

2. *Quirini*] Hujus probabile est mentionem fieri a D. Luca cap. 2. v. 2. Evan-

Digitized by Google

gelii, atque etiam a Josepho lib. 17. in ipso fine, & lib. 18. cap. 1. & sequentibus.

3. *Orbi*] Hujusmodi hominum liberis carentium auctoritas erat magna Romæ tunc temporis; multi namque hereditatis ob inendæ spe, illis adulabantur. Seneca lib. de Consolatione ad Marciam cap. 19. *In civitate nostra plus gratiæ orbitas confert, quam eripit; adeoque, senectutem solitudo qua solebat destruere, ad potentiam ducit, ut quidam odia filiorum simulent, & liberos ejurent, & orbitatem manu faciant*, &c. De quibus plura passim apud Auctores præsertim Satyricos, qui heredipetas multis insectantur.

4. *Partem rei familiaris in pecunia haberent*] Hoc est, quod duas bonorum suorum partes in solo non collocassent, contra Senatusconsultum de quo modo capite proxime præcedenti, maximam fortasse præsentis pecuniæ summam servantes, quod nolebat suspicionsus ille Princeps, metu novitatum, ad quas ipsa præsertim efficax est. Certe satius videtur locum hunc sic intelligere, quam ad veterem illam Legem qua auctore Dione lib. 41. definitus olim fuerit habendæ pecuniæ modus, & abolitam restituerit Cæsar, veans ne quis in auro argentove plusquam sexaginta sestertiis possideret.

5. *Jus metallorum*] Quibusdam civitatibus, Hispanicis præsertim, licebat fodere sibi metalla, unde magni illis proventus: metallis enim adeo ferax erat Hispania ut Gallæciam, Lusitaniam, & Asturiam, vicena millia pondo auri præstitisse quidam tradiderint, auctore Plinio lib. 33. cap. 4.

6. *Vectigalium*] Supra in Augusto c 46. & 92.

7. *Venenum*] Hujus meminere Josephus lib. 18. cap. 4. & Tacitus lib. 2. ubi historiam hanc aliter narrat, & culpa Tiberium absolvit.

8. *Antiochiam*] Appianus in Syriacis auctor est Nicanorem condidisse sexdecim Urbes hujus nominis. Verosimile est hîc intelligi splendidissimam illam, quæ Syriæ quondam caput fuit. Vetus nomen apud Europæos retinuit, apud Turcas dicitur *Antachio*.

CAPUT L.

ODIUM adversus necessitudines, in Druso primum fratre detexit: prodita ejus epistola, qua secum de cogendo ad [1] restituendam libertatem Augusto agebat: deinde & in reliquis. [2] Juliæ uxori tantum abfuit, ut relegatæ, quod minimum est, officii aut humanitatis aliquid impertiret, ut ex constitutione patris uno [3] oppido clausam, domo quoque egredi, & commercio hominum frui vetuerit; sed & peculio concesso a patre præbitisque [4] annuis fraudavit, per speciem [5] publici juris, quod nihil de his Augustus Testamento caviisset. Matrem Liviam gravatus, velut partes sibi æquas potentiæ vindicantem, & congressum ejus assiduum vitavit; & longiores secretioresque sermones, ne ejus consiliis, quibus tantum interdum & [6] ægre uti solebat, regi videretur. Tulit etiam perindigne actum a Senatu, ut titulis suis quasi Augusti, ita & Liviæ filius adjiceretur. Quare non [7] *Parentem Patriæ* appellari, non ullum [8] insignem honorem recipere publice passus est. Sed & frequenter admonuit, *quod non majoribus, nec fœminæ* [9] *convenientibus negotiis abstineret*: præcipue ut animadvertit incendio juxta ædem Vestæ & ipsam interveniisse; populumque & milites, quo enixius opem ferrent adhortatam, sicut sub marito solita esset.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Reſtituendam libertatem*] Suetonius infra Claudii cap. 1. & Tacitus, idem agitaſſe tradunt.

2. *Julia*] Cohærere non videtur hic locus cum eo quod ſupra cap. 11. de Tiberii erga Juliam officiis retulit, niſi fortaſſe ſuſpiceris, id eo conſilio tunc temporis a Tiberio factum, ut hac ſpecie moderationis, aut reverentiæ, Auguſtum ſibi remereretur.

3. *Oppido*] Rheginorum ſcilicet, ut ſupra in Auguſto cap. 65.

4. *Annuis*] Annua dicuntur pecuniæ ſingulis annis in alicujus alimoniam pendendæ.

5. *Publici juris*] Quaſi violanda fuiſſet tali penſione, defuncti voluntas, noluiſſetque Auguſtus præberi, ſiquidem præbendum non juſſerat.

6. *Ægre*] Alii legunt *& egere.*

7. *Parentem patriæ*] Tacitus: *Multa patrum & in Auguſtam adulatio, alii Parentem, alii Matrem Patriæ appellandam; plerique ut nomini Cæſaris aſcriberetur,* JULIÆ FILIUS, *cenſebant.* Quin & in antiquis nummis legitur ineptus hic titulus, JULIA AUGUSTA GENITRIX ORBIS.

8. *Inſignem honorem recipere publice paſſus eſt*] Quin & mortuæ delatos honores per modeſtiæ ſpeciem Senatum minuere juſſit, ut idem Tacitus lib. 5.

9. *Convenientibus*] Qualia ſunt publica negotia, a quorum tractatione fœminas arcent Leges.

CAPUT LI.

DEHINC ad ſimultatem uſque proceſſit, hac ut ferunt de cauſſa: Inſtanti ſæpius, ut civitate donatum in [1] decurias allegeret, negavit alia ſe conditione allecturum, quam ſi pateretur adſcribi [2] albo, *extortum id ſibi a matre.* At illa commota, veteres quoſdam ad ſe Auguſti [3] codicillos de acerbitate & intolerantia morum ejus e [4] ſacrario protulit, atque recitavit. Hos & cuſtoditos tamdiu, & exprobratos tam infeſte, adeo graviter tulit, ut quidam putent inter cauſſas receſſus hanc ei vel præcipuam fuiſſe. [5] Toto quidem triennio, quo vivente matre abfuit, ſemel ommino eam, nec amplius quam uno die, ac pauciſſimis vidit horis: ac mox neque ægræ adeſſe curavit, defunctamque, & dum adventus ſui ſpem facit, complurium dierum mora, corrupto demum & tabido corpore funeratam prohibuit [6] conſecrari; quaſi id ipſa mandaſſet. Teſtamentum quoque ejus pro irrito habuit, omneſque amicitias & familiaritates, etiam quibus ea funeris curam moriens demandarat, intra breve tempus afflixit; uno ex his equeſtris ordinis viro & in [7] antliam condemnato.

NOTÆ.

1. *Decurias*] Judicum de quibus ſupra cap. 41. & Aug. cap 29. & 32.

2. *Albo*] Album erat tabula, qua Judicum, ſive aliorum quorumvis album erat, nomina deſcripta proponebantur. Hinc toties apud Juriſconſultos albi mentio, v. g. *de albo corrupto*: multabatur enim qui illud corrupiſſet aut quoquomodo vitiaſſet. De albo Pontificis Maximi jam ſupra quædam in Julio cap. 40.

3. *Codicillos*] Aldus Manutius de Codicillis hoc habet. Dicti ſunt a codicibus, id eſt arborum libris: plures enim lignæ tabellæ glutino jungebantur, item ut junguntur hodie noſtri libri. Sed antequam in arborum libris, palmarum in foliis eſſe ſcriptum Plinius auctor eſt, lib. 13. cap. 11. ubi pugillaria ſignificat codicillos eſſe, id eſt tabellas cerâ illitas, in quibus pungendo, ſtylo impreſſo ſcriberetur, unde pugillaris nomen. Verum etſi ante chartam fuere, poſt eamdem tamen inventam man-

Digitized by Google

fere codicilli, commodi ſcilicet cauſa, quoniam ubi charta & atramentum non adeſſet, ut in itinere, in cœna, in Senatu, codicilli ſtylo ſcripti mittebantur. Notaſis Guillandum pro *palmarum* in loco Plinii mox laudato legere *malvarum*, quod & in malvarum foliis aliquando ſcriptum ſit: quod indicant verſus quos ipſe ex Iſidoro adducit:

Hæc tibi Aratais multum invigilata lucernis
Carmina, queis ignes novimus aërios:
Levis in æridulo malva deſcripta libello,
Pruſiaca vexi munera navicula.

De quibus plura idem Plinius capite ſequenti.

4. *Sacrario*] De Larario Torrentius explicat, de quo in Auguſto cap. 7. Alii de peculiari quadam ædium parte Auguſto conſecrata, in qua ejus imaginem haberet, & ipſum coleret, reconditis ibidem prætioſiſſimis quibuſque ſibi ab Auguſto relictis.

5. *Toto quidem triennio*] Quidam legebant *biennio*: quod non niſi paulo plus quam biennium interceſſerit; unde Torrentius *toto* liberaliter dictum ait, non exacte ad verum. Certe in Memmiano & Vitterbienſi codicibus Caſaubonus legit *triennio*; quod credibile ſit, aut in Faſtis, aut in Suetonio errorem ſubeſſe: hujus enim Auctoris exactiſſimæ diligentiæ repugnare videtur, quod totum dixerit triennium, ſi hoc non niſi paucis menſibus inceptum credidiſſet.

6. *Conſecrari*] Ut de Julio cap. 88. & Auguſto cap. 101. a Claudio conſecrata poſtmodum fuit, infra in Claudio cap. 11. & Dione lib. 60.

7. *Antliam*] Alii legunt *Anticyram*, ut intelligatur Eques ille in Inſulas condemnatus, quod vulgare fuit hac ætate ſupplicium. Sed quia ut inſolitum quid affertur, ideo prior lectio ſervata eſt. Antlia porro erat machina hauriendæ aquæ comparata, qua pedum niſu & agitatione aquæ tollerentur per modiolos atque hauſtra, qualem memorat Martialis lib. 9. Epig. 19.

Sed de valle brevi quas det ſitientibus hortis,
Curva laboratas antlia tollit aquas.

Et clare Artemidorus lib. 1. cap. 50. ubi de quodam loquitur, qui cum ſomniaſſet, ſe omni corpore immoto, pedibus duntaxat laborare moverique, neque tamen hilum progredi, evenit ut in antliam damnaretur; exhaurientibus autem hoc uſu venit, ut pedes ambulantium inſtar moveant; maneant tamen in eodem loco. Quæ ipſa ferme ſunt Artemidori verba latine reddita. De quo & Lipſius lib. 2. Electorum cap. 15. Hauriendа autem hæc aqua vel ex metallorum fodinis, vel lapidum intelligi poteſt, aut etiam e navis ſentina, quomodo apud nos damnantur ad remiges. Unde nec omnino rejicienda Griphii lectio *latomiam*, & Beroaldi.

CAPUT LII.

FILIORUM neque naturalem Druſum, neque adoptivum Germanicum patria caritate dilexit. Alterius vitiis infenſis: nam Druſus animi fluxioris, remiſſioriſque vitæ erat. Itaque ne mortuo quidem perinde affectus eſt: ſed tantum non ſtatim a funere ad negotiorum conſuetudinem rediit, [1] juſtitio longiore inhibito. Quin & [2] Ilienſium legatis paullo ſerius conſolantibus, quaſi obliterata jam doloris memoria irridens: *Se quoque* reſpondit *vicem eorum dolere, quod egregium civem* [3] *Hectorem amiſiſſent.* Germanico uſque adeo obtrectavit, ut & præclara facta ejus pro ſupervacuis elevaret; & glorioſiſſimas victorias, ceu damnoſas Reipublicæ increparet. Quod vero Alexandriam propter immenſam & repentinam [4] famem inconſulto ſe adiſſet, queſtus eſt in Senatu. Etiam cauſſa mortis fuiſſe ei per Cn. [5] Piſonem legatum Syriæ creditur: quem mox hujus criminis reum putant quidam mandata prolaturum, niſi [6] ea ſecreta obſtarent. Per quæ multifariam [7] increpi-

Digitized by Google

tum, & per noctes celeberrime acclamatum est, *Redde Germanicum*. Quam suspicionem confirmavit ipse postea: [8] conjuge etiam ac liberis Germanici crudelem in modum afflictis.

NOTÆ.

1. *Justitio*] Justitium Gellio lib. 20. cap. 1. est quasi juris interstitio, aut juris statio; tunc enim publica negotia cessabant, propter luctum publicum, unde in Reipublicæ calamitatibus indici solitum est. Lucanus:

Clausaque justitio tristi fora, &c.

Et plura Livius.

2. *Ilienſium*] Trojanorum. Sed duplex fuit Ilium; scilicet vetus, cujus nullæ etiam Tiberii temporibus reliquiæ, ut auctor est Strabo lib 13. & novum de quo plura idem Auctor. Hodie vetus nomen retinens *Troja*, teste Sophiano.

3. *Hectorem*] Qui mille annis ante occisus fuerat. Tardam illorum consolationem rident.

4. *Famem*] Quæ Romam vexabat, quó præcipuam ex Ægypto annonam invehi solitam fuisse jam supra notatum est in Julio cap. 35. &c.

5. *Piſonem*] De quo supra cap. 42.

6. *Ea ſecreta*] Casaubonus legendum censet, *niſi ea ſecreto*: & Torrentius ex uno codice in quo reperit etiam, *ſecreto* suspicatur sic phrasim ordinandam esse, *ni Sejanus ſecreto obſtaret*. Quod & Taciti Historiæ maxime conveniat.

7. *Increpitum*] Alii *inſcriptum*. Quod & potest; statuis enim & aliis etiam locis convitia adscribebant, ut ex Julii cap. 20. colligas.

8. *Conjuge & liberis*] De quibus libro sequente plura.

CAPUT LIII.

NURUM [1] Agrippinam, post mortem mariti, liberius quiddam questam, manu apprehendit: Græcoque versu, [2] *Si non dominaris*, inquit, *filiola, injuriam te accipere exiſtimas?* Nec ullo mox sermone dignatus est. Quondam vero inter cœnam porrecta a se poma gustare non ausam, etiam vocare desiit, simulans, se veneni crimine accersitum: cum [3] præstructum utrumque consulto esset, ut & ipse tentandi gratia offeret, & illa quasi certissimum exitium caveret. Novissime calumniatus, modo ad [4] statuam Augusti, modo [5] ad exercitus confugere velle, [6] Pandatariam relegavit: convitiantique oculum per centurionem verberibus excussit. Rursus mori inedia destinanti, per vim ore diducto, infulciri cibum jussit. Sed & perseverantem, atque ita absumptam, criminosissime insectatus est, cum diem quoque natalem ejus inter [7] nefastos referendum suasisset. [8] Imputavit etiam, quod non laqueo strangulatam in [9] Gemonias abjecerit: proque tali clementia interponi decretum passus est, quo sibi gratiæ agerentur, & Capitolino Jovi donum ex auro sacraretur.

NOTÆ.

1. *Agrippinam*] Agrippa genitam & Julia, quæ postmodum Tiberii uxor fuerat, supra cap. 7. & ab Augusto relegata, supra cap. 11. & in Augusto. Ideo Tiberi nurum, quia Germanico ejus filio adoptivo, ut capite præcedenti, nupta.

2. *Si non dominaris*] Tacitus quoque, *correptam Græco verſu, ideo lædi quia non regnaret*. Sed quis ille versus, cujusque Poëtæ, ignoratur.

3. *Præſtructum*] Sejanus has insidias Agrippinæ struxerat. Vide Tacit. 4. Annal.

Digitized by Google

4. *Statuam Augusti*] Huc cum servi præsertim confugerent, tali facto dominationem ipsi Tiberio exprobrare visa fuisset; quanquam ingenui quoque ad statuas confugerent, ut de Antonii Triumviri filio in Augusto cap. 17. notatum est.

5. *Ad exercitus*] Quasi illos adversus Tiberium concitatura, utpote quibus gratissima erat, tum sui tum Germanici conjugis causa, ut constat ex Tacito Annal. lib. 1. & 2.

6. *Pandatariam*] Quo mater ejus missa fuerat, supra in Augusto cap. 65.

7. *Nefastos*] Atros & ominosos, ut patet, quamvis improprie si Gellium audias lib. 4. cap. 9. *Religiosi enim dies dicuntur tristi omine infames, impeditique; in quibus & res divinas facere, & rem quampiam novam exordiri temperandum est. Quos multitudo imperitorum prave & perperam nefastos appellant.*

8. *Imputavit*] Hoc est beneficii instar haberi voluit. Quo sensu Juven Sat. 5.

tamen imputat hunc rex:

Et quamvis rarum; tamen imputat, &c.

Notat Casaubonus huic Auctori, ac insuper Tacito, Juvenali, Plinio, Quintiliano, aliisque Scriptoribus inferioris ævi, *imputare* idem esse, ac *postulare ut aliquid sibi gratia loco apponatur.*

9 *Gemonias*] Gemoniæ scalæ erant ad quas corpora damnatorum trahebantur, inde mittenda in præceps quod, quemadmodum & strangulari, & unco trahi tam dedecorosum erat, quam quod maxime. Hinc Gemonias a gemitibus dictas volunt, de quibus adhuc infra.

CAPUT LIV.

CUM ex Germanico tres nepotes, Neronem & Drusum & Caïum, ex [1] Druso unum [2] Tiberium haberet, destitutus morte liberorum, maximos natu de Germanici filiis, Neronem & Drusum P. C. commendavit: diemque utriusque [3] tyrocinii, [4] congiario plebi dato, celebravit. Sed ut comperit, [5] ineunte anno, pro eorum quoque salute publice vota suscepta: egit cum Senatu, *Non debere talia præmia tribui, nisi expertis & ætate provectis*: atque ex eo, patefacta interiore animi sua nota, omnium criminationibus obnoxios reddidit: variaque fraude inductos, ut & concitarentur ad convitia & concitati perderentur, accusavit per literas, amarissime congestis etiam probris, & [6] judicatos hostes fame necavit: Neronem, in insula [7] Pontia: Drusum, in ima parte Palatii. Putant Neronem ad voluntariam mortem coactum, cum ei carnifex, quasi ex Senatus auctoritate missus, [8] laqueos & uncos ostentaret: Druso autem adeo alimenta subducta, ut [9] tomentum e [10] culcitra [11] tentaverit mandere: amborum sic [12] reliquiis dispersis, ut vix quandoque colligi possent.

NOTÆ.

1. *Druso*] Naturali filio. Cap. 52.

2. *Tiberium*] Qui postea Caligulæ jussu periit. Lib. sequente cap. 23.

3. *Tyrocinii*] Forensis scilicet, de quo supra in Augusto cap. 26. & supra hoc eodem, &c.

4. *Congiario*] Quid sit, in Cæsare cap. 27. & alibi.

5. *Ineunte anno*] Calendis nempe Januariis, quo die pro Imperatorum salute vota suscipi moris erat.

6. *Judicatos hostes*] Reipublicæ scilicet, ut de Antonio supra in Augusto cap. 16.

7. *Pontia*] Duplex in mari Tyrrheno hujus nominis Insula: altera in Sinu Formiano, qui hodie *Golfo di Gaeta*. Altera ante Veliam Lucaniæ urbem, etiam hodie *Ponza*. De priori videtur intelligendus hic locus, utpote in quam cives damnati deportarentur.

8. *Laqueos & uncos*] Carnificina instrumenta, illi ad strangulandum, hi ad tra-

Digitized by Google

hendum ignominiose corpus in Gemonias, v.g. ut capite proxime præcedenti, & infra cap. 75.

9. *Tomentum*] Farcimen est quo implentur culcitræ, divitum quidem ex lana alba, unde leuconicum dicebatur; paupertum vero ex concisis arundinibus, quod stramentum plebeiorum, & tomentum Circense dicebatur, quia in Circo sternebatur ab egenis ad acquiescendum. Martialis Apophoret. Epig. 160.

Tomentum concisa palus Circense vocatur,
Hac pro leuconico stramina pauper emit.

Ubi alii legunt *pro lingonico.*

10. *Culcitra*] Ab inculcando dictam ait Varro, quia tomentum in ea inculcabatur, aut simile quid.

11. *Tentaverit*] Tacitus Auctor est, non tentasse modo, sed & novem diebus hoc cibo sustentatum. Simile quid de Cæsarianis militibus narrat in Bruto Plutarchus, & de Persis Eleunte obsessis Herodotus.

12. *Reliquiis dispersis*] Quod ultimum est Tyrannorum in eos quos oderant, crudelitatis argumentum. Unde Ovidius in fine librorum de Ponto:

Ergo summotum patria proscindere livor
Desine, neu cineres sparge cruente meos.

CAPUT LV.

SUPER veteres amicos ac familiares, viginti sibi e numero principum civitatis depoposcerat, velut [1] consiliarios in negotiis publicis. Horum omnium vix duos aut tres incolumes præstitit: cæteros, alium alia de caussa perculit. Inter quos cum plurimorum clade [2] Ælium Sejanum, quem ad summam potentiam, non tam benevolentia provexerat, quam ut esset cujus ministerio ac fraudibus liberos Germanici circumveniret: nepotemque suum ex Druso filium naturalem ad successionem Imperii confirmaret.

NOTÆ.

1. *Consiliarios*] Augusti exemplo, supra in Augusto cap. 35.

2. *Ælium Sejanum*] Hunc tam offendisse quam amasse periculosum fuit, ut ait Seneca Epist. 55 quippe qui dum posset apud Tiberium omnia, quos voluit, ad libitum evexit, depressit, oppressit; damnati autem & occisi amicos fere omnes, idem Tiberius interfecit. Hunc affectati reum Imperii Senatus tam cupide condemnavit, & punivit, ut ne ejus quidem filiæ pepercerit, patet ex Tacito Annal 5. ubi horrenda prorsus animadvertendi ratio de qua etiam infra cap. 61. *Quo die illum Senatus deduxerat, populus in frusta divisus in quem quidquid congeri poterat, dii hominesque contulerant, ex eo nihil superfuit quod carnifex traheret,* &c. Seneca lib. de Tranquillitate vitæ cap. 11. De eo videsis plura apud Tacitum Annal. 4. & 5. &c.

CAPUT LVI.

NIHILO lenior in convictores [1] Græculos, quibus vel maxime acquiescebat Zenonem quemdam exquisitius sermocinantem, cum interrogasset, *quanam illa tam molesta* [2] *dialectos esset*, & ille respondisset, [3] *Doridem*; relegavit [4] Cinariam: existimans exprobratum sibi veterem secessum: quod Dorice Rhodii loquantur. Item cum soleret ex lectione quotidiana quæstiones [5] super cœnam proponere: comperisseque, Seleucum Grammaticum a ministris suis perquirere quos quoque tempore tractaret auctores, atque ita præparatum venire: primum a contubernio removit, deinde etiam ad mortem compulit.

NOTÆ.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Graculos*] Literatos illos homines de quibus supra cap. 46. sic per contemptum appellati sunt, quia tunc temporis Romæ plures erant e Græcia advenæ parasitantes, victumque adulationibus quæritantes, contra quos tot Juvenalis convitia Sat. 3.

Graculus esuriens in cœlum jusseris, ibit, &c.

2. *Dialectos*] Loquendi ratio seu idioma, apud Græcos quadruplex est.

3. *Doridem*] Dorica dialectus ima est e quatuor, quarum omnium originem, quique populi his uterentur Strabo narrat diligenter lib. 14. ubi & Rhodios origine Dores extitisse notaveris.

4. *Cinariam*] Insula est maris Ægei una ex Cycladibus; vel, ut aliis placet, *Sporadibus*; hodie *Zenara*.

5. *Super cœnam*] Inter cœnandum. Vide supra in Julio cap. 87. & Augusto cap. 77.

CAPUT LVII.

SÆVA ac [1] lenta natura ne in puero quidem latuit: quam Theodorus [2] Gadareus rhetoricæ præceptor & perspexisse primus sagaciter, & assimilasse aptissime visus est: subinde in [3] objurgando appellans eum, πλὸν ὰξινον πτφυσμένον. Sed aliquanto magis in Principe eluxit: etiam inter initia, cum adhuc favorem hominum moderationis simulatione captaret. [4] Scurram, qui prætereunte funere elato mortuo mandarat ut nuntiaret Augusto, *nondum reddi* [5] *legata, quæ plebi reliquisset*, attractum ad se, recipere debitum ducique ad supplicium imperavit, & patri suo verum referre. Nec multo post in Senatu Pompeio cuidam, Equiti Romano, quiddam perneganti, dum vincula minatur, affirmavit fore *ut ex Pompeio Pompeianus fieret*: acerba cavillatione simul hominis nomen incessens, veterumque [6] partium fortunam.

NOTÆ.

1. *Lenta*] Suspicatur Casaubonus legendum esse *truculenta*, sed repugnant codices & ipsa Auctoris brevitas; cui accedit etiam quod apprime cohæret cum iis quæ supra dicta sunt de illo, cap. 21. ac de lentitudine illa intelligendum non quæ irasci quodammodo nesciat, sed quæ veluti sopita quædam ira est, quam Seneca lib. de Ira manu sævam, verbis parciorem esse dicit, de qua Cicero lib. 1. ad Atticum Epist. 11. *Nil ego illo impudentius, astutius, lentius, novi.* Hujus vitii comparatione virtus dicatur ira illa, quæ se statim promit; unde Cicero 1. de Legibus, bonorum virorum esse dicit admodum irasci. Et ad Atticum, *Irritabiles esse animos optimorum sæpe hominum & eosdem placabiles*, &c.

2. *Gadareus*] Otiundus Gadara aut Gadaribus, aut etiam Gadora ex urbe Palestinæ, etiam hodie *Gadara* sed exisa. Celebris ille fuit, ut patet ex Quintiliani lib. 3. ubi dicitur Tiberius illum audisse Rhodi, cum in eam Insulam secessisset.

3. *Objurgando*] Verbum hoc persuaserit Theodorum illum, aut alium esse ab eo cujus meminit Quintilianus loco citato; aut Tiberium ab eo jam inde ab adolescentia edoctum; quis enim eum, consulatem, tot bellorum ducem, ac Tribunitiæ potestatis virum a Rhetore credat objurgandum? Tunc enim Tiberius functus erat his honoribus cum Rhodum secessit. Certe Sophista ille de quo supra cap. 11. pœnas dedit promptissimas, qui ausus esset illi etiam inter disputandum convitiari.

4. *Scurram*] Dicacem hominem significat, ridiculisque, haud salva personæ dignitate, verbis incessentem, quos Latinitas promiscue cum mimis & histrionibus usurpat, quales etiam fuisse in funeribus colligas ex cap. 19. Vespasiani.

5. *Legata*] Quæ plebi jusserat eroganda, supra in Augusto cap. 101.

6. *Partium*] Pompeianarum scilicet quas Julius acie Pharsalica profligarat.

Digitized by Google

CAPUT LVIII.

SUB idem tempus, consulente Prætore, an [1] judicia majestatis, cogi juberet, exercendas esse Leges respondit, & atrocissime exercuit. Statuæ quidam Augusti caput demserat, ut [2] alterius imponeret. Acta res in Senatu. Et quia ambigebatur, per tormenta quæsita est. Damnato reo, paullatim hoc [3] genus calumniæ eo processit, ut hæc quoque capitalia essent: circa Augusti simulacrum [4] servum cecidisse: [5] vestimenta mutasse: nummo vel anulo [6] effigiem impressam, [7] latrinæ aut lupanari intulisse, dictum ullum factumve ejus existimatione aliqua læsisse. Periit denique & is qui honores in colonia sua [8] eodem die decerni sibi passus est, quo decreti & Augusto olim erant.

NOTÆ.

1. *Judicia majestatis*] Quid sint, supra cap. 2. & de voce *cogi*, in Augusto cap. 36.

2. *Alterius*] Ipsius Tiberii. A Granio Marcello factum id narrat Tacitus 1. Annalium. Sed cur ideo sic Tiberius exarsit? Quia nimirum, ut ait Lipsius ad locum Taciti, solebant Tyrannos ea ignominia afficere, videbaturque occulte Granius damnasse Augustum quasi talem. Hieronymus in Prophetam Habacuc cap. 4. *Cum Tyrannus detruncatur, imagines quoque ejus deponuntur, & statuæ, & vultus tantummodo commutato, ablatoque capite, ejus facies qui vicerit, superponitur.* Quod sæpe temporibus illis factitatum constat, Calig. infra cap. 22. Capita mutabant & titulos, ac quandoque titulos tantum, remanentibus capitibus. Quod ex Pausania in Atticis, Corinthiacis colligere est, ut & ex Plinio non uno in loco.

3. *Genus calumniæ*] Calumniandi licentiam sub Tiberio. Notat etiam Tacitus lib. 1. Annalium, & Seneca lib. 3 de Beneficiis cap. 26. *Sub Tiberio Cæsare fuit accusandi frequens & pene publica rabies, qua omni civili bello gravius togatam civitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas jocantium, nihil erat tutum*, &c.

4. *Servum.*] His licebat ad statuas Principis tanquam ad asylum confugere; neque de illis tantum intelligendus hic locus, sed de iis omnibus qui inibi a quocumque cæsi forent.

5. *Vestimenta mutasse*] Hoc in loco sacrato prohibitum, ut patet ex Valerio Maximo lib. 2. *Manifestum igitur est tantum religionis sanguini & affinitati quantum ipsis diis immortalibus tributum; quia inter ista tam sancta vincula, non magis quam in aliquo sacrato loco nudare se, fas esse credebatur.* Quod & confirmat Plutarchus in Quæstionibus Romanis, & de re quavis inhonesta Arrianus lib. 2. cap. 8. Vestimentorum hæc mutatio non male a Beroaldo refertur ad eos qui luxu, aliave quapiam de causa vestem interdum in foro mutarent, instar illius Crispini de quo Martialis lib. 8. Epig. 48.

Nescit cui dederit Tyriam Crispinus abellam,
Dum mutat cultus, induiturque novos.

6. *Effigiem*] Exemplo est apud Senecam libro 3. de Beneficiis. Paulus vir Prætorius, quem Macro quidam turpissimus delator accusaturus erat, quod Tiberii imaginem gemma exsculptam habens, in convivio matulam sumpsisset, ni servi accessisset industria. Testis est etiam Philostratus damnatum quemdam quod servum verberasset, qui forte denarium gerebat, quo efficta esset imago Cæsaris.

7. *Latrinam*] Varro libro 8. de Lingua Latina dicit, balneum domesticum ab Antiquis *lavatrinam* appellatum, ac deinde brevitatis causa *latrinam*, & colluviaria etiam ac sordium receptacula sunt, ut patet ex ejusdem Auctoris libro 4. Erant & publicæ latrinæ, quarum meminit Suetonius in Lucani vita.

8. *Eodem die*] Notandum quam sollicitus esset dierum observator. Tacitus enim libro 6. Annalium, ubi de Agrippinæ morte, *Eodem die defunctam quo biennio ante*

Digitized by Google

Rejamus pœnas luisset, memoriaque id prodendum addidit Cæsar. Quod certe superstitiose observari ab ipso potuit, sed potius consulto, ut religionis obtentu vulgi animos irretiret.

CAPUT LIX.

MULTA præterea, specie gravitatis ac morum corrigendorum, sed & magis naturæ obtemperans, ita sæve & atrociter factitavit, ut nonnulli versiculis quoque & præsentia exprobrarent, & futura denuntiarent mala:

§ [a] [1] *Asper & immitis, breviter vis omnia dicam?*
Dispeream si [2] *te mater amare potest.*
[3] *Non es Eques. quare? non sunt tibi millia centum:*
Omnia si quaras, & Rhodos exsilium est.
Aurea mutasti [4] *Saturni sæcula, Cæsar:*
Incolumi nam te, ferrea semper erunt:
Fastidit vinum, quia jam [5] *sitit iste cruorem:*
Tam bibit hunc avide, quam bibit ante [6] *merum.*
[7] *Adspice felicem sibi, non tibi, Romule, Syllam:*
Et Marium, si vis, adspice, sed reducem.
Nec non Antonî civilia bella moventis,
Nec semel infectas adspice cade manus.
Et dic, Roma perit: [8] *regnabit sanguine multo,*
Ad regnum quisquis venit ab exsilio.

Quæ primo quasi ab impatientibus Romæ dominii, ac non tam ex animi sententia, quam [9] bile & stomacho fingerentur, volebat accipi. Dicebatque idemtidem, *Oderint, dum probent.* Deinde vera plane certaque esse ipse fecit fidem.

Interpretatio.

a O *acerbe & crudelis, visne ut paucis referam cuncta? Peream si mater* tua *potest te diligere. Non es Eques* Romanus. *Quid ita?* Quia *non possides centum millia* sestertiorum: *si petis cuncta, Rhodos* locus est *exilii* tui. O *Tiberi, invertisti statum fortunatam: te enim salvo, semper erit infortunata. Vinum despicit, quia hic sitit nunc sanguinem; hunc potat tam libidinose, quam ante potavit vinum purum. O Romule, intuere Syllam felicem, sed sibi, non tibi: vide quoque, si vis, Marium, sed* illum qualis erat *cum reversus est. Intuere etiam manus Antonii excitantis bellum civile, sæpe commaculatas occisionibus, & dic, Roma destruitur; ille dominabitur cum magnis cadibus, quicumque evehitur ad dominationem, post exilium.*

Notæ.

1. *Asper & immitis*, &c.] Torrentius existimat quatuor hæc priora districha variis singula temporibus edita fuisse, proinde separari debere, cætera conjungi. Certe diversam unumquodque sententiam continet & explet.

2. *Te mater amare*] Tacitus Annal. 1. *Hunc quoque asperavere carmina incertis auctoribus vulgata in sævitiam superbiamque ejus, & discordem cum matre animum.*

3. *Non es Eques*] Torrentius & ex eo Schildius, censet hos versus referendos esse ad ea tempora quibus Rhodi egerit, ex eo quod addat, *non sunt tibi millia centum.* Id enim, inquit, de eo dictum, qui in patris sit potestate intelligo, &c. Verum id vide-

Digitized by Google

videtur ſtare neutiquam poſſe; tunc enim cum Rhodum navigavit, nullius in poteſtate conſtitutus erat; non patris naturalis qui occiderat, ut patet ex cap. 6. ſupra; non adoptivi, ſiquidem non niſi poſt reditum adoptatus eſt, ut ſupra cap. 15. ac proinde patremfamilias ſuique juris fuiſſe fatendum; quis vero centum ei millia, quartam nempe cenſus equeſtris partem, ut ſupra in Julio cap. 33. non fuiſſe crediderit. Quin etiamſi juris alieni fuiſſe daretur, credibile tamen haud fuerit, & ipſum Equitem non fuiſſe, & centum millia non habuiſſe: Senatorum enim filii hoc ipſo Equites erant, ut ſupra in Julio, & accuratius in Auguſto cap. 38. notatum eſt: & peculio accepta multa retulerat, ut ex ſupradicto cap. 15. conſtat, & poſt tot adeptas dignitates, poſt tot bella proſpere geſta, tam exiguum eſſe non potuit ejus caſtrenſe peculium, ut cenſum equeſtrem non æquaret, (in quodam enim codice Beroaldus legit *quater & non ſunt tibi*, &c. quod multo melius mihi videtur) hoc autem peculium norunt omnes patriæ poteſtati non obnoxium. Reliquum eſt igitur, ut ſcripta dicantur poſt adeptum principatum carmina, iiſque forte probrum quoddam innui, quod, quia hac ætate compertum foret omnibus, prodere neglexerint hiſtorici, dum alius atque alius narrare rem ipſi plebeculæ notam, erubeſcit.

4. *Saturni ſecula*] Quibus, ut patet, imperium Auguſti comparat: quod & Poëta innuit Eclog. 4. v. 6.

Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,

ac deinde,

quo ferrea primum
Deſinet ac toto ſurget gens aurea mundo.

Quid vero de quatuor mundi ætatibus fabulati ſint antiqui, Heſiodus imprimis & Ovidius, nemo non novit.

5. *Sitti*] Torrentius in optimo libro legit *bibit*.

6. *Merum*] Alludebat ad ea cognomina de quibus ſupra cap. 42.

7. *Aſpice felicem*, &c.] Sylla de quo ſupra cap. 1. in Julio, cognominatus eſt felix: ſed Romulum alloquens carminis Auctor, Syllam ſibi uni felicem fuiſſe *dicit*, non illi, hoc eſt Urbi Romæ, utpote quam proſcriptionum cædibus, & omnimoda crudelitate vaſtaverat. Horum quatuor hominum exemplis, tria hæc diſticha probant quam periculoſum ſit, eum qui exularit, ſeu pulſus quondam fuerit, ſuperiorem fieri. Quod de Sylla & Mario ſatis ſuperque confirmant Plutarchus in Sylla, Livius, Florus, &c Tiberii autem exilium fuit receſſus ejus in Inſulam Rhodum, ſupra cap. 14.

8. *Regnabit*, &c.] Hunc enim inimicitias contraxiſſe multas oportuit, quas poſtmodum crudeliter ulciſcitur.

9. *Bile & ſtomacho*] Notum eſt utrumque pro indignatione accipi. Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 140.

tantum maledicit utrique, vocando
Hanc furiam, hunc aliud, juſſit quod ſplendida bilis. &c.

Terentius Eunucho Act. 2. Scen. 3. v. 31.

Id equidem advenienti mecum ſtomachabar modo

Super hac re plura Torrentius ad Oden 15. lib. 1. Horatii, ubi hujus loquendi modi rationes inveſtigat.

CAPUT LX.

1 IN paucis diebus quam Capreas attigit, piſcatori, qui ſibi ſecretum agenti grandem 2 mullum inopinanter obtulerat, perfricari eodem piſce faciem juſſit: territus, quod is a tergo inſulæ per aſpera & devia erepſiſſet ad ſe. Gratulanti autem inter pœnam, quod non & 3 locuſtam,
5 quam prægrandem ceperat, obtuliſſet, locuſta quoque lacerari os imperavit. Militem 4 prætorianum ob ſubreptum e viridario pavonem capite puniit. In quodam itinere lectica qua vehebatur, vepribus impedita, 5 exploratorem viæ 6 primarum cohortium centurionem 7 ſtratum humi pene ad necem verberavit.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *In paucis diebus*] Insolens loquendi ratio pro *paucis diebus ex quo*. Similę quid et Horatio Torrentius notat, *quinque diebus . . . . . nil erat in loculis.* Sat. 3. lib. 1. vers. 17.

2. *Mullum*] Supra cap. 34.

3. *Locustam*] Aristoteles lib. 4. de Historia Animalium cap. 2. κάραβον appellat, eorumque piscium qui molli crusta integuntur, primum genus facit. Plinius quoque lib. 9. cap. 30. & cap. 31. fragili & tenuiore crusta munitas esse locustas ait. De quo piscium genere plura ambo illi Auctores tum citatis locis, tum etiam aliis multis. Locustæ crusta licet tenuior, mulli tamen squamis longe erat asperior ac majorem dolorem illatura: unde inter cruciatum ipse reficiebatur piscator, quod locustam quoque a se captam non attuliset.

4. *Prætorianum*] De Prætorianis, supra cap. 37.

5. *Exploratorem*] Non in peregrinationibus modo, sed & in ipsa urbe, cum præsertim irent ad balnea ejusmodi ministris usos notat ex Juliano Casaubonus.

6. *Primarum cohortium*] Lipsius lib. 2. Elect. cap. 17. legendum vult *prætorianarum*, quia nempe Prætorianæ cohortes Tiberium ubique comitabantur. Dissentit Torrentius, nec Scribæ errorem culpari posse putat, cum paulo supra de Prætorianis locutus fuerit. Certe Vegetius lib. 2. de Re Militari cap. 4. primam in legione cohortem fuisse diserte affirmat, eamque cæteris & nobiliorem & numerosiorem; unde & Milliaria dicta est, supra in Julio cap. 31. De Centurionibus in Julio cap. 68. Torrentius in vetustissimo libro legit *chortium*, ut veteres semper.

7. *Stratum humi*] Tacitus lib. 1. Annal. de iis qui vel securi percutiendi, vel fuste puniendi erant, idem narrat, humi nempe prostratos: Lipsius vero ad columnam quoque interdum alligatos notat libro 2. de Cruce cap. 4. Et de his plura Jurisconsulti ad L. 7. & 8. *ff. de pœnis.*

CAPUT LXI.

MOx in omne genus crudelitatis erupit, nunquam deficiente materia: cum primo matris, deinde nepotum & [1] nurus, postremo [2] Sejani familiares atque etiam notos persequeretur. Post cujus interitum vel sævissimus exstitit: quo maxime apparuit, non tam ipsum a Sejano concitari solitum, quam Sejanum quærenti occasiones submini-
5 strasse. Etsi [3] commentario, quem de vita sua summatim breviterque composuit, ausus est scribere, *Sejanum se punisse, quod comperisset furere adversus Germanici liberos filii sui*: quorum ipse alterum suspecto jam, alterum oppresso demum Sejano interemit. Sigillatim crudeliter facta
10 ejus exsequi longum est: generatim velut exemplaria sævitiæ enumerare sat erit. Nullus a pœna hominum cessavit dies: ne [4] religiosus quidem ac sacer. Animadversum in quosdam [5] ineunte anno novo, accusati damnatique multi cum liberis atque etiam uxoribus suis. Interdictum ne capite damnatos propinqui [6] lugerent: decreta accusatoribus
15 præcipua præmia, nonnumquam & testibus. Nemini delatorum fides abrogata. Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simplici umque verborum Objectum est Poëtæ, quod in Tragœdia [7] Agamemnonem probris lacessisset: objectum & [8] Historico, quod *Brutum Cassiumque ultimos Romanorum* dixisset: animadversum est statim in
20 Auctores, scriptaque abolita, quamvis probarentur aliquot ante annos, etiam Augusto audiente recitata. Quibusdam custodiæ traditis, non modo studendi solatium ademtum, sed etiam sermonis & colloquii usus.

Digitized by Google

Citati ad cauſſam dicendam, partim ſe domi vulneraverunt, certi damnationis, & ad vexationem ignominiamque vitandam: partim in media curia venenum hauſerunt, & tamen colligatis vulneribus, ac ſemianimes palpitanteſque in carcerem rapti. Nemo punitorum non & in Gemonas abjectus uncoque tractus. [10] Viginti uno die abjecti tractique ſunt: inter eos pueri & fœminæ. [11] Immaturæ puellæ: quia more tradito nefas eſſet virgines ſtrangulari, vitiatæ prius a carnifice, dein ſtrangulatæ. Mori volentibus vis adhibita vivendi. Nam mortem adeo leve ſupplicium putabat, ut cum audiſſet unum e reis, [12] Carnulium nomine, anticipaſſe eam, exclamaverit, *Carnulius me evaſit.* Et in recognoſcendis cuſtodiis, precandi cuidam pœnæ maturitatem, reſpondit, *Nondum tecum in gratiam redii.* Annalibus ſuis vir conſularis inſeruit, frequenti quondam convivio, cui & ipſe affuerit, interrogatum eum ſubito & clare a quodam [13] nano adſtante menſæ [14] inter copreas, cur Paconius, majeſtatis reus, tam diu viveret: ſtatim quidem petulantiam linguæ objurgaſſe, cæterum poſt paucos dies ſcripſiſſe Senatui ut de pœna Paconii quam primum ſtatueret.

NOTÆ.

1. *Nurus*] Vel Agrippinæ, quæ Germanici conjux, de qua ſupra cap. 53. vel Liviliæ quæ Druſi, de qua capite proxime ſequenti. De Agrippina potius intelligendum videtur, quia conjungit nepotibus, Germanici nempe filiis, quos tam crudeliter occidit. Supra cap 54.

2. *Sejani*] Supra cap. 55.

3. *Commentario quem*] Torrentius in optimo libro legit *quod*. Tiberii commentarios Domitianus aſſidue lectitabat. Suos ſcripſerat & Auguſtus, in Auguſto cap. 85.

4. *Religioſis*] Vide in Auguſto cap. 57. ſolennioribus ejuſmodi feſtorum diebus vinctis etiam dempta in eos dies vincula narrat Livius lib. 5 Decad. 1. Videſis & ſuper hac voce Gellium lib. 4. cap. 9.

5. *Ineunte anno*] *Quo tempore verbis etiam profanis abſtineri mos eſſet.* Sabinus hoc die Sejani fraude condemnatus apud Tacitum Annal 4. Nihil triſte privatim aut publice aggrediebantur illo die, metu præſertim ſiniſtri præſagii. Hinc Plutarchus in Mario notat malorum Romanis impendentium fuiſſe præſagium, quod Marius illo die Licinium e ſaxo dejeciſſet.

6. *Lugerent*] Hoc eſt mortuos deferent, aut lugubres veſtes gererent per decem menſes, qui annus Romuli, & legitimum lugendi tempus. Ornatum omnem abjiciebant; viri quidem Senatorii latum clavum, & annulos aureos; matronæ vero aurum & purpuram, pullis duntaxat atriſque veſtibus amicti. De quibus Alexander ab Alexandro libro 13. cap. 7. Cujacius libro 6. Obſervationum cap. 32. &c.

7. *Agamemnonem*] Notus hic Argivorum Rex, belloque Trojano Græci exercitus Imperator. De quo plura apud Auctores Homerum præſertim, Paterculum lib. 1. cap 1. Plutarchum in Ageſilao &c. Sub ejus perſona Tiberius ſibi quoque maledici credidit, Poëtæ quippe Homericarum perſonarum nominibus, & aliis etiam, malos quandoque laceſſebant, ut colligas etiam ex Perſii Sat. 1. v. 4. & Auguſti cap. 68. Dio lib. 58. Auctor Scaurum quendam ad mortem ſibi conſciſcendam adactum, quod Tragœdiæ, cui nomen *Atreus* fecerat, Euripidis verſus inſeruiſſet, quibus imperantis ferendam eſſe ſtultitiam doceret.

8. *Hiſtorico*] Tacitus lib. 4. Annalium anno A. U. C. 778. *Cremutius poſtulatus novo, ac tunc primum audito crimine, quod editis Annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Caſſium Romanorum ultimum dixiſſet.* Tum defenſione ejus relata addit, *egreſſus dein Senatu vitam abſtinentia finivit.* De quo adhuc infra Calig. cap. 16. ut & ſupra Aug. cap. 35.

Digitized by Google

9. *Gemonias*] De his supra cap. 53. de laqueis & uncis cap. 54.

10. *Viginti uno die*] Casaubonus hîc & Lipsius ad 6. Annalium Taciti numero 57. corruptum hunc numerum aiunt, existimantes longe majorem a Tacito significari. *Tiberius incitatus suppliciis cunctos, qui carcere tenebantur, accusati societatis cum Sejano, necari jubet. Fecit immensa strages, omnis sexus, omnis ætas, illustres ignobilesque, dispersi aut aggregati.* Casaubonus suspicatur scribendum *ducenti & viginti*. Lipsius *ducenti*, aut potius ∞, idest *mille*, quod fatuus, ut ait exscriptor, male interpretatus sit. Certe stragem illam, ut diserte non uno factam in loco narrat Tacitus, quod satis indicant voces *dispersi aut aggregati*; ita nec eodem tempore perpetratam ullatenus affirmet, & satis horrendum videtur si viginti uno eodemque die perierint.

11. *Immaturæ puellæ*] De Sejani filia notatum supra cap. 55. ex Tacito, quod & Dio retulit. Notat Lipsius non tam virginitatis quam ætatis caussa inductum morem illum, quia pueros interfici nefas erat ante sumptam virilem togam. Dio lib. 47. auctor est, puerum quemdam sæviente proscriptione toga virili a Triumviris indutum, ut vana illa juris specie posset occidi.

12. *Carnulium*] MSS. legunt *Carnisium* & *Carnulum*. Unde Casaubonus legendum censet *Carvilium* seu *Cartilium*: quæ nomina Romana sunt.

13. *Nanum*] Pumilionem ex eorum genere de quibus in Augusto cap. 83.

14. *Inter copreas*] Beroaldus & Sabellicus legunt *Capreas*, ut de secessu Caprearum insularum intelligatur, quomodo & in omnibus codicibus magno consensu Torrentius vidisse se ait; verum non de secessu, sed de scurris astantibus explicat, utpote qui sic appellati sint a Capreæ obscœnitate & rodendi consuetudine. Lipsius libro 2. Electorum cap. 17. & Casaubonus hîc, uterque post Scaligerum in Castigationibus ad Festum, *Copreas* retinendum asseverant, & sic in Memmiano ac Pithœi codicibus legit Casaubonus, infra in Claudio cap 8. ubi vox illa recurrit. Sunt igitur copreæ, scurræ vaniloqui, nugatores quales aretalogi illi de quibus in Augusto cap. 74. seu propius ad nominis etymon, sordidi quidam viri non nisi fœda loquentes, ut fœdo illi seni risum commoverent, aut etiam multa minantes ac de se prædicantes. Unde in Isidori glossis *incopriare*, pro *circulatorem agere & fumos vendere*.

CAPUT LXII.

AUXIT intenditque sævitiam, exacerbatus indicio de morte filii sui Drusi: quem cum morbo & intemperantia periisse existimaret, ut tandem veneno interemtum fraude [1] Livillæ uxoris atque Sejani cognovit, neque tormentis neque supplicio cujusquam pepercit: [2] soli huic cognitioni adeo per totos dies deditus & intentus, ut Rhodiensem hospitem, quem familiaribus literis Romam evocarat, adveniisse sibi nuntiatum, torqueri sine mora jusserit, quasi aliquis ex necessariis [2] quæstioni adesset: deinde errore detecto, & occidi, ne divulgaret injuriam. Carnificinæ ejus ostenditur locus Capreis, unde damnatos post longa & exquisita tormenta, præcipitari coram se in mari jubebat: excipiente classiariorum manu, & contis atque remis elidente cadavera: ne cui residui spiritus quidquam inesset. Excogitaverat autem inter genera cruciatus, etiam ut larga meri potione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, [3] fidicularum simul urinæque tormento distenderet. Quod nisi eum & mors præveniisset, & [4] Thrasyllus consulto, ut aiunt, differre quædam, spe longioris vitæ compulisset; plures aliquanto necaturus, ac ne reliquis quidem nepotibus parsurus creditur: cum & [5] Caium suspectum haberet, & [6] Tiberium ut ex [7] adulterio conceptum

Digitized by Google

aſpernaretur. Nec abhorret a vero: namque identidem [8] *Felicem Priamum vocabat, quod* [9] *ſuperſtes omnium ſuorum exſtitiſſet.*

INTERPRETATIO.

a *Per integros dies ita addictus & intentus huic uni cognitioni, ut,* cum ipſi *nuntiatum eſſet advenisse hoſpitem Rhodienſemquem accerſiverat Romam familiaribus epiſtolis, imperaverit illum confeſtim excruciari, tanquam aliquem ex amicis* reorum, *qui intereſſet inquiſitioni: atque cum error animadverſus eſſet,* imperavit illum *quoque occidi ne divulgaret injuriam.*

NOTÆ.

1. *Livilla*] Hanc Liviam appellat ubique Tacitus, ſed Suetonius fœminarum nomina hoc modo formare amat, ut pro *Claudia Claudilla, Plautilla*, &c. Livilla hæc Germanici ſoror fuit, ut in Claudio cap. 1. in fine, a Sejano conſtuprata, Druſum Tiberii filium adhibito in conſilium Eudemo Medico, ſuſtulit. Quod indicium detulit Apicata Sejani uxor, ſeſe poſt mariti & liberorum cædem interfectura. Quæ ſingula fuſe apud Tacitum Annal. 4. & 5.

2. *Quæſtiones*] Non de tormentis tantum, ſed de tota criminis inquiſitione dicebatur. Quo ſenſu in Julio cap. 6. & Juriſconſulti hîc notanda vox *cognitioni*; ſumitur enim pro eo judicio quod ipſe per ſe princeps vel alius ejus mandato exercebat. De quo infra Claud. cap. 15 &c.

3. *Fidiculârum*] Fidiculæ hîc nil aliud ſunt quam chordæ quædam tenuiores quales cytharis aptantur. Nam de eo quod, fidicularum, vocabant tormento infra Calig. cap. 33.

4. *Thraſyllus*] Mathematicus ille cujus diſciplina omnino pendebat. De eo ſupra in Auguſto cap. 98. & Tiberio cap. 14.

5. *Caium*] Tertium Germanici filium, de quo toto libro ſequenti. De duobus reliquis quanta crudelitate perierint, ſupra cap. 54.

6. *Tiberium*] Druſi filium, ac proinde Tiberii nepotem, de quo in Calig. cap. 14.

7. *Adulterio*] Livillæ cum Sejano aut Eudemo Medico, ut initio hujus capitis notatum ex Tacito qui de his plura, & de Eudemo Plinius lib. 29. cap. 1.

8 *Felicem Priamum*] Ita & Seneca in Troade:

Felix Priamus! dicimus omnes,
Felix Priamus! Felix quiſquis
Bello moriens, omnia ſecum
Conſumpta videt!

Aliter Cicero lib. 1. Tuſculanarum Quæſt. 132. cui aſſentitur & Juvenalis Satyr. 10. verſ. 265.

9. *Superſtes omnium*] Non quidem exacte loquendo; nam ſuperſtitibus Hecuba, Helena, Polyxena, &c. periit. Sed omnia dixit quo ſenſu Juvenalis ibidem:

Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
Inflammata, & flammis Aſiam ferroque cadentem.

CAPUT LXIII.

QUAM vero inter hæc non modo inviſus ac deteſtabilis, ſed prætrepidus quoque atque etiam contumeliis obnoxius vixerit, multa indicia ſunt. Haruſpices ſecreto ac ſine teſtibus Conſuli vetuit. [1] Vicina vero Urbi oracula etiam disjicere conatus eſt: ſed majeſtate [2] Prænestinarum ſortium territus, deſtitit: cum obſignatas devectaſque Romam non reperiſſet in [3] arca, niſi relatas rurſus ad Templum. [4] Unum & alterum conſulares oblatis Provinciis, non auſus a ſe dimittere, uſque adeo detinuit, donec ſucceſſores poſt aliquot annos præſentibus daret: quum interim manente officii titulo, etiam [5] delegaret plurima: aſſiduæque illi per [6] legatos & adjutores ſuos exſequenda curarent.

NOTÆ.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Vicina Urbi oracula*] Ut sortes Antiatinæ, de quibus Calig. cap. 57. & Prænestinæ de quibus hîc.

2. *Prænestinarum sortium*] De historia harum sortium vide Ciceronem libro 2. de Divinatione. De oraculis jam supra cap. 14.

3. *Arca*] Ea autem ex olea fuit, teste Cicerone ibidem.

4. *Unum aut alterum consulares oblatis Provinciis*, &c.] Quas ab idoneis recusari conqueritur apud Tacitum Annal. 6. *Oblitus*, inquit Auctor ille, *Arruntium ne in Hispaniam pergeret, decimum jam annum attineri.* Quare de eo & de Ælio Lamia locus hic omnino videtur intelligendus. Tiberii consilium hoc secuti sunt postea & Nero, Vitellius ac Domitianus, ut docet variis in locis Tacitus.

5. *Delegaret*] Hoc est, ea mandaret agenda, quæ vulgo Provinciarum Præfidibus Imperatores.

6. *Legatos*] Quid sint, supra cap. 41.

CAPUT LXIV.

[1] NURUM ac nepotes nunquam aliter post damnationem, quam catenatos, [2] obsutaque lectica, loco movit: prohibitis per militem obviis ac viatoribus respicere usquam, vel consistere.

NOTÆ.

1. *Nurum ac nepotes*] Agrippinam, Drusum, Neronem, de quibus supra cap. 53. & 54.

2. *Obsuta*] Hoc est obsuto velo, (quale videtur *plagulas* appellare infra in Tito cap. 10) clausa & operta, ne, si viderentur, major inde sibi conflaretur invidia.

CAPUT LXV.

SEJANUM res novas molientem, quamvis jam & [1] natalem ejus [5] publice celebrari, & [2] imagines aureas coli passim videret: vix tandem & astu magis ac dolo quam principali auctoritate, subvertit. Nam primo, ut a se per speciem honoris dimitteret, collegam sibi assumsit in quinto consulatu, quem longo intervallo absens ob idipsum susceperat. Deinde [3] spe affinitatis ac [4] Tribunitiæ potestatis decepto, inopinantem criminatus est [5] pudenda miserandaque oratione: cum inter alia P. C. precaretur, *mitterent alterum e Consulibus, qui senem se, & solum in conspectum eorum cum aliquo militari præsidio perduceret.* Sic quoque diffidens, tumultumque metuens, Drusum nepotem, quem vinculis adhuc Romæ continebat, solvi, si res poscceret, ducemque constitui præceperat. Aptatis etiam navibus ad quascumque legiones meditabatur fugam, [6] speculabundus ex altissima rupe identidem [7] signa, quæ ne nuntii morarentur, tolli procul, ut quidque foret factum, mandaverat. Verum & oppressa conjuratione Sejani, nihilo securior aut constantior, per novem proximos menses non egressus est villa quæ vocatur Jovis.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Natalem ejus*] Hinc patet æquales Sejano ac Tiberio honores habitos siquidem natales Principum dies magna pompa ludisque, quos ideo natalitios vocavere, celebrabant.

2. *Imagines aureas*] Sejano non secus ac ipsi Tiberio & Augusto dicatas, quæ post ejus necem undique dis ectæ & partim conflatæ sunt. Quod Juvenalis Sat. 10. lepide prosequitur v. 63.

Descendunt statuæ restemque sequuntur.

Et paulo infra,

Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus.

Deinde,

Ex facie toto orbe secunda
Fiunt urceoli pelves, sartago patella.

Qui mos passim apud Auctores animadvertitur, ut nempe qui damnati gravioris criminis essent, v. g. majestatis perduellionis, tyrannidi; Ii non perirent tantum, sed & nomen memoriaque eorum delerentur, aliaque id genus.

3. *Spe affinitatis*] Cum Livilla de qua paulo supra cap. 62. De quo & Tacitus lib. 4. Annalium: *At Sejanus nimia fortuna vecors, & muliebri insuper cupidine incensus, promissum matrimonium flagitante Livia, componit ad Cæsarem codicillos, morio quippe tum erat quanquam præsentem scripto adire, &c. Refert Sejani super hac re literas, & Tiberii responsionem.*

4. *Tribunitia potestatis*] Qua tanta auctoritate facilem sibi parari putabat aditum ad Imperium.

5. *Pudenda miserandaque oratione*] Hæc Epistola fuit, sed magna, constat ex Dione & Juvenali,

Verbosa & grandis epistola venit
A Capreis.

Hanc qui afferebat, Sertorius Macro, dixit Sejano tribunitiam potestatem afferre: quo nuntio lætus supra modum Sejanus curiam ingressus est, ubi Macro tradita Consulibus Epistola priusquam legeretur, egressus est ad milites, qui recta demum Epistola, miserum Sejanum circumsteterunt, & laceratum in Gemonias abjecere

6. *Speculabundus*] Hoc est, avide speculans & anxie; nomina enim illa in *bundus* desinentia, vim & quandam quasi abundantiam rei significant. Ut *lætabundus*, v. g. dicatur qui abunde sit lætus, &c. ut patet ex Gellio lib. 11. cap. 15. ubi notat *populabundus agros* a Sisennate quodam Historico dici. Quod idem est, ac *speculabundus* signa, ut hîc Suetonius.

7. *Signa quæ tolli*, &c.] Casaubonus sic ex MSS. emendandum censuit, *Signaque tolli jusserat*, &c. Ea signa fuere interdiu fumus, noctu ignes accensi, qualia multa Tiberius certis intervallis disponi jusserat, ut omni nuntio velocius, quid gestum esset, acciperet. Quod & in castrorum munitionibus, maxime ubi metus erat ne repente hostis ingrueret, jamdiu usitatum erat

CAPUT LXVI.

URGEBANT insuper anxiam mentem varia undique convitia, nullo non damnatorum omne probri genus coram, vel per libellos in [2] orchestra positos, ingerente. Quibus quidem diversissime afficiebatur: modo, ut præ pudore ignota & celata cuncta cuperet: nonnumquam eadem contemneret, & proferret ultro atque [3] vulgaret. Quin & [4] Artabani Parthorum Regis laceratus est literis, parricidia & cædes & ignaviam & luxuriam objicientis, monentisque ut voluntaria morte, maximo justissimoque civium odio quamprimum satisfaceret.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Urebant*] Hoc est, dolore & ira exagitabant. Quo sensu Virgilius lib. 1. Æneid. de Venere dixit,

Urit atrox Juno, &c.

2. *Orchestra*] Unde spectabant Senatores: de qua supra in Julio cap. 39. &c. Ideo autem libelli ibi positi videntur, vel ut conspicui magis essent, vel ut Senatores, quasi quos secutura plebs erat, potissimum concitaret.

3. *Vulgaret*] Auctor est Dio Tiberium inquisiviſſe diligenter omnia quæ de se in malam partem quivis locutus esset, ipsumque omnia sibi maledicta ingessisse, quæ cuiquam mortalium possunt competere: ut si quis in occulto de eo locutus esset, id non publicaret modo, sed in Acta publica curaret quoque referendum.

4. *Artabani*] Hunc inter & Tiberium fœdus operâ Vitellii factum narrat Josephus lib. 18. cap. 6. Parthi illum sibi Regem fecerant in locum Vononis, utpote Arsacidarum genere ortum: de quo infra Calig. cap. 14.

CAPUT LXVII.

POSTREMO semetipse pertæsus talis epistolæ principio, [1] tantum non summam malorum suorum professus est. *Quid scribam vobis, Patres Conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam, hoc tempore? Dii me, Deaque* [2] *pejus perdant, quam quotidie perire sentio,* [3] *si scio.* Existimant quidam, [4] præsciisse hæc eum [5] peritia futurorum: ac multo ante, quanta se quandoque acerbitas & infamia maneret, prospexisse. Ideoque ut imperium inierit & PATRIS PATRIÆ appellationem, & ne in acta sua juraretur obstinatissime recusasse: ne mox majore dedecore impar tantis honoribus inveniretur. Quod sane & ex oratione ejus, quam de utraque re habuit, colligi potest: vel cum ait, *Similem se semper sui futurum: nec unquam* [6] *mutaturum mores suos, quamdiu mentis sanæ fuisset: sed exempli causſa cavendum, ne se Senatus in acta cujusquam obligaret, qui aliquo casu mutari posset.* Et rursus: *Si quando autem*, inquit, *de moribus meis, devotoque vobis animo dubitaveritis: quod priusquam eveniat, opto ut me supremus dies huic mutatæ vestræ de me opinioni eripiat: nihil honoris adjiciet mihi* PATRIS *appellatio: vobis autem exprobrabit, aut temeritatem delati mihi ejus cognominis, aut inconstantiam contrarii de me judicii.*

NOTÆ.

1. *Tantum non*] Hoc est, propemodum notam fecit illis malorum suorum summam, seu vitam illam ærumnosissimam, ac terrores quibus tot scelerum conscientia illum exagitabat. Tacitus libro 6. Annal. idem habet initium epistolæ, quam paulo aliter refert.

2. *Pejus*] Torrentius cum Beroaldo & Sabellico legit *pœnis*. Turnebus Adversar. lib. 14. cap. 17. *pejus*, quemadmodum editiones Gallica & Germanica ex tribus MSS. & Tacitus Annal. 6. ubi etiam hoc fragmentum legitur.

3. *Si scio*] Hoc est, quidnam scribendum aut non scribendum sit: quod juramento confirmat.

4. *Præsciisse*] Scripserat enim se mortem quotidie adventantem sentire. Curiosis illis artibus mire deditus fuit, & futura sciendi avidissimus, ut infra cap. 69.

5. *Parricidia*] Non tantum propter suspicionem occisi veneno Augusti, ut supra in Augusto cap. 99. & Liviæ matris cum qua dissidebat; sed & propter affinium tot personarum mortem, utpote qui fratris filios suosque nepotes, nurum, &c. perire vo-

Digitized by Google

luiſſet, ut paulo ſupra. Lege enim Pompeïa de parricidiis, tenentur etiam qui iſtos occidunt. De recuſatis ab ipſo honoribus ſupra cap. 26.

6. *Mutaturum mores ſuos*] Extat apud Tacitum lib. 6. civilis admodum ejus Oratio, cujus in fine verba hæc leguntur: *Hæc Deos Deaſque precor, ut mihi ad finem uſque vitæ quietam, & intelligentem divini humanique meum.*

CAPUT LXVIII.

CORPORE fuit amplo atque [1] robuſto: [2] ſtatura, quæ juſtam excederet. Latus ab humeris & pectore: cæteris quoque membris uſque ad imos pedes æqualis, & congruens: [3] ſiniſtra manu agiliore ac validiore, articulis ita firmis, ut recens & integrum malum digito terebraret: caput pueri, vel etiam adoleſcentis, [4] talitro vulneraret. Colore erat candido, capillo pone occipitium ſummiſſiore, ut cervicem etiam obtegeret: quod [5] gentile in illo videbatur. Facie honeſta, in qua tamen crebri, & [6] ſubtiles tumores, cum prægrandibus oculis: & qui, quod mirum eſset, noctu etiam & [7] in tenebris viderent, ſed ad breve: & cum primum a ſomno patuiſſent, demum rurſum hebeſcebant. Incedebat [8] cervice rigida & obſtipa: [9] adducto fere vultu, plerumque tacitus: nullo aut rariſſimo etiam cum proximis ſermone, eoque [10] tardiſſimo, nec ſine molli quadam digitorum [11] geſticulatione. Quæ omnia ingrata, atque arrogantiæ plena, & animadvertit Auguſtus in eo, & excuſare tentavit ſæpe apud Senatum ac Populum, profeſsus, *Naturæ vitia eſſe, non animi.* Valitudine proſperrima uſus eſt, tempore quidem principatus pene toto prope illæſa: quamvis a trigeſimo ætatis anno arbitratu eam ſuo rexerit, ſine adjumento conſiliove Medicorum.

NOTÆ.

1. *Robuſto*] Loquitur de validiori & integra ejus ætate, ut patet ex eo quod de articulorum firmitudine hîc refert. Seni quippe Tiberio *pergracilis & incurva procerita adeo ut in ſenectute quoque corporis habitum pudori fuiſſe* tunc temporis crederent, ut narrat Tacitus lib. 4. Annalium, ubi minime a Suetonio diſcrepare videtur.

2. *Statura quæ juſtam*] Summa omnium eſt ſeptem pedum, ut ſupra ex Gellio in Auguſto cap. 79. notatum eſt. Et colligas aperte ex Sidonii Apollinaris carmine 12. quod eſt ad Catulinum: nam Burgundiones dicit Gigantes, quos ibidem ſeptipedes appellat, & clarius adhuc Epiſt. 9. lib. 8. Si igitur juſtam ſtaturam intelligas, quæ uno pede brevior eſſet, Tiberii ſtatura ſex pedum & amplius fuerit. Ubi notandum pedem Romanum Græco majorem fuiſſe, ne cui mirum videatur, quod Hiſtoria Græca novem atque etiam decem pedum altitudine inſignes quoſdam annotarit.

3. *Siniſtra manu agiliore*] Tales Latini dicuntur Scævæ. Lipſius libro 2. Electorum cap. 12. in fine notat dexteras partes omnes & meliores & fortiores eſſe, hepatis præſertim & ſplenis exemplo, ac maxime Ariſtotelis auctoritate, qui libro 3. de partibus Animalium cap. 9. dextræ partis naturam ait eſſe validiorem, &c. Certe quoad manus pedeſve (ibi enim Ariſtoteles de renibus agit) cauſſa non videtur alia eſſe a conſuetudine: quod Tiberii exemplum aliorumque bene multorum probaverit. Alia roboris extraordinarii exempla videſis apud Plinium lib. 7. cap 20. &c.

4. *Talitro*] Talitrum digiti percuſſio, qualem noſtrates dicunt *chiquenaude.*

5. *Gentile in illo*] Quaſi gens Claudia capillum hoc modo prolixiorem alere conſueſſet, quod & de Nerone infra cap. 51. cum aliis calamiſtris intortos, alii in gra-

Digitized by Google

dus formatos crines haberent.

6. *Subtiles tumores*] Casaubonus & Torrentius in multis MSS. legunt *subiti*, nec improbant, ut sit sensus: Papulas illas non perpetuas, sed per intervalla intumuisse & detumuisse. Tacitus lib. 4. Annal. de Tiberio ait: *nudus capillo vertex, ulcerosa facies, ac plerumque medicaminibus interstincta.* Quo loco inductus Lipsius *substilli*, vel *substilles* legendum pronuntiat, arbitratus exprimi non potuisse verbo aptiore saniem illam, quæ in tumoribus hujusmodi minutatim stillat. Certe vox *substillum* legitur apud Festum & Catonem. Subtiliorem tamen quam veriorem emendationem hanc existimant alii: nam profecto, inquit Torrentius, si e facie Tiberii liquor saniesque minutatim stillabat, quid Suetonio mentis, honestam eam appellanti? Verum quidni Suetonius honestam dixerit, quæ medicaminum ope talis apparebat? ut ex Tacito colligere est.

7. *In tenebris*] Plinius lib. 11. cap. 37. negat alii mortalium ulli talem fuisse naturam, qualis erat Tiberio qui expergefactus noctu haud alio modo quam luce clara contueretur omnia, tenebris paulatim sese obducentibus. Quod certe miraculo simile videatur si diutius paulo perseveret, ut v. g. legere possit. Secus autem si lux illa, seu potius, ut ait Casaubonus, resplendescentia, non nisi morulam aliquam fecerit continuo evanescens; id enim pene translatitium est, iisque præsertim commune qui naturæ calidioris & igneæ sunt, ut indicat Alexander Aphrodiseus lib. 2. Problematum quæst. 69. & de seipsis testantur Casaubonus & Sabellicus, ac Josephus Scaliger de se & patre suo ad annum ætatis vigesimum tertium. Quod autem Solinus ex Plinio tradit de Albanis qui nocte plusquam die cernerent, id quamquam verum detur, nihil tamen huc facit; oculorum enim id potius vitium est, quo & Tiberius ex parte laborabat, si Dioni fides.

8. *Cervice obstipa*] Hoc est collo rigido, & in alterum humerum inclinato, & qui cogitabundi & attenti status est, qualem Persius Philosophis tribuit Satyra 3. vers. 8.

Obstipo capite, & figentes lumine terram.

& Horatius Sat. 5. lib. 2.

Stet capite obstipo multum similis metuenti.

9. *Adducto vultu*] Hoc est contracto ad severitatem: adducere enim, contrahere est. Cicero libro de Amicitia num. 42. de habenis loquens ait, *quas vel adducas cum velis vel remittas.* Et Virgilius lib. 9. Æneid.

Ipse ter adducta circum caput egit habena.

10. *Tardissimo*] Hæc omnia hujus de qua supra cap. 21. & 57. lentitudinis indicia.

11. *Gesticulatione*] Hoc est, crebro quodam motu digitorum, quod impudicitiæ & mollitiei argumentum fuisse colligitur ex Senecæ Epistola 52. *Impudicum incessus ostendit, & manus mota, & unum interdum responsum, & relatus ad caput digitus.* & Juven. Sat. 9.

Qui digito scalpunt uno caput.

Quod Pompeio exprobratum est ut patet ex disticho Calvi Poëtæ quod retulit super hac re Seneca libro 4. Controversiarum, controversia 19.

Fasciola qui crura ligat, digito caput uno
Scalpit, quid credas hunc sibi velle virum.

CAPUT LXIX.

CIRCA Deos ac religiones negligentior: quippe addictus Mathematicæ: persuasionisque plenus, cuncta [1] fato agi. Tonitrua tamen præter modum expaveſcebat: & turbatiore cœlo numquam non [2] coronam lauream capite gestavit, quod fulmine afflari negetur id genus [3] frondis.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Fato*] Eo verosimiliter quod Mathematicum vocant. De quo sic Lipsius lib. 1. de Constantia cap. 18. ligat & nectit firmiter actiones omnes eventusque ad vim siderum & posituram stellarum.

2. *Coronam lauream*] Idem Augusto pavor, & remedium tam inutile; sunt enim qui laurum de cœlo tactam viderint, quidquid dicat Plinius lib. 15. cap. 30. ubi etiam hujus loci meminit, & lib 2. cap. 55. ubi solam hanc arborem fulmine non tangi refert. Videsis in Augusto cap. 90.

CAPUT LXX.

ARTES liberales utriusque generis studiosissime coluit. In oratione Latina secutus est [1] Corvinum Messallam, quem senem adolescens observaverat. Sed [2] affectatione & morositate nimia obscurabat stylum: ut aliquanto ex tempore quam a cura præstantior haberetur. Composuit & carmen lyricum, cujus est titulus, [3] *Conquestio de L. Cæsaris morte*. Fecit & Græca Poëmata, imitatus [4] Euphorionem, & Rhianum, & Parthenium: quibus Poëtis admodum delectatus, scripta eorum & imagines, [5] publicis bibliothecis [6] inter veteres & præcipuos Auctores dedicavit: & ob hoc plerique eruditorum certatim ad eum multa de his ediderunt. Maxime tamen curavit notitiam [7] historiæ fabularis usque ad ineptias atque derisum. Nam & Grammaticos, quod genus hominum præcipue, ut diximus, appetebat, ejusmodi fere quæstionibus experiebatur: *Qua* [8] *mater Hecubæ: Quod* [9] *Achilli nomen inter virgines fuisset: Quid* [10] *Sirenes cantare sint solitæ*. Et quo primum die, post excessum Augusti, curiam intravit: quasi pietati simul ac religioni satisfacturus, [11] Minois exemplo, [12] thure quidem ac vino, verum sine tibicine, supplicavit: ut ille olim in morte filii.

NOTÆ.

1. *Corvinum Messalam*] Supra in Augusto cap. 58. Auctor Dialogi de claris Oratoribus, quem vulgo Tacitum ferunt, ait Corvinum ipso Cicerone dulciorem & magis elaboratum. Meminit & Horatius libro de Arte Poëtica, & Quintilianus libro 10. &c.

2. *Affectatione*] Antiquorum præsertim vocabulorum: quo nomine arguebatur ab Augusto, in Augusto cap. 86.

3. *Conquestio de Lucii Cæsaris*] Torrentii MSS omnes habent *conquisitio*. Sed vix ullo sensu, unde Turnebo & Pulmanno mutare visum est, ut & *Lucii*. cum in quibusdam legeretur *Iulii*. Quæ posterior lectio spernenda non videtur; ut quid enim, etiamsi Augusto blandiri voluisset, Lucii potius quam Caii Cæsaris mortem luxisset? cum uterque eodem anno extinctus sit, & Caïus ipse prior, supra in Augusto c. 65. Cui accedit quod Julii Cæsaris mors non minus ab Augusto deflenda foret.

4. *Euphorionem*] Horum Poëtarum opera veteribus fabulis referta fuisse Casaubonus colligit ex Luciani libro de conscribenda Historia. Quod & de Euphorione Cicero innuit libro 2. de Divinatione, ubi obscurum Poëtam illum appellat. Qua de causa Tiberio præsertim acceptos facile conjicias; tum etiam quod amatoria præcipue scripserint, Euphorion præsertim cujus Poëmata passim a parum sobriis cantabantur; quos ideo per contemptum appellat idem Cicero Euphorionis cantores lib. 3. Tuscul.

5. *Publicis bibliothecis*] Primus bibliothecam publicavit Asinius Pollio, tum Julius, supra cap. 44. in Julio ac Augusto cap. 29.

6. *Inter veteres*] Dicatæ enim illæ in

Digitized by Google

bibliothecis imagines, & omnes pro ſuo quæque genere diſtinctæ, ut Scriptorum imaginibus ſuus eſſet locus, ab eorum loco ſecretus, qui aliter quam literarum ſtudio inclaruerant. Parthenium illum de quo hîc ſermo eſt, Tiberio coæta eum facit Suidas; unde maxima illi a Tiberio delata gloria quem inter Veteres collocaverit, quemadmodum Pollio Vinius viventis ſtatuam, Marci nempe Varronis, in ſua Bibliotheca collocarat Vid Martialem Epiſtola & Epigrammate lib. 9. & Ciceronem ad Atticum lib. 4. Epiſt. 9. & Auguſtum cap 7.

7. *Hiſtoriâ fabulari*] Hanc intelligunt omnes hiſtoriam, cui intexta forent fabularum figmenta, vel quæ Poeticis narrationibus ſcateret. Verum quidni dicatur Tiberius in id præſertim incubuiſſe ut veras noſſet, aut rimaretur hiſtorias, ac genealogias quarum occaſione Poetæ tot deos, tantaque alia fingendi anſam arripuiſſent? Aut etiam hunc fuiſſe cujuſdam libri titulum, *Notitia Fabul. Hiſtor. Rom.* quem Grammaticus ex illis unus ediderit, quo Principi ejuſmodi cognitionum cupido gratificaretur, ut hujus loci ſenſus is ſit, inter opera quæ de Poëtis edidere Grammatici Tiberius maxime curavit illud cui titulus *Notitia*, &c Qua ratione diceretur quis ex operibus Terentii maxime curare *Andriam*.

8. *Mater Hecuba*] Notiſſima hæc Priami uxor quæ patrem habuit Ciſſeum aut, ut alii volunt, Dymanta, ignota matre. Super vanis ejuſmodi ſtudiis vide Senecam libro de Brevitate vitæ cap. 13 plura egregie & ſapienter diſſerentem Similiter Juvenalis ait Sat. 7. hoc ridens ſub finem:

dicat
Nutricem Anchiſæ, nomen patriamque noverca
Archemori, dicat quot Aceſtes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas? &c.

De quo etiam egregie Gellius lib. 14. c. 6.

9. *Achillis nomen inter virgines*] Lycomedis filias qu buſcum delituiſſe habitu puellari notum eſt: unde & puellare nomen habuiſſe exiſtimabant.

10. *Syrenes*] Acheloi & Calliopes filiæ ex Homeri Odyſſea notiſſimæ, quas dulciſſimis modis ceciniſſe tradunt Poëtæ: ſed quid ſpeciatim cantarent, nemo prodidit. Quorum omnium explicatio cum ad Grammaticos pertineret, ejuſmodi quæſtionibus quas ſolvi non poſſe ſciebat, eorum ſtudiis illudebat.

11. *Minoïs exemplo*] Hujus hiſtoriam referunt Plutarchus & Diodorus Siculus, ſed hîc nulla ſacri hujus habitâ mentione. Cretæ Rex erat, cujus filius Androgeus ab Athenienſibus quibuſdam interfectus eſt, & multis ærumnis vindictus, &c

12. *Thure quidem ac vino*] Ita & Senatores curiam ingreſſi, in Auguſto cap. 35. ut ineptum notat quod tibicinem adeſſe noluerit, tibia quippe tam in funeribus quam in ludis utebantur.

CAPUT LXXI.

SERMONE Græco, quamquam alias promptus & facilis, non tamen uſquequaque, uſus eſt. Abſtinuitque maxime in Senatu: adeo quidem ut [1] *Monopolium* nominaturus, prius veniam poſtulaverit, quod ſibi verbo peregrino utendum eſſet: atque etiam in quodam decreto
6 patrum, cum [2] ἐμβλημα recitaretur, commutandum cenſuerit vocem, & pro peregrina noſtratem requirendam: aut ſi non reperiretur, vel pluribus, & per ambitum verborum rem enuntiandam. Militem quoque [3] Græce teſtimonium interrogatum, niſi Latine reſpondere vetuit.

NOTÆ.

1. *Monopolium*] Hinc colligas, vocem illam in uſu promiſcuo tunc temporis non fuiſſe, ut fuit poſtea cap. 30.

2. ἐμβλημα] Dio lib. 57. ait vetitum a Tiberio ne quis aureo vaſe niſi ad res ſacras uteretur, cumque dubitarent quidam an etiam vaſa argentea, quæ emblema aliquod aureum habebant, eſſent prohibita,

Digitized by Google

vetitum quoque ne in edicto ſuper hac re facto, vox *emblema* uſurparetur, utpote quæ Græca foret, quamvis dictio Latina non ſuppeteret qua id ſignificaretur. Cujus edicti meminiſſe videtur etiam Tacitus lib. 3. Annal. ad annum 775. ubi Tiberii refert Epiſtolam ſuper coërcendo luxu ſcriptam ad Senatum. Emblemata autem ſunt ſigna vaſis aut etiam veſtibus ad ornatum adhærentia, quæ cruſtarum inſtar detrahi quandoque poterant. Significat etiam opus e teſſerulis quibuſdam vel ligneis vel ex alia materia minutatim conciſa, ac variis coloribus diſtincta, qualia pavimenta illa muſivi operis, de quibus in Julio cap. 46. & plura etiam Scaliger ad librum 5. Manilii. Porro mirum eſt vocem hanc a Tiberio repudiatam, qua non Cicero tantum ſæpe uſus eſſet, ſed & ante ipſum Lucilius, ut patet ex ejus verſibus quos legere eſt apud Ciceronem 1. de Orat.

3. *Græce*] Veroſimillima eſt Caroli Langii conjectura, quam & probat Torrentius, hanc nempe vocem prioribus duntaxat literis exaratam *Gr* fuiſſe, ex qua aliquis fecerit *Græce* cum *Græcum* debuiſſet; ſi enim Græce interrogari militem liceret, quidni & reſpondere? Cui accedit quod Græci vel in ipſa Græcia Latine cum Romanis agere juberentur, ut colligere eſt ex Juriſconſultis ad L. 48. ff. *de re judicata*, & Valerio Maximo lib. 2. cap. 1.

CAPUT LXXII.

BIs omnino toto ſeceſſus tempore, Romam redire conatus, ſemel triremi uſque ad proximos [1] Naumachiæ hortos ſubvectus eſt: diſpoſita ſtatione per ripas Tiberis, quæ obviam prodeuntes ſubmoveret. [2] Iterum Appia uſque ad [3] ſeptimum lapidem, ſed proſpectis modo nec aditis urbis mœnibus rediit. Primo incertum qua de cauſſa, poſtea oſtento territus. Erat ei in oblectamentis [4] ſerpens draco, quem ex conſuetudine manu ſua cibaturus, cum conſumtum a formicis inveniſſet, monitus eſt ut vim multitudinis caveret. Rediens ergo propere Campaniam Aſturæ in languorem incidit. Quo paullum levatus, Circeios pertendit. Ac ne quam ſuſpicionem infirmitatis daret, [6] caſtrenſibus ludis non interfuit ſolum, ſed etiam miſſum in harenam aprum jaculis deſuper petiit: ſtatimque [7] latere convulſo, &, ut exæſtuarat, afflatus aura, in graviorem recidit morbum. [8] Suſtentavit tamen aliquamdiu, quamvis [9] Miſenum uſque devectus, nihil ex ordine quotidiano prætermitteret, ne convivia quidem ac cæteras voluptates, partim intemperantia, partim diſſimulatione. Nam Charicles Medicum, quod [10] commeatu abfuturus e convivio egrediens, manum ſibi oſculandi cauſſa apprehendiſſet, exiſtimans [11] tentatas ab eo venas ſibi, remanere ac recumbere hortatus eſt, cœnamque protraxit. Nec abſtinuit conſuetudine, quin tunc quoque [12] inſtans in medio triclinio, [13] adſtante lictore, ſingulos valere dicentes appellaret.

NOTÆ.

1. *Naumachiæ*] Plura Romæ fuerunt ejuſmodi loca pugnis navalibus edendis comparata, ſed variis extructa temporibus. Hoc loco naumachiam illam intelligit, veroſimillime quæ non procul a Janiculi radicibus, paulo infra Pontem ſublicium fuit, ſi non Tiberii, ſaltem Suetonii temporibus; prope enim erant Cæſaris horti aliique, quorum hîc videtur mentio fieri. Illuc igitur uſque Tiberius ſubvectum ſe voluerat, quo proxime ad Palatium accederet, minuſque ſibi multitudo obviam profecta incommodaret: Quæ certe Urbis antiquæ delineationem vel inſpicienti patebunt

Digitized by Google

tebunt omnia; minime vero quod quidam ex Beroaldo sentiunt de Naumachia Augusti in regione Campi Martii.

2. *Appia*] Via scilicet quam Appius unus e Tiberii majoribus munierat. Hæc erat versus Australem Urbis regionem: qua parte hodie Porta Sancti Sebastiani.

3. *Septimum lapidem*] Notum est singula mille passuum intervalla fuisse distincta lapidibus.

4. *Serpens Draco*] Herodotus refert volatiles videri dracones ad urbem Butim in Arabia. Casaubonus existimat Tiberium ad illos mansuefaciendos edoctum a Marsis aut Psyllis, de quibus in Augusto cap. 17. Si tamen vere dicat Plinius lib. 29. cap. 4. ejusmodi dracones utplurimum veneno carere non erat cur in illis mansuefaciendis offensa timeretur, cum præsertim & exiguos fuisse colligatur, tum ex eo quod iste a formicis tam facile potuit obrui: tum etiam quod mensibus æstivis mulieres iis quoque propter ingenitum frigus delectarentur. Martialis lib. 7. Epig. 86.

Si gelidum collo nectit Flavilla draconem.

Inter pocula repere solitos testatur Seneca lib. 2. de Ira cap. 11. ubi de elephantis & tauris locutus, addit, *& repentes inter pocula sinusque innoxio lapsu dracones, & intra domum leonum ursorumque ora placida tractantibus adulantesque dominum feras.* Philostratus in Heroïcis narrat Ajaci Locrensi draconem fuisse, sed illum quinque cubitos longum, sic mansuetum ut & una cum illo viveret, ac instar canis sequeretur ambulantem. Tales Heliogabalo leones fuisse narrat Lampridius.

5. *Rediens ergo propere Campaniam*] Vulgati codices & Vitterbiensis legunt *prope Campaniam*, &c. quod prætulit Torrentius, quamquam ex Plinio lib. 3. cap. 5. & 6. constare possit Asturam longius abesse a Campania; unde prælata est lectio *propere*, quam meliorum codicum testatur esse Casaubonus. Nec opus est addita præpositione *in*, quod e suis fecerat Ursinus: sic enim locutos constat optimos Auctores. Terentius in Adelphis, *proficisci Cyprum*. Nec Poëtæ tantum, sed & Cicero pro Lege Manilia, *Sardiniam venire*. Et Livius 5. Decad. *navigare Cyprum*, dixerunt, quamquam minus frequenter. De Astura in Augusto cap 97. & de Circeiis cap. 16. ibid.

6. *Castrensibus ludis*] Militaribus qui in castris exhibeterentur, vel a militibus in statione manentibus, juxta morem castrensem.

7. *Latere convulso*] Huius loci sensus est, Tiberii latera hac agitatione, cum nempe jacularetur aprum, labefactata esse; unde cum incaluisset, statimque afflatus esset aura levi, hoc est refrigerante tenuique vento, gravius doluisse: corpora enim jam prius languentia, si statim ab æstu refrigerentur, lethaliter ægrotare consueverunt.

8. *Sustentavit*] Hoc est, dolorem dissimulando passus est.

9. *Misenum*] Notum ex Virgilio promontorium, ubi & urbs est ejusdem etiam hodie nominis *Miseno*.

10. *Commeatu*] Quid sit commeatum impetrare, vide cap. 12.

11. *Tentatas venas*] Sic & alii quoque Auctores dixere venas, pro arteriis. quamvis harum duntaxat pulsus sit, solæque ideo a medicis tangantur, non venæ. Seneca lib. 6. Quæstionum naturalium cap. 14. Persius Sat. 3. v. 107.

Tange miser, venas, & pone in pectore dextram.

Ac ipse Cornelius Celsus, *Venis maxime credimus fallacissime rei, quia sæpe leviores celeriores que sunt, & ætate, & sexu, & corporum natura*, &c.

12. *Instans*] Pro, stans in medio triclinio, quomodo supra cap 35. *incœnante*.

13. *Astante lictore*] Vel ad majestatem, vel ut majestatis prætextu eo uteretur ad celandam infirmitatem.

CAPUT LXXIII.

INTERIM cum in actis Senatus legisset, dimissos ac ne auditos quidem quosdam reos, de quibus strictim, & nihil aliud quam nominatos ab indice scripserat: pro contemto se habitum fremens, repetere Capreas quoquo modo destinavit, non temere quidquam, nisi ex tuto

Digitized by Google

ausurus. Sed & tempestatibus & ingravescente vi morbi retentus, paullo post obiit in villa [2] Luculliana, [3] octavo & septuagesimo ætatis anno, tertio & vigesimo imperii, decimo septimo Kalend. Aprilis, Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigro Coss. Sunt qui putent venenum ei a [4] Caio datum lentum atque tabificum. Alii in remissione fortuitæ febris cibum desideranti negatum: nonnulli [5] pulvinum injectum, cum extractum sibi deficienti [6] anulum mox resipiscens requisisset. Seneca eum scribit, *Intellecta defectione, exemtum anulum quasi alicui traditurum parumper tenuisse: dein rursus aptasse digito & compressa sinistra manu jacuisse diu immobilem: subito vocatis ministris, ac nemine respondente, consurrexisse, nec procul a lectulo deficientibus viribus concidisse.*

NOTÆ.

1. *Ex tuto*] Erat enim hæc insula præruptis undique rupibus circundata.

2. *Luculliana*] Ita & Tacitus. Plutarchus auctor est Lucullo. Magnifica fuisse ædificia circa Neapolim, quorum caussa dictus est a Tuberone Xerxes togatus, quod in ea marinam aquam induxisset ad faciliorem piscium copiam, perfossis & suspensis in hanc rem collibus.

3. *Octavo & septuagesimo*] Consentit huic numero Tacitus. Dio exactius septuaginta duntaxat & septem annos, menses quatuor, dies novem vixisse referens. De tempore quo imperavit, Suetonio non consentiunt alii quidam Historici.

4. *Caio*] Caligula, de quo libro sequente.

5. *Pulvinum*] Tacitus & Dio addunt multam vestem eamque crassam jussu Maeronis injectam, ut citius suffocaretur. Infra in Caligula cap. 12. Idem de Philippo Demetrii filio Livius lib. 1. Decad. 5. Idem & Historia recentior de Frederico II. Germanorum Imperatore circa annum salutis humanæ 1250.

6. *Anulum*] Eum intellige quo pretiosissima quæque obsignabant, cujus traditio successionis futuræ signum erat, ut supra notatum est, nisi tamen Testamentum obstaret. Videsis Valer. Max. lib. 7. cap. 9.

CAPUT LXXIV.

SUPREMO natali suo Apollinem [1] Temenitem & amplitudinis & artis eximiæ advectum Syracusis, ut in bibliotheca [2] novi Templi poneretur, viderat per quietem affirmantem sibi, *Non posse se ab ipso dedicari.* Et ante paucos quam obiret dies, turris [3] Phari terræ motu Capreis concidit. Ac Miseni cinis e favilla & carbonibus ad [4] calefaciendum triclinium illatus, exstinctus, & jam diu frigidus exarsit repente prima vespera, atque in multam noctem pertinaciter luxit.

NOTÆ.

1. *Temenitem*] Turnebus lib. 8. Adversar. cap. 12. ex Stephano ait, in Sicilia prope Syracusas locum fuisse dictum *Temenos*, unde Tortentius *Temenitem* dictum putat hunc Apollinem, statuamque eamdem esse de qua Cicero Verrina 6. quam tamen idem Auctor *Thesmotem* appellat, unde vel hîc vel illic error esset, quem Turnebus Ciceronis libris attribuit, & emendat ex Stephano ac Suetonio

2. *Novi Templi*] Vel quod ipse extruxerat in honorem Augusti, vel potius quod ipse Augustus in Palatio condiderat, additâ Bibliothecâ, ut supra in Augusto cap. 29.

3. *Phari*] Phari sunt turres, seu machinæ quas in portubus ad prælucendi ministerium, nocturnosque nautarum cursus dirigendos, erigebant.

4. *Calefaciendum triclinium*] In triclíniis caminos non fuisse notat Casaubonus, unde non aliter calefieri poterant.

Digitized by Google

CAPUT LXXV.

MORTE ejus ita lætatus est populus, ut ad primum nuntium discurrentes, pars *Tiberium* [1] *in Tiberim* clamitarent: pars *Terram matrem Deosque* [2] *Manes orarent ne mortuo sedem ullam nisi inter impios darent:* alii [3] uncum & Gemonias cadaveri minarentur, exacerbati super memoriam pristinæ crudelitatis, etiam recenti atrocitate. Nam cum [4] Senatusconsulto cautum esset ut pœna damnatorum in decimum semper diem differretur, forte accidit ut quorumdam supplicii dies is esset quo nuntiatum de Tiberio erat. Hos implorantes hominum fidem, quia, absente adhuc Caïo, nemo exstabat qui adiri interpellarique posset, custodes, ne quid adversus constitutum facerent, strangulaverunt, abjeceruntque in Gemonias. Crevit igitur invidia: quasi etiam post mortem Tyranni, sævitia permanente. Corpus ut moveri a Miseno cœpit, conclamantibus plerisque, [5] *Atellam potius deferendum, & in* [6] *Amphitheatro semiustulandum*, Romam per milites deportatum est, crematumque publico funere.

NOTÆ.

1. *In Tiberim*] Placet Casaubono Lisiæi codicis lectio, *Tiberius in Tiberim*; alii duo Torrentii addunt *trahi*, sic, *Tiberium in Tiberim trahi clamitarent*: quod & potest.

2. *Manes*] Sic dicuntur Dii inferi, & Cicero de Legibus jubet ut divi habeantur. Sic dictæ sunt umbræ seu animæ piorum; *manis* enim & *manus* Latina Lingua vetere *bonam* significabat, unde remansit in usu *immanis*. Animarum corpore solutarum varia nomina refert Apuleïus libro de Dæmonio Socratis. Vide in Calig. cap. 5.

3. *Uncum & Gemonias*] Supra cap. 53. & 54.

4. *Senatusconsulto*] Hujus meminit & Tacitus, & ab ipso Tiberio id jussum scribit Dio lib. 57. Decem illos dies ad triginta protraxit postea Imperator Theodosius. Vide L. 20. Cod. *de pœnis*.

5. *Atellam*] Atella oppidum est Campaniæ inter & Neapolim, hodie *San Arpino*. Id porro jactabant in odium & ludibrium Tiberii, alludentes ad fabulas Atellanas, de quibus supra cap. 45.

6. *Amphitheatro*] Aliud ludibrii & ignominiæ genus: fontes enim in Amphitheatro comburebantur. In Caligula cap. 27. Mendici vero & egeni raptim a vespillonibus in Esquiliis ac ferme tantum dimidio corpore, unde ait *semiustulandum*, seu, ut ex Vitterbiensi Casaubonus *semiustillandum*, hoc est leviter amburendum & projiciendum.

CAPUT LXXVI.

TESTAMENTUM duplex ante biennium fecerat: alterum sua, alterum liberti manu, sed eodem exemplo: [1] obsignaveratque etiam humillimorum signis. Eo Testamento heredes æquis partibus reliquit, Caïum ex Germanico, & Tiberium ex Druso, nepotes: [2] substituitque invicem. Dedit & legata plerisque: inter quos virginibus Vestalibus, ac militibus [3] universis, [4] plebique Romanæ viritim, atque etiam separatim vicorum magistris.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Obſignaverat*] Vide ſupra in Auguſto cap. 33. & Nerone cap. 17.

2. *Subſtituit invicem*] Id fiebat a Romanis, ut ſi unus hereditatem adire aut nequiret aut nollet, alter haberet.

3. *Univerſis*] Hoc eſt, tam legionariis quam Prætorianis, &c. Vide in Auguſto cap. ult.

4. *Plebique Romanæ*] Dio ſummam retulit quadringenties quinquagies, quam Caſaubonus exiſtimat utramque ſummam contineri, & quam populo, & quam vicorum magiſtris dedit. Vide Auguſti legata, in Auguſto capite ultimo: horum enim ad exemplum ſua veroſimiliter ordinarat.

Digitized by Google

C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CÆSARIBVS.

LIBER IV.

C. CÆSAR CALIGULA.

GERMANICUS C. Cæſaris pater, Druſi & [2] minoris Antoniæ filius, [3] a Tiberio patruo [4] adoptatus, [5] Quæſturam quinquennio ante quam per Leges liceret, & poſt eam, Conſulatum [6] ſtatim geſſit. [7] Miſſuſque ad exercitum in Germaniam, exceſſu Auguſti nuntiato, legiones univerſas [8] Imperatorem Tiberium pertinaciſſime recuſantes, & ſibi ſummam Reipublicæ deferentes, incertum conſtantia an pietate majore, compeſcuit: atque hoſte mox devicto triumphavit. Conſul deinde iterum creatus, ac prius quam honorem iniret ad componendum Orientis ſtatum expulſus, cum Armeniæ Regem [9] deviciſſet, Cappadociam in Provinciæ formam redegiſſet, annum ætatis agens quartum & trigeſimum, diutino morbo [10] Antiochiæ obiit, non ſine veneni ſuſpicione. Nam præter livores, qui toto corpore erant, & ſpumas quæ per os fluebant, cremati quoque [11] cor inter oſſa incorruptum repertum eſt: cujus ea natura exiſtimatur, ut tinctum veneno igne confici nequeat.

A U.C. DCCLVII. DCCLXV. DCCLXVII. DCCLXX. DCCLXXI. DCCLXXII.

NOTÆ.

1. *Germanicus*] Cognomen, ſeu potius agnomen. Iſtud, ut ex Auguſti cap. 7. colligere eſt, inditum eſt patri ejus Druſo propter res ab eo proſpere geſtas in Germania, ut patet ex Claudii cap. 1.

2. *Junioris Antoniæ*] Supra in Auguſto cap. 64. Germanicus dictus nepos ſororis Auguſti: quod ita ſe habet. Octavia Auguſti ſoror, ut ex Auguſti cap. 4. patet, maritum habuit M. Antonium Triumvirum, ut in Auguſto cap. 17. notatum eſt, duas iſti genuit filias Antonias; majorem, quæ Domitio Ænobarbo Neronis Principis avo, ut ex Neronis cap. 5. conſtat; & minorem, quæ Druſo Tiberii fratre Auguſtique privigno nupſit, de qua hîc & Claud. cap. 1. Hanc forma & pudicitia inſignem prædicat Plutarchus in Antonio, & Plinius

Digitized by Google

lib. 7. cap. 19. illam nunquam expuisse testatur.

3. *A Tiberio patruo*] Fratre Drusi patris ejus qui in Germania obiit, ut in Tiberio cap 7.

4. *Adoptatus*] Augusti jussu, ut in Tiberio cap. 15.

5. *Quæsturam*] De hoc Magistratu & quæ ipsi ætas præstituta foret, supra in Julio cap. 6. quamquam & hanc ætatis maturitatem non semper in adolescentibus observatam multis probat Cicero Philippic. 5. ubi honores Augusto juveni licet, decernendos contendit.

6. *Statim*] Hoc adverbium ita Casaubonus distinguit in hac phrasi, ut Germanicus intelligatur fuisse Quæstor statim post adoptionem, non vero statim a gesta Quæstura, quia hanc inter & ejus Consulatum interiectos constat septem annos. Vero tamen simile videtur Suetonium instituti sui memorem, quo scilicet Aug. c. 9. professus est se Augusti gesta narraturum non per tempora, sed per species, idem de aliis præstitisse quod de Augusto; ut hoc loco aliud nil intelligendum velit, nisi quod Germanicus Consulatum obtinuerit statim post Quæsturam, hoc est nullo alio intermedio Magistratu gesto, ut moris erat, stante Republica: post Quæsturam enim Ædilitas & Prætura gradus erant ad Consulatum, ut in Julio cap. 11. notatum est: quibus neglectis, ad Consulatum statim evectus est, quem Magistratum olim sic petiisse vitio datum est Tito Flaminio, quasi Ædilitatem & Præturam fastidiret, ut ait Livius lib. 2 Decad. 2.

7. *Missu*] Ut supra in Tiberio cap. 25.

8. *Imperatorem Tiberium*] In Tiberio ibid. & Tacitus lib. 1. Annalium: *Faustis in Germanicum omnibus, & si vellet imperum trompios ostentavere*, &c. Et Velleius de illa seditione lib. 2. cap. 125. *defuitque qui contra Rempublicam duceret, non qui sequeretur*, &c.

9. *Devicisset*] Lipsius lib 2. Electorum cap. 17. mendum hîc esse contendit, emendatque *dejecisset*: quia bellum tunc cum Armeniis nullum, Germanicus quidem regno Vononem amovit, suffecto Zenone Polemonis Pontici filio, de quo Tacitus Annal. 2. sed sola auctoritate Romana, sine bello & volentibus Armeniis, ut constat ex Tacito Annal. 2. Sed dici potuit expulsus, quomodo & Germanicus expulsus Nota enim Germanicum hîc dici expulsum; vere enim id egit Tiberius ut illum procul amandaret. Tacitus initio 2. Annalium: *Caterum Tiberio haud ingratum accidit turbari res Orientis, ut ea specie Germanicum a suetis legionibus abstraheret, doloque simul & casibus objectaret.*

10. *Antiochia*] In Tiberio cap. 59.

11. *Cor inter ossa*] Plinius lib. 11. cap. 77. idem etiam Cardiaco morbo extinctis contingere narrat, unde accusatus Piso ille de quo cap. sequenti, & supra in Tiberio cap. 52. & 53. Hac exceptione sese tuebatur, ut refert idem Plinius ibid.

CAPUT II.

OBIIT autem, ut opinio fuit, fraude Tiberii, ministerio & opera C. Pisonis: qui sub idem tempus Syriæ præpositus, nec dissimulans offendendum sibi aut [1] patrem, aut filium, quasi plane ita necesse esset, etiam ægrum Germanicum gravissimis verborum ac rerum acerbitatibus, nullo adhibito modo, affecit: propter quæ, ut Romam rediit, pene discerptus a populo, a Senatu capitis [2] damnatus est.

NOTÆ.

1. *Patrem*] Tiberium scilicet, propter eam qua flagrabat in Germanicum invidiam, ut ex Tiberii cap. 52, & 53. patet.

2. *Damnatus*] Accusante Vitellio, qui postea paucorum mensium Princeps fuit, ut in ejus vita infra.

Digitized by Google

CAPUT III.

OMNES Germanico corporis animique virtutes, & quantas nemini cuiquam, contigisse satis constat: formam & fortitudinem egregiam: ingenium in [2] utroque eloquentiæ doctrinæque genere præcellens: benivolentiam singularem; conciliandæque hominum gratiæ, ac promerendi amoris mirum & efficax studium. Formæ minus congruebat [3] gracilitas crurum, sed ea quoque paullatim repleta, assidua [4] equi vectatione post cibum. Hostem cominus sæpe percussit. Oravit [5] caussas etiam triumphaleis; atque inter cætera studiorum monumenta reliquit & [6] Comœdias Græcas. Domi forisque civilis: libera ac fœderata oppida [7] sine lictoribus adibat. Sicubi clarorum virorum sepulcra cognosceret, [8] inferias Manibus dabat. Cæsorum [9] clade Variana veteres ac dispersas reliquias uno tumulo humaturus, colligere sua manu, & comportare primus aggressus est. Obtrectatoribus etiam qualescumque, & quantacumque de caussa nactus esset, lenis adeo & innoxius, ut Pisoni decreta sua rescindenti, clientelas [10] diu vexanti, non prius succensere in animum induxerit, quam veneficiis quoque & [11] devotionibus [12] impugnari se comperisset: ac ne tunc quidem ultra progressus, quam ut & amicitiam ei more majorum [13] renuntiaret, mandaretque domesticis ultionem, si quid sibi accideret.

NOTÆ.

1. *Omnes Germanico*, &c.] Confirmant unanimi consensu cæteri omnes historici qui de eo scripsere, excepto uno Velleio, in Tiberii adulationem fœde mancipato. Lib. 2. cap. 25.

2. *Utroque eloquentiæ genere*] Romanæ & Græcæ.

3. *Gracilitas crurum*] Hæc inter corporis vitia præcipuum fuisse videtur etiam ex Nerone cap. 51. & Domitiano cap. 18.

4. *Equi vectatione*] Hanc licet coxis & stomacho utilem dicat Plinius lib. 28. c. 4. quia tamen Medici statim a sumpto cibo male sanam illam existimant, ideo Pulmannus sua editione sic distinguebat assidua equi vectatione. Post cibum hostem cominus, &c. Parum verosimiliter. Hoc exercitio sanguinis atque alimenti vis ad ima prolabebatur & ea implebat, maxime cum instrumentis illis quæ nos hodie dicimus *étriers*, Torrentius vero *stapias*, usos antiquos probabile non sit: tum quia Xenophon peculiari opere de re equestri nihil habet quod eo referri queat: tum quia Julius Pollux capite de equestribus instrumentis illud neutiquam videtur fuisse omissurus.

5. *Triumphaleis caussas*] Beroaldus & Sabellicus legunt *triumphalis*, quomodo & in Vitterbiensi & Pithœi codicibus legit Casaubonus, & probat, ut sensus sit: Caussas orasse Germanicum, non quidem postquam triumphavit; nec enim hæc illi concessa mora est in Orientem statim expulso, ut dixit paulo supra cap. 1, sed postquam triumphalia meruit ornamenta, quæ ex bello Dalmatico ante primum suum Consulatum adeptus est, ut patet ex Dione lib. 56. Certe hæc lectio eo certior videtur, quod & Germanicum caussas orasse constet ex Ovidio 1. Fast. initio:

Quæ sit enim docti facundia sensimus oris
Civica pro trepidis, cum tulit arma reis.

easque etiam dum esset Consul, ut ex eodem Dione in actis anni 765. & quod triumphalis etiam nomine appellatus fuerit: alias qui triumphalia duntaxat ornamenta consecutus esset, ut ex Taciti Histor. 2. colligere est: ibi enim Mucianus Vespasiano, *In domo tua*, inquit, *triumphale nomen*, &c. cum nonnisi ornamenta tunc temporis adeptum fuisse Vespasianum constet ex

Digitized by Google

Suetonio in ejus vita cap. 4. Quæ tamen si secus sint, triumphales causſas cum Torrentio dixerim magnas quasdam quibus de triumpho v. g. decernendo, aut simili quadam re ageretur.

6. *Comœdias*] Ovidius itidem initio Fastorum: hoc enim opus Germanico dedicarat, de eloquentia locutus:

Scimus & ad nostras cum se tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui.
Si licet & fas est, vates rege vatis habenas &c.

Quibus versibus & Poëtica excelluisse significat.

7. *Sine licloribus*] Ut quasi civis, non Princeps videretur. De qua virtute, civilitate nempe, supra in Augusto cap. 51. & Julio cap. 75. & infra. Tacitus 2. Annalium: *Hinc ventum Athenas fœderique socia & veteris Urbis datum ut uno lictore uteretur.*

8. *Inferias*] Ea sunt dona quæ mortuis inferuntur, sive sacrificia quæ illis immolantur. Virgilius lib. 10. Æneid.

Viventes rapit inferias quas immolet orco.

& lib. 9.

Absenti ferat inferias decoretque sepulcro.

De quibus supra in Julio cap. 84. & infra Claud. cap. 11.

9. *Clade Variana*] Supra in Augusto cap. 23. & Tiberio cap. 17. & 18. & infra adhuc.

10. *Diu vexanti*] Sic in omnibus libris scriptum est: Torrentius tamen scribendum affirmat *divexanti* Tacitus 1. Annal. ista fusius prosequitur. De clientibus quid essent supra dictum est in Julio ad cap. 2. Has autem clientelas hic videtur intelligere quas Germanicus in Syria suis sibi beneficiis paraverat.

11. *Devotionibus*] Hoc est execrationibus & incantationibus magicis quibus absentium vitam diis manibus devovebant. Unde Ovidius,

Devovet absentes simulacraque cerea figit.

quarum eam vim existimabant esse, ut vel animum officii prorsus immemorem facerent, ut Virgilius Eclog. 8. de ejusmodi sacris:

magicis sanos avertere sacris
Experiar sensus.

vel necessario vitæ cursum abrumperent venefica apud Lucanum,

& quamvis fecerit omnis
Stella senem, medios herbis abrumpimus annos.

& Horat. Epod. 5.

dira detestatio
Nulla expiatur victima.

& Plinius lib. 28 cap. 2. *defigi diris detestationibus nemo non metuit.* Et lib 8. cap. 7. &c. Hinc nomina illa diræ, deprecationes, incantationes, carmina, &c. Hinc & *caput obligare*, quod & *obsecrare* dicitur, cui opponitur *resecrare* pro obsecratione & devotione solvere, &c.

12. *Impugnari se comperisset*] Confirmat hæc omnia Tacitus lib. 2. Anual. *Reperiebantur solo ac parietibus eruta humanorum corporum reliquiæ, carmina & devotiones & nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semiusti cineres ac tabo obliti, aliaque maleficia queis creditur animas numinibus infernis sacrari.*

13. *Renuntiaret*] Idem Tacitus, *Componit epistolas queis amicitiam ei renunciabat*, ex more veteri quo receptum erat amicitiam & inimicitiam palam proficeri tam publice quam privatim, ut patet ex Livio lib. 6. Decad. 4. ubi de renuncianda per fœciales Ætolis amicitia, lib. 3. Decad. ubi de Perseo: & lib. 5. Decad. 3. de Badio illo Campano: ac Taciti 6. Annal. *Mos fuisse majoribus, quoties dirimerent amicitias, interdicere domo eumque finem gratiæ ponere*, ut & Aug. cap. 66. Hinc inter privatos tesseræ illiæ quas dixerunt hospitales, signa nempe quædam hospitibus concessa ad necessitudinem gratiamque hospitii fovendam: ea enim quicumque suum ad hospitem attulisset, agnoscebatur illico, & amici veterisque instar hospitis, hospitio liberaliter excipiebatur. Quæ necessitudinis mutuæ jura tanti apud ipsos fuere, ut transirent ad posteros, ut patet ex Plauto in Pœnulo Act. 5. Scen. 1. ubi Pœnus ait:

Deam hospitalem ac tesseram mecum fero.

Quibus agnoscendum se esse erat ab Agorastocle sibi tunc ignoto Anthidamæ hospitis quondam sui filio. Ac maxime Scena 2. v. 84. ubi Pœnus in Agorastoclem incidit & tesseræ conferuntur. Ex quo præsertim loco colligas tesseras illas fuisse quasdam tabellas quarum singuli medietatem unam, ne qua fraus fieret, ut hodieque, aliis in rebus apud nos. Inde apud eumdem Plautum Cistellar. Act. 2. Scen. 1. vers. 26. *tesseram confringere.*

Digitized by Google

confringere, pro *violare jus amicitiæ*. Quo ſere me ſenſu apud noſtratium aliquos, *rompre la buchette*, hoc eſt *renuntiare amicitiam*, &c. De teſſeris in Aug. cap. 40.

CAPUT IV.

QUARUM virtutum fructum uberrimum tulit, ſic probatus & dilectus à ſuis, ut Auguſtus (omitto enim neceſſitudines reliquas) diu cunctatus an ſibi ſucceſſorem deſtinaret, [1] adoptandum Tiberio dederit. Sic vulgo favorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquo adveniret, vel ſicunde diſcederet, præ turba occurrentium proſequentiumve nonnumquam eum diſcrimen vitæ adiſſe: e Germania vero, poſt [2] compreſſam ſeditionem, revertenti, [3] prætorianas cohortes univerſas prodiſſe obviam, quamvis pronuntiatum eſſet, ut duæ tantummodo exirent: populi autem Romani ſexum, ætatem, ordinem omnem uſque ad viceſimum lapidem effudiſſe ſe.

Notæ.

1. *Adoptandum Tiberio*] Supra in Auguſto cap. 65. & Tiberio cap. 25.

2. *Compreſſam ſeditionem*] Qua Imperatorem Tiberium pertinaciſſime recuſantes, Germanicum volebant evehere, ut ſupra cap. 1. & Tib. cap. 25.

3. *Prætorianas*] Quid & quot eſſent, ſupra in Auguſto cap. 100. & alibi.

CAPUT V.

TAMEN longe majora & firmiora de eo judicia [1] in morte ac poſt mortem exſtitêre. Quo defunctus eſt die, [2] lapidata ſunt Templa, ſubverſæ Deûm Aræ, [3] Lares a quibuſdam familiares, in publicum [4] abjecti, partus conjugum expoſiti. Quin & Barbaros ferunt, quibus inteſtinum, quibuſque adverſus nos bellum eſſet, velut in domeſtico communique mœrore conſenſiſſe ad inducias. Regulos quoſdam [5] barbam poſuiſſe: & uxorum capita raſiſſe, ad indicium maximi luctus. [6] Regum etiam Regem & [7] exercitatione venandi, & convictu [8] magiſtanum abſtinuiſſe, quod apud Parthos [9] juſtitii inſtar eſt.

Notæ.

1. *In morte ac poſt mortem*] Caſaubonus refert in hanc ſententiam vetus Epigramma:

Parce hoſpes tumulo, Cæſar Germanicus hic ſum,
Sæpe etiam ignotis ipſe dedi requiem.
Quod ſi quem tumuli nihil hujus gratia tangit,
At moveat patria fraude quod hic jaceo.
Sed jaceo quamvis non vita at plenus honoris:
Hoc uno ingratus quod genui patria.
Teſtata eſt mores lachrymis plebeſque patreſque:
Hæc ſunt ſinceri judicia ingenii.

2. *Lapidata ſunt Templa*] Non ſecus ac ſi dii humana non curarent amplius, colendi non eſſent, qui contemptis mortalium votis Germanicum mori ſiviſſent. Lapidibus vel conviciis, deorum aut hominum imagines quandoque inceſſebant, ut ſupra in Auguſto cap. 16. de Neptuni imagine, & de Galbæ Tacitus 1. Hiſt.

3. *Lares familiares*] Deos domeſticos. Apuleius libro de Deo Socratis, fato functorum animas eſſe dicit: *Eſt enim*, inquit, *ſpecies dæmonum animus humanus emeritus ſtipendiis vitæ corpore ſuo abjurans. Hunc vetere Latina Lingua reperio Lemurem dicti.*

Digitized by Google

tatum. Ex his ergo Lemuribus qui posterorum suorum curam sortitus, placato & quieto numine domum possidet, Lar dicitur familiaris. &c. Inde Feriæ quas Lemuralia, inde Sacella in domibus quæ Lararia dicebant; inde & Festa eorum celebrata etiam publice in compitis, de quibus Aug. cap. 31.

4. *Abjecti*] Tertullianus in Apologetico auctor est eos ita quandoque spretos, ut nedum in publicum; sed & in fœdissima omnium loca migrare coacti sint.

5. *Barbam posuisse*] In luctu moris fuit Ægyptiis, Assyriis, ac præsertim Persis; hi enim non se tantum, sed & equos ipsos totundisse narrantur. Græcis itidem, sed non Romanis, qui e contra barbam alebant, ut supra in Julio cap. 67. & Augusti cap. 23. Notat Plutarchus in Problematis cap. 13. ea lugentibus in universum accommodata quæ inusitata ut mulieres tonderi, comam & barbam a viris summitti, &c. Ubi plura veterum multorumque populorum exempla refert. Videsis & Junium libro de coma cap. 5. & Alexandrum ab Alexandro lib. 3. cap. 7.

6. *Regum etiam Regem*] Parthorum Regem sic dictum ait Plutarchus in Pompeio & Lucullo, quia nonnulli Reges satellitum instar ipsi ministrabant. Is titulus olim Persicorum Regum, postea Parthorum, deinde iterum Persicorum. Ammianus lib. 17. Literarum meminit quas Sapor ad Constantium misit, quarum hæc est inscriptio: *Rex Regum Sapor, particeps Siderum, frater Solis & Lunæ, Constantio fratri meo, Salutem plurimam dico.*

7. *Exercitatione venandi*] Hac inprimis exerceri solent & oblectari, una cum lectis ad id hominibus, qui hujusmodi laboribus & bene multis sese ad bellicos parant atque quodammodo præludunt. De quo instituto egregia narrat Xenophon 1. lib. Pædiæ.

8. *Megistanum*] Optimates illos appellat Ammianus: Proceres sunt Principesque Regis Regum conviviis adhiberi soliti. Græca vox est, ἀπὸ τοῦ μεγίστου, hoc est *a maximo.*

9. *Justitii*] Quid sit justitium, supra in Tiberio cap. 52.

CAPUT VI.

ROMÆ equidem, cum ad primam famam valitudinis atronita & mœsta civitas sequentes nuntios opperiretur, & repente jam vesperi incertis auctoribus convaluisse tandem percrebuisset: passim cum luminibus & victimis in Capitolium concursum est, ac pene revulsæ Templi fores, ne quid gestientes vota reddere moraretur. Expergefactus e somno Tiberius est gratulantium vocibus, atque undique concinentium, *Salva Roma, Salva Patria, Salvus est Germanicus.* Sed ut demum fato functum palam factum est, non solatiis illis, [1] non edictis inhiberi luctus publicus potuit: duravitque etiam [2] per festos Decembris mensis dies. Auxit gloriam desideriumque defuncti etiam atrocitas insequentium temporum: cunctis nec temere opinantibus, reverentia ejus ac metu [3] repressam Tiberii sævitiam, quæ mox eruperit.

Notæ.

1. *Non edictis*] Tacitus libro 3. edicti ipsius verba refert, quibus populum hortabatur ut publica munia resumeret, ubi & sub finem libri 2. graphice prorsus Auctor ille luctum publicum descripsit. De quo & in Tiberio cap. 52.

2. *Festos dies Decembris*] Saturnalia scilicet de quibus in Augusto cap. 75.

3. *Repressam Tiberii sævitiam*] Tacitus sub finem libri 6. de Tiberio loquens: *Egregium vitæ famæque quoad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit; occultum ac subdolum fingendis virtutibus donec Germanicus ac Drusus superfuere.* Et lib. 3. initio, ubi de publico ob Germanici mortem luctu, *gnaris omnibus latam Tiberio Germanici mortem male dissimulari*, &c.

Digitized by Google

CAPUT VII.

HABUIT in matrimonio [1] Agrippinam, M. Agrippæ & Juliæ filiam, & ex ea novem liberos tulit: quorum duo infantes adhuc rapti, unus jam pueraſcens, inſigni feſtivitate, cujus effigiem [2] habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris [3] Livia dedicavit. Auguſtus in cubiculo ſuo poſitam, quotieſcumque introiret, exoſculabatur. Cæteri ſuperſtites patri fuerunt. Tres ſexus feminini, [4] Agrippina, Druſilla, Livilla, continuo triennio natæ, totidem mares, Nero & Druſus & C. Cæſar. Neronem & Druſum Senatus, Tiberio criminante, [5] hoſtes judicavit.

NOTÆ.

1. *Agrippinam*] De cujus morte ſupra in Tiberio cap. 53. & virtutibus Tacitus tum lib. 1. tum 2. & 3.

2. *Habitu Cupidinis*] Hunc habitum deſcribit Propertius lib. 2. Eleg. 12.

3. *Livia*] Germanici avia, Druſique ac Tiberii mater, ut patet infra Claud. cap. 1. & ſupra multis locis.

4. *Agrippina*] Hæc Domitio primum, deinde Claudio Imperatori nupſit, ut infra Claud. cap. 26. & in Nerone non ſemel. De aliis infra, ſed maxime cap. 24. &c.

5. *Hoſtes judicavit*] Supra in Tiberio cap. 53.

CAPUT VIII.

C. Cæſar natus eſt pridie Kal. Septembres, [1] patre ſuo & C. Fonteio Capitone Coſſ. Ubi natus ſit, incertum diverſitas tradentium facit. [2] Cn. Lentulus Gætulicus [3] Tiburi genitum ſcribit: [4] Plinius ſecundus in Treveris [5] vico Ambiatino ſupra [6] Confluentes: addit etiam pro argumento *Aras ibi oſtendi inſcriptas*, OB AGRIPPINÆ PUERPERIUM. Verſiculi, imperante mox eo, divulgati, apud hibernas legiones procreatum indicant: A. U. C. DCCLXV.

In caſtris natus, patriis nutritus in armis,
Jam deſignati Principis omen erat.

Ego in [7] Actis Antii invenio editum. Gætulicum refellit Plinius, quaſi mentitum per adulationem, ut ad laudes juvenis glorioſique Principis aliquid etiam ex urbe [8] Herculi ſacra ſumeret: abuſumque audentius mendacio, quod ante annum fere natus Germanico filius Tiburi fuerat, appellatus & ipſe C. Cæſar: de cujus amabili pueritia immaturoque obitu [9] ſupra diximus. Plinium arguit ratio temporum. Nam qui res Auguſti memoriæ mandarunt, Germanicum exacto Conſulatu in Galliam miſſum conſentiunt, jam nato Caio. Nec Plinii opinionem inſcriptio aræ quidquam adjuverit, cum Agrippina bis in ea regione filias enixa ſit: & qualiſcumque partus, ſine ullo ſexus diſcrimine, *puerperium* vocetur: quod antiqui etiam puellas [10] *pueras*, ſicut & pueros *puellos* dictitarent. Exſtat & Auguſti epiſtola ante paucos quam obiret menſes, ad Agrippinam neptem ita ſcripta de Caio hoc (neque enim quiſquam jam alius infans nomine pari tunc ſupererat) *Puerum Caium xv. Kal. Junii, ſi Dii volent, ut ducerent Talarius & Aſellius, heri cum his conſti-*

Digitized by Google

tui. Mitto præterea cum eo [11] *ex servis meis Medicum, quem scripsi Germanico, si vellet, ut retineret. Valebis, mea Agrippina, & dabis operam ut valens pervenias ad Germanicum tuum.* Abunde arbitror [12] patere, non potuisse ibi nasci Caium, quo prope bimulus demum perductus ab Urbe sit. Versiculorum quoque fidem eadem hæc [13] elevant: & eo facilius quod hi sine auctore sint. Sequenda igitur est quæ sola [14] Actorum restat & publici instrumenti auctoritas: præsertim cum Caius Antium, omnibus semper locis atque secessibus prælatum, non aliter quam natale solum dilexerit: tradaturque etiam sedem ac domicilium Imperii tædio urbis transferre eo destinasse.

Nota.

1. *Patre suo*] Germanico, qui annus U. C. fuit 764. juxta Glareani Chronologiam, qui Cass. illos refert ad annum Christi 14. Petavius enim lib. 5. primæ partis Rationarii cap. 2. ad annum Christi 12.

2. *Cn. Lentulus Gætulicus*] Videtur ex hoc loco Gætulicus Historiam scripsisse: quia tamen Auctorum qui ejus meminere nullum reperio qui id quoque testatus fuerit, ideo potius crediderim intelligendum esse locum hunc de quibusdam versibus, quos in adulationem Caligulæ scripserit. Poëtam enim fuisse, eumque non ignobilem, testantur Martialis Epistola libri 1. Plinius Junior lib. 5. Epistola 3 Sidonius Apollinaris Epistola 10. lib. 2. & carmine 9. & 5. Plures fuere tunc temporis Gætulici, ut colligere est ex Taciti Annal. 4. & 6. Unus Consul fuit anno quo natus est Christus U. C. 751. Supervixit ad Caligulæ Principatum, a quo interfectus est, ut patet ex Dione lib. 59.

3. *Tiburi*] Hodie *Tivoli*. Jam supra.

4. *Plinius secundus*] Hic ille est Scriptor maximus, qui naturalem Historiam condidit. Quæ autem operum suorum parte id scripserit, ignorant, omnia quippe ad nos non pervenere. Beroaldus autumat id scriptum opere illo quod de Romanorum & Germanorum bellis scripserat viginti libris.

5. *Ambiatino vico*] Torrentius & Turnebus contendunt ex MSS scribendum esse *Ambiatarino* De quo nihil reperio. Vicus fuit, ut colligere est, superioris Germaniæ in finibus inferioris.

6. *Confluentes*] Ubi scilicet Rhenus & Mosa confluunt: quod vulgare nomen est locorum quibus fluvius aliquis in alium influit. Hodie *Coblents*.

7. *In Actis Antii invenio editum*, &c.] *Antium* hodie quoque *Antio*. Acta illa publica sunt de quibus Tiberii cap. 5. Hanc Plinii & Suetonii controversiam, secundum Plinium judicavit Lipsius ad 1. Annalium Taciti num. 141. Eo quippe loci Plinio consentit & Tacitus: Lipsium tamen cæteri non audiunt.

8. *Herculi sacra*] Vide in Augusto cap. 72.

9. *Supra diximus*] Capite proxime præcedenti.

10. *Pueras*] Priscianus lib. 6. *Pueri fœminium pueram dicebant antiquissimi, unde & puerpera qua puerum vel pueram parit.*

11. *Ex servis meis Medicum*] Medicos ex servis utplurimum fuisse supra jam notatum in Julio cap. 4.

12. *Patere*] Alii *parere*: quod verbum in judiciorum formulis & Jurisconsultorum libris. De eo & supra Augusti cap. 95. & Turnebus lib. 22. cap. 30. ait: Sic in veteribus libris *abunde arbitror parere*. quod est *apparere*, lego. Quod negligendum non puto: antiquarius enim est Tranquillus, & verbis uti antiquis non reformidat.

13. *Elevant*] Hoc est, tollunt seu leviorem faciunt.

14. *Actorum*] Corruptos hîc omnes codices sic restituerat Beroaldus, quem tamen Casaubonus ex vestigiis Viterbiensis & Memmiani codicis emendat & legit: *qua sola auctoritas restat publici instrumenti*. Dubio procul melius.

Digitized by Google

CAPUT IX.

CALIGULÆ cognomen caſtrenſi joco traxit, quia manipularis habitu inter milites educabatur. Apud quos quantum præterea per hanc nutrimentorum conſuetudinem amore & gratia valuerit, maxime cognitum eſt: cum poſt exceſſum Auguſti [2] tumultuantes & in furorem uſque præcipites, ſolus haud dubie conſpectu ſuo flexit. Non enim prius deſtiterunt quam ablegari eum ob ſeditionis periculum, & in proximam [3] civitatem demandari animadvertiſſent. Tunc demum ad pœnitentiam verſi, repreſſo ac retento vehiculo, invidiam quæ ſibi fieret [4] deprecati ſunt.

NOTÆ.

1. *Caligula*] Caliga militare calceamentum erat. Patet ex Taciti Annal. 1. *Militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad conciliandam vulgi ſtudia eo tegmine pedum induebatur.* Illudque gregariorum etiam militum, ut ex Auguſti cap. 25. colligere eſt, patet ex hoc loco & Tacito ibidem de Germanico loquente: *tanquam parum ambitioſe filium gregali circumferat, Caligulamque appellari velit.* Inde Seneca lib. 5. de Beneficiis cap. 16. *Ingratus C. Marius ad Conſulatum a caliga perductus.* Quo tamen loco Lipſii codex habet *gallica*. Sed male, quamvis recentiores illa promiſcue nonnumquam uſurparint, regulariter tamen gallicæ ſunt calceamentum ſimile crepidis aut ſoleis, de quibus ſupra in Tiberio capite 13. Caligæ vero tibiatim calceabantur, licet forte pedem non tegerent aliter ac crepidæ ſeu ſandalia: quod ex figuris quæ in columna Trajani ſuperfuere colligas. Qui vero gradum aliquem militiæ ſuperiorem obtinebant, ii caligis quidem, ſed ornatioribus, quibus nempe clavi quidam aurei ſuffigerentur, aliaque id genus quæ ex Plinii lib. 9. cap. 18. colligere eſt, ubi de piſcibus lacuum Verbani & Larii: & illud innuit infra cap. 52. ubi ſpeculatoriam caligam dixit ut vilem oſtenderet.

2. *Tumultuantes*] Supra cap. 1. & Tiberii capi 25.

3. *Civitatem*] Treverorum, ex Taciti Annal. 1. ubi hæc pulchre narrantur.

4. *Deprecati*] Precibus amoliri conati ſunt.

CAPUT X.

COMITATUS eſt patrem & in [1] Syriaca expeditione. Unde reverſus primum in matris, deinde [2] ea relegata, in Liviæ Auguſtæ [3] proaviæ ſuæ contubernio manſit: quam defunctam [4] prætextatus etiam tum pro Roſtris laudavit. Tranſiitque ad Antoniam [5] aviam, & inde [6] viceſimo ætatis anno accitus Capreis a Tiberio, uno atque eodem die togam ſumſit, [7] barbamque poſuit: ſine ullo honore, qualis contigerat tirocinio [8] fratrum ejus. Hic omnibus [9] inſidiis tentatus elicientium, cogentiumque ſe ad querelas, nullam umquam occaſionem dedit: perinde obliterato ſuorum caſu, ac ſi nihil cuiquam accidiſſet; quæ vero ipſe pateretur, [10] incredibili diſſimulatione tranſmittens. Tantique in [11] avum, & qui juxta erant, obſequii; ut non immerito ſit dictum: *Nec* [12] *ſervum meliorem ullum, nec deteriorem dominum fuiſſe.*

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Syriaca expeditione*] Qua obiit, Supra cap. 1. & 2. & Tib. cap. 39.

2. *Ea relegata*] In Pandatariam insulam, Supra Tib. cap. 53.

3. *Proavia*] Germanici nempe patris ejus aviæ. Livia mater Druſi, Claud. cap. 1. & ſupra. Druſus Germanici pater, cap. 1. ſupra. Germanicus Caligulæ.

4. *Prætextatus*] De prætexta, in Julio cap. 1. more laudandi defunctas, Jul. cap. 6. & alibi ſupra, ut Aug. cap. 8. &c.

5. *Aviam*] Druſi conjugem. Supra c. 1.

6. *Inde vigeſimo*] Legunt alii *unde vigeſimo*.

7. *Barbamque poſuit*] Cum antea diverſis temporibus hæc fierent; tirocinii quippe die pueritiam quaſi exuebant, barbam vero ponentes juventutem, tranſibantque tunc in viros: quod aperte innuit Domitia Neroni blandiens, infra in Nerone cap. 34. De Neronis enim barba loquens aiebat: *Simul hanc excepero, mori volo.* Ponebant illam ſerius citius: ex Dionis enim libro 48. colligas nonniſi anno ætatis 25 poſitam ab Auguſto. Macrobius in Somnium Scipionis annum 21 his ceremoniis aſſignat Erat enim hic dies Romanis feſtus, ut ex Dione ibidem, & infra in Nerone cap. 12. ubi eam Jovi Capitolino conſecratam legas. Mittenda eo die a clientibus munera, ut ſatis indicat Juvenalis Sat. 3. v. 186. quæ & petebantur, ut innuit Ammianus lib. 17. De die tirocinii in Auguſto cap. 26. & Tib. cap. 15.

8. *Fratrum ejus*] Druſi & Neronis, de quorum tirocinio & morte ſupra in Tiberio cap. 54.

9. *Inſidiis tentatus*] In quas impegerant fratres ejus. Tib. cap. 54.

10. *Incredibili diſſimulatione*] De qua Tacitus: *Immanem animum ſub dolo diſſimulatione tegens, non damnatione matris, non exitio fratrum rupta voce.*

11. *Avum*] Tiberium qui adoptivus Germanici pater erat.

12. *Meliorem ſervum*] Paſſieni Oratoris dictum. Tacitus lib. 5. Annal. & Plinius lib. 16. cap. 44. infra in Nerone cap. 6.

CAPUT XI.

NATURAM tamen ſævam atque probroſam, nec tunc quidem inhibere poterat: quin & animadverſionibus pœniſque ad ſupplicium datorum cupidiſſime intereſſet: & [1] ganeas atque [2] adulteria [3] capillamento celatus, & veſte longa noctibus obiret: ac ſcenicas ſaltandi
§ canendique artes ſtudioſiſſime appeteret: facile id ſane Tiberio patiente, ſi per has manſuefieri poſſet ferum ejus ingenium. Quod ſagaciſſimus ſenex ita prorſus perſpexerat, ut aliquoties prædicaret, *Exitio ſuo, omniumque Caium vivere, & ſe* [4] *natricem* (ſerpentis id genus) *pop. Rom.* [5] *Phaëtontem orbi terrarum educare.*

NOTÆ.

1. *Ganeas*] Vide Tiber. cap. 34.

2. *Adulteria obiret*] Quidam legunt *ambiret*. Priorem lectionem prætulere Caſaubonus & Torrentius, & ambo nove dictum putant, *adulteria obire*, pro circumire loca committendis adulteriis idonea.

3. *Capillamento*] Capillamentum coma eſt appoſita, ut patet vel ex hoc uno Petronii loco; qui enim paulo ante raſus erat, ait, *evocatumque me non minus decoro exornavit capillamento, imo commendatior vultus eviluit, quia flavum chorymbion erat.* Turnebus lib. 4. cap. 19. & lib. 1. cap. 21. contendit capillamentum non eſſe quamcumque comam appoſitam, ſed proliriorem tantum & ad fœmininum capillum propius accedentem. Unde colligere eſt, longiore veſte & capillamento non male occultatum fuiſſe Caligulam, ut occurrentibus fœmina videretur, vel Hiſpanus forte quidam ex iis quos in Aula Principum frequentes fuiſſe, eoſque capillatos conſtat. Videſis Turnebum. Caligulam hac in re imitatus fertur Verus Imperator. Sic enim de eo Capitoli-

Digitized by Google

aus in Vero: *In tantum vitiorum Cæianorum, Neronianorum, ac Vitellianorum fuisse annulum, ut vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria, obiecto capite cucullione vulgari viatorio*, &c. Similis in Nerone lascivia cap. 26.

4. *Natricem*] Natrix serpens est a natando dictus; alitur enim in aquis, unde & Græcis dicitur ὕδρος. Plinius lib. 29. cap. 4. *In orbe terrarum pulcherrimum anguium genus est quod in aqua vivit, hydri vocantur nullis serpentium inferiores veneno.* Idem lib. 6. cap. 23. refert visos quondam hydros marinos vicenum cubitorum qui classem terruerint.

5. *Phaëtontem*] Nota est fabula. Tiberius dicebat Caligulam orbi tam funestum fore quam fuisse fabulantur Phaëtontem, cum Solis currum temere conscensum regere haudquaquam potens orbem incendio prope perdidit.

CAPUT XII.

NON ita multo post Juniam Claudillam M. Silani nobilissimi viri filiam duxit uxorem. Deinde augur in locum fratris sui Drusi destinatus, priusquam [2] inauguraretur, ad Pontificatum traductus est: insigni testimonio pietatis atque indolis: cum deserta desolataque [3] reliquis subsidiis aula, [4] Sejano vero tunc suspecto, mox & oppresso, ad spem successionis paullatim admoveretur. Quam quo magis confirmaret, amissa Junia ex partu, [5] Enniam Næviam Macronis uxorem, qui tum [6] prætorianis cohortibus præerat, solicitavit ad stuprum, pollicitus & matrimonium suum, si potitus Imperio fuisset: deque ea re & jurejurando & chirographo cavit. Per hanc insinuatus Macroni, veneno Tiberium aggressus est, ut quidam opinantur: spirantique adhuc [7] detrahi annulum: & quoniam suspicionem retinentis dabat, [8] pulvinum jussit injici: atque etiam fauces manu sua oppressit: liberto, qui ob atrocitatem facinoris exclamaverat, confestim in crucem acto. Nec abhorret a veritate, quum sint quidam auctores, ipsum postea, & si non de perfecto, at certe de cogitato quondam parricidio professum. Gloriatum enim esse assidue, in commemoranda sua pietate, *ad ulciscendam necem matris & fratrum, introisse se cum pugione cubiculum Tiberii dormientis: & misericordia correptum, abjecto ferro recessisse: nec illum, [9] quamquam sensisset, aut exquirere quidquam aut exsequi ausum.*

NOTÆ.

1. *Non ita multo post*] Scilicet post sumptam virilem togam: quod & refert Tacitus: *Sub idem tempus C. Cæsar discedenti Capreas avo comes Claudiam M. Silani filiam conjugio accepit.* Ubi notandum *Claudiam* dici a Tacito quæ a Suetonio *Claudilla* nuncupatur; imminutis enim illis fœminarum nominibus uti amat, ut jam supra Tib. cap. 63. notatum est.

2. *Inauguraretur*] Non de augurum modo cooptatione dicitur hoc verbum, sed de aliorum quoque Sacerdotum, ut patet ex Cicerone dum invehitur in Antonium Cæsaris Flaminem, de quo supra in Julio cap. 76. Quid igitur cessas? Cur non inaugurare? Sume diem? Vide qui te inauguret, &c. De Pontificum collegio lib. 1. cap. 13. De auguratu, Aug. cap. 31. 32. & alibi, ni fallor.

3. *Reliquis subsidiis*] Nullo præter Caligulam superstite masculo qui ad successionem Principatus posset evehi. Vide in Galba cap. 17.

4. *Sejano oppresso*] Supra in Tiberio cap. 65.

5. *Enniam*] Tacitus unicum hoc no-

Digitized by Google

men ei tribuit quemadmodum & Claudiæ, cui tamen utrique duplex assignatum est a Suetonio: quamvis enim fœminæ paternis cognominibus appellatæ forent, nihilominus addebatur quandoque nomen ipsum ut hîc & supra Tib. cap. 7. Vipsania Agrippina, & Aug. cap. 63.

6. *Prætorianis cohortibus*] Quarum favor magni tunc erat momenti ad Principatum. Tacitus auctor est lib. 6. Macronis uxorem non a Caïo sollicitatam, sed ab ipso viro immissam ut juvenem alliceret.

7. *Detrahi*] Vide supra Tib. cap. 75.

8. *Pulvinum*] Vide ibidem.

9. *Quamquam sensisse:*] Torrentius in uno e vetustioribus libris legebat, *nec quemquam sensisse:* quæ optima videtur lectio, nec credere possim Tiberium impune passurum fuisse, si vel suspicatus esset, qui & falsa pericula causatus erat ad perdendos Caligulæ fratres.

CAPUT XIII.

A. U. C. DCCXC.

Sic Imperium adeptus, populum Romanum, vel, ut ita dicam, hominum genus, voti compotem fecit, exoptatissimus Princeps maximæ parti provincialium ac militum, quod infantem plerique cognoverant: sed & universæ plebi urbanæ ob memoriam Germanici patris miseratione nemque prope afflictæ domus. Itaque ut a Miseno movit, quamvis lugentis habitu, & funus Tiberii prosequens: tamen [1] inter altaria & victimas, ardenteisque tædas, densissimo & lætissimo obviorum agmine incessit, super [2] fausta nomina, [3] *sidus* & *pullum*, & *puppum* & *alumnum* appellantium.

NOTÆ.

1. *Inter altaria & tadas*] Hoc genere adorationis usi sunt antiqui erga multos Principes: Augustum enim præsentis divi instar fuisse, tum multis constat locis, tum maxime ex ejus vita supra cap. 98. & longe antea, Alexandrum, de quo Babylonem ingrediente insignis est Curtii locus lib. 5. *Plures obviam egressi sunt, inter quos Bagophanes arcis & pecuniæ regiæ custos ne studio a Macæ vinceretur, totum iter floribus coronisque constraverat argenteis altaribus utroque latere dispositis, qua non thure modo, sed omnibus odoribus cumulaverat.* Quin & illis incedentibus cæsæ victimæ, ut infra Ner. cap. 25. patet, & Galbæ cap. 18. Accensæ etiam tædæ & lucernæ in publica ejusmodi & privata quandoque lætitia patet ex Ammiano libro 21. *eumque suburbanis propinquantem amplis nimiumque protentis, militaris & omnis generis turba cum lumine multo & floribus votisque faustis Augustum appellans regiam duxit.* Apuleius lib. 4. *Domus tota laurea obsita tadis lucida strepebat Hymenæum.* Et Juven. Sat. 12. &c.

2. *Fausta nomina*] Vide in Augusto cap. 57. & 58. Hîc enim legunt alii *omina*, ut ibidem & infra cap. 22.

3. *Sidus, pullum,* &c.] Hæ omnes voces sunt blandientium, ut patet, vel parentum vel nutricum appellationes.

CAPUT XIV.

Ingressoque urbem, statim consensu Senatus, & irrumpentis in Curiam turbæ, irrita Tiberii voluntate, qui Testamento [1] alterum nepotem suum prætextatum adhuc [2] coheredem ei dederat, jus arbitriumque omnium rerum illi permissum est, tanta publica lætitia, ut tribus proximis mensibus, ac ne totis quidem, supra centum sexaginta millia victimarum cæsa tradantur. Cum deinde paucos post dies in proximas Campaniæ [3] insulas trajecisset, vota pro reditu suscepta sunt:

nc

ne minimam quidem occaſionem quoquam omittente in teſtificanda ſolicitudine & cura de incolumitate ejus. Ut vero in adverſam valitudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa Palatium, non defuerunt qui depugnaturos ſe armis pro ſalute ægri, quique capita ſua [4] titulo propoſito voverent. Acceſſit ad immenſum civium amorem notabilis etiam externorum favor. Namque [5] Arthabanus Parthorum Rex, odium ſemper contemtumque Tiberii præ ſe ferens, amicitiam ejus ultro petiit: venitque ad colloquium [6] legati conſularis: & tranſgreſſus Euphratem, [7] aquilas & ſigna Romana [8] Cæſarumque imagines adoravit.

NOTÆ.

1. *Alterum nepotem*] Tiberium ſcilicet de quo in Tiberio cap. 76. Hunc gemellum quoque appellatum Torrentius probat ex numiſmatis; & certe Gemellus dicitur Joſepho lib. 18. Antiquit. cap. 8.

2. *Coheredem*] Dio initio libri 59. affirmat illum Imperii ſucceſſorem relictum. Joſephus contra omnino, monituque deorum deterritum pluribus narrat lib. 18. c. 8. Antiquitatum Judaicarum. Philo autem Legatione ad Caium cap. 3. id quidem confirmat quod Joſephus; ſed famam tunc temporis fuiſſe, mutandam Tiberio voluntatem illam ſi diutius paulo vixiſſet. Quibus fidem habere potius videtur cum illis temporibus vixerint, & ipſe Philo Caligula Principe Romam venerit Legatus.

3. *Inſulæ*] Quales ſunt Prochyta, Inare, Capreæ, &c. hodie *Procida*, *Iſchia*, *Capri*, &c.

4. *Tumulo propoſito voverent*] Hoc eſt voto in publicum relato ne quis ignorare poſſet, eos eſſe voti reos ſi ſanitatem recuperaſſet, ut Tiberii cap. 48. & infra cap. 16. verbo *proponere* hoc ſenſu utitur: Hi vovebant ſe vel decertaturos vel morituros ſi convaluiſſet. Antiqui exiſtimabant hac ratione poſſe quoſdam incolumes fieri, ſi morte mors redimeretur. Hinc immolandorum hominum conſuetudo apud Gallos, ut tradit Cæſar lib. 6. Hinc Alceſtes Fabula, Deciorumque Hiſtoria ſatis nota. De qua ſuperſtitione & adulandi occaſione Juvenalis Sat. 12.

Aliter enim ſi concedas mactare, vovebit
De grege ſervorum magna & pulcherrima quaque
Corpora, vel pueris & frontibus ancillarum
Imponet vittas: & ſi qua eſt nubilis illi
Iphigenia domi, dabit hanc altaribus,
&c.

Inde tot illuſtribus viris exitium, infra in Nerone cap. 36. & pro ſalute Principis gladiatorum commiſſiones, & duarum legionum devotio pro ſalute Trajani bello Dacico periclitantis, ut refert Dio lib. 53. & hæ loquendi rationes cum Principibus adularentur, *Devotus numini majeſtatique tuæ*, &c. Et pro ſalute Imperatoris ſanguinem ſe fundere dicebant, ut ex Tertulliani Apologetico cap 25. Caſaubonus refert.

5. *Arthabanus*] Tiberii cap. 54.

6. *Legati conſularis*] Lucii Vitellii, de quo infra in Vitellio cap 2. Quinam eſſent conſulares Legati ſupra in Auguſto c. 47.

7. *Aquilas & ſigna*] Hæc cohortium, ſeu potius manipulorum, quorum ſingulis ſua ſigna erant, ut Lupi, Minotauri, Equi, Apri, &c. Aquila vero toti legioni communis. Veterum ſuper hac re teſtimonia videſis apud Lipſium lib. 4. de Militia Dialogo 3.

8. *Cæſarum imagines*] Auguſti duntaxat & Caii, teſte Dione lib 58. Has & adoravit & ipſis ſacrificavit, doctis in obſides liberis. Joſephus lib. 18. Antiquit. cap. 6. & infra Vitellii cap. 2. Quo tamen loco nonnihil diſſentit Joſephus a Suetonio.

Digitized by Google

CAPUT XV.

INCENDEBAT & ipſe ſtudia hominum omni genere popularitatis. Tiberio cum plurimis lacrymis pro concione laudato, funeratoque ampliſſime: confeſtim [1] Pandatariam, & Pontias, ad transferendos matris fratriſque cineres feſtinavit, tempeſtate turbida, quo magis pietas emineret: adiitque venerabundus, ac per ſemet [2] in urnas condidit. Nec minore [3] ſcena Oſtiam, præfixo in biremis puppe vexillo, & inde Romam Tiberi ſubvectos, per ſplendidiſſimum quemque equeſtris ordinis, [4] medio ac frequenti die duobus [5] ferculis [6] Mauſoleo intulit. [7] Inferiaſque his annua religione publice inſtituit: & eo amplius matri [8] Circenſes, [9] carpentumque quo in pompa traduceretur. At in memoriam patris, Septembrem menſem *Germanicum* appellavit. Poſt hæc, [10] Antoniæ aviæ quidquid umquam [11] Livia Auguſta honorum cepiſſet, uno Senatuſconſulto congeſſit. [12] Patruum Claudium Equitem R. ad id tempus collegam ſibi in Conſulatu aſſumſit. [13] Fratrem Tiberium [14] die virilis togæ adoptavit, appellavitque [15] *Principem juventutis.* De [16] ſororibus auctor fuit, ut [17] omnibus ſacramentis adjiceretur,

NEQUE ME LIBEROSQUE MEOS CARIORES HABEO QUAM CAÏUM ET SORORES EJUS. Item relationibus Conſulum: [1], QUOD BONUM FELIXQUE SIT C. CÆSARI SORORIBUSQUE EJUS. Pari popularitate damnatos relegatoſque reſtituit: criminumque, ſi qua reſidua ex priore tempore manebant, omnium [20] gratiam fecit. Commentarios ad matris fratrumque ſuorum cauſſas pertinentes, ne cui poſtmodum [21] delatori aut teſti maneret ullus metus, [22] convectos in forum, & ante clare obteſtatus Deos neque legiſſe neque attigiſſe quidquam, concremavit. Libellum de ſalute ſua oblatum non recepit, contendens, *Nihil ſibi admiſſum cur cuiquam inviſus eſſet:* negavitque ſe delatoribus aures habere.

NOTÆ.

1. *Pandatariam & Pontias*] Vide in Tiberio cap. 53. & 54.

2. *In urnas*] In his recondebant crematorum cadaverum reliquias. Caſaubonus teſtatur hujus fratris urnam Romæ adhuc extare cum inſcriptione hac:

OSSA.
NERONIS. CÆSARIS.
GERMANICI. CÆSARIS. F.
DIVI. AUG. PRON. FLAMIN.
AUGUSTALIS. QUÆSTORIS.

3. *Scena*] Torrentius notat Auctores Suetonio coætaneos, hac voce uſos ad ſignificandum prætextum vel oſtentationem, ut Tacitus in Annalibus de Agrippinæ morte loquens: *Scenam ultro criminis parat.*

4. *Medio ac frequenti die*] Ad populi frequentiam referendum videtur, quam tamen Torrentius ſuſpicatur nulla diei hora non magnam fuiſſe, ipſe ſiquidem Princeps id muneris obibat, quare *ferventi* legendum arbitratur, quod & pietatis oſtentationem augeat, & æſtate factum colligere eſt ex Tiberii cap. 73. ſiquidem Tiberius ſeptimo decimo Kalendas Aprileſ obiit, & hæc non ita multo poſt facta patet. Verum, quamvis ingenioſa illa quidem, conjectura tamen eſt Frequentem igitur diem intelligo hoc ſenſu, ut nempe populi frequentia honorem augeret, & ejus etiam commodo conſuleret: nam cæteroqui funera veſpertino efferebantur; unde Donatus exiſtimat a funalibus dicta.

5. *Ferculis*] Quidam legebant *feretris*,

Digitized by Google

quo intelligerentur capsulæ quibus cineres condidisset, ut in Augusto cap. 31. Sed fercula pomparum ferculis similia intelligi probabilius est, ut quasi in triumpho spectarentur a populo. Videtis in Julio cap. 37.

6. *Mausoleo*] Quod Augustus condiderat. In Augusto cap. 100.

7. *Inferias*] Supra cap. 3.

8. *Circenses*] Quod divini honoris est. Vide in Tiberio cap. 7. &c.

9. *Carpentum*] Quo ejus imago inter imagines deorum portaretur in pompa Circensi. In Julio cap. 76. Ejusmodi vehiculorum typos videre est in numismatis Agrippinæ cum inscriptione S. P. Q. R. MEMORIÆ AGRIPPINÆ.

10. *Antonia avia*] Supra cap. 2.

11. *Liviæ Augustæ*] Hanc enim Augustus nomen suum ferre jusserat. In Aug. cap 101. Unde & Augustas dixere cæterorum Principum uxores.

12. *Claudium patruum*] Alterum Drusi filium, de quo libro sequente. Ideo hunc Equitem dicit, quod nullo huc usque munere publico functus in Senatum legi prætore non potuerat: Equites enim statim a gesto Magistratu vel in Senatum legebantur, vel Equites dici desinebant.

13. *Fratrem Tiberium*] Gemellum illum de quo ad caput proxime superius. Vide infra cap. 23.

14. *Die virilis togæ*] Vide in Augusto cap. 8.

15. *Principem juventutis*] Hac postmodum appellatione nuncupati sunt Principum filii, eadem ratione qua Caïus & Lucius Augusti nepotes, dicti sunt Cæsares.

16. *Sororibus*] Tribus de quibus supra cap. 7.

17. *Omnibus sacramentis adjiceretur*] Casaubonus legit *adficerentur* ex MSS. & auctoritate Cujacii ad Novellam 124. quod inusitatum non esset Imperatores affici jurejurando, hoc est, quasi religionis affectu consecrari, ut essent inviolabiles: Sacramenta autem illa omnia intellige, tum quæ præstabantur a Magistratibus, antequam honorem inirent; tum quæ a militibus, de quibus præsertim sacramentum dicebatur. Juven. Sat. 16. & Vegetio lib. 2. cum nomina militiæ darent, jurantes se militiam non deserturos, &c. De quibus Gellius lib. 16 cap. 4. Magistratus vero jurabant se Augusto & Augustæ servitium omne præstituros. Hujus sacramenti formulam legere est in Justiniani Novellis.

18. *Neque me &c.*] Casaubonus præponit *ut*, quia legit *adficerentur*. Verba sunt sacramenti formulæ addenda.

19. *Quod bonum*] Solennia in auspicando verba, de quibus in Augusto cap 58. & Julio cap. 80. Quid sit referre & relatio, in Julio cap. 20.

20. *Gratiam fecit*] De hac loquendi ratione supra Augusti cap. 16. & Tiberii cap. 15. Hac usus est & Capitolinus in M. Antonino, *Ætatis gratiam facere*.

21. *Delatori aut testi*] Qui falso & ad adulationem comparato testimonio matrem aut fratres ejus accusasset.

22. *Convectos*] Torrentius contendit legendum *convectus*, alioqui non cohæreat cum sequentibus, *& clare obtestatus*.

23. *Concremavit*] Simulavit potius, ut ipse fatetur infra cap. 30.

CAPUT XVI.

1 SPINTRIÆS monstruosarum libidinum ægre, ne 2 profundo mergeret, exoratus, urbe submovit. 3 Titi Labieni, 4 Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta Senatusconsultis abolita, requiri, & esse in manibus lectitarique permisit: quando maxime sua interesset ut facta quæque posteris tradantur. 5 Rationes Imperii ab Augusto proponi solitas, sed a Tiberio intermissas, publicavit. Magistratibus liberam jurisdictionem, & 6 sine sui appellatione concessit. Equites Romanos severe curiöseque, nec sine moderatione 7 recognovit: palam 8 ademto equo, quibus aut probri aliquid aut ignominiæ inesset: eorum qui minore culpa tenerentur, nominibus modo in recitatione 9 præteritis. Ut levior labor judicantibus foret, ad quatuor priores 10 quintam decuriam

Digitized by Google

addidit. Tentavit & comitiorum more revocato, [11] ſuffragia populo reddere. Legata ex Teſtamento Tiberii, quamquam abolito, ſed & Juliæ Auguſtæ, quod Tiberius [12] ſuppreſſerat, cum fide, ac ſine calumnia repræſentata perſolvit. [13] Centeſimam auctionum Italiæ remiſit. Multis incendiorum damna ſupplevit: ac [14] ſi quibus regna reſtituit, adjecit & fructum omnem [15] vectigaliorum, & redituum medii temporis, ut Antiocho [16] Comageno HS. [17] millies confiſcatum. Quoque magis nullius non boni exempli fautor videretur, mulieri libertinæ [18] octoginta donavit, quod excruciata graviſſimis tormentis de ſcelere patroni reticuiſſet. Quas ob res inter reliquos honores decretus eſt ei [19] clypeus aureus: quem quotannis certo die [20] collegia Sacerdotum in Capitolium ferrent, Senatu proſequente: nobilibuſque pueris ac puellis, carmine modulato, laudes virtutum ejus canentibus. Decretum autem ut dies quo cepiſſet imperium, [21] *Palilia* vocaretur, velut argumentum rurſus conditæ urbis.

NOTÆ.

1. *Spintrias*] Vel qui inveniebant, vel qui patiebantur nefandas libidines. In Tiberio cap. 43.

2. *Profundo mergeret*] Pœnam hanc ſceleribus illis plectendis ordinariam fuiſſe colligas ex Athenæo lib. 10. & ex Tacito libro de Moribus Germanorum, ubi pœnarum diſtinctionem ex delicto fieri ſoliti narrat.

3. *T. Labieni & Caſſii Severi*] Horum meminit Seneca in Controverſiis Præfatione libri 5. ubi poſtquam multa de Labieno tandem ſubjicit: *Caſſii Severi hominis Labieno conjunctiſſimi bella dicta res ferebatur illo tempore quo libri Labieni ex S. C. urebantur: Nunc me, inquit, vivum uri oportet qui illos edidici.* Vide in Auguſto cap. 56. & Tacit. Annal. lib 1. & 4. ubi de Severo illo plura: cum enim procacibus ſcriptis illuſtres viros & fœminas perſtrinxiſſet, in cauſſa fuit cur Auguſtus quæſtionem de famoſis libellis ſcripſerit.

4. *Codi Cremutii*] In Tiberio cap. 61. & Tacitus lib. 4. Annal. de eo libros per Ædiles cremandos cenſuere Patres, ſed manſerunt occulti & editi.

5. *Rationes Imperii*] Vide in Auguſto cap. 28. & 101.

6. *Sine appellatione*] Tunc libera eſt juriſdictio cum Magiſtratibus permiſſum eſt judicare ſecundum Statuta Legum, non impediente Principe nec ſe appellari permittente. Simile quid Aug. cap. 33.

7. *Recognovit*] De his recognitionibus jam ſupra non ſemel, Aug. c. 37. & 38 &c.

8. *Ademto equo*] Juxta vetus inſtitutum de quo Aug. cap. 38.

9. *Praeteritis*] Refertur ad id quod dicit cum moderatione factum, ut & equorum ademptio ad id quod ſevere. Vide Auguſt. cap. 39.

10. *Quintam decuriam*] Cum ante non niſi tres eſſent decuriæ Judicum, Auguſtus addiderat quartam. Supra Aug. cap. 29. & 32. & Tib. cap. 41. & 51.

11. *Suffragia*] Quæ Julius cum populo partitus erat, in Julio cap. 41. & ab Auguſto ſpecie magis quam re iterum data, Auguſti cap. 40. ſuſtulerat Tiberius, ut patet ex Tacito Annal. 1. *Tum primum e campo Comitia ad Patres tranſlata ſunt. Nam ad eam diem etſi potiſſima arbitrio Principis, quadam tamen Tribuum ſtudiis fiebant*, &c.

12. *Suppreſſerat*] Tiberii cap. 51.

13. *Centeſimam auctionum*] Sic Turnebus lib. 27. cap. 20. & Caſaubonus ex Dione emendant; Auctor enim ille lib. 59. hanc diſerte remiſſam dicit, ſicque in Liſſæi codice legebatur, vulgati vero *ducenteſimam*, contra Dionis lib. 58. & Taciti lib. 1. & 2. narrationem. Centeſimam hæc intelligi debet centeſimus quiſque nummus rerum auctione venditarum. Quid ſit auctio vide in Julio cap. 50. Quam pretii partem ſibi Princeps arrogabat.

14. *Si quibus regna reſtituit*] Eos vero

similiter intelligit quos Tiberius spoliarat. Supra in Tiberio cap. 49.

15. *Vectigalicrum & redituum*] Vectigalium nomine intelligit ea Principum bona quæ populi præbent: redituum vero, privata vel privatorum vel Principis bona, etsi vectigal de privato quoque reditu dicatur apud Ciceronem. Vide in Augusto ad cap. 46.

16. *Comageno*] Comagene Syriæ pars est juxta Euphratem fluvium, inter Ciliciam & Mesopotamiam: hodie dicitur *Azar*.

17. *Millies*] 4375000 lib.

18. *Octoginta*] Alii legebant *octingenta*: quæ summa censu equestri duplo major esset. Unde non immerito rejecta hæc lectio: mulieri enim libertinæ octoginta sestertia donari magnificum est, scilicet 3500 lib.

19. *Clypeus aureus*] Prima clypeorum inventio fuit, ut constat, ad necessitatem quo defenderet corpus; deinde accessit decoris & elegantiæ studium, cœperuntque pingi. Plinius lib. 35. cap. 3. *Scutis qualibus ad Trojam pugnatum est, continebantur imagines, unde & nomen habuere clypeorum.* . . . . *Origo plena virtutis faciem reddi in scuto cujusque, qui fueris usus illo.* Hinc privatim etiam dicati clypei, ut refert idem Auctor ibidem. Trebellius de Claudio II. *Illi clypeus aureus, vel, ut Grammatici loquuntur, clypeum aureum Senatus totius judicio in Romana Curia collocatum est, ut etiam nunc videtur, expressa thorace vultus ejus imago.* Sic & de Adriano Capitolinus, &c. qui mos jamdiu invaluerat, ut patet ex Plinio, & ex Macrobio lib. 2. Saturnal. cap. 3. ubi clypeatam imaginem appellat.

20. *Collegia Sacerdotum*] Qualia sunt Pontificum, Augurum, Flaminum, &c.

21. *Palilia*] Sunt Feriæ Pali Pastorum Deæ dicatæ, jam inde a Romulo institutæ ut celebrarentur quo die Roma condita fuerat. Romulo & Augusto Caligulam æquiparabant Vide in Augusto cap. 7. & Julio cap. 76.

CAPUT XVII.

CONSULATUS quatuor gessit: primum ex Kal. Julii per duos menses: secundum ex Kal. Januariis per triginta dies: tertium usque in Idus Januarii: quartum usque in VII. Idus easdem. Ex omnibus [1] duos novissimos conjunxit. Tertium autem Lugduni iniit solus: non, ut quidam opinantur, [2] superbia negligentiave, sed quod defunctum sub Kalendarum diem collegam rescisse absens non potuerat. [3] Congiarium populo bis dedit [4] trecenos HS. toties abundantissimum epulum Senatui equestrique ordini, etiam conjugibus ac liberis utrorumque. Posteriore epulo, [5] forensia insuper viris, pueris ac fœminis [6] fascias [7] purpuræ ac conchilii distribuit. Et ut lætitiam publicam in perpetuum quoque augeret, adjecit diem [8] Saturnalibus, appellavitque [9] *Juvenalem*.

A U.C. DCCXC. DCCXCI. DCCXCIII. DCCXCIV.

NOTÆ.

1. *Duos novissimos conjunxit*] Duo Consulatus juncti dicuntur, si uterque Calendis Januariis ineatur; hic enim dies ineundo Magistratui solennis erat, ut supra in Julio notatum est ad cap. 15. & alibi Cum ergo primum Consulatum hoc die inire non potuerit, nondum mortuo Tiberio, ut patet ex cap 73. in Tiberio; ideo duos primos Consulatus non conjunxit, sed tantum duos novissimos, quos nempe Kalendis Januariis inivit. Unde etiam manifeste colligere est error legentium *primum ex Kal. Januarii* pro *Julii*: quod Torrentius ex duobus MSS. emendavit. Caligula quippe quatuor Consulatus ordinarios gerere non potuit, qui annos tantum tres cum decem mensibus imperavit, ut infra cap 59.

2. *Superbia negligentiave*] Quod nempe solus iniret Consulatum, spreto more patrio, quem simul ambo collegæ debebant auspicari, sed & Romæ in Capitolio, ut supra in Augusto ad cap. 26.

Digitized by Google

3. *Congiarium*] Quid hoc sit, in Julio ad cap. 38.

4. *Trecenos* HS] 13 lib. 1 s. 6 d.

5. *Forensia*] Vestes forenses quibus in foro utebantur, ut supra in Aug. cap. 73.

6. *Fascias*] De fasciis jam supra in Augusto ad cap. 82. Sed non istis quarum hîc fit mentio; videntur enim esse potius vittæ seu institæ quædam quas pueri & fœminæ vestibus assuerent; eorum enim vestes prætextatæ, ut in Julio cap. 1.

7. *Purpura & conchylis*] Hoc ipsius purpuræ concha erat, ipsa purpura minus expetendum in tincturis, tum odoris fœtidi caussa propter admixtum lotium, tum coloris non ita saturati, sed magis ad cæruleum accedentis. Ex vario illo tincturæ temperamento vel diversa materia varii illi in vestibus colores, Tyriis v.g. amethystinis, &c. Qua de re videsis Plinium lib. 9. cap 27. & 37.

8. *Saturnalibus*] Ad Augustum cap. 75. Macrobius lib 1. cap. 10. septem diebus celebrata illa fuisse auctor est: *Licet & apud Veteres opinio fuerit septem diebus peragi Saturnalia; si opinio vocanda est quæ idoneis firmatur auctoribus.*

9. *Juvenalem*] In gratiam juvenilis ætatis. Nero instituit etiam postea Juvenales Ludos, de quibus infra in Ner. cap. 11.

CAPUT XVIII.

MUNERA gladiatoria partim in [1] Amphitheatro Tauri, partim in [2] Septis aliquot edidit: quibus inservit catervas [3] Afrorum Campanorumque pugilum ex utraque regione electissimorum. Neque spectaculis ipse semper præsedit: sed interdum aut magistratibus aut amicis [4] præsidendi munus injunxit. [5] Scenicos ludos & assidue, & varii generis multifariam fecit: quondam etiam & nocturnos accensis tota urbe luminibus. Sparsit & [6] missilia variarum rerum, & [7] panaria cum opsonio viritim divisit. Qua epulatione, Equiti Romano contra se hilarius avidiusque vescenti, [8] partes suas misit: sed & Senatori [9] ob eandem caussam codicillos, quibus Prætorem eum extra ordinem designabat. Edidit & Circenses plurimos a mane usque ad vesperam, interjecta modo [10] Africanarum venatione, modo [11] Troiæ decursione: quosdam autem præcipuos, [12] minio & [13] chrysocolla [14] constrato Circo: nec ullis nisi ex Senatorio ordine aurigantibus. Commisit & subitos, cum [15] e Gelotiana apparatum Circi prospicientem pauci ex proximis [16] mœnianis postulassent.

NOTÆ.

1. *Amphitheatro Tauri*] De quo in Augusto cap. 29. & 43. De muneribus in Julio ad cap. 26. & alibi non semel.

2. *Septis*] In Campo Martio. Supra in Augusto cap. 43. & Tib. cap. 17.

3. *Afrorum pugillum*] Quid pugiles, & de eorum exercitiis, in Augusto ad cap. 44. & 45. Catervas dixit vel quod forte pugnarent catervatim, ut in Augusto cap. 45. de aliis dictum est, vel quod in catervas essent distributi, quæ apud Gallos idem erant quod legiones apud Romanos, phalanx apud Macedonas, ut ait Vegetius.

4. *Præsidendi munus injunxit*] Augustus quoque commendabat aliquos qui suam vicem præsidendo fungerentur etiam cum adesset. In Augusto cap. 45.

5. *Scenicos ludos multifariam*] De ludis ad Julium cap. 39. multifariam hîc significat variis in locis, ut & infra Galb. cap. 19. & Cicero ipse lib. 2. de Oratore: *Si aurum cui quod esset multifariam defossum, commentirare vellent.*

6. *Missilia*] Munera sunt quæ Principes aut Consules in vulgus jactare consueverant. Vide ad Aug. cap. 98.

Digitized by Google

7. *Panaria*] Panarium eadem figura dicitur qua *calamarium, granarium*, &c. Sunt repositoria earum rerum a quibus inclinantur. Opsonium hîc intellige esculenta ad prandium vel cœnam cum pane requisita.

8. *Partes suas*] Hoc est, Equiti illi qui sibi ex adverso accumbebat, misit opsonium sibi destinatum.

9. *Ob eandem causſam*] Quod nempe hilariter & avide vesceretur. De Circensibus in Tiberio cap 7. De Codicillis, Aug. cap. 50. vel Tib. cap. 22. ac maxime cap. 51.

10. *Africanarum*] Ferarum scilicet, quales Pantheræ quæ in Africa creberrimæ, de quibus Plinius lib. 8 cap. 17. & lib. 13. cap. 15.

11. *Troia decurſione*] Vide in Julio ad cap. 39. & Aug cap. 43.

12. *Minio*] *Invenitur in argentariis metallis, minium quoque & nunc inter pigmenta magnæ auctoritatis, & quondam apud metallos non ſolum maximæ, ſed etiam ſacræ*, &c. Plinius lib. 33. cap. 7. ubi & addit, Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam, & Jovem miniandum quotannis locari a Censoribus. Virgil. Eclog. 10. de Pane:

quem vidimus ipſi
Sanguinis ebuli baccis minioque rubentem.

Triumphantium quoque corpora hoc illinebantur: sicque Camillum triumphasse Verrius auctor est apud Plinium ibidem. Notis est *du vermillon*.

13. *Chryſocolla*] Idem Plinius eodem lib. cap. 15. *Chryſocolla humor eſt in puteis quos diximus per venam auri defluens, craſſeſcente limo rigoribus hibernis uſque in duritiem pumicis, laudatiorem eandem in aurariis metallis, proximam in argentariis fieri compertum eſt . . . . Summa commendationis eſt ut colorem herbæ ſegetis late viventis quam ſimillime reddat.* Hinc Caligulæ in Chrysocollam studium quod viridi colori, Prasinæ scilicet factioni, faveret, ut infra cap. 55. Quod & Nero, ut infra videbitur Ner. cap. 22. Sic dicta est, quod ea Aurifices agglutinando auro uterentur, ut habet idem ibidem Plinius.

14. *Conſtrato*] Arenæ loco: editorum enim vulgus arena sternere contenti; unde ea vox pro certamine aut ipso Amphitheatro passim usurpata.

15. *E Gelotiana*] Vulgati legebant *Lege Luciana & Lege Lotiana*: ex posteriore si primum L dempseris, reliquas literas conjungendo, fiet vera lectio *egelotiana*. Quam lectionem Casaubonus asseruit auctoritate Librorum Regiæ Bibliothecæ, & Memmiani codicis ac Petri Pithœi, & ante Casaubonum Turnebus lib. 22. cap. 30. ex hac inscriptione vetere:

SYMPHORO
TESSERARIO
SER. CÆSARIS
DE DOMO GELO
TIANA FECIT
PHILODES POTUS
SER. CÆSARIS
EX HERMÆO
FRATRI B. M.

Fuerit igitur Gelotiana illa domus, nota quædam ad Circum insula in qua tunc servitium Cæsarianum aut pars ejus habitaret, quæ Casauboni & Turnebi conjectura est longe probabilior quam quod de Lege ad Circi apparatum spectante commenti sunt alii, utpote cujus mentionem alibi nullam vidisse se fateantur.

16. *Mœnianis*] De his Isidorus lib. 15. cap. 3. *Mœnianus collega Craſſi in foro projecit materias ut eſſent loca in quibus ſpectantes inſiſterent, qua ex nomine ejus Mœniana appellata ſunt. Hæc & ſolaria, quia patent ſoli: poſt hæc alii lapide, alii materia adificare porticibus Mœniana, & foribus, & domibus adjecerunt.*

CAPUT XIX.

NOVUM præterea atque inauditum genus spectaculi excogitavit. Nam [1] Bajarum medium intervallum Puteolanas ad moles trium millium & sexcentorum fere passuum ponte conjunxit, contractis undique [2] onerariis navibus, & ordine duplici ad anchoras collocatis, superjectoque [3] aggere terreno, ac directo in [4] Appiæ viæ formam

Per hunc pontem ultro citroque commeavit, biduo continenti. Primo die phalerato equo, insigniſque [5] quercica corona, & ſecuri, & [6] cetra, & gladio, aureaque [7] chlamyde. Poſtridie quadrigario habitu, curriculoque [8] bijugi [9] famoſorum equorum, præ ſe ferens Darium puerum ex Parthorum obſidibus: comitante Prætorianorum agmine, & [10] eſſedis cohorte amicorum. Scio pleroſque exiſtimaſſe, talem a Caïo pontem excogitatum æmulatione [11] Xerxis, qui non ſine admiratione [12] aliquanto anguſtiorem Helleſpontum contabulaverit. Alios, ut Germaniam & Britanniam, quibus imminebat, alicujus immenſi operis fama territaret. Sed avum meum narrantem puer audiebam, cauſſam operis ab [13] interioribus aulicis proditam, quod [14] Thraſyllus Mathematicus, anxio de ſucceſſore Tiberio, & in verum nepotem proniori, affirmaſſet, *Non magis Caium imperaturum, quam per Bajanum ſinum equis diſcurſurum.*

Notæ.

1. *Bajanum*, &c.] Bajanus ille Sinus, ut & Puteolanus, dicuntur hodie *Golfo di Napoli* vel *di Puzzuolo*. De molibus illis locutus videtur Suetonius, ut dicebantur ſua ætate, non vero ante Caligulam illarum conditorem. Harum adhuc magna pars conſpicitur ad Lacum Lucrinum, & nomen retinetur *il Molo*.

2. *Onerariis navibus*] Quarum defectu annona ſic neglecta eſt, ut populus propemodum fame periret. Seneca libro de Brevitate vitæ cap. 18. *Dum ille* (Caligula) *pontes navibus jungit, & viribus Imperii ludit, aderat ultimum malorum obſeſſis quoque alimentorum egeſtas. Exitio pene ac fame conſtitit*, &c.

3. *Aggere terreno*] Terrenum aggerem Torrentius dictum cenſet ad differentiam aggeris lapidei qualis erat in viis militaribus. Noſtrates dicunt *la chauſſée*. *Agger* enim, ex Iſidoro cap ult. lib. 15. Originum, *eſt etiam media via eminentia lapidibus ſtrata, quam Hiſtorici militarem vocant*. Quo ſenſu & Servius ad hunc libri 5. Æneid. verſum:

Qualis ſæpe via deprenſus in aggere ſerpens.

& vox *terrenum* ſola legitur apud Columellam lib. 2 cap. 2. & lib. 3. cap. 3. *Cum ſola ea res omnem impenſam terreni pretio ſuo liberet*. Unde ferri potuerit lectio unius e libris Torrentii, *ſuperjectoque terreno*.

4. *Appia via*] An quia agger ille formatus eſſet quemadmodum & illius via agger, an quia continuata hoc opere videbatur Appia via, cum in illo tractu eſſet. Qua de cauſſa illius potius meminerit quam aliarum, Flaminiæ v. g. Æmiliæ, &c. quæ multæ erant.

5. *Quercica corona*] Quæ civica erat, Supra in Julio ad cap. 2.

6. *Cetra*] Breve ſcutum eſt quo Afri utebantur & Hiſpani, auctore Servio ad hunc verſum 7. Æneid.

Lævas cetra tegit.

quod tamen Oſcis aptat Virgilius. Cæſar libro 1. de Bello civili, dicit Cetratas quoque fuiſſe ulterioris Hiſpaniæ hoſtes. De variis antiquorum ac maxime Romanorum armis videſis Lipſium libro 3. de Militia cap. 1. & 2.

7. *Chlamyde*] Chlamys veſtimentum militare, quale victori drom tit Æneas lib. 5. v. 250. Erat & puerorum, ut ſupra in Tiberio cap. 6. & puellarum 4. Æneid. verſ. 137.

Sydoniam picto chlamydem circumdata limbo.

8. *Bijugi*] Duobus equis juncto, qualis ſunt Martis. Virgilius 3. Georgic. v. 87.

Martis equi bijuges.

ut & quadrijugi curſus, qui quatuor equis, Æneid. 12. v. 16.

Quadrijugo vehitur curru.

cujus inventi auctorem facit Erichthonium eodem lib. v. 114.

Digitized by Google

Primus Erichthonius currus & quatuor ausus
Jungere equos rapidisque rotis insistere victor.

9. *Famosorum equorum*] Hoc est, præcipua pernicitate insignium, qualis Polluci Cyllarus Virgilius ibidem, Adrasto Arion Propertius Eleg. 33. Achilli Xanthus Homerus, & Alexandro Bucephalus Q. Curtius, &c.

10. *Essedis*] Genus est vehiculi Gallici vel Britannici, ut in Augusto cap. 76. Varia illa vehiculorum genera Horatius expressit unico versu 192. Epist. 1. lib. 2.

Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves.

11. *Xerxis*] Idem innuit Seneca libro de brevitate vitæ cap. 18. Nemo nescit historiam Xerxis, qui trajecturus in Europam ponte junxit angustias illas quæ hodie *Détroit de Gallipoli* dicuntur. De quo Lucanus:

Tales fama canit timidum super æquora Xerxem
Construxisse vias, &c.

12. *Aliquanto angustiorem*] Imo multo angustiorem: nec enim ejus latitudo major est septem stadiis, Plinio lib. 14. cap. 11. Stadium vero ex eodem lib. 2. cap. 23. centum & viginti quinque passuum est. Contabulavit autem navigiis & superjecta materia.

13. *Interioribus aulicis*] Quibus aulæ interiora penetrare conceessum era. Videsis quæ de admissionibus supra ad cap. 46.

14. *Thrasyllus*] Mathematicus de quo sæpe supra.

CAPUT XX.

EDIDIT & peregre spectacula: in Sicilia Syracusis [1] astycos ludos, & in Gallia Lugduni [2] miscellos. Sed & [3] certamen quoque Græcæ Latinæque facundiæ. Quo certamine ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorumdem & laudes componere coactos. Eos autem qui maxime displicuissent, scripta sua [4] spongia linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari, aut [6] flumine proximo mergi maluissent.

NOTA.

1. *Astycos*] Casaubonus & Torrentius multis in MSS. legunt *Atticos*, quod in idem recidit. Nam ἄστυ Athenæ sunt. Verum quinam illi sint Attici ludi, qui tradiderit neminem repetio, nisi si forte Dionysia v. g. quæ fiebant Athenis, intelligas. Celebrata enim Græciæ certamina fuere Olympia, Isthmia, Pythia, Nemea. Non displiceat conjectura legentium *Actiacos*. De his enim ludis jam supra in Tiberio cap. 6. Super Astycis illis & miscellis ludis plura Josephus Scaliger libris de emendatione temporum.

2. *Miscellos*] Ex variis ludicris sic commixtos intelligo, ut ad nullum certum genus ludorum referri possent. Quo sensu Gellius lib. 20. cap. 11. seu potius operis Epilogo doctrinam miscellam appellat, quæ multiplicem & variam rerum cognitionem complexa est. Huc quoque Turnebus lib. 22. cap. 22. aliique post ipsum trahunt locum. Juvenalis Sat. 11.

Sic veniunt ad miscellanea ludi.

Sed Interpretum nonnulli vocem *miscellanea* de gladiatorum cibis intelligunt. Beroaldus vero Athleticos sic dictos existimat a Miscello quodam Crotonis conditore, quod ea in urbe Athleticæ præcipui fuerint.

3. *Certamen*] Torrentius addubitat quod ex Dionis lib. 54. in fine constet ludos Lugduni celebratos ad aram Augusti: Verum qui Græcæ Latinæque eloquentiæ nulla mentio apud Dionem Caligulæ inventum hoc fuisse verosimile est. Esto eadem ara intelligi queat quæ Augusto viventi erecta fuerat, cujus meminit & Juvenalis Sat. 1. v. 44.

Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.

Strabo lib. 4. auctor est erectam Lugduni aram communi Galliarum impensa, cum titulo sexaginta gentium quæ singulæ suam quoque inibi statuam erexerant.

4. *Spongia*] Jam supra in Augusto ad cap. 86. notatum est spongias delendis scriptis adhibitas.

Digitized by Google

5. *Ferulis*] Ferula notum instrumentum cujus meminit quoque Juvenalis Satyra 1. v. 15.

Et nos ergo manum ferula subduximus.

Plinius lib. 13. cap. 32. ferulam ascribit arborum generi, corticis loco lignum habet, & fungosam quamdam intus medullam qualis sambuco; *Nulli*, inquit, *fruticum levitas major: ob id gestatu facilior baculorum usum senectuti præbet*, &c. Hinc a feriendo, non a feriendo dictam nonnulli volunt.

6. *Flumine*] Arari vel Rhodano, Lugduni quippe confluunt.

CAPUT XXI.

OPERA sub Tiberio [1] semiperfecta, Templum Augusti theatrumque [2] Pompeii absoluit. Inchoavit autem aquæ ductum regione [3] Tiburti, & Amphitheatrum juxta Septa: quorum operum a successore ejus Claudio, alterum peractum, [4] omissum alterum est. Syracusis collapsa vetustate mœnia, Deorumque ædes refectæ. Destinaverat & [5] Sami Polycratis regiam restituere, [6] Mileti [7] Didymeum pelagere, in jugo Alpium urbem condere, sed ante omnia [8] Isthmum in Achaïa perfodere. Miseratque jam ad demetiendum opus [9] primipilarem.

NOTÆ.

1. *Semiperfecta*] Tib. cap. 47. & infra Claud. cap. 21.

2. *Pompeii*] Supra Tib. cap. 41. & Augusti cap. 31.

3. *Tiburti*] Hoc est Tiburtina. Sic Livius Tiburtem agrum, & Horatius Tiburtem viam dixere. Hujus operis ut præstantissimi meminit Plinius lib. 36. cap. 15. & Suetonius adhuc infra Claud. cap. 20. De Septis jam supra sæpe.

4. *Alterum peractum*] Aquæductus peractus, Amphitheatrum omissum.

5. *Sami*] Insula prope Ioniam, etiamnum hodie *Samo*. Polycrates ille opibus insignis & felicitate, si mortem excipias ærumnosam; captus enim ab Orete Persarum Satrape & suspensus est. Hujus meminere Herodotus lib. 3. Strabo lib. 14. & Plinius libro ultimo.

6. *Mileti*] Miletus, vel, si Ptolemæum audias, Cariæ civitas hodie *Melaxo*; vel, ut aliis placet, *Melasso*.

7. *Didymeum*] Apollinis Templum, de quo plura apud Strabonem initio libri 14. Quo loco tantam ejus amplitudinem fuisse refert, ut pagum æquaret. Meminit & Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 17. ubi nominis rationem affert.

8. *Isthmum in Achaïa*] Idem Julio olim consilium, Supra in Julio cap. 44. Achaïa hîc Peloponnesi regio est, quæ hodie *Morea*. Vide in Tiberio ad cap. 4.

9. *Primipilarem*] De hoc munere supra ad cap. 37. Tiberii.

CAPUT XXII.

HACTENUS quasi de Principe, reliqua ut de monstro narranda sunt. Compluribus cognóminibus assumtis (nam & PIUS & [1] CASTRORUM FILIUS, & PATER EXERCITUUM, & [2] OPT. MAX. CÆSAR vocabatur) cum audiret forte Reges, qui officii caussa in urbem advenerant, concertantes apud se [3] super cœnam de nobilitate generis, exclamavit, [4] Εἷς γὰρ ἐστιν ὁ ἥλιος, εἷς βασιλεύς. Nec multum abfuit quin statim [5] diadema sumeret, [6] speciemque principatus in regni formam converteret. Verum admonitus, & Principum & Regum se excessisse fastigium, divinam ex eo majestatem asserere sibi cœpit. Datoque negotio, ut simulacra numinum, religione & arte præclara,

Digitized by Google

inter quæ [7] Olympici Jovis, apportarentur e Græcia, quibus [8] capite demto suum imponeret, partem Palatii ad Forum usque promovit, atque æde [9] Castoris & Pollucis in vestibulum transfigurata, consistens sæpe inter fratres Deos medium se adorandum adeuntibus exhibebat: & quidam eum [10] LATIALEM JOVEM [11] consalutaverunt. Templum etiam numini suo proprium, & Sacerdotes & excogitatissimas hostias instituit. In Templo simulacrum stabat aureum [12] iconicum. Amiciebaturque quotidie veste, quali ipse uteretur. Magisteria Sacerdotii ditissimus quisque & [13] ambitione & licitatione maxima, vicibus comparabat. Hostiæ erant [14] phœnicopteri pavones, [15] tetraones, [16] Numidicæ, meleagrides, phasianæ, quæ generatim per singulos dies immolarentur. [17] Et noctibus quidem plenam fulgentemque lunam invitabat assidue in amplexus atque concubitum: interdiu vero cum Capitolino Jove secreto fabulabatur, modo insusurrans, ac præbens invicem aures, modo clarius, nec sine jurgiis. Nam vox comminantis audita est,

b Εἰς γαῖαν Δαναὸς πέμψον,

donec [18] exoratus, ut referebat, & in [19] contubernium ultro invitatus, super Templum Divi Augusti ponte transmisso, Palatium Capitoliumque conjunxit. Mox quo propior esset, in [20] area Capitolina novæ domus fundamenta jecit.

INTERPRETATIO.

a *Unus Dominus sit, unus Rex* b *In terram Græcorum transferam te.*

NOTÆ.

1. *Castrorum filius*] Supra cap. 8.

2. *Optimus Maximus*] Quæ Jovis cognomina sunt passim apud Ciceronem & alios.

3. *Super cœnam*] De hac loquendi ratione, supra in Augusto ad cap. 77. & Jul. cap. 87. &c.

4. *Diadema*] Regium insigne. Videsis Jul. ad cap. 79.

5. *Speciem principatus*] Hoc nomine appellata Cæsarum potestas. Supra in Tiberio ad cap. 24.

6. *Regni formam*] Hujus loci sensus est voluisse Caligulam ornamenta regia sumere qualia sunt Diadema, Purpura, Sceptrum, &c. abjectis imperatoriis quæ Romano Principi propria.

7. *Olympici*] De hoc simulacro Quintilianus libro 12. *Phidias*, inquit, *in ebore artifex longe citra æmulum, vel si nihil nisi Minervam Athenis, aut Olympium in Elide Jovem fecisset, cujus pulchritudo adjecisse aliquid etiam receptæ religioni videtur, adeo majestas operis deum æquavit.* Hujus meminit & Plinius in eamdem sententiam lib. 34. cap. 8. ubi varia Phidiæ opera enumerat, & lib. 36. cap 5. Pausanias in Bœoticis auctor est ablatum quoque a Caligula Cupidinem Thespiensium, quem a Claudio posea redditum Nero sustulerit iterum; unde mortis causam utrique illi Principi numinis vindicta fuisse autumat.

8. *Capite demto*] Vide in Tiberio ad cap. 58.

9. *Castoris & Pollucis*] Horum ædem in Foro fuisse dixit jam supra in Julio cap. 10. Quapropter promoto ad Forum usque Palatio, qua parte Divorum Fratrum ædes erat, hac ingressus fuit in Palatium inter media simulacra, dicente Caligula velle se janitores habere Jovis & Lædæ filios, ut ait Dio.

10. *Latialem Jovem*] Qui colebatur in monte Albano sacris communibus Romanos inter & Latinos, ut supra in Julio c. 79. Lucanus lib. 1.

Et residens celsa Latialis Iupiter Alba.

11. *Consalutarunt*] Proprio illo & quod

factis ambiebat cognomine: quem enim ad modum Cretensis Jupiter sororem habuit conjugem, ita & ille sorores suas, &c. Sed & Hercules & Bacchus dici voluit, & dearum quoque habitum sumpsit. Quæ omnia pluribus legere est apud Dionem.

12. *Iconicum*] Sic Casaubonus ex Memmiano codice, alii fere omnes *Iconium* legunt male; græce enim εἰκονικὸν. Simulacra Iconica ea erant quibus & membrorum similitudo, & oris expressa lineamenta videbantur, qualia dicari moris erat iis qui ludis Olympiacis ter vicissent. Hinc Plinius lib. 35. cap. 8. *Iconicos duces* appellat, hoc modo effictos. Et *Statuas Iconicas* lib. 34. cap. 4.

13. *Ambitione & licitatione*] Ambiendo & promittendo multam pecuniam si legerentur. Quid sit licitari, in Julio ad cap. 20. Quin & Cæsoniam suam huic Sacerdotio admovit centies HS. pactus & seipsum cum collega equo, si Dioni fides est, & Claudium patruum. Infra in Claudio cap. 9.

14. *Phœnicopteri*] Avis est a rubentibus pennis nominata: φοινίκεος enim *rubrum*, & πτερὸν *alam* significant Martialis in Xeniis Epig. 70.

Dat mihi penna rubens nomen, sed lingua gulosis
Nostra sapit, &c.

15. *Tetraones*] Has aves anserum generi ascribit Plinius lib. 10. cap. 22. *Decet Tetraonas suus nitor, absolutaque nigritia, in superciliis cocci rubor*, &c. *Nec ulla ales, excepto Struthio, Camelo majus corpore implens pondus, intantum aucta, ut in terra quoque immobilis prehendatur*, &c. * *Gignit eos Alpes & Septentrionalis regio.* Plinii locum emendavit Politianus cap. 57. Miscellaneorum.

16. *Numidica*] Gallinarum genus tuber, sive gibbam, quales hodie *Gallinas Guineas* vocitamus. Has Varro lib. 3. de Re Rustica cap. 9. cum Meleagridibus confundit, quas Columella distinxit lib. 8. de Re Rustica cap. 2. Meleagrides sunt quas hodie Gallinas Indicas indigetamus, non quod ex India advectæ, sed quia transmarinæ: fuerunt enim frequentes in Ætolia & tota Græcia. Quæ Salmasii ad Plinium mens est.

17. *In amplexus*] Quasi dignior Endimione, quem a Luna amatum fuisse fabulantur. Quin & hoc quoque jactavit, adeo ut Dio lib. 59. auctor sit Caligulam a Vitellio quondam petiisse num sese cum Dea vidisset, qui attonitus & demissis in terram oculis tremens dixit: Solis vobis Diis, Domine, licet vos invicem videre.

18. *Exoratus*] Caligula scilicet Jovis precibus victus, illum non amandavit in terram Græcorum, quasi Capitolina sede indignum.

19. *Contubernium*] Communem habitationem, ut supra in Julio ad cap. 2. Quæ quo facilius communicaretur, Palatinum montem, in quo habitabat ipse utpote Imperii sede, ut supra in Augusto ad cap. 5. Capitolino in quo Jupiter colebatur, ponte junxit.

20. *Area*] Loco vacuo qualis erat adjectus Templo Jovis Capitolini, areæ quippe sunt loca in urbe ædificiis vacua.

CAPUT XXIII.

[1] AGRIPPÆ se nepotem neque credi, neque dici ob [2] ignobilitatem ejus volebat: succensebatque, si qui vel oratione vel carmine [3] imaginibus eum Cæsarum insererent. Prædicabat autem [4] matrem suam ex [5] incesto quod Augustus cum Julia filia commisisset, procreatam. Ac non contentus hac Augusti insectatione, [6] Actiacas Siculasque victorias, ut funestas Populo Romano, & calamitosas, vetuit solennibus feriis celebrari. Liviam Augustam [7] proaviam [8] *Ulyssem stolatum* identidem appellans, etiam ignobilitatis quadam ad Senatum epistola arguere ausus est, quasi materno avo [9] Decurione Fundano ortam: cum publicis monumentis certum sit, [10] Aufidium Lingonem Romæ honoribus functum. [11] Aviæ Antoniæ secretum petenti denegavit, nisi ut interveniret [12] Macro præfectus. Ac per istiusmodi

Digitized by Google

indignitates & tædia, cauſſa exſtitit mortis: dato tamen, ut quidam putant, & veneno. Nec defunctæ ullum honorem habuit: proſpexitque e triclinio ardentem rogum. Fratrem [13] Tiberium inopinantem, repente immiſſo Tribuno militum, interemit. [14] Silanum item ſocerum ad necem, ſecandaſque novacula fauces, compulit: cauſſatus in utroque, quod hic ingreſſum ſe turbatius mare non eſſet ſecutus, ac ſpe occupandi urbem, ſi quid ſibi per tempeſtates accideret, remanſiſſet: ille antidotum [15] oboluiſſet, quaſi ad præcavenda venena ſua ſumptum; cum & Silanus impatientiam nauſeæ vitaſſet & moleſtiam navigandi, & Tiberius propter aſſiduam & ingraveſcentem tuſſim medicamento uſus eſſet. Nam [16] Claudium patruum non niſi in ludibrium reſervavit.

Nota.

1. *Agrippa nepotem*] Agrippa Juliam duxit, ut Auguſti cap. 63. ex ea ſuſcepit Agrippinam, cap. 64. Germanici conjugem ac Caligulæ matrem. Supra cap. 7.

2. *Ignobilitatem*] Suo magis quam parentum ſplendore clarus habitus eſt, ut in Auguſto cap. 16. Quod certe mirum mihi videtur; nec enim adeo ignobilem illum fuiſſe conjicere eſt quem Auguſto adoleſcenti familiarem pene ex æquo & comitem fuiſſe colligas, ex Auguſto cap. 94. ubi de Theogenis prædictione.

3. *Imaginibus*] Quid hæ ſint, in Auguſto ad cap. 4.

4. *Matrem ſuam*] Agrippinam.

5. *Inceſto*] Erat enim Julia perditiſſima mulier, ut ſupra Aug. cap. 65. Hinc colligas nonnulla hiſtoriæ auctoritate, niti quod de Ovidio ferunt, hunc nempe ab Auguſto relegatum, quod inceſtum illum vidiſſet: & ipſe ſimile quid innuit:

Cur aliquid vidi? cur conſcia lumina feci?

6. *Actiacas Siculaſque*] Quibus Antonius & Sextus Pompeius victi ſunt. Supra in Auguſto cap. 16. 17. & 18.

7. *Proaviam*] Mater erat Druſi, qui pater Germanici qui Caligulam genuit. Supra cap. 10.

8. *Ulyſſem ſtolatum*] Hoc eſt muliebri veſtitu, virum aſtutiſſimum & fallaciſſimum æmulabatur. Stola quippe matronarum duntaxat veſtimentum. Hinc Martialis lib. 1. Epig. 36.

Quis floralia veſtit, & ſtolatum
Permittit meretricibus pudorem.

9. *Decurione Fundano*] Quid eſſent decuriones in municipiis, ſupra notatum eſt in Auguſto cap. 46. Mater Liviæ Fundana fuit. Supra in Tiberio cap. 5.

10. *Aufidium Lingonem*] Alii *Lurconem* legunt, neutrius originem reperio. Liviæ maternum avum fuiſſe colligas ex hoc loco, & gentem Aufidiam, Fundis ortam, ex Horatio lib. 1. Sat. 5. ubi ſuperbientem Aufidium quemdam inſectatur municipii Prætorem & ignobilem.

11. *Avia*] Supra cap. 1. & 10.

12. *Macro*] Tiberii cap. 73. & ſupra cap. 12.

13. *Fratrem Tiberium*] Gemellum illum de quo ſupra ad cap. 15. ubi quemadmodum & hîc fratrem illum appellat Suetonius, ſive quod patrueles fratres eſſent duorum nempe fratrum filii, ſive quod patribus mortuis jus filiorum adepti eſſent reſpectu Tiberii; nec enim adoptati a Tiberio reperiuntur.

14. *Silanum*] Supra cap. 12.

15. *Oboluiſſet*] Hoc eſt, exhalaſſet odorem antidoti, remedii nempe ad venena præcavenda ſumpti.

16. *Claudium patruum*] In quibuſdam codicibus leguntur voces ſucceſſorem Imperii.

Digitized by Google

CAPUT XXIV.

CUM omnibus sororibus suis stupri [1] consuetudinem fecit; plenoque convivio singulas [2] infra se viciſſim collocabat, uxore supra cubante. Ex his Druſillam vitiaſſe virginem, [3] prætextatus adhuc, creditur. Atque etiam in concubitu ejus quondam deprehenſus ab avia Antonia, [4] apud quam ſimul educabantur. Mox Lucio [5] Caſſio Longino conſulari collocatam abduxit, & in modum juſtæ uxoris propalam habuit. Heredem quoque bonorum atque Imperii æger inſtituit. Eadem defuncta, [6] juſtitium indixit, [7] in quo riſiſſe, laviſſe, cœnaſſe cum parentibus, aut conjuge, liberiſve, capitale fuit. Ac mœroris impatiens, cum repente noctuque profugiſſet ab urbe, tranſcurriſſetque Campaniam, Syracuſas petiit. Rurſuſque inde propere rediit, [8] barba capilloque promiſſo. Nec unquam poſtea quantiſcumque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, niſi *per numen Druſillæ* dejeravit. Reliquas ſorores, nec cupiditate tanta, nec dignatione dilexit, ut quas ſæpe exoletis ſuis proſtraverit. Quo facilius eas in cauſsa [9] Æmilii Lepidi condemnavit, quaſi adulteras, & inſidiarum adverſus ſe conſcias. Nec ſolum chirographa omnium requiſita fraude ac ſtupro divulgavit, ſed & [10] tres gladios in necem ſuam præparatos Marti ultori, addito elogio, conſecravit.

NOTÆ.

1. *Conſuetudinem*] Natam illi ex ſorore filiam affirmat Eutropius, & de ipſa idem quod de matre: quod tamen credibile non videtur.

2. *Infra ſe*] In gremio ſuo: ſolennibus illis conviviis non fere plures quam tres ſingulis lectis accumbebant. Locus honoratiſſimus medius fuit, ut videtur tolligi poſſe ex 1. Æneid. ubi de Didone diſcubitura:

aulæis jam ſe Regina ſuperbis
Aurea compoſuit ſponda mediamque locavit.

Videſis ſuper hac re Lipſium lib. 3. antiquarum Lectionum cap. 1.

3. *Prætextatus*] Etiamnum puer. Vide in Julio ad cap. 1.

4. *Apud quam educabatur*] Poſt mortem Liviæ. Supra cap. 10.

5. *Caſſio Longino*] Livillam locavit M. Vinicio, Agrippinam vero Domitio; tres enim illi ſorores, ſupra cap. 7. Hinc eſt quod Tacitus Annal. 5. tres illos viros Tiberii progeneros appellat.

6. *Juſtitium*] Omnium operum ceſſationem, ſupra in Tiberio ad cap. 52. Seneca libro de Conſolatione ad Polybium cap. 36. contra videtur ſentire de hoc Caligulæ dolore loquens, *At foro & advocatis & hujuſmodi aliis occupationibus acerbiſſimi funeris levabat mala.* Ibi multa de hac doloris impotentia.

7. *In quo riſiſſe*] Seneca ibidem: *Numquam ſatis certus utrum lugeri vellet ſororum, an coli; eodem enim tempore quo templa illi conſtituebat ac pulvinaria eos qui parum mœſti fuerant, crudeliſſima afficiebat animadverſione.* Confirmat Dio qui multos utrimque accuſatos ſcribit. alios quod lugerent, quaſi deam non credidiſſent; alios quod non lugerent, quaſi non hominem exiſtimaſſent.

8. *Barba capilloque promiſſo*] Pro more lugentium, de quo ſupra in Julio ad c. 67. & Calig. cap. 5.

9. *Æmilii Lepidi*] Hic poſt Longinum, Druſillam duxerat, quacum vetus ipſi conſuetudo jam inde ab annis puellaribus, Caligulæ necem inferre voluerat. De quo Dio lib. 59. & Tacitus Annal. 14. & Seneca Epiſt. 4.

10. *Tres gladios*] Erat enim conſuetudo ut gladios illos conſecrarent quibus ſive

Digitized by Google

peractum sive destinatum fuerat aliquod facinus, ut infra adhuc Vitellii cap. 10. & Tacit. Annal. 15. ubi Nero pugionem neci suæ a Scevino destinatum sacrasse legitur in Capitolio cum inscriptione, *Jovi vindici*. Qualem inscriptionem expressit hîc *elogii* verbo Suetonius. Unde patet elogium hîc nil esse aliud quam titulum aut brevem quamdam inscriptionem fere semper in consecrandis rebus addi solitam: Elogium autem in genere est quædam testificatio vel ad laudem, vel ad vituperationem, exponens causam quare quid fiat. Hinc titulus ille qui damnatis præferebatur aut præconis voce pronuntiabatur, elogium quoque dictum est, ut infra cap. 27. & 32. & Domit. cap. 10. & passim apud Auctores.

CAPUT XXV.

MATRIMONIA contraxerit turpius, an dimiserit, an tenuerit, non est facile discernere. Liviam Orestillam C. Pisoni nubentem, cum ad [1] officium & ipse venisset, ad se deduci imperavit, intraque paucos dies repudiatam biennio post relegavit: quod repetisse usum prioris mariti tempore medio videbatur. Alii tradunt, adhibitum cœnæ nuptiali, mandasse ad Pisonem, [2] contra accumbentem, *Noli uxorem meam premere*: statimque e convivio abduxisse eam secum, & proximo die [3] edixisse, MATRIMONIUM SIBI REPERTUM EXEMPLO [4] ROMULI ET AUGUSTI. [5] Lolliam Paullinam, C. Memmio consulari, exercitus regenti nuptam, facta mentione aviæ ejus, ut quondam pulcherrimæ, subito ex Provincia evocavit, ac perductam a marito conjunxit sibi, brevique missam fecit, interdicto cujusquam in perpetuum coitu. Cæsoniam neque facie insigni, neque ætate integra, matremque jam ex alio viro trium filiarum, sed luxuriæ ac lasciviæ perditæ, & ardentius & constantius amavit, ut sæpe [6] chlamyde peltaque & galea [7] ornatam, & juxta adequitantem, militibus ostenderit: amicis vero etiam nudam. Quam enixam uxorio nomine dignatus est, uno atque eodem die professus, & maritum se ejus, & patrem infantis ex ea natæ. Infantem autem Juliam Drusillam appellatam, per omnium Deorum Templa circumferens, Minervæ [8] gremio imposuit, alendamque & instituendam commendavit. Nec ullo firmiore indicio sui feminis esse credebat, quam feritatis; quæ illi quoque tanta jam tunc erat, ut infestis digitis ora & oculos simul ludentium infantium incesseret.

NOTÆ.

1. *Officium*] Quale exhibebatur amicis uxores ducentibus. De quo in Aug. cap. 53.

2. *Contra*] Sibi ex adverso *vis à-vis*.

3. *Edixisse*] Edicto publice proposito significasse. Qua ratione Augustus sæpe allocutus est populum, ut & Tiberius.

4. *Romuli & Augusti*] Nota est Sabinarum historia, quarum raptu Romulus uxorem habuit Hersiliam, de qua Silius lib. 13. Punic.

Vis & Martigena thalamos spectare Quirini,
Hersiliam cerne hirsutos cum sperneret olim,
Gens hirsuta procos, pastori rapta marito.

Hæc mutata in deam, mutato quoque nomine dea dicta est. Ovid. 14. Metam.

Mutat, horamque vocat, dea juncta Quirino est.

Meminit & Gellius lib. 13. cap. 21. De Augusto notum est quoque, ex cap. 61. in eius vita, & infra Claud. cap. 1. Liviam enim viro suo ademit.

Digitized by Google

5. *Lolliam*] M. Lollii de quo in Tiberio cap. 12. & 13. neptem, & Claudii etiam postea conjugem, infra in Claudio cap. 26. Utrumque hoc matrimonium eodem modo factum auctor est Dio, maritos nempe Drusum & Memmium dedisse nuptum uxores suas tanquam earum patres.

6. *Chlamyde & pelta*, &c.] Hic Amazonum ornatus. Virgilius 1. Æneid.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

Peltæ brevia scuta cetrarum similia; de quibus supra cap. 19. & patet ex Livio lib. 8. Decad. 3. & 1. Decad. 4. &c.

7. *Ornatam*] Alii *armatam*, alii *comatam*. Torrentius suspicatur forte legendum *comptam*, Amazonum instar.

8. *Gremio*] Josephus lib. 19. Antiquit. cap. 1. ad Jovis genua depositam narrat, quasi ejus quoque parentis, ac judicandum reliquisse uter parentum ejusmodi major esset.

CAPUT XXVI.

LEVE ac frigidum sit his addere quo propinquos amicosque pacto tractaverit, Ptolemæum Regis [1] Jubæ filium, [2] consobrinum suum (erat enim & is M. Antonii ex [3] Selena filia nepos) & imprimis ipsum [4] Macronem, ipsam Enniam, adjutores Imperii: quibus omnibus pro [5] necessitudinis jure, proque meritorum gratia cruenta mors persoluta est. Nihilo reverentior leniorve erga Senatum: quosdam summis honoribus functos, ad essedum sibi [6] occurrere togatos per aliquot passuum millia, & cœnanti, modo ad [7] pluteum, modo [8] ad pedes stare, [9] succinctos linteo passus est: alios cum clam interemisset, citare nihilo minus ut vivos perseveravit, paucos post dies voluntaria morte periisse mentitus. Cos. oblitis de [10] natali suo edicere, abrogavit Magistratum; fuitque per triduum sine [11] summa potestate Respublica. [12] Quæstorem suum in conjuratione nominatum flagellavit veste detracta, subjectaque militum pedibus, quo firme verberaturi insisterent. Simili superbia violentiaque cæteros tractavit ordines. Inquietatus fremitu [13] gratuita in Circo loca de media nocte occupantium, omnes fustibus abegit. Elisique per eum tumultum viginti amplius [14] equites Romani; totidem matronæ, super innumeram turbam cæteram. Scenicis ludis, inter plebem & equitem causam discordiarum serens, [15] decimas maturius dabat, ut [16] equestria ab infimo quoque occuparentur. Gladiatorio munere, reductis interdum flagrantissimo Sole [17] velis, emitti quemquam vetabat; remotoque [18] ordinario apparatu, rabidis feris vilissimos senioque confectos, gladiatores quoque [19] pegmares, patresfamiliarum notos, sed insignes debilitate aliqua corporis, subjiciebat. Ac nonnumquam [20] horreis præclusis, populo famem [21] indixit.

NOTÆ.

1. *Juba*] In Julio cap. 35.

2. *Consobrinum*] Consobrini propria appellatione dicuntur sororum filii, quasi *consororini*, ut inquiunt Jurisconsulti, apud quos tamen quemadmodum & hîc significatio hujus vocis extenditur etiam ad gradus ulteriores: Caligula enim Antonii pronepos erat: siquidem avia illi fuit Antonia Antonii filia, de qua jam supra cap. 1. & alibi tam sæpe. Ptolemeus autem ille Antonii nepos, siquidem filius fuit Jubæ & Selenæ ex Antonio & Cleopatra genitæ.

3. *Selena*] Alii *Helena*; alii, ut editio Rob. Stephani *Selene*; quæ posterior idem significat

significat ac recepta lectio ; σελήνη enim *luna* est. Unde Torrentius merito colligit idem huic filiæ nomen inditum ac matri Cleopatræ, cum enim Bacchus aut Osiris diceretur Antonius, ita & Cleopatra Luna vel Isis. Dio lib. 51. & Plutarchus Antonii filiam hanc Cleopatram appellant.

4. *Macronem Enniam*] Supra ad c. 12.

5. *Necessitudinis jure*] In Ptolemæum ; necessitudo enim ex Gellio lib. 13. cap. 3. jus affinitatis, familiaritatisve conjunctionem significat. Meritorum vero gratiam intellige in Macronem.

6. *Occurrere*] Alii codices *currere* : quod Casauboni sententiæ favet legentis *accurrere*. Quo sensu Eutropius de Galerio loquens lib 9. *Ut per aliquot passuum millia purpuratus traderetur ad vehiculum cucurrisse.* Diocletiani scilicet. Hinc Juvenalis Sat. 10. v. 44.

Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia & niveos ad frena Quirites.

7. *Pluteum*] Hujus vocis varia significatio est. Festus ait sic generatim vocari tabulas quibus aliquid præscribitur. Hoc sensu crates illæ quibus milites in opere faciendo tegebantur, & librorum conditoria in bibliothecis plutei dicti sunt. Hîc pluteus est pars exterior triclinaris lecti tabulis quibusdam septa accessum prohibentibus, quo ferme sensu in Principum aulis dicunt *balustre* ; quæ enim pars lecti admovebatur mensæ, hæc erat sponda sive pars interior ; unde qui pueri vel puellæ in deliciis erant ; ii jacentes in gremio amatorum suorum interiores accumbere dicebantur. In lectis autem cubicularibus e converso sexes habebat, ut videre est in Julio ad cap. 49. ubi de sponda interiore. De triclinio quid esset, supra in Julio ad cap. 43.

8. *Ad pedes*] Servi ad pedes lectorum stabant, cœnante domino. Seneca libro 3. de Beneficiis : *Servus qui cœnanti ad pedes steterat*, &c.

9. *Succinctos linteo*] Atriensium aliorumque instar ministrorum etiam vilissimorum ; sic enim & coqui in domibus privatis & in sacrificiis popæ succingebantur.

10. *De natali suo edicere*] Diem suum natalem denuntiare celebrandum.

11. *Summa potestate*] Specie tenus summam dixit ; re enim vera penes Principem erat. Nisi summam intelligas summum Magistratum quem largiebantur Imperatores. Quo sensu Consulatus fastigium dixerunt etiam postea sub aliis Imperatoribus longe remotioribus.

12. *Quæstorem suum*] De candidato Principis Quæstore, supra in Augusto ad cap. 65. & infra Claudii cap. 40. & Neronis cap. 15. Seneca libro 3. de Ira cap. 18. dicit hunc, ut & Senatores multos non quæstionis, sed animi caussa tortos fuisse.

13. *Gratuita loca*] Manifeste videtur innuere pro quibusdam locis aliquid pendendum fuisse. Silent hîc Interpretes : colligi tamen etiam videtur ex Martiali locarios quosdam recensente pecunias inde verosimillime quærentes Lib. 5. Epig. 25.

Hermes supposititius sibi ipsi,
Hermes divitiæ locariorum,
Hermes cura laborque ludiorum.

Quod tamen ne affirmem, obstat Martialis Interpres Vincentius Collesso qui locum hunc explicat de pauperibus iis, qui, quod mature venissent, occupata a se loca divitibus accepta pecunia cedebant. Circus Palatio vicinus ; ut inde conspici possent ludi Circenses, ut supra in Augusto notatum.

14. *Equites Romani & matronæ*] Et equitibus igitur solvendum fuisset, & matronis, ni gratuita occupassent : quod certe parum credibile mihi videtur. Vox *gratuitus* apud Plautum in Cistellaria Act. 4. Scen. 2. v. 74. sumitur pro grato seu mercedem impertiente. An igitur gratuita loca dixeris, quæ qui occupabant aliquid a Principe consequebantur, vel quæ commodiora essent, colligendis missilibus quæ sub finem ludorum spargebantur ? Nec enim plebeios tantum, sed & Equites & Senatores horum avidos narrat ipse Suetonius, infra Domit cap. 4.

15. *Decimas*] Hîc hærent omnes quos viderim Interpretes. Torrentius existimat decimas illas fuisse quiddam quod plebi, non Equiti daretur. Turnebus lib. 18. cap. 5. tesseras fuisse dicit, quæ ad imitationem Herculis cui decimæ offerebantur, populo datæ sint, nihilo clarius ; & neuter, quid hoc ad occupanda equestria conferret, explicat. Denique, Casaubonus suam de tributo quodam quod in illos usus Caligula converteret conjecturam maxime dubium arbitratus, corruptum locum affirmat, sicque restituit : *Caussam discordiarum ferens, tesseras decima maturius dabat.* Videtur, inquit,

Digitized by Google

vox *tesserae* initio confusa fuisse cum præcedenti *serenis*, propter aliquam soni similitudinem, &c. Quo posito, sensus est, Caligulam ad spargenda missilia non expectasse ludorum finem, hoc est horam diei decimam, sed maturius decima sparsisse, ut collectis illis singuli finem spectaturi, loca in colligendo relicta repeterent, sicque miscerentur populares Equitibus, & horum illi sedes occuparent. Quin autem ludi in finem quandoque diei perseveraverint, dubium non est. Et quamquam Suetonius infra Neronis cap. 21. diserte non innuat, satis tamen id probaverit antiquorum circa ipsos incredibilis pene cupiditas. Huic sententiæ standum videtur, nisi decimas explices de largitione, aut congiario forte quodam solis Equitibus fieri solito. Quo casu, vel Equitibus invidentes, vel ut propius ad Principis locum unde dabatur accederent, in equestria nondum Equitibus repleta populares irruebant.

16. *Equestria*] Equitum in spectando loca, quæ & quatuordecim appellata, Supra in Julio cap. 39.

17. *Velis*] Vela amphitheatro superducebantur propter Solem & ventos. Velorum usum primus invexit Romam Q. Catulus: *Campanam*, inquit Valerius Maximus, *initiatus luxuriam, primus spectantium concessum velorum umbraculis texit*; idque auctore Plinio lib 18 cap. 1. in dedicatione Capitolii, de qua in Julio cap. 15. De velis illis plura passim apud Auctores, quæ si præ vento extendi nequirent, tunc pileis utebantur, ut de Causia patet ex Martial. Apophoret. 29. vel umbella, ut ibid. 28.

18. *Ordinario apparatu*] De ludorum apparatu & instrumento, supra in Julio ad cap. 10. & 37. Cujus partem faciebant gladiatores exercitati, eorum arma, bestiarii, &c.

19. *Pegmares*] De gladiatoribus qui pegmata bajulabant, intelligam, nisi si crudelius quidpiam innui videatur. Casaubonus ejus generis gladiatores intelligit, qui mortem evaserant etiam pugnantes e pegmatibus, unde solutis industria compagibus in foveas ubi vel ignis vel feræ erant, repente decidentes populum oblectabant: verum neque hoc crudelitatem insolitam arguit, neque explicat quare Suetonius *id* ut inauditum quid afferat. Sic enim fontes sæpe puniti sunt. Torrentius paulum immutatis verbis sic legit: *Remotoque ordinario apparatu, tabidas feras, vilissimos senioque confectos gladiatores, pegmatis quoque patresfamilias notos & insignes debilitate aliqua corporis, subjiciebat.* Qua lectione plana sunt omnia; sic enim intelligetur & præter morem & crudeliter fecisse, scilicet loco ferarum bene pastarum, tabidas & macilentas; loco fortissimorum & peritissimorum gladiatorum (quales v.g. Cæsar servati sibi jubebat, supra in Julio cap. 26.) vilissimos senioque confectos: & denique loco mancipiorum robustissimorum ad bajulanda pegmata, patresfamilias notos ac debiles subjecisse: Sabellicus ex veteri codice legerat *pagniastas*, Skildius ex Salmasiano *pagniares*, hoc est, gladiatores qui animi gratia & libidine pugnandi, nullis inducti præmiis nullaque necessitate adacti sese obtulerant, Caligula feris objiciebat; παγνιον enim ludicrum est, sive delectamentum puerile: quod intelligam potius de junioribus quibusdam qui gladiatura tanquam oblectamento puerili sese exercerent: quales forte pueri illi qui e pegmate quandoque sursum extollebantur, de quibus Juvenalis Sat. 4.

Et pegma & pueros inde ad velaria raptos.

Certum est enim ex Joseph. 7. Bellorum, pugnarum simulacra in pegmatis exhibita, De pegmatis infra Claudii cap. 34.

20. *Horrea*] Quibus annona publica servabatur: quam vocem Jurisconsulti usurpant pro quocumque mercium repositorio. *ff. de contrahenda emptione.*

21. *Indixit*] Quasi populum esurire, & fame enecari juberet. Alii legunt *induxit.*

CAPUT XXVII.

SÆVITIAM ingenii per hæc maxime ostendit. Cum ad saginam ferarum [1] muneri præparatarum carius pecudes compararentur, ex noxiis laniandos adnotavit: & [2] custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto [3] elogio, stans, tantummodo intra porticum mediam,

Digitized by Google

a calvo ad calvum duci imperavit. Votum exegit ab eo qui pro ſalute ſua gladiatoriam operam promiſerat: ſpectavitque ferro dimicantem: nec dimiſit niſi victorem, & poſt multas preces. Alterum qui ſe [4] perituram ea de cauſſa voverat, cunctantem pueris tradidit [5] verbenatum [6] infulatumque, qui votum repoſcentes per vicos agerent, quoad præcipitaretur ex [7] aggere. Multos honeſti ordinis, deformatos prius [8] ſtigmatum notis, ad [9] metalla aut ad viarum munitiones, aut ad beſtias condemnavit, aut beſtiarum more quadrupedes [10] cavea coërcuit, aut [11] medios ſerra diſſecuit. Nec omnes gravibus ex cauſſis, verum male de munere ſuo opinatos, vel quod numquam [12] per genium ſuum dejeraſſent. Parentes ſupplicio filiorum intereſſe cogebat. Quorum uni valitudinem excuſanti lecticam miſit: alium e ſpectaculo pœnæ, [13] epulis ſtatim adhibuit, atque omni comitate ad hilaritatem & jocos provocavit. [14] Curatorem munerum ac venationum per continuos dies in conſpectu ſuo catenis verberatum non prius occidit, quam offenſus putrefacti cerebri odore. [15] Atellanæ Poëtam, ob ambigui joci verſiculum, media Amphitheatri harena igni cremavit. Equitem Rom. objectum feris, cum ſe innocentem proclamaſſet, reduxit; abſciſſaque lingua, rurſus induxit.

NOTÆ.

1. *Muneri*] Hoc eſt ſpectaculo. Supra ſæpe in Julio ad cap. 39. &c.

2. *Cuſtodiarum*] Supra in Tiberio ad cap. 61.

3. *Elogio*] Quid hoc ſit, ſupra ad cap. 24. Porro notandum quod Turnebus in veteri Lexico legiſſe ſe ſcribit libro 15. cap. 20. nempe elogium eſſe contextum malorum geſtorum, quod notoriam dicunt. Quo ſenſu etiam Juriſconſulti ad L. 6. ff. *de cuſtodiis & exhibit. reor.* Caligula igitur ne quidem ſingulorum qui detinebantur in cuſtodiis facinora ut morti digniores addiceret; ſed cum forte eveniſſet ut inter duos calvitie deformes alii ſtarent, eos omnes ab uno calvo ad alterum a beſtiis laniandos duci imperavit. Quo loco Torrentius & Pulmannus legunt, *ſtans intra porticum, medios a calvo ad calvum*, &c. clarius.

4. *Perituram*] Supra cap. 14. ubi vota pro ſalute ejus.

5. *Verbenatum*] Beroaldus legebat *verberatum*, minus bene; indicat enim miſerum illum verbenis redimitum, infuliſque ornatum inſtar publicæ victimæ periiſſe, verbena quippe redimitæ victimæ, quam herbam ideo ſacram appellavere, & multo in honore varias ad ceremonias habuerunt. De qua plura Plinius lib. 22. cap. 2. Donatus ad verſum 5. Scen. 4. Act. 4. Andriæ exiſtimat ſic appellari omnes herbas frondeſque feſtas, ad aras coronandas aliquo puro loco decerptas.

6. *Infulatum*] Victimarum quoque redimiculum ſunt infulæ ſeu faſciæ, ſive, ut ait Feſtus, diadema a quo vittæ candidæ dependent, ad hunc 3. Georgic.

Sæpe in honore deûm medio, ſtans hoſtia ad aram,
Lanea cum nivea circumdatur infula vitta.

7. *Aggere*] Romæ plures erant aggeres ex quibus tanquam e ſaxo Tarpeio damnati præcipitabantur. Juvenalis Sat. 6. unius meminit, & Plinius lib. 3. cap. 5.

8. *Stigmatum notis*] Quas fronti vel brachiis fugitivorum inurebant, ut poſſent agnoſci. Videſis in Julio ad cap. 73.

9. *Ad metalla*] Fodienda vel elaboranda, vias muniendas & ſternendas, beſtias in arena fodiendas: unde beſtiarii dicti ſontes & miſeri illi. Beſtiariorum omnium pœna eadem non fuit: alii quippe damnabantur ad ludum beſtiarum, ut ibi pro more exerciti ſpectaculo tandem populum oblectarent pugnantes; alii vero

Digitized by Google

simpliciter ad bestias, ut palis affixi ab atrocissimis feris discerperentur. De Spectaculis in Julio ad cap. 39. & de his plura posteriores Historici; frequens enim fuit Christianorum pœna.

10. *Cavea incluſit*] Cruciatus illi a Græcis inventi; id enim Seneca libro 3. de Ira cap. 3. narrat de Lysimacho adversus Telesphorum amicum suum, de quo & Plutarchus libro de Exilio.

11. *Medios ferra diſſecuit*] Idem Seneca ibidem de Xerxe: *quem elegerat, in partes duas diſtractum ab utroque via latere poſuit.* Quod & Herodotus narrat lib. 7. Eodem modo Isaïas Propheta a Manasse Rege enectus est, auctore D. Hieronymo, &c. Unde colligere est, supplicium illud Orientalibus populis familiare fuisse.

12. *Per genium ſuum*] Ejusmodi juramenta per genium Principis tunc temporis fuere frequentissima, supra cap. 15. & Aug. ad cap. 60.

13. *Epulis adhibuit*] Idem narrat Seneca libro 2. de Ira cap. 33. de Pastore splendido equite, ubi miram ejus dissimulationem fuse & graphice describit.

14. *Curatorem*] Cui ludorum commissa cura.

15. *Atellana*] De hâc Fabulis in Tiberio ad cap. 45. & 75.

CAPUT XXVIII.

REVOCATUM quendam a vetere exsilio scisitatus, quidnam ibi facere consuesset, respondente per adulationem: *Deos ſemper oravi, ut, quod evenit, periret Tiberius, & tu imperares:* opinans sibi quoque exsules suos mortem imprecari, misit [1] circum insulas, qui universos contrucidarent. Cum discerpi Senatorem concupisset, subornavit qui ingredientem curiam, repente hostem publicum appellantes, invaderent, [2] graphiisque confossum lacerandum cæteris traderent. Nec ante satiatus est quam membra & artus & viscera hominis tracta per vicos atque ante se congesta, vidisset.

NOTÆ.

1. *Circum inſulas*] Quæ circa oram Campaniæ, de quibus supra Calig. cap. 15. & Tib. cap. 54. &c. & in Ægeo mari præsertim Cycladas de quibus sæpe apud Juvenalem, & Tacitum qui plenum exiliis mare infestosque cædibus hoc tempore scopulos memorat.

2. *Graphiiſque*] Quia gladios gerere non licebat, stylis illis ferreis in id consilium longioribus utebantur. De his supra in Julio ad cap. 82.

CAPUT XXIX.

IMMANISSIMA facta augebat atrocitate verborum. *Nihil magis in natura ſua laudare ſe ac probare dicebat, quam*, ut ipsius verbo utar, [1] ἀδιαφθορίαν. Monenti Antoniæ aviæ, tanquam parum esset non obedire: *Memento*, ait, *omnia mihi & [2] homini licere.* Trucidaturus fratrem, quem metu venenorum præmuniri medicamentis suspicabatur; [3] *Antidotum*, inquit, *adverſus Cæſarem?* [4] Relegatis sororibus, non solum insulas habere se, sed etiam gladios minabatur. Prætorium virum ex secessu [5] Anticyræ, quam valitudinis caussa petierat, propagari sibi [6] commeatum sæpius desiderantem, cum mandasset interimi, adjecit, *Neceſſarium esse ſanguinis miſſionem cui tam diu non prodeſſet elleborum.* Decimo quoque die numerum puniendorum [7] ex custodia subscribens,

Digitized by Google

[8] *Rationem se purgare dicebat.* Gallis Græcisque aliquot uno tempore condemnatis gloriabatur [9] *Gallograciam sese subegisse.*

NOTÆ.

1. ἀδιαφθόρως] Hoc est *inverecundiam.* Quæ interpretatio extat in vulgatis editionibus; hoc est, rigidus quidam animus qui neminem revereatur, nemini pareat.

2. *Et homini*] Sic legerunt in veteribus libris: quo sensu nullus explicat. Unde melior Beroaldi ac Roberti Stephani lectio *in omnes*; apertus enim sensus, & eadem hæc sententia, quæ Julii Cæsaris, in Julio c. 77. In quibusdam legitur *hominis*, unde forsan *dominis* legendum colligas.

3. *Antidotum*] Supra cap. 23.

4. *Relegatis sororibus*] Propter conjurationem de qua cap. 24. in caussa Æmilii.

5. *Anticyra*] Insula Sinus Mallicaci, quæ hodie *Suola*, saluberrima sumendo elleboro, ut ait Plinius lib 25. cap. 5. quæ herba insaniæ remedium esse dicitur. Unde Horatius Sat. 3. lib. 2. v. 82.

Cum deceo insanire omnes, vos ordine adite;
Danda est Ellebori pars maxima avaris.

Hinc proverbium, *Naviget Anticyram*, de eo cui dementiæ remedium quærendum; ibi enim optime præparabatur, & studiosi quoque hac herba cerebrum purgabant: unde Persius dixit *ebria veratbro*; hoc est, elleboro opera multis vigiliis & magna præparatione composita.

6. *Commeatum*] Tib. ad cap. 10.

7. *Ex custodia subscribens*] Paulo supra ad cap. 27. Subscribere porro est testari autographo, aliquid sibi ratum esse. Quandoque favere significat aut adjuvare: subscriptores enim in judiciis ii erant causidici qui accusatorem adjuvabant.

8. *Rationem purgare*] Quasi inutilia aut abundantia amputando; quod fit in habenda ratione accepti & expensi; quod etiam *rationem putare* dicunt.

9. *Gallograciam*] Alludit ad Provinciam illam Asiæ, quæ quia a Gallis quondam occupata & una cum Græcis culta fuerat, commune hoc nomen habuit. Græci simpliciter Galatiam dixere; hodie *Chiangare* vel *Gelas* Turcis.

CAPUT XXX.

NON temere in quemquam, nisi crebris & minutis ictibus animadverti passus est: perpetuo notoque jam præcepto; *Ita feri, ut se mori sentiat.* Punito per errorem nominis alio quam quem destinaverat, ipsum quoque paria meruisse dixit. Tragicum illud subinde jactabat,

[1] *Oderint dum metuant.*

Sæpe in cunctos pariter Senatores, ut [2] Sejani clientes, aut [3] matris ac fratrum suorum delatores, invectus est: prolatis libellis, quos crematos simulaverat, defensaque Tiberii sævitia, quasi necessaria, cum tot criminantibus credendum esset. Equestrem ordinem, ut scenæ harenæque devotum assidue proscidit. Infensus turbæ faventi [4] adversus studium suum exclamavit: *Utinam Populus Romanus unam cervicem haberet!* Cumque Tetrinius latro postularetur, *& qui postularent,* [5] *Tetrinios esse* ait. [6] Retiarii [7] tunicati quinque numero gregatim dimicantes, sine certamine ullo totidem [8] secutoribus succubuerant: cum occidi juberentur, unus resumta [9] fascina, omnes victores interemit. Hanc ut crudelissimam cædem & deflevit edicto, & eos qui spectare sustinuissent, exsecratus est.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Oderint*] Vox ab Atreo crudeliſſimo uſurpata apud Tragicum Poëtam, qui videtur fuiſſe Attius, cujus quoque mentio fit apud Senecam lib. 2. de Clementia cap. 1. *Illud mecum conſidero multas voces magnas, ſed deteſtabiles, in vitam humanam perveniſſe, celebreſque vulgo ferri ut illam, oderint dum metuant.* Quod mire exagitat lib 1. de Ira cap. 6. verſus finem. De quo & Cicero lib. 1. de Officiis, & alibi ſæpe.

2. *Sejani*] De quo Tib. ad cap. 55. & alibi.

3. *Matri & fratrum*] Tib. cap. 53. & 54. &c. Crematos autem ſimularat, Supra cap. 14.

4. *Adverſus ſtudium ſuum*] Innuit de Praſina factione, cui præ cæteris favebat. De qua ſupra ad cap. 18. & Tib. cap. 37. & infra cap. 55.

5. *Tetrinios*] Hoc eſt ſceleratos & ipſos eademque pœna dignos.

6. *Retiarii*] Celebre eſt illud gladiatorum genus. Sic dicti ſunt a retibus quibus potiſſimum utebantur. Ita quippe erant inſtituti, ut librandis manu dextra retibus conarentur involvere caput adverſarii, quaſi ipſos induſtria defeciſſet, effuſi per totam arenam diffugiebant. Juven. Sat. 8. v. 4.

Poſtquam librata pendentia retia dextra
Nequicquam effudit, nudum ad ſpectacula vultum
Erigit, & tota fugit agnoſcendus arena.

7. *Tunicati*] In tunicis pugnabant ut eſſent agiliores ad pugnam. Sed fruſtra videatur addidiſſe *tunicati*, ſi retiarii non alia veſte induti pugnare ſolerent; forte quia honeſti ordinis viri togæ jure utentes id muneris obibant, quomodo in Cæſaris ludis contigit, in Julio cap. 39. & alibi notatum eſt: quo etiam ſenſu Juvenalis acrius perſtrinxerit Gracchum illum de quo ibi loquitur, utpote qui tanta nobilitate conſpicuus, tunicatus tamen & gladiator eſſet.

8. *Secutoribus*] Retiarii adverſarios habebant ſecutores, qui & Mirmillones appellati, gladiis & ſcutis armati, ac præſertim galea cujus in ſummitate piſcis effigies; unde Retiarius contra Mirmillonem pugnans cantabat; *Non te peto, piſcem peto, quid me fugis?* inquit Feſtus. Juven. ibid. v. 210. de Graccho Retiario:

Cum Graccho juſſus pugnare ſecutor.

9. *Fuſcina*] Retiarii telum. Juvenalis ibid. v. 143.

Vicit & hoc monſtrum tunicati fuſcina Gracchi.

Fuſcinam a forma tridentem quoque dicit idem Poëta ibid. v. 203.

CAPUT XXXI.

QUERI etiam palam de conditione temporum ſuorum ſolebat: *quod nullis calamitatibus publicis inſignirentur.* Auguſti principatum clade [1] Variana: Tiberii, [2] ruina ſpectaculorum apud Fidenas, memorabilem factum: ſui oblivionem imminere proſperitate rerum. Atque identidem exercituum cædes, famem, peſtilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat.

NOTÆ.

1. *Variana*] Supra in Aug. cap. 23. & 49. &c.

2. *Ruina ſpectaculorum*] Nota, *ſpectacula* hîc ſumi pro locis unde *ſpectabatur*; theatrum enim corruit. Tib. cap. 40.

CAPUT XXXII.

ANIMUM quoque remittenti, ludoque & epulis dedito, eadem dictorum factorumque ſævitia aderat. Sæpe in conſpectu prandentis vel [1] comiſſantis ſeriæ quæſtiones per tormenta habebantur. Miles [2] decollandi artifex quibuſcumque e cuſtodia capita amputabat,

Digitized by Google

Puteolis dedicatione pontis, quem excogitatum ab eo [1] ſignificavimus, cum multos e litore invitaſſet ad ſe, repente omnes præcipitavit. Quoſdam gubernacula apprehendenteis, contis remiſque detruſit in mare. Romæ publico epulo ſervum, ob detractam lectis argenteam [4] laminam, carnifici confeſtim tradidit, ut manibus abſciſſis, atque ante pectus e collo pendentibus, præcedente [5] titulo qui cauſſam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumduceretur. [6] Mirmillonem e ludo [7] rudibus ſecum [8] batuentem, & ſponte proſtratum, confodit ferrea [9] ſica, ac more victorum cum palma diſcucurrit. Admota altaribus victima, ſuccinctus [10] poparum habitu, elato alte malleo, [11] cultrarium mactavit. Lautiore convivio effuſus ſubito in cachinnos, Coſſ. qui juxta cubabant, quidnam rideret blande quærentibus: *Quid*, inquit, *niſi uno meo nutu jugulari utrumque veſtrûm ſtatim poſſe?*

NOTÆ.

1. *Comiſſantis*] Comiſſatio ſive comeſſatio cibus eſt qui poſt cœnam ſumitur, ut patet ex Domit. cap. 21. & Vitell. cap. 13. ſive etiam extra ordinem ſumptus: unde comiſſari non ſemel ſumitur pro, diſſolute aut ſaltem hilariter agere.

2. *Decollandi*] Hoc artificium tunc temporis novum fuiſſe aperte colligas ex Lucano libro 8. ubi de tempore quo caput Pompeii abſciſſum eſt, dicit:

Nondum artis erat capuî enſe rotare.

Artifices ejuſmodi ſpiculatores dicuntur Senecæ lib. 1. de Ira cap. 16. quod & ipſi Tribuni fecere, ut patet ex Tacito Annal. lib. 15. ubi de Laterani & Flavii morte; & lib. 11. ubi de Meſſalinæ, & Seneca Epiſt. 4. ubi de Lepido, &c. Videſis Lipſium ad lib. 15. Annal. Tacit. num. 132. & 133.

3. *Significavimus*] Supra cap. 19.

4. *Laminam*] Lecti tricliniares & alii quoque, mulierum præſertim, operiebantur bracteis ſive laminis argenteis, quas ſervi furaces inter miniſtrandum eradebant. Martialis:

An magis æſtuti deraſa eſt ungue miniſtri
Pactea de fulcro quam reor eſſe tuo.

quod & de Statuis inauratis ſignificat Juvenalis:

Radat inauratî femur Herculis, & faciem ipſam
Neptuni, qui bracteolam de Caſtore ducat.

5. *Titulo*] Elogio illo de quo ad cap. 24. & 27.

6. *Mirmillonem*] Gladiatorem qui idem cum ſecutore, de quo modo ad cap. 30. Ludum autem hîc intellige gladiatorium, in quo a laniſtis erudiebantur. De quo in Julio ad cap. 26.

7. *Rudibus*] De rudibus & rudiariis, Tib. ad cap. 7. & in Auguſto cap. 45. maxime infra in Claudio ad cap. 21. num. 37.

8. *Batuentem*] Hoc eſt, ſe exercentem rudi ſeu baculo illo gladiatorio, quo innocuis pugnis ad veras inſtituebantur; batuere enim eſt velitari & propulſare; unde batuatores Latinis dicti ſunt duo qui ſeſe armis exercebant; & locus ubi id fiebat, *batualis*.

9. *Sica*] Breviore quodam gladio, unde ſicarii de quibus in Julio cap. 11. & 72.

10. *Poparum*] Iidem & victimarii dicti, quod mactarent victimas. Ii ab umbilico ad pedes tecti erant veſte quam Servius *linum* appellat ad lib. 12. Æneid. Propertius lib. 4. Eleg. 3.

Succinctique colant ad nova lucra popa.

11. *Cultrarium*] Ii e poparum numero, qui proſtratam victimam ſuppoſitis cultris jugulabant, Virgilius 6. Æneid. v. 49.

Supponunt alii cultros lepidumque cruorem
Excipiunt pateris.

& 3. Georg. v. 193.

Et vix ſuppoſiti tinguntur ſanguine cultri.

Digitized by Google

CAPUT XXXIII.

INTER varios jocos, cum assistens simulacro Jovis Apellem tragœdum consuluisset, uter illi major videretur, cunctantem flagellis discidit: collaudans subinde vocem deprecantis, quasi etiam in [1] gemitu prædulcem. Quoties uxoris vel amiculæ collum exoscularetur, addebat, *Tam bona cervix, simul ac jussero, demetur.* Quin & subinde jactabat, *Exquisiturum se vel* [2] *fidiculis de* [3] *Cæsonia sua, cur eam tanto opere diligeret.*

NOTÆ.

1. *Gemitu prædulcem*] Quasi non tantum in fictis gemitibus, sed etiam veris, Apelles ille Tragœdiarum Actor blanda voce esset.

2. *Fidiculis*] Fidiculæ erant cruciatuum instrumenta ad extorquendam in quæstionibus veri confessionem: fidibus enim seu nervis, quales descripti sunt supra Tiberii cap. 62. manus post tergum revinciebant, & ad torturam applicitos retro in altum extollebant cochlea, quæ instrumentum ligneum est in modum torcularis.

3. *Cæsonia sua*] Supra cap. 25.

CAPUT XXXIV.

NEc minore livore ac malignitate quam superbia sævitiaque pene adversus omnis ævi homines grassatus est. Statuas virorum illustrium, ab Augusto ex Capitolina area propter angustias in Martium Campum collatas, ita subvertit atque disjecit, ut restitui [1] salvis titulis non valuerint. Vetuitque posthac [2] viventium cuiquam usquam statuam aut imaginem, nisi consulto se & auctore, poni. Cogitavit etiam de Homeri carminibus abolendis: *Cur enim sibi non licere*, dicens, *quod* [3] *Platoni licuit, qui eum e civitate, quam constituebat, ejecerit?* Sed & Virgilii & Titi Livii scripta & [4] imagines, paullum abfuit quin ex omnibus bibliothecis amoverit: quorum alterum: ut [5] *nullius ingenii, minimæque doctrinæ:* alterum, ut *verbosum in historia negligentemque carpebat.* De Juris quoque consultis, quasi scientiæ eorum omnem usum aboliturus sæpe jactavit, Se, mehercle effecturum, ne quid [7] respondere possint præter eum.

NOTÆ.

1. *Salvis titulis*] Hoc est, inscriptionibus quibus nomina & laudes continebantur. Torrentius mallet legere *suis titulis.* Quo sensus esset sic diffractas fuisse statuas illas, ut componi iterum non potuerint & accommodari suis quæque basibus quibus inscripti tituli.

2. *Viventium*] Statuit idem Claudius, sed Senatus permissu licere voluit ei qui opus aliquod fecisset aut restituisset. Quia nempe urbs replebatur statuis, cum omnibus quicumque vellent, & ubicumque vellent, suam publicare liceret.

3. *Platoni licuisset*] Ille enim ex ea civitate, quam finxit optimam in libris de Republica, Poëtas ejecit utpote qui crimina diis affingerent; quæ quidem, etiamsi vera forent, non putaret tamen esse proferenda. Quod & probatur ipsi Ciceroni 1. Tuscul. 48.

4. *Imagines*] Ponebantur enim in bibliothecis Doctorum imagines, supra in Tiberio ad cap. 70.

5. *Nullius doctrinæ*] Quam vana forent illa Caligulæ deliramenta satis indicant testimonia doctorum hominum qui illos insequi

cuti sunt, Plinii præsertim qui doctrinarum omnium peritissimum Virgilium prædicat, & eam fuisse Livii etiam viventis famam, ut ad illum videndum ex ultimis Galliarum & Hispaniæ finibus viri nobiles Romam accurrerent.

6. *Respondere*] Notum est responsa prudentum Augusti decreto non modicam obtinuisse auctoritatem.

7. *Præter eum*] Sic in MSS. legitur & legendum confirmat auctoritate Scalige i Casaubonus, ut sensus sit, Caligulam voluisse Jurisconsultos prorsus tollere perditis eorum libris, quemadmodum Virgilii & Livii, & abolita scientia, ita ut consulentibus nihil possent respondere præter eum Caligulam nempe, a quo pendere volebat omnia. Aliquæ editiones legunt *prater æquum*, aperto & facili sensu: cum enim Jurisconsulti Legum verbis nimium astricti injuste nonnunquam judicarent, ideo abolito Legum & Librorum usu volebat singulis de jure consulentibus responderi ex æquo & bono missis ambagibus & intricatis Legum & Jurisconsultorum Formulis; quod postea fecit Claudius, ut infra in Claudio cap. 14. Hotomannus in Observationibus suis emendat *eccum*: hoc est, Non possent consulti hiscere verbum, sed duntaxat eccum Principem, scilicet cujus unius voluntas requirenda foret, non vero Legum sanctiones quas abolevisset. Torrentius interpungit post vocem *possint*, & legit, *præterea vetera familiarum insignia*, &c. quæ certe omnia corruptum probant locum; sed deficiente codicum auctoritate, forsan non restituunt.

CAPUT XXXV.

VETERA familiarum insignia nobilissimo cuique ademit: [1] Torquato torquem: [2] Cincinnato crinem: Cn. Pompeio stirpis antiquæ, [3] Magni cognomen. Ptolemæum, de quo [4] retuli, & accersitum e regno, & exceptum honorifice, non alia de causa repente percussit, quam quod edente se munus, ingressum spectacula, convertisse hominum oculos fulgore [5] purpureæ abollæ animadvertit. Pulcros & comatos, quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat. Erat Esius Proculus patre [6] primipilari, ob egregiam corporis amplitudinem & speciem *Colossæros* dictus. Hunc e spectaculis detractum repente & in harenam deductum, [7] Threci, & mox [8] hoplomacho [9] comparavit: bisque victorem constringi sine mora jussit: & pannis obsitum vicatim circumduci, ac mulieribus ostendi, deinde jugulari. Nullius denique tam abjectæ conditionis, tamque extremæ sortis fuit, cujus non commodis obtrectaret. [10] Nemorensi Regi, quod multos jam annos potiretur Sacerdotio, validiorem adversarium subornavit. Cum quodam die muneris, [11] essedario Porio, ob prosperam pugnam servum suum manumittenti studiosius plausum esset, ita se proripuit e spectaculis, ut calcata lacinia togæ, præceps per gradus iret indignabundus, & clamitans, *Dominum gentium populum ex re levissima plus honoris gladiatori tribuentem, quam consecratis principibus, aut præsenti sibi.*

NOTÆ.

1. *Torquato torquem*] Augusti cap. 43. Id quoque Asprenati concessum, ut & nomen Torquati sibi vindicaret. De antiqua tamen Manliorum gente locutum verosimilius est. Colligi posse videtur ex hoc loco gentem hanc non tantum nomine *Torquati* distinctam fuisse, sed etiam vero torque quem insigne gereret, quemadmodum Cincinnati crinem in cincinnos tortum.

2. *Cincinnato*] Huic similiter gentile

fuerat capillitium hoc modo effingere; quomodo & Neronibus illud pone occipitium summittere, ut lib. cap. 68.

3. *Magni cognomen*] Quod Pompeius suis sibi victoriis peperierat. Alii Syllam cum exercitu venientem, alii victam Africam, alii superatum Mithridatem, id ei cognominis dedisse suspicantur. Probabilius qui ex Mithridate victo, quoniam & hic Magnus dictus est, & innuit Cæsar ipse apud Appianum, ut supra in Julio ad cap. 35. notatum est.

4. *Retuli*] Supra cap. 26.

5. *Purpurea abolla*] Hujus vestimenti duplex genus fuisse ex eo colligere est, quod hominibus admodum diversis aptetur Philosophis & Militibus. De his differte affirmat Nonius cap 14. De illis Juvenalis Sat. 3. vers. 115. Id fuit discriminis, quod minori abollæ Milites uterentur, quam Philosophi aliique; sed omnibus duplex erat & suffulta vestis.

6. *Primipilari*] Ad cap. 31. Tiberii.

7. *Threci*] Vulgati legunt *Thraci*. Intellige vel de gladiatore qui genere Thrax esset, vel, quod verosimilius est, Thracum armis & more pugnaret. Videsis Lipsium lib. 2. Saturnal. cap. 9.

8. *Hoplomacho*] Gladiatori qui pugnaret armis instructus, qualia habentur in legitimis præliis. Hos parum a Mirmillonibus diversos fuisse innuit Lipsius lib. 2. Saturnal. cap. 11. de quo ad cap. 32.

9. *Comparavit*] Hoc est, composuit, commisit. Pro *Colosseros* legunt alii *Colossos* vel *Colossius*, ut infra Vesp. cap. 23.

10. *Nemorensi Regi*] Alii *nemerensi*, alii *nemoresi*. De Nemorensi agro, supra in Julio ad cap. 46. Ibi barbarico Scytharum more institutum erat, ut qui victimam quam fugitivus quidam vir gladium tenens & undique circumspectans tuebatur, mactasset, is Sacerdos Dianæ fieret, quem & Regis nomine appellatum significat Ovid. 3. Fast. de hoc loquens:

Regna tenent fortes manibus, &c. Vide & Strabonem lib. 5.

11. *Essedario*] Essedarios gladiatoribus annumerat Lipsius 2. Saturnal. cap. 12. qui ex essedo pugnabant: unde & desiluisse nonnumquam & pedibus pugnasse existimat. Sed si gladiator ille ordinarius erat & servus ipse, quo igitur jure servum qui sibi verosimiliter auriga erat, manumisit?

CAPUT XXXVI.

PUDICITIÆ neque suæ, neque alienæ pepercit. M. Lepidum Mnesterem [1] pantomimum, quosdam obsides dilexisse fertur, commercio mutui stupri. Valerius Catullus consulari familia juvenis, stupratum a se, ac latera sibi contubernio ejus defessa, etiam vociferatus est. Super [2] sororum incesta, & notissimum prostitutæ Pyrallidis amorem, non temere ulla illustriore fœmina abstinuit: quas plerumque cum maritis ad cœnam vocatas, præterque pedes suos transeuntes, diligenter, ac lente, mercantium more considerabat: etiam faciem manu allevans, si quæ pudore submitterent. Quoties deinde libuisset, egressus triclinio, cum maxime placitam sevocasset, paullo post recentibus adhuc lasciviæ notis reversus vel laudabat palam, vel vituperabat; singula enumerans bona malave corporis atque concubitus. Quibusdam absentium maritorum nomine, repudium ipse misit, jussitque in [3] Acta referri.

NOTÆ.

1. *Pantomimus*] Quid sit, in Augusto ad cap. 45.

2. *Sororum incesta*] Supra cap. 24.

3. *In Acta referri*] Quid hoc sit, in Julio ad cap. 20. & alibi.

Digitized by Google

CAPUT XXXVII.

NEPOTINIS [1] sumtibus omnium prodigorum ingenia superavit, commentus novum balnearum usum, portentosissima genera ciborum, atque [2] cœnarum: ut [3] calidis frigidisque unguentis lavaretur: pretiosissimas margaritas [4] aceto liquefactas sorberet: convivis ex auro panes & opsonia apponeret: *Aut frugi hominem esse oportere dictitans, aut Cæsarem.* Quin & nummos non mediocris summæ e fastigio [5] basilicæ Juliæ, per aliquot dies sparsit in plebem. Fabricavit & de [6] cedris Liburnicas, gemmatis puppibus, versicoloribus velis, magna thermarum & porticuum & tricliniorum laxitate, magnaque etiam vitium & pomiferarum arborum varietate: quibus discumbens de die inter choros ac symphonias, litora Campaniæ peragraret. In exstructionibus [7] prætoriorum atque villarum omni ratione posthabita, nihil tam efficere concupiscebat quam quod posse effici negaretur. Et jactæ itaque [8] moles infesto ac profundo mari, excisæ rupes durissimi silicis, & campi montibus aggere æquati, & complanata fossuris montium juga, incredibili quidem celeritate, cum moræ culpa capite lueretur. Ac ne singula enumerem, immensas opes, totumque illud Tiberii Cæsaris, vicies ac [9] septies millies HS. non toto vertente anno absumpsit.

NOTÆ.

1. *Nepotinis*] Hoc est, luxuriosis & immodicis profusionibus: nepos enim etiam pro perdito & dissoluto sumitur. Alii legunt *nepotatus*; quod & potest: Veteres enim *nepotari* dixerunt pro luxuriose vivere. Quanti illi fuerint, hinc collige, quod centies HS. cœnavit uno die, hoc est 437500 lib

2. *Cœnarum*] De his plura apud Senecam lib de Consolat. ad Helviam cap. 9.

3. *Calidis frigidisve unguentis*] Ita ut soliqm balneare, de quo ad Aug. cap. 82. unguentis temperaret, quorum ingens erat, ut ex Plinii lib 13. cap. 3. ubi hæc graphice describuntur, colligere est.

4. *Aceto liquefactas*] Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 17. idem factum narrat a Cleopatra, quæ sponsione Antonium provocarat posse in unam cœnam insumi sestertiûm centies.

5. *Basilica Julia*] Quam Julius Cæsar ædificandam curaverat, cujus meminit Plinius lib. 2 Epist ultima, ubi Judicia peragi solita innuit. Alii eamdem esse putant cum Basilica Caii & Lucii, de qua in Augusto cap 29.

6. *De cedris Liburnicis*] Quid hæ essent, supra Augusti cap. 17. Cedrum lignum esse pretiosissimum: inde colligas quod huic, auctore Plinio libro 13. cap. 5. competat æternitas: *Itaque simulacra deorum ex eo factitarunt.* Et lib 16. cap. 40. cariem vetustatemque non sentit: hinc Ephesinæ Dianæ Templum ea materia tectum. Turnebus lib. 22. cap. 30. ex bonorum, ut ait, Librorum testimonio legit *deceris*, quasi δεκήρεις, hoc est *decemremes*, quales ab Ægypti & Macedoniæ Regibus fabricatas memorat Athenæus: quod & optime convenit amplitudini illi qua esse debuerunt, ut tot ac tanta caperent; nisi si satius sit dicere amplitudinem satis significatam ex positione rerum contentarum, & materiæ dignitatem insuper annotasse, ut nepotinos sumptus undique probaret.

7. *Prætoriorum*] Villarum magnificarum. In Augusto cap. 72. & Tib. cap 39.

8. *Moles*] Magnas jam ante fuisse testis est Horatius Ode 1. lib 3.

Contracta pisces æquora sentiunt
Jactis in altum molibus, &c.

& Ode 18. lib. 2. &c.

9. *Millies septies*] 30625000 lib.

Digitized by Google

CAPUT XXXVIII.

EXHAUSTUS igitur atque egens, ad rapinas convertit animum, vario & exquisitissimo calumniarum & [1] auctionum & vectigalium genere. Negabat jure civitatem Romanam usurpare eos quorum majores sibi posteriseque eam impetrassent, nisi filii essent. Neque enim intelligi debere [2] *posteros* ultra hunc gradum. Prolataque Divorum Julii & Augusti [3] diplomata, ut vetera & obsoleta [4] deflebat. Arguebat & perperam editos [5] census, quibus postea quacumque de caussa quidquam incrementi accessisset. [6] Testamenta primipilarium, qui ab initio principatus Tiberii, neque illum, neque se heredem reliquissent, ut ingrata rescidit. Item cæterorum, ut irrita & vana, quoscumque quis diceret herede Cæsare mori destinasse. Quo metu injecto, cum jam & ab [7] ignotis inter familiares, & a parentibus inter liberos palam heres nuncuparetur, derisores vocabat: quod post nuncupationem vivere perseverarent, & multis venenatas [8] macteas misit. Cognoscebat autem de talibus caussis, taxato prius modo summæ, ad [9] quem conficiendum consideret, confecto demum excitabatur. Ac ne paullulum quidem more patiens, super quadraginta reos quondam ex diversis criminibus una sententia condemnavit, gloriatusque est expergefactæ somno Cæsoniæ, *quantum egisset, dum ea* [10] *meridiaret.* Auctione proposita, [11] reliquias omnium spectaculorum subjecit, & venditavit: exquirens per se pretia, & usque eo extendens, ut quidam immenso coacti quædam emere, ac bonis exuti, venas sibi inciderent. Nota res est, Aponio Saturnino inter subsellia dormitante, monitum a Caio præconem, ne prætorium virum crebro capitis motu [12] nutantem sibi præteriret: nec licendi finem factum, quoad tredecim gladiatores HS. [13] nonagies ignoranti addicerentur.

INTERPRETATIO.

a *Infirmavit Testamenta primipilarium qui ab initio Principatus Tiberii, neque Tiberium neque se heredem reliquissent. Insuper* rescidit *ut irrita & vana* Testamenta *aliorum* omnium *quicumque dicerentur ab aliquo designasse heredem Cæsarem.*

NOTÆ.

1. *Auctionum*] Vide supra ad cap. 16.

2. *Posteros ultra hunc gradum*] Cum e contra a Jurisconsultis posterorum nomine censentur quicumque descendentes Et Paulus Jurisconsultus Leg. 10. §. 7. ff. de grad. Affinit. ait, *Liberi usque ad trinepotem, ultra hos posteriores vocantur.* Et a Grammaticis posteri dicuntur quicumque post aliorum ætatem nascuntur.

3. *Diplomata*] Quid sint, supra ad cap. 50. Aug.

4. *Deflebat*] Quidam legunt *delebat*, sed nullo codice freti. *Deflebat* autem, hoc est mimica quadam commiseratione diplomata illa eludebat, nimiam in eis vetustatem causatus.

5. *Census*] Quantum quisque in bonis haberet, censu profiteri debebat, ni vel ærarius fieri vel ipsum & omnia sua bona venire vellet. Ideo Caligula eos qui bona post censionem auxerant, fallaciæ in profitendo censu arguit, ut inde sibi daretur occasio illorum facultates invadendi. Casaubonus legit, *arguebat perperam editi census.* Bene.

Digitized by Google

6. *Primipilarium*] De his Tib cap. 37. Ideo autem illorum expetita Teſtamenta, quod præcipua ad eos militiæ commoda pervenirent, inter quæ non leve iſtud fuit, quod milites condendo Teſtamento commilitonibus, ac prætertim primipilis ſuis relinquebant.

7. *Ignotis*] Quod numquam Auguſtus facere ſuſtinuerat. Aug. cap. 66.

8. *Mactra*] Cibi genus delicatiſſimi, ultimumque ac lautiſſimum ferculum. ματτύη dicitur Athenæo lib. 14. & pro omni pretioſo edulio ſumitur: unde ματτυάζειν proverbio dictum de iis qui lautius vivunt. Martialis lib. 10. Epig. 59. Græcam originem ſecutus dixit *Mactya*:

Ex omni poſita eſt inſtructa macello
Cœna tibi, ſed te mactea ſola juvant.

9. *Ad quem conficiendum*] Summæ ſcilicet. Alii legunt *ad quam faciendam*: alii *conficiendam*, hoc eſt *ſummam*.

10. *Meridiaret*] Somnum meridianum caperet Cicero 2. de divinatione: *Nunc & lucubrationes detraxi, & meridiationes addidi quibus antea uti non conſueveram.* Quod *diem dividere* & *diffindere* dicebant.

11. *Reliquias*] Apparatus & inſtrumenti, de quo in Julio ad cap 10. cujus partem feciſſe etiam gladiatores ſuperſtites, patet ex hoc loco.

12. *Nutantem*] Jocus eſt ex ſimilitudine actionis; qui enim dormitat quandoque caput nutat, ut & qui aſſentitur nutu ſignificat aſſenſum. Unde Caligula ſimulans Saturninum illum caput nutare, ut præconi innueret ſe velle emere hunc, admonuit, quo ei magno addiceret.

13. *Nonagies*] 393750 lib.

CAPUT XXXIX.

IN Gallia quoque, cum damnatarum ſororum ornamenta, & ſupellectilem, & ſervos, atque etiam liberos, immenſis pretiis vendidiſſet; invitatus lucro, quidquid [1] inſtrumenti [2] veteris aulæ erat, ab urbe reperiit; comprehenſis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis, & [3] piſtrinenſibus jumentis: adeo ut [4] panis Romæ ſæpe deficeret, & litigatorum plerique, quod occurrere abſentes ad [5] vadimonium [6] non poſſent, cauſſa caderent. Cui inſtrumento [7] diſtrahendo nihil non fraudis ac lenocinii adhibuit: modo avaritiæ ſingulos increpans, & *quod non puderet eos locupletiores eſſe, quam ſe*: modo pœnitentiam ſimulans, quod principalium rerum privatis copiam faceret. Compererat provincialem locupletem [8] ducenta HS. numeraſſe [9] vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur, nec tulerat moleſte, tam magno æſtimari honorem cœnæ ſuæ. Huic poſtero die ſedenti in auctione miſit, qui neſcio quid frivoli [10] ducentis millibus traderet: diceretque, *cœnaturum apud Cæſarem*, [11] *vocatu ipſius.*

NOTÆ.

1. *Inſtrumenti*] Hoc nomine intelligitur quidquid ad inſtruendum aliquid conducit. Hinc apud Juriſconſultos inſtrumenta fundi, domus, balnearum, &c.

2. *Veteris aulæ*] Quam inſtruxerant Auguſtus & Tiberius. Idem de Antonino Philoſopho Capitolinus refert, ſed longe diverſa de cauſſa, exhauſto nempe bellis, non cœnis, ærario.

3. *Piſtrinenſibus*] Quid ſint, jam ſupra in Julio ad cap. 31.

4. *Panis deficeret*] Jumentorum defectu nec panis ferebatur ex vicinis urbi locis, & ipſa opera piſtoria ceſſabant.

5. *Vadimonium*] Vox hæc non modo ſignificat ſponſionem ſiſtendi ſe iudicio, ſed & conſtitutum diem quo quis ſiſtere ſe debeat, & qui ſiſtebant ſe ii *vadimonium obire*, ſeu *ad vadimonium occurrere* dicebantur: qui vero aberant, *vadimonium deſerere.*

6. *Non poſſent*] Defectu vehiculorum meritoriorum aliorumque ejuſmodi quæ conficiendis celerius itineribus conducunt.

Digitized by Google

7. *Diſtrahendo*] Hoc eſt alienando, vendendo, &c.

8. *Ducenta ſeſtertia*] 8750 lib.

9. *Vocatoribus*] Ii erant quibus erat curæ convivas ad cœnam Principis vocare, qui mercede accepta ſubdititios ſæpe & ignobiles quoſdam inſerebant. Erant & in opulentiorum familia: unde Catullus Epig. 48.

Quærunt in triviis vocationes.

& Martialis lib. 7. Epig. 87.

Jam dices mihi Vapulet vocator.

10. *Ducentis millibus*] Seſtertiûm ſcilicet, quæ eadem eſt ſumma quam vocatoribus dederat: unde patet ſeſtertia ſingula, mille ſeſtertios valuiſſe, ut in Julio ad cap. 25. notatum.

11. *Vocatu*] Quod & honorificentius erat quam ab ipſis vocatoribus invitari.

CAPUT XL.

VECTIGALIA nova atque inaudita, primum per publicanos, deinde quia lucrum exuberabat, per Centuriones Tribunoſque prætorianos exercuit; nullo rerum aut hominum genere omiſſo, cui non tributi aliquid imponeret. Pro eduliis quæ tota urbe venirent, certum ſtatumque exigebatur. Pro litibus atque judiciis ubicumque conceptis, quadrageſima ſummæ, de qua litigaretur: nec ſine pœna, ſi quis compoſuiſſe vel donaſſe negotium convinceretur. Ex gerulorum diurnis quæſtibus pars octava, [1] ex capturis proſtitutarum quantum quæque uno concubitu mereret. Additumque ad caput legis, ut [2] tenerentur publico & quæ meretricium & qui [3] lenocinium feciſſent: necnon & [4] matrimonia obnoxia eſſent.

NOTÆ.

1. *Capturis*] Ita & Seneca vocem hanc uſurpat pro mercede ejuſmodi fœminis rependenda, lib. 1. contr. 2. ubi de Sacerdote proſtituta ſermo eſt, *pretia ſtupri accepiſti, & manus quæ diis datura erat ſacra, capturas tulit*. Quod tributi ſordidum genus nec ante Caligulam ignotum fuit Græcis nec Romanis poſt illum, &c.

2. *Tenerentur publico*] Vectigali iſto. Ubi Gronovius delet *ad*, legitque *additum caput legis*, ſenſu aperto.

3. *Lenocinium*] Hoc exercere dicitur qui quæſtuaria habet mancipia. De quo in Tiberio ad cap. 35.

4. *Matrimonia obnoxia*] Id eſt quæ in matrimonio turpiter viverent, aut ante vixiſſent, a tributo illo immunes non erant. Quis enim ſuper hoc loco Torrentium & Caſaubonum audiat?

CAPUT XLI.

HUJUSMODI vectigalibus indictis, neque [1] propoſitis, cum per ignorantiam ſcripturæ multa [2] commiſſa fierent, tandem flagitante Pop. Rom. propoſuit quidem legem: ſed & minutiſſimis literis, & anguſtiſſimo loco: uti ne cui deſcribere liceret. Ac ne quod non [3] manubiarum genus experiretur lupanar in palatio conſtituit: diſtinctiſque & inſtructis pro loci dignitate compluribus [4] cellis, in quibus matronæ ingenuique ſtarent. Miſit circum fora & baſilicas [5] nomenculatores ad invitandos in libidinem juvenes ſeneſque: præbita advenientibus [6] pecunia fenebris, appoſitique qui nomina palam ſubnotarent, quaſi adjuvantium Cæſaris reditus. Ac ne ex luſu quidem aleæ [7] compendium ſpernens, plus mendacio atque etiam perjurio lucrabatur. Et quondam proximo colluſori, demandata vice ſua, progreſſus in atrium domus,

Digitized by Google

cum prætereuntes duos Equites Rom. locupletes ſine mora corripi, confiſcarique juſſiſſet: exſultans rediit, glorianſque numquam ſe proſperiore alea uſum.

NOTÆ.

1. *Propoſitis*] Publice ſcilicet: quo pacto edicta proponebantur in celeberrimo urbis loco, ut populo cognoſcendi poteſtas eſſet, ut Aug. cap. 53. notatum. & alibi.

2. *Commiſſa*] Apud Juriſconſultos ea ſunt quæ cadunt in commiſſum; hoc eſt, quæ fiſco debentur, quia quid factum aut non factum eſt, quod & confiſcare dixit Budæus in Annot. Cicero tertia Verrina: *Eſt in eo Teſtamento quo ille heres eſſet, ſcriptum ut ſtatuas in palæſtra deberet ponere: Faciemus ut palæſtrita negent eſſe poſitas; petant hereditatem, quod eam palæſtra commiſiſſe dicant.* Apud Juriſconſultos paſſim.

3. *Manubiarum*] Quaſi bona civium eſſent prædæ hoſtiles; id enim ſignificat vox *manubiæ*, in Julio ad cap. 26.

4. *Cellis*] Meretriciis quibus & tituli meretricum nempe nomina inſcribebantur. Juvenalis Sat. 6.

Titulum mentita Lyciſca.

& Martialis lib. 11. Epig. 46.

Intraſti quoties inſcripta limina cellæ.

5. *Nomenculatores*] Qui ſuo quemque nomine invitarent, Supra in Auguſto ad cap. 19.

6. *Pecunia fenebris*] Sic ex duobus MSS. Torrentius vulgatique. Præbebant pecuniam fenebrem advenientibus quam hi ad meretrices palatinas deferrent, & hoc pacto vectigal Imperatoris augerent.

7. *Compendium*] Lucrum, cui opponitur diſpendium.

CAPUT XLII.

[1] FILIA vero nata paupertatem, nec jam imperatoria modo, ſed & patria conquerens onera, collationes in alimoniam atque dotem puellæ recepit. Edixit & [2] ſtrenas ineunte anno ſe recepturum; ſtetitque in veſtibulo ædium Kalend. Januariis ad captandas ſtipes, quas plenis ante eum manibus ac ſinu omnis generis turba fundebat. Noviſſime contrectandæ pecuniæ cupidine incenſus, ſæpe ſuper immenſos [3] aureorum acervos patentiſſimo diffuſos loco, & nudis pedibus ſpatiatus, & toto corpore aliquandiu [4] volutatus eſt.

NOTÆ.

1. *Filia*] Supra cap. 25. ex Cæſonia.

2. *Strenas*] Ad Aug. cap. 57. & Tib. cap. 34.

3. *Aureorum*] Quanti valerent, infra ad cap. 4. Othonis.

4. *Volutatus*] Skildius in Salmaſii codice *voluptatus* legit; unde *voluptarii* & *voluptarius* dictum autumat.

CAPUT XLIII.

MILITIAM reſque bellicas ſemel attigit, neque ex deſtinato, ſed cum ad viſendum nemus flumenque [1] Clitumni [2] Mævaniam proceſſiſſet: admonitus de ſupplendo numero [3] Batavorum, quos circa ſe habebat, expeditionis Germanicæ [4] impetum cepit: neque diſtulit, ſed [5] legionibus & auxiliis undique excitis, delectibus ubique acerbiſſime actis, contracto & omnis generis commeatu quantum numquam alius, iter ingreſſus eſt: confecitque modo tam feſtinanter & rapide, ut prætorianæ cohortes contra morem ſigna jumentis imponere, & ita

Digitized by Google

subsequi cogerentur: interdum adeo segniter & delicate, ut [6] octophoro veheretur, atque a propinquarum urbium plebe verri sibi vias, & conspergi propter pulverem exigeret.

NOTÆ.

1. *Clitumni*] Clitumnus hodie *Levene* juxta Ferrarium. Antiqui non aperte convenit; Plinius enim *In Phalisco*, inquit, *Clitumni amnis aqua pota boves candidos facit*. Dio Umbriæ fontem esse dicit. Sed hæ regiones vicinæ Propertius lib. 2. Eleg. 15. hujus meminit.

2. *Mevania*] Hodie *Bevagna*, Umbriæ, hoc est Ducatus Spoletani civitas, Propertii patria.

3. *Bataverum*] Ii quondam, ut hodie Helvetii, Principum etiam in remotissimis regionibus custodiæ commissi, sæpe pro Germanis, ac vicissim usurpati promiscue. Ante ipsos Hispani, ut de Julio Cæsare supra in ejus vita cap. 86 & de Germanis, cap. 49. in Aug. Unde colligere est, Principibus Romanis duplicem fuisse custodiam, Prætoriarum scilicet de quibus supra in Augusto cap 99. & Tib. 37. &c. ac Germanorum. Hos & in remotissimis regionibus id quoque muneris obisse colligas ex Josepho lib. 17. Antiquit. Herodi enim Germanos custodes fuisse narrat.

4. *Impetum cepit*] Quo modo loquendi etiam Augustus usus Cap. 42. in Aug.

5. *Legionibus*] Legiones Romanis constabant, auxilia sociis. Jam supra.

6. *Octophoro*] Lectica octo servorum gestata cervicibus, qua non nisi molles aut ægri gestabantur. Martialis lib. 6. Epig. 84.

Octophoro famus portatur, Avite, Philippus.
Hunc tu si famum credis, Avite, fuis.

CAPUT XLIV.

POSTQUAM castra attigit, ut se acrem & severum ducem ostenderet, Legatos, qui [1] auxilia serius ex diversis locis adduxerant, cum ignominia dimisit. At in exercitu recensendo, plerisque centurionum [2] maturis jam, & nonnullis ante paucissimos quam consummaturi essent dies, primos [3] pilos ademit, caussatus senium cujusque & imbecillitatem: cæterorum increpita cupiditate, commoda emeritæ militiæ [4] ad sex millium summam rescidit. Nihil autem amplius quam Adminio Cinobellini [5] Britannorum Regis filio, qui pulsus a patre, cum exigua manu transfugerat, in deditionem recepto: quasi universa tradita insula, magnificas Romam literas misit: monitis [7] speculatoribus ut [7] vehiculo ad Forum usque & Curiam perrenderent, nec nisi in [8] æde Martis, ac frequente Senatu, Coss. traderent.

NOTÆ.

1. *Auxilia*] Hîc innuitur mos qui, stante Republica, obtinebat. Consules enim, ut patet ex Polybio lib. 6. indicto Romæ delectu, edicebant Præfectis sociarum in Italia civitatum a quibus arcessenda putabant auxilia, ut ea pararent indicentes numerum tempusque ac locum in quem convenire oporteret. De quo fuse & docte Lipsius lib. 1. de Militia Dialog 7.

2. *Maturis*] Alii *emeritis*, longe melius & apertiore sensu, ut nempe aliis qui jam erant emeriti, hoc est, qui stipendia impleverant: aliis qui brevi impleturi erant, pilos adimeret lucrum inde captans, ut Tiberii cap. 48.

3. *Pilos*] Hoc est, primi centurionatus dignitatem, super quo quædam annotata ad cap. 37. Tib.

4. *Ad sex millium*] Hoc est 262 lib. 10 s. Beroaldus legebat *sexcentorum millium*: quod neque credibile est, tum quod ipsorum equitum census non nisi quadringentorum

Digitized by Google

gentorum erat, ut in Julio ad cap. 39. tum quod de reductione facta loquitur, ac proinde majora fuisse ponit, aliis imperantibus commoda: neque cum historia cohæret. Dio enim lib. 55. Prætorianis post peracta sexdecim stipendia quinque millia drachmarum assignat hoc est viginti sestertiorum millia, drachma quippe idem est cum denario; qui quatuor sestertiis æquivalet, (ut supra in Julio ad cap. 4. & 26. notatum est) reliquis vero post decem annorum militiam tria millia drachmarum, hoc est duodecim sestertium. Nostro igitur ævo Prætorianorum summa fuerit 875 lib. cæterorum 525 lib. De commodis & præmiis militiæ, quid differant, videsis ad cap. 24. & 49. Aug.

5. *Britannorum*] Beroaldus legit *Batavorum* auctoritate Orosii, qui dicit Caligulam peragrata viribus otiosis tota Gallia, in ora Oceani circa Britanniæ conspectum constitisse, & filium illum Regis qui a patre pulsus cum paucis obtrabat, in deditionem acceptum. Vero quidem similiter si accedat codicum auctoritas. Certe supra cap. 19. Suetonius ex vulgi rumore retulit Britanniæ tunc temporis imminere Caligulam, & adhuc infra Claud. cap. 17.

6. *Speculatoribus*] Vulgatæ editiones *monitis sæpe latoribus*, errore, ut patet facili. Erat una speculatorum cohors, ex qua eligebantur milites ferendis literis. De Speculatoribus non nihil supra cap. 32. &c.

7. *Vehiculo*] Augustus disposuerat vehicula singulis itineribus In Aug. cap 49.

8. *Ædo Martis*] In qua de bellis triumphisque consulendum Senatum sanxerat Augustus. Cap. 29. Aug.

CAPUT XLV.

MOX deficiente belli materia, paucos de [1] custodia Germanos trajici, occulique trans Rhenum jussit: ac sibi post prandium, quam tumultuosissime adesse hostem nuntiari. Quo facto, proripuit se cum amicis & parte equitum prætorianorum in proximam silvam: truncatisque arboribus, & in modum [2] tropæorum adornatis, ad [3] lumina reversus, eorum quidem qui secuti non essent, timiditatem & ignaviam corripuit: comites autem & participes victoriæ, novo genere ac nomine coronarum donavit, quas distinctas Solis ac Lunæ siderumque specie, [4] *exploratorias* appellavit. Rursus obsides quosdam abductos e [5] literario ludo, clamque præmissos, deserto repente convivio cum equitatu insecutus, veluti profugos ac reprehensos in catenis reduxit: in hoc quoque [6] mimo præter modum intemperans. Repetita cœna renunciantes [7] coactum agmen, sicut erant, loricatos ad discumbendum adhortatus est. Monuit etiam notissimo Virgilii versu, *Durarent, secundisque se rebus* [8] *servarent*. Atque inter hæc absentem Senatum populumque gravissimo objurgavit edicto, quod *Cæsare præliante, & tantis discriminibus objecto,* [9] *intempestiva convivia, circum, & theatra & amœnos secessus celebrarent.*

NOTÆ.

1. *De custodia Germanos*] Paulo supra ad cap. 43.

2. *Tropæorum*] Quid sint, in Julio ad cap. 11.

3. *Ad lumina*] Vel refer ad pompam qua victores excipiebantur, quali supra cap. 14. Vel intellige quasi ad noctem dimicatio protracta fuisset, & ad lumina revertendum. Quomodo Jul. cap. 31.

4. *Exploratorias*] Quasi propter exploratos hostes datas, quemadmodum civicæ propter cives servatos.

5. *Literario ludo*] Schola quam frequentabant illi obsides. Videsis in Julio ad cap. 26. & infra Grammat. & Rhet 4.

6. *Mimo*] Sic ex libris Turnebus & Casaubonus emendarunt. Alii legebant *nimio*.

Digitized by Google

7. *Coactum remen*] Cum enim ille præceps e convivio sese propipuisse, hi agmen cogerent quasi auxilio secuturum.

8. *Per arces*] Siquidem expeditione peracta, jam nihil opus erat illorum opera. Notus porro lib. 1. Æneid. versus:

Durate & vosmet rebus servate secundis.

9. *Intempestiva*] Tempestiva æque ac intempestiva convivia vitio dabantur. Illa legitimam cœnandi horam prævenichant, hæc sequebantur: illa de die ante nonam vel decimam horam, hæc in multam noctem. Seneca lib. 2. de Ira cap. 28 *Aliena vitia in oculis habemus, a tergo nostra sunt. Inde est quod tempestiva filii convivia patre deterior filio castigat.* Hinc Catullus Epig. 48.

Vos convivia lauta sumptuose
De die facitis, &c.

Cicero pro Muræna *intempestivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum, comes ex rema saltatio.* Q. Curtius lib. 6. *Intempestiva convivia & potandi pervigilandique in ana dulcedo* &c. Salmasius ad Vopiscum ea non distinguenda contendit, quia & intempestiva nulla esse in libris veterum, nisi errore librariorum.

CAPUT XLVI.

POSTREMO, quasi perpetraturus bellum, directa acie in litore Oceani, de ballistis machinisque dispositis, nemine gnaro aut opinante quidnam cœpturus esset, repente ut conchas legerent, galeasque & sinus replerent, imperavit: *spolia Oceani* vocans, [2] *Capitolio Palatioque debita.* Et in indicium victoriæ altissimam [3] turrem excitavit: ex qua, ut ex [4] Pharo noctibus ad regendos navium cursus, ignes emicarent: pronuntiatoque militi [5] donativo, centenis viritim [6] denariis, quasi omne exemplum liberalitatis supergressus: *Abite*, inquit, *læti, abite locupletes.*

Notæ.

1. *Ballistis*] Tormenta erant bellica quibus saxa & spicula mittebantur, quæ Vegetius libro 4. cuncta penetrasse refert, si apte temperata forent. Has descripsit Marcellinus libro 23. Ballistas a machinis non obscure distinguit hoc loco Suetonius. Lipsius in libris Poliorcetic machinas esse censet non quibus missilia jactarentur, sed quibus milites vel operirentur vel uterentur, ut vinea pluteus, vectis, &c.

2. *Capitolio Palatioque*] Quæ ponte junxerat. Supra cap. 22.

3. *Turrem*] In Batavia binis ab urbe Lugdunensi milliariis. Videbatur olim turris quam *Britannicam* appellabant. Skildius loci indigena suspicatur eamdem esse de qua hîc sermo est; sed non affirmat quippe deficientibus antiquorum monumentis, & mutata propter maris violentiam locorum facie; ejus enim ruinas Oceanus abscondit. Sed longe aliter Cluverius libro 2. Germ. antiq. cap. 36. prope Bononiam nostram collocat.

4. *Pharo*] In Tiberio cap. 74.

5. *Donativum*] Donativum militibus, congiarium civibus dabatur. In Julio ad cap. 27.

6. *Centenis denariis*] Singuli quatuor sestertios valebant ut in Julio ad cap. 4. Hinc summa fuit 17 lib. 10 s.

CAPUT XLVII.

CONVERSUS hinc ad curam triumphi, præter captivos & transfugas barbaros, Galliarum quoque proceriſſimum quemque, &, ut ipse dicebat, [1] ἀξιοθριάμβευτον, ac nonnullos ex Principibus legit ac sepositi ad pompam: coëgitque non tantum [2] rutilare, & [3] submittere comam, sed & sermonem Germanicum addiscere, & [4] nomina barbarica ferre. Præcepit etiam triremes, quibus introierat Oceanum,

Digitized by Google

magna ex parte itinere terrestri Romam devehi. Scripsit & [5] procuratoribus, *Triumphum apparārent quàm minima summa; sed quantus numquam alius fuisset: quando in omnium hominum bona* [6] *jus haberent.*

NOTÆ.

1. ἀξιοθριάμβευτον] Triumpho dignissimum.

2. *Rutilare comam*] Plinius lib. 28. cap. 12. tradit id quoque moris fuisse apud Gallos, sed magis apud Germanos ac viros præsertim, a quod sapone utebantur. Confirmat Tacitus rutilas eorum comas & procera fuisse corpora narrans. Hinc Juvenalis Sat. 13.

Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem & madido torquentem cornua cirro.

Romanis quoque id in usu, sed e contrario fœminis potius quam viris Valerius Maximus lib 2. cap 1. eas cinere rutilasse crines refert: qui modus a Germanorum non diversus, sapo quippe ex cinere & sevo conficitur. Tanta postmodum cura fuit flaventium capillorum, ut Imperatores capiti respergerent auri rameuta, ut de Vero narrat Capitolinus, de Commodo Lampridius, de Gallieno Trebellius. Quin & hoc modo ornatos legas pueros Salomonis currus conscendentes, apud Josephum lib. 8. Antiquit. cap. 2.

3. *Summittere*] Prolixiorem alere ex more Germanorum, quorum flavus color, quem rufum appellat Seneca lib. 3. de Ira, sic placuit fœminis, ut illorum comas redimerent quæ sibi chorymbium, de quo ad cap. 11. supra, adornabant. Ovidius ad puellam suam:

Jam tibi captivos mittit Germania crines,
Culta triumphata munere gentis eris.

Martialis Epig. 69. lib. 5. &c.

4. *Barbarica nomina*] Indicat elegantiora fuisse Gallorum nomina Germanorum asperiora, qualia Plautus de Persis loquens in Captivis, *contortiplicata* appellat.

5. *Procuratoribus*] Qui Principis absentis negotia curabant, Procuratores Cæsaris dicti, de quorum officio titulus est in libris Digestorum. Infra ad cap. 12. in Claud.

6. *Haberent*] Alii *haberet.*

CAPUT XLVIII.

PRIUSQUAM Provincia decederet, consilium iniit nefandæ atrocitatis, legiones quæ post excessum Augusti, seditionem olim moverant, contrucidandi: quod & patrem suum Germanicum ducem, & se infantem tunc [1] obsedissent. Vixque a tam præcipiti cogitatione revocatus, inhiberi nullo potuit modo quin [2] decimare velle perseveraret. Vocatas itaque ad concionem inermes, atque etiam gladiis dispositis, equitatu armato circumsedit. Sed cum videret, suspecta re, plerosque dilabi ad resumenda, si qua vis fieret, arma, profugit concione: confestimque urbem petiit, deflexa omni acerbitate in Senatum, cui [3] ad avertendos tantorum dedecorum rumores palam minabatur: querens inter cætera, fraudatum se justo triumpho, cum ipse paullo ante, ne quid de honoribus suis ageretur, etiam sub mortis pœna denuntiasset.

NOTÆ.

1. *Obsedissent*] De hac seditione, supra cap 14. & 9.

2. *Decimare*] Decimum quemque supplicio afficere. In Aug. ad cap. 24.

3. *Ad avertendos*] Quasi dedecus illud amoliri potuisset, si in Senatum sæviret. Legebant *animadvertendos*: emendavit Sabellicus.

Digitized by Google

CAPUT XLIX.

ADITUS ergo in itinere a Legatis [1] ampliſſimi ordinis, ut maturaret orantibus, quam maxima voce, *Veniam*, inquit, *veniam, & hic mecum*: capulum gladii crebro verberans quo cinctus erat: [2] Edixit & *reverti ſe, ſed iis tantum qui optarent equeſtri ordini & populo: nam ſe neque civem neque Principem Senatui amplius fore.* Vetuit etiam quemquam Senatorum ſibi occurrere: atque omiſſo, vel dilato triumpho, [3] ovans urbem natali ſuo ingreſſus eſt: intraque quartum menſem periit, ingentia facinora auſus, & aliquanto majora moliens. Siquidem propoſuerat, [4] Antium, deinde [5] Alexandriam commigrare, interempto prius utriuſque ordinis electiſſimo quoque. Quod ne cui dubium videatur, in ſecretis ejus reperti ſunt duo libelli, diverſo titulo, alteri GLADIUS, alteri PUGIO index erat. Ambo notas & nomina continebant morti deſtinatorum. Inventa & arca ingens, variorum venenorum plena; quibus mox a Claudio demerſis, infecta maria traduntur, non ſine piſcium exitio, quos enectos æſtus in proxima litora ejecit.

NOTÆ.

1. *Ampliſſimi*] Senatorii ſcilicet.

2. *Edixit*] Populo ſignificavit reditum ſuum ſcripto publice propoſito, quo pacto multa populo indicata fuiſſe jam ſupra paſſim obſervare eſt, & notatum ad cap. 53. Auguſti.

3. *Ovans*] De ovatione in Tiberio ad cap. 1. Natalis ejus dies pridie Calend. Septemb. Supra cap 8.

4. *Antium*] Ubi natus erat. Ibidem ſupra.

5. *Alexandriam*] Quo & Julius Imperii Sedem transferre deſtinarat. In Julio cap. 79.

CAPUT L.

STATURA fuit eminenti, [1] pallido colore, corpore [2] enormi, [3] gracilitate maxima cervicis & crurum, & oculis & temporibus concavis, fronte lata & torva, capillo raro, ac circa verticem nullo, hirſutus cætera. Quare tranſeunte eo, [4] proſpicere, ex ſuperiore parte, aut omnino quacumque de cauſſa [5] *capram* nominare, criminoſum & exitiale habebatur. Vultum vero natura horridum ac tetrum etiam ex induſtria efferabat, componens ad ſpeculum in omnem [6] terrorem ac formidinem. Valitudo ei neque animi neque corporis conſtitit. Puer [7] comitiali morbo vexatus: in adoleſcentia ita patiens laborum erat, ut tamen nonnumquam ſubita defectione ingredi, ſtare, colligere ſemet ac ſufferre vix poſſet. Mentis valitudinem & ipſe ſenſerat: ac ſubinde de [8] receſſu deque purgando cerebro cogitavit. Creditur [9] potionatus a Cæſonia uxore, amatorio quidem medicamento, ſed quod in furorem verterit. Incitabatur [10] inſomnia maxime: neque enim plus quam tribus nocturnis horis quieſcebat, ac ne his quidem placida quiete, ſed pavida miris rerum imaginibus, ut qui inter cæteras pelagi quondam ſpeciem colloquentem ſecum videre viſus ſit. Ideoque magna parte

Digitized by Google

noctis vigiliæ cubandique tædio, nunc toro resîdens, nunc per longissimas porticus vagus invocare identidem atque exspectare lucem consueverat.

NOTÆ.

1. *Pallide colore*] Seneca libro de Constantia cap. 18. de Caligula loquens, *tanta illi palloris insaniam testantis fœditas.* Quia nempe pallor hic ab atra bile. Ibi Seneca amare prorsus descriptionem ejus persequitur. Quidam legunt hîc *ex pallido.* Non male; palloris enim exuberantiam indicabit.

2. *Enormi*] Hoc est magno quidem, sed absque æquitate &, ut ita dicam, congruentia; nec enim omne magnum enorme est, sed quod absque norma magnum est. Tiberius contra *corpore amplo, membris usque ad imos pedes æqualis & congruens.* In Tib. cap 68. & Aug. cap 79.

3. *Gracilitas*] Ita & Germanicus, Supra cap. 5. Hanc dicteriis obnoxiam innuit & Seneca lib. de Constantia cap. 18.

4. *Prospicere ex superiori parte*] Locus hic firmat opinionem eorum qui antiquos aperto in urbe capite fuisse contendunt. De quo non nihil in Julio ad cap. 45. & 57.

5. *Caprarum nominare*] Hoc enim trahebat in suam ignominiam propter hirsutum corpus.

6. *Terrorem ac formidinem*] Nam & ipse ejus vultus tormenti instar erat. Seneca lib. 3. de Ira cap. 19. de Senatoribus loquens: *Torserat per omnia quæ in rerum natura tristissima sunt, fidiculis, tabulariis, eculeo, igne, vultu suo.*

7. *Comitiali morbo*] Huic quoque Julius obnoxius. In Julio cap. 45.

8. *Secessu*] Anticyram forte; ibi enim facilius illis morbis remedium, Supra ad cap. 29.

9. *Potionatus*] De Claudio affirmat Juvenalis Sat. 6. v. 615.

Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit, &c.

hoc est carunculam illam totam quæ pulli recens nati fronti adhæret: de quo & Virgilius 4 Æneid. v. 515.

10. *Insomnia*] Quod quamquam dicitur umero singulari, longe tamen minus usitatum est. Videsis Nonium & Donatum ad Eunuchum Terentii.

CAPUT LI.

NON immerito mentis valitudini attribuerim diversissima in eodem vitia, summam confidentiam, & contra nimium metum. Nam qui Deos tantopere [1] contemneret, ad minima tonitrua & fulgura [2] connivere, caput obvolvere, ad vero majora proripere se e strato, sub lectumque [3] condere solebat. Peregrinatione quidem Siciliensi, irrisis multorum locorum miraculis, repente a Messana noctu profugit, [4] Ætnæi verticis fumo ac murmure pavefactus. Adversus Barbaros quoque minacissimus, cum trans Rhenum inter angustias densumque agmen iter [5] essedo faceret, dicente quodam, *Non mediocrem fore consternationem, si unde hostis appareat*, equum illico conscendit: ac propere versus ad pontes, ut eos calonibus & impedimentis stipatos reperit, impatiens moræ, per manus ac super capita hominum translatus est. Mox etiam audita rebellione Germaniæ, fugam & subsidia fugæ, classes apparabat: uno [6] solatio acquiescens, [7] transmarinas certe sibi superfuturas provincias, si victores Alpium juga ut [8] Cimbri, vel etiam urbem, ut [9] Senones quondam, occuparent: unde credo percussoribus ejus postea

Digitized by Google

consilium natum, apud tumultuantes [10] milites ementiendi ipsum sibi manus intulisse, nuntio malæ pugnæ perterritum.

NOTÆ.

1. *Contemneret*] Qui se Jovi adstantem, aut inter divos fratres medium adorandum exhiberet. Supra cap. 22. & 33.

2. *Connivere*] Oculos minutatim occludere, quod timentium est.

3. *Condere*] In Augusto ad cap. 90. notatum est ex Seneca subterraneas domos metu fulminis extructas.

4. *Ætnæi*] Noti istius montis ignes, hodie *Mongibel* in Sicilia.

5. *Essedo*] Supra ad cap. 26. & Aug. cap. 76.

6. *Solatio acquiescens*] Tiberii cap. 31. & 56. hoc verbum cum dandi casu junxit.

7. *Transmarinas*] Plures codices habent *transmarinas certe sibi*, &c. scilicet Asiam, Ægyptum, &c.

8. *Cimbri*] De his & de Teutonibus, in Julio ad cap. 11.

9. *Senones*] Qui Romam ceperunt. Historia ex Livio aliisque notissima.

10. *Milites*] Hæc vox non extat in quibusdam codicibus, nec male: tam enim de civibus quam de militibus intelligi potest.

CAPUT LII.

VESTITU [1] calceatuque & cætero habitu, neque patrio, neque [2] civili, ac ne virili quidem, ac denique humano, semper usus est. Sæpe depictas gemmatasque indutus [3] pænulas, [4] manuleatus & armillatus in publicum processit: aliquando [5] sericatus, & [6] cycladatus: ac modo in [7] crepidis vel [8] cothurnis, modo in [9] speculatoria caliga, nonnumquam [10] socco muliebri: plerumque vero [11] aurea barba fulmen tenens, ac [12] fuscinam, aut [13] caduceum, Deorum insignia, atque etiam [14] Veneris cultu conspectus est. [15] Triumphalem quidem ornatum etiam ante expeditionem assidue gestavit: interdum & Magni Alexandri [16] thoracem repetitum e [17] conditorio ejus.

NOTÆ.

1. *Calceatu*] De calceis in Augusto ad cap. 38. Calceatus hîc sumitur pro eo omni quod pedem involveret, sive sandalia ferent, sive soleæ.

2. *Civili*] Quali civem decet indui. Refer igitur ad pænulas gemmatas, armillas, caligas, triumphalem ornatum. De civilitate videsis ad cap. 51. Augusti. *Patrio* autem refer ad cothurnos, qui Græcorum; *Virili* ad serica, manicas, cycladas, & soccum quæ fœminarum; *Humano* denique ad fulmen, fuscinam, caduceum, barbam auream. Sic enim Suetonius divisim & evacte probat quæ conjunctim proposuit qui mos ejus, ut supra notatum.

3. *Pænulas*] Has cum lacernis non nisi pluvio tempore aut in itinere indutas. Supra notatum ad cap. 40. Augusti. Unde tales habere, minime civile fuit.

4. *Manuleatus*] Hoc est, indutus tunica manicas habente prolixiores, qualis Julio Cæsari, Cap. 45. in Julio. quales & fœminis solis decoras fuisse auctor est Gellius libro 7. cap. 12. quales demum videntur fuisse quas Alexander Severus in usum suum postea revocavit, & macrochæras dicit Lampridius in Alexandro Severo.

5. *Sericatus*] Veste serica indutus. Hujusmodi vestium duplex genus, subsericæ & holosericæ; hæ ex serico prorsus, illæ ex serico cum aliqua admixta materia simul textæ. Probrosas quoque viris fuisse patet ex Taciti Annal. 2. ubi sub Tiberio prohibitum dicit, *ne vestis serica viros fœdaret.* Vopiscus in Aureliano testatur, huius materiæ tantum fuisse pretium, ut serici libra, auri libra foret, ut vestes holosericas nequidem Imperatores nonnulli unquam ha-

Digitized by Google

buerint, ut de Alexandro Lampridius, & de Aureliano Vopiscus referunt.

6. *Cycladatus*] Cyclus vestis quoque fœminea tenuissima, ne matronis quidem honesta; hac enim ferme non nisi impudicæ utebantur. Juven. Sat. 6.

Hæ sunt quæ tenui sudant in cyclade.

A rotunditate sic dictæ. Salmasius similes iis fuisse dicit quas hodie *jupes* nostrates indigetant. Propertius lib. 4. Eleg 7. prolixas fuisse indicat,

Hæc nunc aurata cyclade signat humum.

7. *Crepidis*] In Tiberio ad cap. 13.

8. *Cothurnis*] Cothurni altiora calceamenta sunt tragicis accommodata, ut nempe mimi priscorum heroum grandiores apparerent ad perfectiorem eorum imitationem. Soccus contra depressior fuit & comœdorum, quibus non heroum, sed humiliorum personæ inducendæ. Socci crepidis Græcorum non absimiles, sicut nec fœmineo Romanarum calceamento.

9. *Speculatoria caliga*] Qualem calceabant speculatores illi qui hostilia silentio perspiciebant, vel qui spiculis armati, corpore Principis custodes erant: quod Suetonio notatum Torrentius ait propter caligæ diversitatem & vilitatem. Sed non videtur quid caussæ fuerit cur speculatores diversas a cæteris & viliores caligas haberent. Certe speculatores etiam Lege agebant in damnatos, & pro carnificibus erant, ut patet ex Seneca lib. 1. de Ira cap. 16. *Tum Centurio qui supplicio præerat, condere gladium speculatorem jubet*, &c. Ad quos respexisse videtur, ut turpitudinem vestis eo magis indicaret. Nisi si *speculatores* & *spiculatores* diversos fuisse dixeris cum Turnebo lib. 27. cap. 20. De caliga videsis supra ad cap. 9.

10. *Socco muliebri*] Addidit *muliebri*, ut distingueret a comico. Seneca libro 2. de Beneficiis cap. 12. de Caligula loquens: *Dedit vitam Pompeio Pennо, si dat qui non aufert: deinde absoluto & agenti gratias porrexit osculandum sinistrum pedem. Qui excusant & negant, insolentia caussa factum aiunt, socculum auratum, imo aureum margaritis distinctum ostendere eum voluisse.* De quo & Plinius lib. 37. cap. 2.

11. *Aurea barba*] Jovis æmulatione, ut solebat. Vide supra ad cap. 47.

12. *Fuscinam*] Ad cap. 30. tridentis instar esse notatum:

Fulmina sub Jove sunt, Neptuni fuscina telum.

13. *Caduceum*] Mercurii insigne, quod nemo non novit

14. *Veneris cultu*] Torrentius hoc modo cultum existimat cum cycladatus esset. Sed hanc varie varii describunt.

15. *Triumphalem*] Quis ille, ad cap. 38. Aug. & Tib. cap. 9. &c.

16. *Thoracem*] Tunc præsertim cum pontem Puteolanum transiret. Auctor Dio. Vide ad cap. 19. supra.

17. *Conditorio*] In Aug. ad cap. 18.

CAPUT LIII.

EDISCIPLINIS liberalibus minimum [1] eruditioni; eloquentiæ plurimum attendit, quantumvis facundus & promptus: utique si perorandum in aliquem esset, [2] igrato & verba & sententiæ suppetebant: [3] pronuntiatio quoque & vox, ut neque eodem loci præ ardore consisteret & exaudiretur a procul stantibus. Peroraturus *structuram se lucubrationis suæ telum mirabatur*: lenius comtiusque scribendi genus adeo contemnens, ut [4] Senecam tum maxime placentem, [5] *commissiones meras* componere, & *harenam esse sine calce* diceret. Solebat etiam prosperis oratorum actionibus rescribere, & magnorum in Senatu reorum accusationes defensionesque meditari: ac, [6] prout stylus cesserat, vel onerare sententia sua quemque, vel sublevare: equestri quoque ordine ad audiendum invitato per edicta.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Eruditioni*] Studio literarum humaniorum, historiæ, antiquitatis, &c. quæ Philologiam vocant. Aug. cap. 89.

2. *Irato*] Sic legerunt omnes Interpretes: quidam tamen emendandum censuit *imparato*; quod quidem si admittatur, Auctoris mentem alio trahet; nec enim alia videtur esse quam ut significet Caligulam facundum quidem & promptum, sed tunc maxime cum sibi adversus aliquem perorandum esset, ira suppeditante verba & sententias, quod & tota loci series indicat, & maxime telum hoc quod vibraturum se minabatur.

3. *Pronunciatio*] Hanc a voce distinxit, quod præter vocem, vultus etiam gestusque ac totam corporis actionem complectatur.

4. *Senecam*] Annæum qui postea Neronis præceptor fuit; quem jam ab eo tempore natu grandem fuisse oportuit, siquidem scribit Ciceronem a se videri potuisse, si ferro occupata mors ejus non fuisset. infra in Nerone cap. 7. &c.

5. *Commissiones*] Vide ad cap. 89. in Augusto. Beroaldus & Torrentius aliter explicant, ut nempe quemadmodum in ædificiis commissiones meræ dicuntur cum lapides nullo inter se glutino connectuntur; Ita etiam Senecæ orationes essent materiæ congestæ sine robore & nervis. Quod innuere videatur *arena sine calce*.

6. *Prout stylus cesserat*] Prout animus & dicendi ratio, non causa eum varie detorquebant.

CAPUT LIV.

SED & aliorum generum artes, studiosissime & diversissimas exercuit. [1] Threx & auriga, idem cantor, atque saltator. [2] Batuebat pugnatoriis armis, aurigabat exstructo pluribus circo. Canendi ac saltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret, quo minus & tragœdo pronuncianti concineret, & gestum histrionis quasi laudans vel corrigens palam effingeret. Nec alia de causa videtur eo die quo periit, [3] pervigilium indixisse, quam ut initium in scenam prodeundi licentia temporis auspicaretur. Saltabat autem nonnumquam etiam noctu: & quondam tres consulares [4] secunda vigilia in palatium accitos, multaque & extrema metuentes [5] super pulpitum collocavit: deinde repente magno tibiarum & [6] scabellorum crepitu, cum [7] palla tunicaque talari prosiluit, ac desaltato [8] cantico abiit. Atque hic tam docilis ad cætera, natare nesciit.

NOTÆ.

1. *Threx & auriga*] Thraces gladiatores, de quibus supra cap. 35. qui pedibus, aurigæ qui curru decertabant, quales essedarii de quibus ibidem.

2. *Batuebat pugnatoriis armis*] Exercebatur iisdem armis quibus alii pugnabant, cum non nisi rude batuerent. Supra cap. 32.

3. *Pervigilium*] De iis sacris quæ tota nocte vigilantes celebrabant, aliquid notatum est in Augusto ad cap. 94. Pervigilia autem voluptatis quoque gratia celebrata colligere est, tum ex hoc loco, tum ex Vitellii cap. 10.

4. *Secunda vigilia*] Circa mediam noctem; hæc enim in quatuor vigilias dividebatur, quarum singulis tres horæ attributæ. Pulpitum locus est in theatro, de quo in Aug.

5. *Scabellorum*] Quidam sedilium explicant. Casaubonus pro crepitaculorum quodam genere accipit, qualia forte Hispanis & Aquitanis *castagnettes*. hoc est *sametes*, aut forte *castagnetes* nostratibus. Langius legebat *scanillorum* ex veteri quadam inscriptione quæ Spoleti reperta est, quaque paret instrumentum aliquod musicum fuisse. Saltatores & saltatrices varia ejusmodi instrumenta sono edendo adhibebant,

Digitized by Google

bebant, præter pulſum pedum.

6. *Palla*] Nonius cap. 14. hanc dicit eſſe honeſtæ mulieris inſtrumentum, & innuit Juven. Sat 10. verſ. 262.

Sciſſaque Polixena palla.

Sed & citharœdorum etiam & tibicinum idem Juvenalis:

Sit licet eximius citharœdus, ſitne Seleucus,
Et quibus aurata mos eſt decurrere palla.

Tunica talaris, hoc eſt ad talos demiſſa, quæ omnia muliebris ornatus ſunt. Ovidius 3. Amor.

Fronte coma torva, palla jacebat humi.

& Virgilius lib. 11. v. 576.

Pro crinali auro, pro longa tegmine palla.

7. *Cantico*] Idem videtur eſſe quod Neronis cap. 20. τὸ μῶ dicit.

8. *Natare*] Quod tamen juventuti Romanæ ſolitum exercitium. In Auguſto ad cap. 64.

CAPUT LV.

QUORUM vero ſtudio teneretur, omnibus ad inſaniam favit. Mneſterem [1] pantomimum etiam inter ſpectacula oſculabatur: ac ſi quis ſaltante eo vel leniter obſtreperet, detrahi juſſum manu ſua flagellabat. Equiti Romano tumultuanti, per centurionem denuntiavit abiret ſine mora [2] Oſtiam, perferretque ad [3] Ptolemæum Regem in Mauritaniam [4] codicillos ſuos. Quorum exemplum erat: *Ei quem iſtuc miſi, neque boni quidquam, neque mali feceris.* Threces quoſdam Germanis corporis cuſtodibus præpoſuit. [5] Mirmillonum armaturas reſcidit. [6] Columbo victori, leviter tamen ſaucio venenum in plagam addidit, quod ex eo *Columbinum* appellavit. Sic certe [7] inter alia venena ſcriptum ab eo repertum eſt. [8] Praſinæ factioni ita addictus & deditus, ut cœnaret in [9] ſtabulo aſſidue, & maneret. Agitatori Cythico [10] comiſſatione quadam in [11] apophoretis vicies HS. contulit. [12] Incitato equo, cujus cauſſa pridie Circenſes, ne inquietaretur, viciniæ ſilentium per milites indicere ſolebat, præter equile marmoreum, & præſepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monile e gemmis, domum etiam, & familiam, & ſupellectilem dedit, quo lautius nomine ejus invitati, acciperentur: Conſulatum quoque traditur deſtinaſſe.

NOTÆ.

1. *Pantomimum*] Supra in Julio ad cap. 39. & Auguſto ad cap. 45.

2. *Oſtiam*] Urbs ad oſtia Tiberina, unde naves ſolvebant; etiam hodie *Oſtia*.

3. *Ptolemæum*] Conſobrinum Caligulæ de quo ſupra cap. 26. Mauritania Africæ regio eſt, eaque duplex: Altera quæ ab urbe primaria dicta eſt Cæſarea, mari Mediterraneo expoſita; qua parte eſt civitas quam hodie vocant *Algers*: Altera Oceano ad occaſum, quæ Tingitana, continens hodie regna *Fez* & *Maroch*.

4. *Codicillos*] Supra non ſemel, ac maxime in Tiberio ad cap 51.

5. *Mirmillonum*] De his & eorum armatura, ſupra ad cap. 30. & 32. &c. His quia non favebat, ut citius caderent, arma ademit, Seneca Epiſt. 7. & 95.

6. *Columbo*] Mirmilloni ſcilicet, iratus quod viciſſet.

7. *Inter alia venena*] Videſis cap. 49. ſupra.

8. *Praſinæ*] Panni viridis, Supra ad cap. 18. & Tib. cap. 37.

9. *In ſtabulo*] Ubi ſervabantur illi aurigæ Praſini.

10. *Comiſſatione*] Supra ad cap. 32. & infra Vitellii cap. 13.

11. *Apophoretis*] Supra in Auguſto ad cap. 75. Hîc intelliguntur potius ea quæ convivæ domum referebant ex epulis Beroaldus hîc, & Turnebus lib. 9. cap. 23. cenſent vaſa fuiſſe quibus referebantur. Cui ſententiæ favet non parum locus ille Divi

Digitized by Google

Ambrosii in Exhortatione ad virgines, quem Turnebus laudat: *Apophoreta vobis plena gratia & sanctitatis reservavi.* Nec repugnat Suetonius siquidem illis vasis conferre potuit vicies illud, hoc est 87500 lib.

12. *Incitato*] *Incitatus* equi nomen est, quemadmodum Antonini (de quo parem insaniam narrat Capitolinus) equo nomen erat *Volucer*) cui viventi statuam auream, mortuo sepulcrum erexit.

CAPUT LVI.

ITA bacchantem atque grassantem non defuit plerisque animus adoriri. Sed una alteraque conspiratione detecta, aliis per inopiam occasionis cunctantibus, duo consilium communicaverunt, perfeceruntque: non sine conscientia potentissimorum libertorum præfectorumque Prætorii: quod ipsi quoque, etsi falso, in quadam conjuratione, quasi participes nominati, suspectos tamen se & invisos sentiebant. Nam & statim [1] seductis magnam fecit invidiam, *districto gladio affirmans sponte se perituram, si & illis morte dignus videretur:* nec cessavit ex eo criminari alterum alteri, atque inter se omnes committere. Cum placuisset [2] Palatinis ludis spectaculo egressum [3] meridie aggredi, primas sibi partes Cassius Chærea Tribunus cohortis prætoriæ depoposcit: quem Caius seniorem jam, ut mollem & effœminatum denotare omni probro consuêrat: & modo, [4] signum petenti, PRIAPUM aut VENEREM dare: modo, ex aliqua caussa agenti gratias, osculandam manum offerre, [5] formatam commotamque in obscœnum modum.

NOTÆ.

1. *Seductis*] In secretum abductis, ut alterum alteri suspectum redderet.

2. *Palatinis ludis*] Dio lib. 56. a Livia institutos refert in honorem Augusti, & in Palatio celebrandos.

3. *Meridie*] Qua hora solebant utplurimum prandendi caussa egredi: patet & ex Claud. cap. 34. Hinc equitis illius responsum: cum enim ad ipsum in spectaculis bibentem, misisset Augustus, qui diceret, *Ego si prandere volo, domum eo; Tu enim*, inquit, *non times ne locum perdas.* De quo Quintilianus lib. 6. cap. 3.

4. *Signum petenti*] Hoc est tesseram militarem, sive symbolum quomodo solent prætoriani illi Principis custodes, ut & in castris Tribuni, ab eo qui exercitui præest. Vocale erat & utplurimum nomen alicujus Dei aut Heroïs. Olim videtur fuisse insculptum brevi ligno, unde nomen tesseræ. De quo legendus lib. 6. Polybius. De Chærea idem narrat & Seneca libro de Constantia, cap. 18. Ad quem locum Lipsius ait, Cum Venerem ei signum daret, ut fœminæ, Priapum ut qui virum quæreret. De eodem Josephus lib. 19. Antiquit. Jud. cap. 1.

5. *Formatam*] Super varias hujus loci lectiones, scilicet *camatam formatamque, forcatam commistamque.* Lipsius ad lib. 13. Annalium Taciti num. 6. emendare voluit *gammatam* a figura literæ γ, &c. Quod Torrentius ait esse libidinem intrudendi voces quæ nusquam auditæ, nusquam lectæ sunt, in Auctorem cætera tersum & elegantem, &c. Certe nil hâc innuitur aliud quam Sannæ quarta, ni fallor, species, de qua in Augusto ad cap. 42. ubi de Pylade.

Digitized by Google

CAPUT LVII.

FUTURÆ cædis multa prodigia exſtiterunt. [1] Olympiæ ſimulacrum Jovis, quod diſſolvi transferrique Romam placuerat, tantum cachinnum repente edidit, ut machinis labefactis opifices diffugerint. Supervenitque illico quidam Caſſius quoque nomine, juſſum ſe ſomnio affirmans immolare taurum Jovi. [2] Capitolium Capuæ Idibus Martiis de cælo tactum eſt: item Romæ [3] cella Palatini atrienſis. Nec defuerunt qui conjectarent altero oſtento periculum a cuſtodibus [4] domino portendi: altero, cædem rurſus inſignem, [5] qualis eodem die facta quondam fuiſſet. Conſulenti quoque de genitura ſua, Sylla Mathematicus *certiſſimam necem appropinquare* affirmavit. Monuerunt & [6] ſortes Antiatinæ *ut a Caſſio caveret*. Qua cauſſa ille [7] Caſſium Longinum Aſiæ tum Proconſulem occidendum delegaverat, immemor Chæream Caſſium nominari. Pridie quam periret, ſomniavit conſiſtere ſe in cœlo juxta ſolium Jovis: impulſumque ab eo dextri pedis pollice, & in terras præcipitatum. Prodigiorum loco habita ſunt etiam quæ forte illo ipſo die paullo prius acciderant. Sacrificans reſperſus eſt [8] phœnicopteri ſanguine. Et [9] pantomimus Mneſter [10] tragœdiam ſaltavit, quam olim Neoptolemus tragœdus ludis, quibus Rex Macedonum [11] Philippus occiſus eſt, egerat. Et cum in [12] Laureolo mimo, in quo actor [13] propripiens ſe ruina ſanguinem vomuit, ut plures [14] ſecundarum certatim experimentum artis darent, cruore ſcena abundavit. Parabatur & in noctem ſpectaculum, quo [15] argumenta inferorum per Ægyptios & Æthiopes explicarentur.

Notæ.

1. *Olympia*] Supra ad cap. 22.

2. *Capitolium Capuæ*] Tib. cap. 40.

3. *Cella Palatini atrienſis*] Beroaldus & Sabellicus legebant *palatina*. Cella hæc adſtructa erat janitori pro foribus adſtanti, infra Vitellii cap. 16. Hanc *cellulam janitoris* appellat. Dicitur hic atrienſis ab atrio priore, ut ſplendidiſſima ædium parte.

4. *Domino*] Quod nempe janitoris cella fulmine icta fuiſſet.

5. *Qualis eodem die*] Julii ſcilicet Cæſaris. In Julio cap. 81.

6. *Sortes Antiatinæ*] Quæ erant Antii, ubi Templum eximium Fortunæ equeſtris; quemadmodum & Preneſtæ, Supra in Tiberio ad cap. 63. Alii legunt *Fortunæ Antiatinæ*.

7. *Caſſium Longinum*] Supra cap. 24.

8. *Phœnicopteri*] De hac ave ſupra ad cap. 23.

9. *Pantomimus Mneſter*] De pantomimis in Julio ad cap. 39. &c. De hoc Mneſtere ſupra cap. 36. & 55. Utrobique Beroaldus & vulgati ſcribunt *Marcus Neſtor*.

10. *Tragœdiam ſaltavit*] Tragœdia illa fuit *Cinyra*, in qua ipſe & ejus filia *Myrra* occidebantur, ut narrat Joſephus lib. 19. Antiquit. Jud. cap. 1. ubi hæc omnia fuſe & pulcre narrantur Tragœdiæ ergo ſaltantur & cantantur: cantant Tragœdi, ſaltant Hiſtriones, ſive pantomimi. Primum ſufficienter probaverit cap. 20 infra in Nerone: Alterum hic ipſe locus. Duo hæc diverſiſſimarum erant artium, ut patet ex ipſo Suetonio ſupra cap. 54 Ubi enim diverſiſſimas a Caligula excultas affirmavit; probat ex eo quod *Threx & auriga cantor idem atque ſaltator* eſſet; hoc eſt, Tragœdus & Hiſtrio; ſive, quod idem eſt, pantomimus: quem enim hîc ſaltatorem fuiſſe refert, eumdem cap. 55. pantomimum appellat, cum Hiſtrionem & Tragœdum cap. 54 aperte diſtinxiſſet. Cantare porro Tragœdiam, eſt canendo fabulam exprimere; ſaltare vero eſt

Digitized by Google

Ambrosii in Exhortatione ad virgines, quem Turnebus laudat: *Apophoreta vobis plena gratia & sanctitatis reservavi.* Nec repugnat Suetonius siquidem illis vasis conferre potuit vicies illud, hoc est 87500 lib.

12. *Incitato*] *Incitatus* equi nomen est, quemadmodum Antonini (de quo parem insaniam narrat Capitolinus) equo nomen erat *Volucer*) cui viventi statuam auream, mortuo sepulcrum erexit.

CAPUT LVI.

ITA bacchantem atque grassantem non defuit plerisque animus adoriri. Sed una alteraque conspiratione detecta, aliis per inopiam occasionis cunctantibus, duo consilium communicaverunt, perfeceruntque: non sine conscientia potentissimorum libertorum præfectorumque Prætorii: quod ipsi quoque, etsi falso, in quadam conjuratione, quasi participes nominati, suspectos tamen se & invisos sentiebant. Nam & statim [1] seductis magnam fecit invidiam, *districto gladio affirmans sponte se periturum, si & illis morte dignus videretur:* nec cessavit ex eo criminari alterum alteri, atque inter se omnes committere. Cum placuisset [2] Palatinis ludis spectaculo egressum [3] meridie aggredi, primas sibi partes Cassius Chærea Tribunus cohortis prætoriæ depoposcit: quem Caïus seniorem jam, ut mollem & effœminatum denotare omni probro consuêrat: & modo, [4] signum petenti, PRIAPUM aut VENEREM dare: modo, ex aliqua caussa agenti gratias, osculandam manum offerre, [5] formatam commotamque in obscœnum modum.

NOTÆ.

1. *Seductis*] In secretum abductis, ut alterum alteri suspectum redderet.

2. *Palatinis ludis*] Dio lib. 56. a Livia institutos refert in honorem Augusti, & in Palatio celebrandos.

3. *Meridie*] Qua hora solebant utplurimum prandendi caussa egredi: patet & ex Claud. cap. 34. Hinc equitis illius responsum: cum enim ad ipsum in spectaculis bibentem, misisset Augustus, qui diceret, *Ego si prandere volo, domum eo; Tu enim*, inquit, *non times ne locum perdas.* De quo Quintilianus lib. 6. cap. 3.

4. *Signum petenti*] Hoc est tesseram militarem, sive symbolum quomodo solent prætoriani illi Principis custodes, ut & in castris Tribuni, ab eo qui exercitui præest. Vocale erat & utplurimum nomen alicujus Dei aut Heroïs. Olim videtur fuisse inscriptum brevi ligno, unde nomen tesseræ. De quo legendus lib. 6. Polybius. De Chærea idem narrat & Seneca libro de Constantia, cap. 18. Ad quem locum Lipsius ait, Cum Venerem ei signum daret, ut fœminæ, Priapum ut qui virum quæreret. De eodem Josephus lib. 19. Antiquit. Jud. cap. 1.

5. *Formatam*] Super varias hujus loci lectiones, scilicet *camatam formatamque, forcatam commistamque.* Lipsius ad lib. 13. Annalium Taciti num. 6. emendare voluit *gammatam* a figura literæ γ, &c. Quod Torrentius ait esse libidinem intrudendi voces quæ nusquam auditæ, nusquam lectæ sunt, in Auctorem cætera tersum & elegantem, &c. Certe nil hîc innuitur aliud quam Sannæ quarta, ni fallor, species, de qua in Augusto ad cap. 42. ubi de Pylade.

Digitized by Google

CAPUT LVII.

FUTURÆ cædis multa prodigia exſtiterunt. [1] Olympiæ ſimulacrum Jovis, quod diſſolvi transferrique Romam placuerat, tantum cachinnum repente edidit, ut machinis labefactis opifices diffugerint. Supervenitque illico quidam Caſſius quoque nomine, juſſum ſe ſomnio affirmans immolare taurum Jovi. [2] Capitolium Capuæ Idibus Martiis de cælo tactum eſt: item Romæ [3] cella Palatini atrienſis. Nec defuerunt qui conjectarent altero oſtento periculum a cuſtodibus [4] domino portendi: altero, cædem rurſus inſignem, [5] qualis eodem die facta quondam fuiſſet. Conſulenti quoque de genitura ſua, Sylla Mathematicus *certiſſimam necem appropinquare* affirmavit. Monuerunt & [6] ſortes Antiatinæ *ut a Caſſio caveret*. Qua cauſſa ille [7] Caſſium Longinum Aſiæ tum Proconſulem occidendum delegaverat, immemor Chæream Caſſium nominari. Pridie quam periret, ſomniavit conſiſtere ſe in cœlo juxta ſolium Jovis: impulſumque ab eo dextri pedis pollice, & in terras præcipitatum. Prodigiorum loco habita ſunt etiam quæ forte illo ipſo die paullo prius acciderant. Sacrificans reſperſus eſt [8] phœnicopteri ſanguine. Et [9] pantomimus Mneſter [10] tragœdiam ſaltavit, quam olim Neoptolemus tragœdus ludis, quibus Rex Macedonum [11] Philippus occiſus eſt, egerat. Et cum in [12] Laureolo mimo, in quo actor [13] propipiens ſe ruina ſanguinem vomuit, ut plures [14] ſecundarum certatim experimentum artis darent, cruore ſcena abundavit. Parabatur & in noctem ſpectaculum, quo [15] argumenta inferorum per Ægyptios & Æthiopes explicarentur.

NOTÆ.

1. *Olympia*] Supra ad cap. 22.

2. *Capitolium Capuæ*] Tib. cap. 40.

3. *Cella Palatini atrienſis*] Beroaldus & Sabellicus legebant *palatina*. Cella hæc adſtructa erat janitori pro foribus adſtanti, infra Vitellii cap. 16. Hanc *cellulam janitoris* appellat. Dicitur hic atrienſis ab atrio priore, ut ſplendidiſſima ædium parte.

4. *Domino*] Quod nempe janitoris cella fulmine icta fuiſſet.

5. *Qualis eodem die*] Julii ſcilicet Cæſaris. In Julio cap. 81.

6. *Sortes Antiatinæ*] Quæ erant Antii, ubi Templum eximium Fortunæ equeſtris; quemadmodum & Preneſtæ, Supra in Tiberio ad cap. 63. Alii legunt *Fortunæ Antiatinæ*.

7. *Caſſium Longinum*] Supra cap. 24.

8. *Phœnicopteri*] De hac ave ſupra ad cap. 23.

9. *Pantomimus Mneſter*] De pantomimis in Julio ad cap. 39. &c. De hoc Mneſtere ſupra cap. 36. & 55. Utrobique Beroaldus & vulgati ſcribunt *Marcus Neſtor*.

10. *Tragœdiam ſaltavit*] Tragœdia illa fuit *Cinyra*, in qua ipſe & ejus filia *Myrra* occidebantur, ut narrat Joſephus lib. 19. Antiquit. Jud. cap. 1. ubi hæc omnia fuſe & pulcre narrantur Tragœdiæ ergo ſaltantur & cantantur: cantant Tragœdi, ſaltant Hiſtriones, ſive pantomimi. Primum ſufficienter probaverit cap. 20 infra in Nerone: Alterum hic ipſe locus. Duo hæc diverſiſſimarum erant artium, ut patet ex ipſo Suetonio ſupra cap. 54 Ubi enim diverſiſſimas a Caligula excultas affirmavit; probat ex eo quod *Threx & auriga cantor idem atque ſaltator* eſſet; hoc eſt, Tragœdus & Hiſtrio; ſive, quod idem eſt, pantomimus: quem enim hîc ſaltatorem fuiſſe refert, eumdem cap. 55. pantomimum appellat, cum Hiſtrionem & Tragœdum cap. 54 aperte diſtinxiſſet. Cantare porro Tragœdiam, eſt canendo fabulam exprimere; ſaltare vero eſt

Digitized by Google

ejusdem eventus saltando effingere. Quo forte modo intelligendus Suetonius in Nerone cap. 12. ubi de Pasiphaë.

11. *Philippus*] Alexandri pater, quem nuptias celebrantem & publico spectaculo indulgentem Pausanias interemit; quia illatam ab Attalo injuriam ulcisci contempserat.

12. *Laureolo*] Laureolus fuit quidam latronum dux qui in crucem actus est. Super quo fabula scripta est cui nomen *Laureolus*. Hujus meminit & Juven. Sat. 8. v. 187.

Laureolum velox etiam bene Lentulus egit.

& Martialis lib. Spectac. Epig. 7. &c.

13. *Proripiens se ruina*] Torrentius ex Rhenano legit *prorepens e ruina*: mallet tamen *proripiens se e ruina*. Sed præpositionum omissio huic Auctori familiaris, ut jam supra notatum. Inducebatur actor ille proripiens sese e fictitia illa ruina quam in fabula sua finxerat Auctor Laureoli, neenon & sanguinem vomens arte mimica, ut in Josephus ait allatum eo consilio.

14. *Secundarum*] Actor proprie ille est qui primas agit: qui vero nullam in fabula certam personam agunt, sed alios exprimentes imitatione sola spectatorem oblectant, ii hypocritæ seu secundarii ac tertiarii quoque dicti sunt, quemadmodum & a Græcis ὑποκριταὶ & ἐπιμελεῖς. Horatius Epist. 18. libro 1. de assentatore loquens vers. 18.

Sic iterat voces, sic verba cadentia tollit
Ut puerum credas sævo dictata magistro
Reddere, vel partes mimum tractare secundas.

Hic actor vomit sanguinem, secundarii certatim vomunt quoque sanguinem: illic dominus assentatoris loquitur; sic assentator repetit ejus voces, ut discipulus quæ dictavit magister; aut secundarius quæ dixit actor.

15. *Argumenta inferorum*] Hoc est, Fabulæ inferorum repræsentandæ. Ideo per Æthiopes & Ægyptios, quod scil. colore & vultu, tartarorum incolas melius referrent.

CAPUT LVIII.

A U.C. DCCXCIV.

NONO Kalendas Februarias, [1] hora quasi septima, cunctatus an ad prandium surgeret, marcente adhuc stomacho pridiani cibi onere, tandem [2] suadentibus amicis egressus est. Cum in [3] crypta, per quam transeundum erat, [4] pueri nobiles ex Asia ad edendas in scena operas evocati præpararentur, ut eos inspicetet hortareturque, restitit. Ac nisi princeps gregis [5] algere se diceret, redire ac repræsentare spectaculum voluit. Duplex dehinc fama est: [a] alii tradunt alloquenti pueros a tergo Chæream cervicem gladio cæsim graviter percussisse, præmissa voce: [6] *Hoc age*. Dehinc Cornelium Sabinum, alterum e conjuratis Tribunum, ex adverso trajecisse pectus: alii, Sabinum, submota per conscios centuriones turba, signum more militiæ petisse, & Caïo *Jovem* dante, Chæream exclamasse: [7] *Accipe ratum*: respicientique maxillam ictu discidisse. Jacentem, contractisque membris clamitantem se vivere, cæteri vulneribus triginta confecerunt. Nam signum erat omnium, *Repete*. Quidam etiam per obscœna ferrum adegerunt. Ad primum tumultum [8] lecticarii cum asseribus in auxilium accurrerunt: mox Germani corporis [9] custodes: ac nonnullos ex percussoribus, quosdam etiam Senatores innoxios, interemerunt.

INTERPRETATIO.

a *Alii dicunt Chæream ense cæsim a tergo percussisse cervicem illi alloquenti pueros.*

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Hora quasi*] Casaubonus in suis MSS. legebat *hora fere*, ut & Torrentii libri duo. Hoc est, hora a meridie prima, circiter.

2. *Suadentibus amicis*] Asprenate præsertim conjurationis conscio: verebatur enim ne non exiret, atque Chæream cum suis expectantem frustraret. Auctor est Josephus lib. 19. Antiquit. cap. 1. ubi hæc cum omnibus circumstantiis fusius & paulo aliter enarrat.

3. *Crypta*] Qualem verosimiliter cryptoporticum appellat Plinius lib. 2. Epist. 17. Locus est parietibus undique septus, quasi antrum quoddam quod suo frigore per æstatem oblectaret.

4. *Pueri nobiles*] Quales ex Asia & ex Bithynia pyrrhicam saltarunt Cæsaris ludis, in Julio cap. 39.

5. *Algere*] Utpote qui mense Januario staret in loco suapte natura frigidissimo, qualem fuisse crypto porticum facile conjicias. Repræsentare autem intellige, sine mora exhibere: quo sensu *repræsentare legata*, infra Claud. cap. 18. & supra

6. *Hoc age*] Plutarchus in Coriolano scribit hanc vocem usurpatam in sacris a præcone, ut nempe attentos ad sacrificium animos præbentes, aliud nil agant: unde in proverbium ad alias quoque res abiisse videtur. Adhuc infra in Galba.

7. *Accipe ratum*] Vel ab exemplo gladiatorum tractum est; hi enim inferendo ictu, his verbis opportunum ominantur: vel supple *signum*, ut sit sensus, *Accipe ratum* & firmum illud signum quod tu das ad vulnus simul alludendo: sive demum, *Accipe ratum*; votum tuum scilicet: cum enim deorum nomina dabant pro tessera illa seu signo militari, de quo paulo supra ad cap. 56. ea mente faciebant ut eos haberent propitios: quo sensu Chæreas dixerit, Accipe voti tui confirmationem, & habe hoc modo Jovem faventem. Lipsius ad lib. 13. Annal. Taciti num. 6. emendabat *iratum*; quod Torrentio non placuit, quamquam ferri potest.

8. *Lecticarii*] Servi qui lecticam vulgo bajulabant; qui utplurimum Syri, Liburni, Germani, Britanni, &c. Juvenalis Sat. 3. vers. 240.

turba cedente vehetur
Dives & ingenti curret super ora Liburno.

Catullus Epig. 10. &c. asseres hic intellige ligna quibus in bajulanda lectica utebantur. Juvenalis ibid. de iisdem:

Ferit hic cubito, ferit assere duro, &c.

9. *Custodes*] De lecticariis silet Josephus, de custodibus confirmat. Videsis supra ad cap. 45. & Aug. cap. 49. &c.

CAPUT LIX.

VIXIT annis XXIX. imperavit triennio & X. mensibus, diebusque VIII. Cadaver ejus clam in hortos [1] Lamianos asportatum, & tumultuario rogo [2] semiambustum levi cespite obrutum est; postea per sorores ab exsilio reversas erutum, crematum, sepultumque. Satis con-
§ stat, prius quam id fieret, hortorum custodes [3] umbris inquietatos; in ea quoque domo in qua occubuerit, nullam noctem sine aliquo terrore transactam, donec ipsa domus incendio consumpta sit. Periit una & uxor Cæsonia, gladio a centurione confossa; & [4] filia parieti illisa.

NOTÆ.

1. *Lamianos*] Lamiæ gentis quæ clara & illustris apud Romanos meminit adhuc in Domitiano cap. 1. & 10. & Horatius ode 17. lib. 3. & Epist. 14. lib. 1. vers. 6.

2. *Semiambustum*] Quod quam infame foret, supra notatum est in Tib. ad cap. 75.

3. *Umbris*] Hæ sunt quæ Apuleio dicuntur *larvæ*, quæ nempe placido & quieto numine domum non possiderent. Vide supra ad cap. 5.

4. *Filia*] Supra cap. 25.

Digitized by Google

CAPUT LX.

CONDITIONEM temporum illorum etiam per hæc existimare quivis possit. Nam neque cæde vulgata statim creditum est. Fuitque suspicio, ab ipso Caïo famam cædis simulatam & emissam; ut eo pacto erga se hominum mentes deprehenderet. Neque conjurati cuiquam imperium destinaverunt. Et Senatus in asserenda libertate adeo consensit, ut Coss. primo non in curiam, quia Julia vocabatur, sed in Capitolium convocarent. Quidam vero sententiæ loco abolendam Cæsarum memoriam ac diruenda Templa censuerunt. Observatum autem notatumque est in primis, Cæsares omnes, quibus Caii prænomen fuit, ferro periisse, jam inde ab eo qui [1] Cinnanis temporibus sit occisus.

NOTÆ.

1. *Cinnanis temporibus*] Quo tempore Cinna & Marius victores tot lumina Romanæ gentis extinxerunt. Hujus Caii meminit & Cicero lib. de Oratore, ut Oratoris præstantissimi quem mire laudat. In Julio ad cap. 1. ex Plinii lib. 7. cap. 53. notatum est Julii Cæsaris patrem repente exanimatum nulla causa cognita: & Caïus Cæsar Agrippæ filius quem Augustus una cum fratre adoptavit, modo quidem suspecto periit, sed non ferro, ut constare potest ex cap. 65. Augusti, aliisque multis locis. Unde mirum est hîc Suetonium affirmare Caïos omnes ferro periisse.

Digitized by Google

C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CÆSARIBVS.

LIBER V.

TIB. CLAUDIUS DRUSUS CÆSAR.

CAPUT I.

[a] ATREM Claudii Cæſaris Druſum olim Decimum, mox [c] Neronem prænomine, Livia, cum Auguſto gravida [2] nupſiſſet, intra menſem tertium peperit: fuitque ſuſpicio, ex [3] vitrico per adulterij conſuetudinem procreatum. Statim certe vulgatus eſt verſus: [b] Τοῖς δίπαχυσι γὰρ τρέφεται παιδία. Is Druſus in [4] Quæſturæ Præturæque honore, dux [5] Rhætici, deinde Germanici belli, [6] Oceanum Septentrionalem primus Romanorum ducum navigavit: tranſque Rhenum [7] foſſas novi & immenſi operis effecit, quæ nunc adhuc [8] DRUSINÆ vocantur. Hoſtem etiam frequenter cæſum, ac penitus in intimas ſolitudines actum, non prius deſtitit inſequi, quam ſpecies [9] barbaræ mulieris humana amplior, victorem tendere ultra ſermone Latino prohibuiſſet. Quas ob res [10] ovandi jus, & triumphalia ornamenta percepit; ac poſt Prætu-ram confeſtim inito Conſulatu, atque expeditione repetita, ſupremum diem morbo obiit, in [11] æſtivis caſtris, quæ ex eo [12] *Scelerata* ſunt appellata. Corpus ejus per municipiorum coloniarumque [13] primores, ſuſcipientibus obviis [14] ſcribarum decuriis, ad [15] urbem devectum, ſepultum eſt in [16] Martio Campo. Cæterum exercitus [17] honorarium ei tumulum excitavit: circa quem deinceps ſtato die quotannis miles [18] decurreret, Galliarumque civitates publice ſupplicarent. Præterea Senatus inter alia complura, marmoreum [19] arcum cum tropæis via Appia decrevit, & [20] Germanici cognomen ipſi poſteriſque ejus. Fuiſſe autem creditur non minus glorioſi quam [21] civilis animi. Nam ex hoſte

A. U. C. DCCXIV.

Digitized by Google

super victorias, [12] opima quoque spolia captasse, summoque sæpius discrimine duces Germanorum tota acie insectatus: nec dissimulasse umquam pristinum se Reipublicæ statum quandoque [13] restituturum, si posset. Unde existimo nonnullos tradere ausos, suspectum eum Augusto, revocatumque ex provincia: & quia cunctaretur, interceptum veneno. Quod equidem magis, ne prætermitterem, retuli, quam quia verum aut verisimile putem: cum Augustus tantopere & vivum dilexerit, ut coheredem semper filiis instituerit, sicut quondam in Senatu professus est; & defunctum ita pro concione laudaverit, ut Deos precatus sit, *Similes ei* [14] *Cæsares suos facerent; sibique tam honestum quandoque exitum darent, quam illi dedissent.* Nec contentus [15] elogium tumulo ejus versibus a se compositis insculpsisse, etiam vitæ [16] memoriam prosa oratione composuit. Ex [17] Antonia minore complures quidem liberos tulit: verum tres omnino reliquit, [18] Germanicum, [19] Livillam, Claudium.

Interpretatio.

a *Cum Livia pregnans nupsisset Augusto, genuit tertio mense Claudii Cæsaris patrem, cui quondam prænomen Decimus, & Ratim Nero:* b. *Prospere agentibus, & liberi trimestres* nascuntur.

Notæ.

Casaubonus in Vitterbiensi codice mutato cognomine legit hunc libri titulum, Tib Claud. Nero. Quod & Dioni consentit.

1. *Neronem prænomine*] Confirmant nummi in quibus legitur *Neroni Claud. Druso Germanico Cos. desig.* &c. Tiberio autem fratri ejus natu majori Nero cognomen fuit, supra in Tiberio ad cap. 4. ubi & de nominibus ad cap. 1.

2. *Nupsisset*] Supra Aug. cap. 62. &c. & Tib. cap. 4.

3. *Vitrico*] Augusto. Vitricus mihi est matris meæ maritus.

4. *Quæstura Prætuaque*] De his Magistratibus in Julio ad cap. 6. & 14.

5. *Rhœtici*] Supra Tib. cap. 9. & Aug. cap. 21. Horatius Ode 4. lib. 4.

Videre Rhœti bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici.

6. *Oceanum*] Cluverius lib. 1. Introd. cap. 1. Germaniæ attribuit quidquid terrarum Oceano Septemtrionali & Moscoviæ confiniis ambitur: unde nihil definiunt qui Oceanum hîc Septemtrionalem pro Germanico explicant, nec qua parte ejus navigarit facile definiri potest, cum & eamdem gloriam Tiberio conferat Velleius libro 2. cap. 106. ubi classem Albi subvectam refert, sed adulatorie magis quam vere.

7. *Fossas*] Ejusmodi operibus otii & corporis metu milites occupatos detinebant. Hinc & in Gallia Narbonensi fossa Mariana quam ex Rhodano Marius deduxit, hodie prope urbem *Aigues-mortes*: hinc in illis quoque regionibus quarum hîc mentio, Fossa Corbulonis quam hodie *le Lecht* prope Lugdunum Batavorum, quod tamen utrumque non convenit inter omnes. Casaubonus in Vitterbiensi codice legit *magna vi & immensi operis.* Utut est, rem auget verbis Suetonius; nec enim ultra duo vel tria milliaria protenditur.

8. *Drusina*] Quibus Rheni pars in Isalam fluvium deducta ab Arnhemo Drusoburgum usque, quod vulgo *Doësburg*, a conditore Druso dictum autumant. Omnem illum tractum quo Hollandia & dominium Ultrajectense continentur, ex peninsula fecit insulam. Quo autem consilio non videre se fatentur etiam indigenæ; qui non utilitate modo nulla, sed ipsius Provinciæ damno factum contendunt.

9. *Barbara mulieris*] Retulit & Dio lib. 55. Ubi tamen latine locutam, haud notavit. Videntur quidam Hadriani nummi cum inscriptione *Germania* quos Torrentius huic speciei similes existimavit.

10. *Ovandi*

Digitized by Google

10. *Ovandi*] De ovatione in Tiberio ad cap. 1. De ornamentis triumphalibus, Aug. ad cap. 38. & Tib. cap. 9. &c.

11. *Æstivis*] Castra sunt in quibus milites per æstatis ardorem continebantur. Æstiva quoque dicuntur loca in quibus greges æstum diei transigebant. Virgilius 3. Georgic.

nec singula morbi
Corpora corripiunt, sed tota æstiva repente, &c.

Hæc Drusi æstiva inter fluvios Salam & Rhenum fuisse auctor est Strabo lib. 7.

12. *Scelerata*] Sic etiam nuncuparunt alia loca, scelere vel calamitate quadam insignia, ut vicus ille Romanus in quo Tullia carpentum suum agi jussit per cadaver patris Servii Tullii, Sceleratus dictus est. Sic & campus in quo Vestales defodiebantur, & porta qua profecti sunt 300 illi Fabii quos ad Cremeram uno die cæsos memorat Livius Epitome Liviana Drusi mortem paulo aliter narrat lib. 140. *Bellum adversus Germanorum trans Rhenum civitates a Druso gestum refertur, ipse ex fractura equo super crus ejus collapso trigesimo die quam id acciderat, mortuus est.*

13. *Primores*] Hos decuriones appellavit, Aug. cap. 100. De coloniis in Julio ad cap. 8. De municipiis ibid. ad cap. 14. nonnulla notata sunt.

14. *Scribarum decuriis*] Horum tanta multitudo Romæ fuit, ut equitum instar describerentur in decurias, ordinemque equestri proximum constituerent: quod persuaserit amplitudo Reipublicæ Romanæ, & proinde negotiorum copia. Hi publicis rationibus exscribendis incumbebant, quorum ordinem quamvis honestum dixerit Cicero Verrina quinta, ea tamen apud Romanos dignatione non fuit, qua apud Græcos; hi enim ad illud officium neminem admittebant nisi & fide cognita, & honesto loco natum, quamquam de Regum præsertim scribis intelligendi sunt, quos consiliorum participes omnium esse oporteret, ut testatur Cornelius Nepos in Eumene; eum e contra apud Romanos quandoque & libertorum numero, ut patet ex Horatio lib. 1 Sat. 5. vers. 66. & Quæstoribus aliisque Magistratibus apparerent, eorumque rationes ac monimenta describerent.

15. *Ad urbem*] Notat Casaubonus præpositionem *ad* sumi hîc pro *in*; non enim modo ad urbem, sed & urbi illatum colligit ex eo quod Tiberius funebrem ejus orationem pro rostris de more peregerit, &c. Quem igitur admodum Equites Romani Augusti corpus, in Augusto cap. 100. ita & scribæ Drusi corpus a decurionibus exceptum in urbem detulerunt, Tiberio per totum iter prægrediente pedibus, ut supra in Tiberio cap. 7.

16. *Campo Martio*] In Julii tumulo Epitome Liviana 140.

17. *Honorarium*] Honoris caussa excitatum, non usus, quale vocabant Cenotaphium, hoc est vacuum sepulcrum; quod & imaginarium ab imagine defuncti quæ non secus ac si corpus ipsum adfuisset, honorabatur pompa funebri. Virgilio inanis tumulus dicitur lib. 3. Æneid.

manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum viridi quem cespite inanem,
Et geminas caussam lacrymis sacraverat aras.

18. *Decurreret*] Milites decurrere dicebantur cum armis accincti, ordinem servantes pleno passu incedebant, aut currebant. Hinc Turnebus lib. 5. cap. 8. factum refert ut in funeribus clarorum virorum milites suis armis instructi, & tanquam in procinctu ludicra quadam exercitatione decurrerent. Hoc & Tacitus innuit Annal. 2. ubi Germanicum decurrisse refert ad aram patri suo extructam, & de Patrocli funere apud Homerum, & de Pallantis apud Virgilium lib. 12. Æneid. patet:

Ter circum accensos cinctis fulgentibus armis
Decurrere rogos.

19. *Ut am*] Cui superposita equestris statua inter tropæa cum inscriptione, *Nero Claudius Drusus Germanicus*, qualis videtur expressa in nummis.

20. *Germanici cognomen*] Florus lib. 4. *Druso, quod numquam alteri, Senatus ex Provincia nomen dedit.*

21. *Civilis animi*] Intellige de civilitate eodem sensu quo in Augusto ad cap. 51. & Julio cap. 75. &c.

22. *Opima spolia*] Ea sunt quæ dux Romanus hostium duci detracta refert in Capitolium Jovi Feretrio consecranda, instituto Romuli.

23. *Restituturum*] Qua de re etiam cum Tiberio fratre literis egerat, quas ipse Ti-

Digitized by Google

berius Augusto prodidit, ut supra in Tiberio cap. 50. retulit.

24. *Cæsares suos*] Nepotes ex filia & Agrippa quos adoptarat; de quibus supra sæpe.

25. *Elogium*] Supra Calig cap. 24. & 27.

26. *Memoriam*] Commentarium sive librum diarium rerum ab eo gestarum. Hinc *servus a memoria*, qui describendo illi diario invigilabat.

27. *Antonia*]. Calig. cap. 1. &c.

28. *Germanicum*] Caligulæ patrem.

29. *Liviliam*] Quæ Druso Tiberii filio nupsit, de qua Tib. cap. 62. &c.

CAPUT II.

CLAUDIUS natus est, [1] Julio Antonio, Fabio Africano Coss. Kalend. Augustis, [2] Lugduni, eo ipso die quo primum [3] ara ibi Augusto dedicata est: appellatusque Tiberius Claudius Drusus. Mox [4] fratre majore in Juliam familiam adoptato, Germanici cognomen assumsit. Infans autem relictus a patre, ac per omne fere pueritiæ atque adolescentiæ tempus, variis & tenacibus morbis conflictatus est: adeo ut animo simul & corpore hebetato, ne progressa quidem ætate, ulli publico privatove muneri habilis existimaretur. Diu, atque etiam [5] post tutelam receptam, alieni arbitrii, & sub pædagogo fuit: quem *Barbarum & olim* [6] *superjumentarium, ex industria sibi appositum, ut se quibuscumque de caussis quam saviissime coërceret*, ipse quodam libello conqueritur. Ob hanc eandem valitudinem & gladiatorio munere, quod simul cum fratre memoriæ patris edebat, [7] palliolatus novo more præsedit; & [8] togæ virilis die, circa mediam noctem, sine solenni officio lectica in Capitolium latus est.

Notæ.

1. *Julio*] Torrentius legit *Julo* qui Triumviri filius fuit, de quo plura Velleius lib. 2. cap. 100. & Dio lib. 55. Huic *Africani* cognomen, non Fabio alii tribuunt; alii Fabio asserunt, & Manliis quoque id cognominis fuisse contendunt.

2. *Lugduni*] Alii *Lugudnni* habent, quomodo & in marmoribus & numismatis.

3. *Ara*] De qua supra ad cap. 20. Caligulæ.

4. *Fratre majore*] Germanico patre Caligulæ, quem & Tiberius adoptarat, Tib. cap. 15. Adoptatus ipse ab Augusto, Aug. cap. 65.

5. *Post tutelam receptam*] Finito eo tempore quo sub tutoribus ipsum esse per Leges oportuerat, quod pubertatis annis definiebatur, quam ut adepti efficiebantur, sui juris & in suam ipsi tutelam veniebant, sive quod idem est suam recipiebant tutelam; quomodo locutus est Suetonius, juxta Jurisconsultorum Formulas.

6. *Superjumentarium*] Hoc est, iis præpositum qui jumenta curabant, quemadmodum *supra velarios & superstitionarius*. Hæc enim præpositio officii munus indicat, ut probavit lapidum auctoritate Casaubonus, quos vide in calce operis.

7. *Palliolatus*] Palliolum, pileus, pileolus, cucullus, galerus, capitis fuere tegmina non multum inter se discrepantia, unde a plerisque confundi notat Salmasius. Quod autem novo more dixit, innuere videtur morem tegendi capitis, de quo jam quædam notata in Julio ad cap. 45. &c. De consuetudine gladiatorum in memoriam patris edendorum, supra jam in Tiberio ad cap. 7. &c.

8. *Togæ virilis die*] Ut supra de Calig. cap. 10. De ceremoniis & solennni, in Aug. ad 8. & 38. &c.

Digitized by Google

CAPUT III.

DISCIPLINIS tamen liberalibus ab ætate prima non mediocrem operam dedit, ac sæpe experimenta cujusque etiam publicavit. Verum ne sic quidem quidquam dignitatis assequi, aut spem de se commodiorem in posterum facere potuit. Mater Antonia *portentum eum hominis* dictitabat, *nec absolutum a natura, sed tantum inchoatum*: ac si quem socordiæ argueret, *stultiorem* aiebat *filio suo Claudio*. Avia Augusta pro despectissimo semper habuit: non affari, nisi rarissime: non monere, nisi acerbo & brevi scripto, aut per internuncios, solita. Soror Livilla, cum audisset quandoque imperaturum, tam iniquam & tam indignam sortem Pop. Rom. palam & clare detestata est. Nam & [1] avunculus major Augustus, quid de eo in utramque partem opinatus sit, quo certius cognoscatur, capita ex ipsius [2] epistolis posui:

NOTÆ.

1. *Avunculus major*] Octavia Augusti soror Claudii avia fuit, utpote mater Antoniæ de qua Calig. cap. 1. &c.

2. *Epistolis*] De eorum genere, in Aug. ad cap. 86.

CAPUT IV.

COLLOCUTUS sum cum Tiberio, ut mandasti, mea Livia, quid nepoti tuo Tiberio faciendum esset [1] *ludis Martialibus. Consentit autem uterque nostrûm, semel esse nobis statuendum, quod consilium in illo sequamur. Nam si est* [2] ἄρτιος, *ut ita dicam* εὐόκλητος, *quid est quod dubitemus, quin per eosdem articulos & gradus producendus sit per quos frater ejus productus fuit? Sin autem* πλατίζοντας *sentimus eum* [a] καὶ βεβλαφθαι, καὶ εἰς τὸν τοῦ σώματος καὶ εἰς τὸν τῆς ψυχῆς ἀπότυπον, *prabenda materia deridendi & illum & nos non est hominibus,* [b] ὃ τοιοῦτον ζωάρτιον καὶ μυκτηρίζειν εἰωθότων. *Nam semper æstuabimus, si de singulis articulis temporum deliberabimus,* ὡς αὐτοκράτορι πᾶν *posse eum gerere honores arbitremur nec ne. In præsentia tamen quibus de rebus consulis?* [3] *curare eum ludis Martialibus triclinium Sacerdotum, non displicet nobis, si est passurus se ab* [4] *Silani filio, homine sibi affini, admoneri, ne quid faciat quod conspici & derideri possit. Spectare eum Circenses ex* [5] *pulvinari non placet nobis. Expositus enim in prima fronte spectaculorum conspicietur. In Albanum montem ire eum non placet nobis, aut esse Roma* [6] *Latinarum diebus. Cur enim non* [7] *præficitur urbi, si potest fratrem suum sequi in montem? Habes nostras, mea Livia, sententias, quibus placet semel de tota re aliquid constitui; ne semper inter spem & metum fluctuemus. Licebit autem, si voles, Antoniæ quoque nostra des hanc partem epistolæ hujus legendam.* Rursus aliis literis: *Tiberium adolescentem ego vero, dum tu aberis, quotidie invitabo ad cœnam, ne solus cœnet cum suo* [8] *Sulpicio & Athenodoro; qui vellem diligentius, & minus* μισυάρως, *deligeret sibi aliquem, cujus motum & habitum & incessum imitaretur miscellus:*

c Αυχεῖ πάνυ ἐν τοῖς Ομηρικοῖς λίαν.

Vbi non aberravit ejus animus, satis apparet d *ἀ πῆς ψυχῆς αὐτοῦ ἀμφίβολα.* Item tertiis literis: *Tiberium nepotem tuum placere mihi declamantem potuisse, peream, nisi, mea Livia, admiror. Nam qui tam ἀσαφῶς loquatur,* 8 *qui possit, cum declamat, σαφῶς dicere quæ dicenda sunt, non video.* Nec dubium est quin post hæc Augustus [9] constituerit, & reliquerit eum nullo præter [10] auguralis Sacerdotii honore impertitum: ac ne heredem quidem, nisi inter [11] tertios, ac pene extraneos, e parte sexta, nuncuparit; legatoque non amplius [12] octingentorum sestertiorum prosecu-
80 tus.

Interpretatio.

a *Malæaffectum esse circa corporis & animi integritatem.*

b *Qui talia solent deridere & scemmatis efficere.*

c *Prorsus enim infœliciter cum studiosis versatur.*

d *Ipsius anima præclara indoles. Stolide. Obscure. Dilucide.*

Nota.

1. *Ludis Martialibus*] Vel qui celebrati sunt in dedicatione Templi, quod illi Deo extruxit Augustus, ut in ejus vita cap. 29. vel qui etiam Saliares appellati quot annis in Circo celebrabantur.

2. *ὑρηῶς*] Hoc est *integer*: ὁλόκληρος vero *ex omni parte perfectus*. Sensus igitur est, Si Claudius ille tuus nepos corpore pariter & animo valet, dubium non est quin ad honores evehendus sit. *ἠλαττῶσθαι*, hoc est *minus*. Quo sensu Tacitus imminutam ejus mentem dixit; *μὴ προυπαμβλύνῃ ἡμῖν*; *non præsuppposito nobis*; hoc est, nisi semel nobis constiterit, nisi præsupposuerimus & constituerimus utrum arbitremur eum posse vel non posse ad honores promoveri.

3. *Curare triclinium*] De triclinio in Julio ad cap. 43. Curare autem triclinium is dicitur, cui curæ est, ut omnia in convivio bene apparentur. Sacerdotes illi de quibus hîc agitur, videntur esse de quorum cœna infra cap. 33.

4. *Stlani*] Vide supra in Caligula cap. 12. & 23.

5. *Pulvinari*] Loco maxime conspicuo. In Aug. ad cap. 43.

6. *Latinarum*] Quid illæ feriæ, in Julio ad cap. 79.

7. *Præficitur urbi*] Absentibus Latinarum causa Consulibus, Præfectus Urbi creabatur, qui tunc temporis unus vulgo fuit ex iis qui summo loco nati. Sensus est igitur, Claudium, si salvo honore & pudore suo posset comitari fratrem suum Germanicum in montem Albanum ad sacra Latina, debuisse potius præfici urbi: quod tamen facere non audebant, ne in tanto honore ineptiret.

8. *Sulpitio & Athenodoro*] Qui videntur fuisse ejus contubernales, sordidi forte de quibus capite sequenti; aut potius literati quidam viri: quod videtur indicare versus Græcus.

9. *Constituerit*] Hoc est, post cognita tot signa imbecillitatis certum tandem inierit consilium quod in Claudio sequeretur, ut initio hujus capitis statuendum dixerat.

10. *Auguralis Sacerdotii*] Quomodo & Caligula. Calig. cap. 12.

11. *Tertios ac pene extraneos*] Aug. cap. ult. Quid primi quidve secundi heredes, ad cap. 83. in Julio: *Cæteri qui Testatoris juri subjecti non sunt, extranei appellantur. Itaque liberi quoque nostri qui in potestate nostra non sunt, heredes a nobis instituti, extranei heredes videntur.* Institutionibus § *Cæteri de hered qualit. & differ.*

12. *Octingentorum sestertiorum*] Hîc videntur intelligenda sestertia, non sestertii: quo posito, summa fuerit 35000 lib. Sin minus 35 lib. Singula enim sestertia mille sestertios valent, ut in Julio ad cap. 4. & 26. notatum est; quæ mira foret legati vilitas, & ludibrii potius quam honoris causa.

Digitized by Google

CAPUT V.

TIBERIUS [1] patruus petenti honores consularia [2] ornamenta detulit. Sed instantius legitimos flagitanti, id solum [3] codicillis rescripsit, [4] *Quadraginta aureos in Saturnalia &* [5] *Sigillaria misisse ei.* Tunc demum abjecta spe dignitatis, ad otium concessit, modo in hortis & [6] suburbana domo, modo in Campaniæ secessu delitescens; atque ex contubernio sordidissimorum hominum super veterem segnitiæ notam, ebrietatis quoque & aleæ infamiam subiit.

NOTÆ.

1. *Patruus*] Drusi patris frater, cap. 1.
2. *Ornamenta*] Quales sunt lictores aliaque de quibus in Julio ad cap. 76.
3. *Codicillis*] Tib ad cap. 51. &c.
4. *Quadraginta aureos*] 175 lib. Quanti sit aureus, infra Oth. ad cap. 4.
5. *Sigillaria*] De Saturnalibus & munetibus tunc mitti solitis, in Augusto ad cap. 71. Sigillaria fuere gemini dies Saturnalibus additi ad producendam festivitatem. Ipsa quoque munuscula sic appellata sunt, ut patet ex Senec. Epist. 12. *Ego sum Felicio cui solebas sigillaria afferre.* Et vicus ipse ubi ea væniebant, *Sigillaria* aut *ad Sigillaria* dictus, ut ex Gellio lib. 2. cap 3. *ostendisse mihi librum Æneidos secundum emptum in Sigillariis.* Et infra cap. 16. & Ner. cap. 28. Sigilla sunt parva signa seu simulacra quæ suis in ædiculis collocabant, quasi parietum ornamenta. Juven.

Si quis in ædicula deus unicus.

Hæc ab initio fictilia, deinde plumbea & aurea fieri & mitti solita muneris loco, & pueris maxime, unde scomma in Claudium. Saturnalitia & Sigillaritia a Spartiano dicta sunt hæc munera.

6. *Suburbano*] Quid suburbanum, Tib. cap. 11. &c.

CAPUT VI.

CUM interim, quamquam hoc modo agenti, nunquam aut officium hominum, aut reverentia publica defuit. Equester ordo bis patronum eum perferendæ pro se legationis elegit: semel cum deportandum Romam [1] corpus Augusti humeris suis a Coss. exposceretur: iterum cum oppressum [2] Sejanum apud eosdem gratularetur. Quin & spectaculis advenienti assurgere, & [3] lacernas deponere solebat. Senatus quoque, ut ad numerum [4] sodalium Augustalium sorte ductorum extra ordinem adjiceretur, censuit: & mox ut domus ei, quam incendio amiserat, publica impensa restitueretur, dicendæque inter [5] consulares sententiæ jus esset. Quod decretum abolitum est, excusante Tiberio imbecillitatem ejus, ac damnum liberalitate sua resarturum pollicente. Qui tamen moriens, & in tertiis heredibus eum ex parte tertia nuncupatum, legato etiam circa [6] sestertium vicies prosecutus, commendavit insuper exercitibus, Senatui populoque Romano inter cæteras [7] necessitudines nominatim.

NOTÆ.

1. *Corpus Augusti*] In Augusto cap. 101.
2. *Sejanum*] In Tiberio ad cap. 55.
3. *Lacernas deponere*] Harum usus ab Augusto prohibitus fuerat, ut in ejus vita cap. 40. Sub aliis tamen Imperatoribus vix obtinuit, & toga paulatim in desuetudinem abiit: primo enim sumebatur tantum ad salutationes officiaque ejusmodi, ac tandem

Digitized by Google

non nisi in judicando aut perorando. Hujus loco lacernis utebantur, quas Claudii tempore introeuntibus principibus viris honoris caussa depositas, ita & deos oraturi penulas exuebant, quæ ferme eædem ac lacernæ.

4. *Sodalium Augustalium*] Ii sunt Sacerdotes quos Tiberius Juliæ genti sacraverat ad exemplum Romuli: Horum meminit & Tacitus lib. 1. Annal. *Idem annus* (qui 767. ab U. C.) *novas ceremonias accepit, addito sodalium Augustalium Sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat, sorte ductis e primoribus civitatis unus & viginti.* De quo iterum lib. 2. ubi non nihil a se differre videtur.

5. *Consulares*] De ordine rogandi sententias, in Julio ad cap. 21.

6. *Sestertium vicies*] 875 00 lib. Vulgati legebant *sesterria*, quod Casaubonus ex suis MSS. emendavit, in quibus etiam *circiter* legit.

7. *Necessitudines*] Amicos & necessarios. Videsis in Augusto ad cap. 17.

CAPUT VII.

SUB Caïo demum fratris filio [1] secundam existimationem circa initia imperii omnibus lenociniis colligente, honores auspicatus, consulatum gessit una per duos menses: evenitque ut primitus ingredienti cum fascibus Forum, prætervolans [2] aquila [3] dexteriore humero consideret. Sortitus est & de altero consulatu in [4] quartum annum, præseditque nonnumquam spectaculis in [5] Caii vicem, acclamante populo, [6] *Feliciter*, partim *patruo Imperatoris*, partim *Germanici fratri*.

NOTÆ.

1. *Secundam existimationem*] Caligula blanditiis omnibus benignitatis famam aucupans, patruum suum Claudium Consulem secum fecit, ut supra Calig. cap. 15.

2. *Aquila*] Quæ imperii aut magnarum rerum auspicium erat, ut & Tarquinii exemplo aliorumque colligere est, & narrat Seneca lib. 2. Quæst. Natur.

3. *Dexteriore*] Quod signum erat fausti & rati auspicii. Omnes aves ab eadem parte ratum non faciebant auspicium, ut patet ex Cicerone 2. de Divinatione, *Cur a dextra corvus, cornix a sinistra faciat ratum*, &c.

4. *In quartum annum*] More majorum non poterat obtineri Consulatus alter, nisi decennio post primum. Torrentius existimat sortitionem hanc fuisse inventum aliquod Caligulæ quo Consules sorriebatur in tempus futurum, quo forte pacto equum suum destinarat.

5. *In Caii vicem*] Supra in Calig. cap. 18.

6. *Feliciter*] Hæ sunt populi acclamationes, quales supra Calig cap. 15. Aug. c. 58. Domit. cap. 13. quod & in sponsalibus fiebat. Juven. Sat. 2. v. 119.

Signata tabula, dictum feliciter, &c.

CAPUT VIII.

NEc eo minus contumeliis obnoxius vixit. Nam & si paullo serius ad prædictam cœnæ horam occurrisset, non nisi ægre, & circuito demum triclinio reciplebatur. Et quoties post cibum addormisceret, quod ei fere accidebat, [1] olearum ac palmularum ossibus incessebatur; interdum [2] ferula flagrove, velut per ludum, excitabatur a [3] copreis. Solebant & manibus stertentis [4] socci induci, ut repente expergefactus faciem sibi confricaret.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Olearum palmularumque offibus*] Columella lib. 12. cap. 49. olearum ossa *nuleos* appellat; palmarum vero *lignum*, Plinius lib. 15. cap. 28.

2. *Ferula*] Supra in Calig. cap. 10.

3. *Copreis*] Torrentius hîc constanter retinuit *capreis* eodem sensu quo supra in Tiberio cap. 61. Beroaldus & Sabellicus legunt *tropais* quasi a τρεπω, quod illusores isti subito sese averterent. Casaubonus cui accedit Turnebus lib. 22. cap. 31. *Copreis*. Vide ad dictum Tiberii locum.

4. *Solei*] De hoc calceamenti genere in Calig. ad cap. 52.

CAPUT IX.

SED ne discriminibus quidem caruit: primum in ipso Consulatu, quod [1] Neronis & Drusi, fratrum Cæsaris, statuas segnius locandas ponendasque curasset, pene honore submotus est: deinde extraneo vel etiam [2] domesticorum aliquo deferente, assidue varieque inquisitatus. Cum vero detecta esset [3] Lepidi & Gætulici conjuratio, missus [4] in Germaniam inter legatos ad gnatulandum, etiam vitæ periculum adiit: indignante ac fremente Caio, [5] patruum potissimum ad se missum, quasi ad puerum regendum: adeo ut non defuerint qui traderent, præcipitatum quoque in flumen, sicut vestitus advenerat. Atque ex eo numquam non in Senatu novissimus consularium sententiam dixit, ignominiæ caussa post omnes interrogatus. Etiam cognitio falsi Testamenti recepta est, in quo & ipse signaverat. Postremo etiam [6] sestertiûm octogies pro introitu novi [7] Sacerdotii coactus impendere, ad eas rei familiaris angustias decidit, ut eum obligatam ærario fidem liberare non posset, in [8] vacuum [9] lege prædiatoria [10] venalis [11] pependerit sub edicto præfectorum. A. U. C. DCCXCIII.

NOTÆ.

1. *Neronis & Drusi*] Fratres erant Caligulæ, quos Tiberius fame enecuit. Tib. cap. 54. & Calig. cap. 15.

2. *Domesticorum*] Josephus lib. 19. Antiquit. cap. 1. refert, Claudium accusatum fuisse, Polluce servo suo deferente, ac caussam dicere coactum, Caligula judice.

3. *Lepidi & Gætulici*] Supra in Caligula cap. 24. & Joseph. ibidem.

4. *In Germaniam*] De illa Caligulæ expeditione, in Calig. cap. 44. & 45. & seqq.

5. *Patruum*] Patruorum severitas in proverbium abiit, *Ad patruos:* quod indicat Horatius lib. 2. Sat. 3. v. 87.

sive ego prave
Seu recte hoc volui. ne sis patruus mihi.

Hoc est objurgator & severus censor instar patrui, & innuit Persius Sat. 1.

Cum sapimus patruos, &c.

6. *Sestertiûm octogies*] 320000 lib.

7. *Novi Sacerdotii*] Intelligo de Caligulæ Sacerdotio, de quo Calig. cap. 22. non vero Augusti; Hoc siquidem Claudio extra ordinem concessum est, ut supra cap. 6. retulit. Postquam Templa Imperatoribus tanquam diis extrui cœpere, simul ista Sacerdotia magno pretio redempta sunt ab adulatoribus.

8. *In vacuum*] Tota hæc loquendi ratio e Jurisconsultorum formulis petita est. Ergo in vacuum illi pendere dicuntur quorum bona cum solvendo non sint, tamdiu possessore vacua sunt, quamdiu nemini adjudicata, vel in fiscum non redacta. Hinc & *in vacuum venire*, hoc est, hereditatem possessore quocumque modo privatam suscipere.

9. *Lege prædiatoria*] Qua bona sive prædia ejus qui obligatus est, vendi permittuntur, si prædem qui pro eo se quoque obliget, invenire nequeat. Unde prædiatoria Lex dicta, vel quod jura prædiorum constitueret, vel quod de prædibus caveret: & qui in ejusmodi controversis versati

Digitized by Google

sunt prædiatores appellantur quorum mentio fit a Cicerone in Oratione pro Balbo & Epistolis ad Atticum lib. 12. Epist. 16. & maxime a Jurisconsultis in libris Digest.

10. *Venalis*] Casaubonus existimat non bona duntaxat, sed & ipsum Claudium venum expositum fuisse edicto Præfectorum ærarii; sed longe verosimilius Lipsius in Senec. cap. 12. libro 4. de Beneficiis, non nisi de bonis intelligit; si quis enim debitor latitabat, frustrabaturve, tunc omisso homine, rem persequebantur; hoc est domos, fundos, &c. & omnia ejus bona venalia proponebantur.

11. *Pependerit*] Interea dum bona eorum qui fisco erant obligati vænirent, cognoscereturque quantum ex illis redigi posset, tunc ii dicebantur pendere apud ærarium, quod eorum nomina in libello, vel tabula pendula proscripta, hoc est publice proposita forent & suspensa. Tabulam hanc, *tumulum* appellat Tibullus lib. 2. Eleg. 4.

Sed & jubeat si vendere avitas,
Ite sub imperium sub titulumque Lares.

Idem de servis quoque innuit Gellius lib. 4. cap. 2.

CAPUT X.

PER hæc ac talia, maxima ætatis parte transacta, quinquagesimo anno Imperium cepit, quantumvis mirabili casu. Excluſus inter cæteros ab insidiatoribus Caii, cum quasi secretum eo desiderante turbam submoverent, in [1] diætam, cui nomen est Hermæum, recesserat. Neque multo post rumore cædis exterritus, prorepsit ad [2] solarium proximum; interque prætenta foribus [3] vela se abdidit: latentem discurrens forte [4] gregarius miles animadversis pedibus e studio scisciandi quisnam esset, agnovit, extractumque, & præ metu ad genua sibi accidentem, IMPERATOREM salutavit. Hinc ad alios commilitones fluctuantes, A U.C. DCCXCIV. nec quidquam adhuc quam frementes perduxit. Ab his lectica impositus, & quia servi diffugerant, vicissim [5] succollantibus [6] in castra delatus est, tristis ac trepidus, miserante obvia turba, quasi ad pœnam raperetur insons. Receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctavit, aliquanto minore spe quam fiducia. Nam Consules cum Senatu & cohortibus urbanis Forum Capitoliumque occuparunt, asserturi communem libertatem: accitusque & ipse per Tribunum plebis in curiam ad suadenda quæ viderentur, *vi se & necessitate teneri* respondit. Verum postero die, Senatu segniore in exsequendis conatibus, per tædium ac dissensionem diversa censentium, & multitudine quæ circumstabat, unum rectorem jam & [7] nominatim exposcente, armatos pro concione jurare in nomen suum passus est: promisitque singulis [8] quinadena HS. primus Cæsarum fidem militis etiam præmio pigneratus.

NOTÆ.

1. *Diatam*] Sumitur aliquando pro ea domus parte in qua versamur & habitamus, qualem dicimus *appartement*, a Græco διαιτωμαι *vivo versor*. Sic Plinius libro 2. Epist. 17. & lib. 5. Epist. 6. *Contra mediam fere porticum diæta paulum recedit.* Et paulo infra: *Est in hac diæta dormitorium cubiculum quod diem, clamorem, forumque excludit, junctaque ei quotidiana amicorumque cœnatio.* Aliquando sumitur diæta pro habitatione quæ amœnitatis caussa in hortis extructa sit, in qua de die comedant; unde etiam Varro deducit nominis etymon. Ita & apud Jurisconsultos *ad L. 43. de legatis.* &c. Variis deorum nominibus diætas domus distinguebant, ut hîc *Hermæum*, hoc est Mercurii. In aliis Isæum, Musæum, &c. Isidis, Musarum, &c. quod necdum obsolevit.

2. *Solarium*

Digitized by Google

2. *Solarium*] Locus superior in ædibus excipiendo Soli destinatus, ubi solebant apricari; qui cum Menianis de quibus Calig. cap. 18. confundendus non videtur; ad quid enim aut quomodo ibi vela? Josephus lib. 9. cap. 2. Antiquit. locum hunc obscurum quemdam memorat, ad quem gradibus eundum erat.

3. *Vela*] Sumi videntur hîc pro peristromatis & apud Juven. Sat. 6. v. 226.

Ornatas paulo ante fores, pendentia linquit
Vela domus, & adhuc virides in limine ramos.

Unde potius & velarii inter officia domus Augustæ numerati, non vero tantum de velis quæ fenestris obtenderentur, de quibus idem Juven. Sat. 9. v. 104.

Claude fenestras,
Vela tegant rimas, junge ostia, tollite lumen.

Lampridius de Heliogabalo idem narrat quod hîc Suetonius de Claudio: *subito militum strepitu exterritus in angulum se condit, objectuque veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi se texit.* De quo & idem Auctor in Alexandro.

4. *Gregarius*] Prætorianum dixit Josephus ibid. lib. nempe 19. cap. 2. ubi hæc leviterimimutata narrantur.

5. *Succollantibus*] Collum supponentibus ad illum ferendum, quomodo lecticarii solent. Hac voce iterum utitur Othonis cap. 6. & in Nerone. Legitur quoque a quibusdam apud Varronem lib. 3. de Re Rust. cap. 16. ubi de apibus: *Regem suum sequuntur quocumque it, & fessum sublevant; & si nequit volare, succollant; quod eum servare volunt*, &c. Ubi alii legunt *subvolant*. Plinius lib. 11. cap. 17. de apibus idem & totidem ferme verbis narrat, *fessum humeris sublevant, validius fatigatum ex toto portant.*

6. *In castra*] Prætoria scilicet, de quibus in Tiberio cap. 37. Torrentius protulit nummum argenteum cujus ex una parte cernitur effigies Claudii: ex altera castrorum illorum cum inscriptione *Imper. recept.* quasi per Prætorianos receptum Imperium innuens.

7. *Nominatim*] Proprio nomine Claudium ipsum.

8. *Quina dena*] Sestertia scilicet 656 lib. 5 s. Josephus quinque drachmarum promissa narrat, quæ vicena forent sestertia. Una siquidem drachma quatuor sestertiis æquivalet, ut in Julio ad cap. 4.

CAPUT XI.

IMPERIO stabilito nihil antiquius duxit quam id biduum quo de mutando Reipublicæ statu hæsitatum erat, memoriæ eximere. Omnium itaque factorum dictorumque in eo veniam & oblivionem in perpetuum sanxit, ac præstitit: Tribunis modo ac Centurionibus paucis e [1] conjuratorum in Caium numero interemtis, exempli simul caussa, & quod suam quoque cædem depoposcisse cognoverat. Conversus hinc ad officia pietatis, jusjurandum neque sanctius sibi neque crebrius instituit, quam PER [2] AUGUSTUM. [3] Aviæ Liviæ divinos honores, & Circensi pompa [4] currum elephantorum [5] Augustino similem decernendum curavit. Parentibus [6] inferias publicas, & hoc amplius, patri [7] Circenses annuos natali die: matri [8] carpentum, quod per Circum [9] duceretur: & cognomen Augustæ, ab avia [10] recusatum. Ad [11] fratris memoriam per omnem occasionem celebratam, [12] comœdiam quoque Græcam Neapolitano certamine docuit, ac de sententia judicum [13] coronavit. Ne Marcum quidem [14] Antonium inhonoratum, ac sine grata mentione transmisit: testatus quondam per edictum, *Tanto impensius petere se, ut natalem patris Drusi celebrarent, quod idem esset & avi sui Antonii.* Tiberio marmoreum arcum juxta Pompeii theatrum, [15] decretum quidem olim à Senatu, verum omissum, peregit. Caii quoque,

Digitized by Google

& si acta omnia rescidit, diem tamen necis, quamvis exordium principatus sui, vetuit inter [16] festos referri.

NOTÆ.

1. *Conjuratorum*] Horum princeps Chæreas, quem miror hîc a Suetonio non nominatum, ut Caligul. cap. 58. Josephus narrat hunc mortem oppetiisse: Lupum vero qui Cæsoniam occiderat, de qua cap. 59. Calig. dejecto prorsus animo, utpote qui fieret cum duceretur, dolens ereptam sibi togam: quod ridens ipse Chæreas, ac mollitiem exprobrans, Lupos numquam algere dixit.

1. *Per Augustum*] Per genium Cæsaris jurabant, ut Calig cap 5 & 27. & per eos quos maxime diligebant. Vide & in Aug. ad cap 60

3. *Avia Livia*] Quam Tiberius absque honore sepultam voluerat Supra in Tiberio cap 51. Ei Claudius omnia decrevit quæ Caligula sorori Drusillæ, Calig cap 15.

4. *Currum elephantorum*] Quo inter pompæ fercula eius imago terretur inter divinas, de quo in Julio ad cap 39. & 76. & Aug cap. 43. & 45. Hujus Augusti currus effigies cernitur in veteri numismate cum quatuor junctis elephantis; unde constare potest non ideo elephantorum dictum, quod eburneis quibusdam laminis opertus esset.

5. *Augustino*] Beroaldus & vulgati legunt *Augusteo*, & Torrentii MSS. *Augusto*; quod & potest; legere enim est, *marmor Tiberium, marmor Augustum* quod illorum temporibus inventum. In Plinio libro 36. cap. 7.

6. *Inferias*] Supra sæpe, Calig. cap. 3. & 15.

7. *Circenses*] Quid sint, in Julio ad cap. 39.

8. *Carpentum*] Proprium matronis vehiculum. Calig. cap. 15.

9. *Duceretur*] Ejus scilicet imago; jam enim perierat vivente Caligula, Supra in Calig cap 23.

10. *Recusatum*] De hoc in Augusto ad cap ultimum. Lipsius hoc refert ad ipsam Antoniam, & pro *avia* legit *a viva* auctoritate Dionis, qui libro 58 refert Antoniæ donatum cognomen hoc a Caligula. Sed de donato auctorem habet quidem unum, de recusato nullum, sed tantum conjectura id colligit quod nempe ad mortem tam filio & indignitate compulsa honorem illum sprevisset

11. *Fratris*] Germanici.

12. *Comœdiam quoque Græcam, &c*] Neapoli quippe Græce prorsus more vixisse Dio Cassius auctor est. De certamine Neapolitano ad Aug. cap. 98 pro *docuit* vulgati legunt *dedit*, quod idem est; id enim significat quoque verbum *docuit* apud Horatium de Arte:

Et qui prætextas, & qui docuere togatas.

13. *Coronavit*] Id est, coronam ipse dedit histrionibus, quamquam non desint qui vocem activam pro passiva hîc positam contendant. *Coronavit* igitur, hoc est coronam retulit.

14. *Antonium*] Quem ideo dicit avum suum maternum, quia pater erat Antoniæ matris, ut Calig. cap. 1. &c.

15. *Decretum*] Tunc forte cum Pompeii theatrum restituit. Tib. cap. 47.

16. *Festos*] Alii *fastos*, ut intelligantur libri Fastorum de quibus in Julio ad c. 40. Quod idem fuerit ii siquidem festa & eorum causas continebant, nisi si de diebus fastis intelligeretur quibus nempe lege agi fas esset; quod *festis* contrarium est.

CAPUT XII.

AC in semet augendo parcus atque civilis, prænomine *Imperatoris* abstinuit, nimios honores recusavit, sponsalia filiæ, natalemque geniti nepotis silentio, ac tantum domestica religione, transegit. Neminem exsulum, nisi ex Senatus auctoritate, restituit: ut sibi in curiam [1] Præfectum Prætorii, Tribunosque militum secum inducere liceret, utque rata essent quæ [2] Procuratores sui in [3] judicando statuerent,

Digitized by Google

[4] precario exegit. Jus [5]nundinarum in privata prædia a Consulibus petiit: cognitionibus magistratuum, ut unus e [6] consiliariis frequenter interfuit. Eodem spectacula edentes, surgens & ipse cum cætera turba, [7] voce ac manu veneratus est. Tribunis pleb. adeuntibus se pro tribunali excusavit, quod propter [8] angustias non posset audire eos nisi stantes. Quare in brevi spatio tantum amoris favorisque collegit, ut cum profectum eum Ostiam periisse ex insidiis nuntiatum esset, magna consternatione populus, & militem quasi proditorem, & Senatum quasi parricidam, diris exsecrationibus incessere non ante destiterit, quam unus atque alter, & mox plures a magistratibus in Rostra producti, salvum & appropinquare confirmarent.

Notæ.

1. *Præfectum Prætorii, &c.*] Huic enim quamvis tanta dignitate ornato curiam ingredi non licebat, cum nonnisi equestris ordinis esset cujus summa & culmen erat hæc dignitas, ut Galbæ cap. 14. quippe quæ alterum ab Imperatore gradum obtineret. Tiberius jam ante petierat idipsum quod Claudius hîc, auctor Tacitus Annal 4.

2. *Procuratores sui*] Delegatis Consularibus & Præsidibus qui in Provincias ab Imperatoribus mitti consueverant, Supra in Augusto ad cap. 36. & 47. Verum quia minores quasdam in Provincias tantæ dignitatis viros mittere, vel negligebant vel dedignabantur, quandoque fiebat ut tota Provinciæ cura incumberet Procuratori Cæsaris, sive Procuratori Fisci, quem etiam rei privatæ aut rationalem vocabant. Unde quamvis proprio munere non deberet nisi tributa, redituve Principis colligere, aliaque curare quæ pertinerent ad Fiscum, factum tamen est ut defectu Præsidis, ac rebus ita cogentibus, inter Provinciales jus diceret, quamvis duntaxat Eques, ac plerumque etiam libertus. Cum igitur jurisdictionem non haberet, rata non habebantur ejus acta, poterantque vocari ad Senatus disquisitionem: quod ut mutaretur, Claudius Senatum precatus est. Hujusmodi Procuratorum frequens fit mentio apud Josephum, & ex iis erat Pontius ille Pilatus a quo Christus Dominus ad crucem traditus est.

3. *In judicando*] Nam in aliis rebus quas Imperatoris nomine gerebant, perinde rata habebantur ac si ab Imperatore ipso gesta fuissent.

4. *Precario exegit*] Hoc est, precibus impetravit. Hujus vocis usus non infrequens apud Auctores maxime Jurisconsultos, qui precarium illud esse dicunt, quod precibus petenti conceditur, utendum quamdiu is qui concessit, patitur.

5. *Jus nundinarum*] Nundinæ apud antiquiores Romanos erant feriæ nono quoque die recurrentes, quibus rustici Romam venirent ad mercatum legesque accipiendas. Harum postea in oppidis etiam habendarum jus a Senatu impetratum, patet ex Plinio lib. 5 Epist. 4. *Solers vir prætorius a Senatu petiit ut sibi instituere in agris suis nundinas liceret.* A posterioribus Imperatoribus, ut suo tantum ipsorum beneficio certis in oppidis statisque temporibus celebrarentur mercatus (quæ vox idem etiam significavit ac *nundinæ*) cum omnium vectigalium ac portoriorum immunitate. Quæ magna ejusmodi locorum utilitas.

6. *Consiliariis*] Uno e Torrentii codicibus legitur *consularibus*, mendose; ii enim sunt de quibus Tib. cap. 33.

7. *Voce ac manu*] Acclamatione ac plausu.

8. *Angustias*] Quod nempe tribunal non caperet plures, & certe civilitatis duntaxat causa faciebat; stabant enim Principem alloquentes.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

NEc tamen expers insidiarum usquequaque permansit, sed & a singulis, & per factionem, & denique civili bello infestatus est. E plebe homo nocte media juxta cubiculum ejus cum pugione deprehensus est: reperti & equestris ordinis duo in publico cum [1] dolone ac [2] venatorio cultro præstolantes, alter ut egressum theatro, alter ut sacrificantem apud Martis ædem adoriretur. Conspiraverant autem ad res novas [3] Gallus Asinius & Statilius Corvinus, [4] Pollionis ac Messallæ oratorum nepotes, assumtis compluribus libertis ipsius atque servis. Bellum civile movit [5] Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ Legatus, verum intra quintum diem oppressus est, legionibus quæ sacramentum [6] mutaverant, in pœnitentiam religione conversis, postquam denuntiato ad novum Imperatorem itinere, casu quodam, [7] an divinitus, neque [8] aquila ornari, neque [9] signa convelli moverique potuerunt.

NOTÆ

1. *Dolone*] Servius enarrans hunc 7. Æneid. versum,

Pila manu sævoque gerunt in bella dolones,

dicit dolonem esse flagellum intra cujus virgam latet pugio a fallendo sic dictum, quod speciem tantam ligni præ se ferens ferro latente decipiat. Eodem sensu Jurisconsulti ad Legem *Si ex plagis* ff. *ad Legem Aquiliam*. Varro dicit esse contum cum ferro brevissimo.

2. *Cultro venatorio*] Non venabulo tantum, quod telum longius est; sed & breviore quodam cultro utebantur.

3. *Gallus Asinius*] Dio hunc dicit fratrem uterinum Drusi illius qui Liberi filius erat, de quo in Tiberio plura; innuit & Tacitus 3 Annal. quippe Salonimus pater ejus duxit Agrippinam Drusi matrem, quam Tiberius paulo ante Augusti jussu dimiserat, ut in Tib ad cap. 7

4. *Pollionis & Messallæ*] Hi fuerunt oratores Julii & Augusti ætate celeberrimi

5. *Furius Camillus*] Huius meminit itemrum libro sequente cap. 35. & Torrentius eumdem fuisse autumat, qui auctore Tacito libro 2. Annal. Africæ sub Tiberio Proconsul Furio nomini multos post annos militiæ decus restituit.

6. *Mutaverant*] Sacramentum enim Claudio prius dixerant.

7. *An divinitus*] Vulgati omnes legebant *ac divinitus*. Torrentius emendavit.

8. *Aquila ornari*] Plinius lib. 3. cap. 3. refert aquilas & signa alia pulverulenta festis diebus inungi solita.

9. *Signa convelli*] Quænam illa forent præter aquilam, in Julio notatum est ad cap. 62. Ea ferebantur imposita hastæ, cujus pars inferior acuta defigebatur in terram eo loci ubi castra erant. Inde profecturi signa non avellebant, nisi captatis prius auguriis. Virgilius lib. 11. Æneid.

cum primum vellere signa
Annuerint superi.

Si ergo manum avellentis non sequerentur, malum ominen illud erat quod contemptum multis exitio fuisse crediderunt.

CAPUT XIV.

A.U.C. DCCXCV. DCCXCIV. DCCC. DCCCVI.

CONSULATUS super [1] pristinum quatuor gessit: ex quibus duos primos junctim: sequentes per intervallum, quarto quemque anno, semestrem novissimum, bimestres cæteros. tertium autem, novo circa principem exemplo in locum demortui suffectus. Jus & Consul & extra honorem [2] laboriosissime dixit, etiam suis suorumque [3] diebus solennibus, nonnumquam [4] festis quoque antiquitus, & religiosis. Nec

Digitized by Google

ſemper præſcripta legum ſecutus, duritiam lenitatemve multarum, [5] ex bono & æquo perinde ut afficeretur, moderatus eſt. Nam & iis qui apud [6] privatos judices [7] plus petendo [8] formula excidiſſent, [9] reſtituit actiones; & in majore fraude convictos, legitimam pœnam ſupergreſſus, [10] ad beſtias condemnavit.

§

NOTÆ.

1. *Priſtinum*] Quem cum Caligula geſſerat, Supra cap. 7. & Calig. cap. 15.

2. *Laborioſiſſime*] Exemplo Julii, ſupra cap. 43. & Aug. cap. 3.

3. *Diebus ſolennibus*] Quales erant ſponſalia illa de quibus ſupra cap. 12. & privata illa amicorum officia, de quibus in Auguſto cap. 53.

4. *Feſtis*] Loqui videtur de privatis quibuſdam feriis, quales multæ erant familiarum propriæ, ut Claudiæ, Æmiliæ Juliæ, &c. teſte Macrobio lib. 1 Saturnalium cap. 16 *& ſi quas proprias ferias quaque familia ex ſuo domeſtica celebritatis obſervat.* Erant & ſingulorum, ut natalitia, funera, &c. Hinc Ovidius 1. Faſt. Germanicum alloquens ait,

Inventes illic & feſta domeſtica vobis.

5. *Ex æquo & bono*] Jam ſupra non nihil in Caligula ad cap. 4. Hîc adde pauca ex Ariſtotele libro 5. Ethic. ubi de Juſtitia & Jure fuſe diſputans, ait ἐπανόρθωσις, quod Latine vertunt *bonum & æquum*, eſſe quidem jus, at non illud quod Lege continetur, ſed ejus emendationem: cum enim Lex in univerſum poſita ſit, multaque ſint de quibus in univerſum caveri non queat, Legem quidem oportet ſummam habere poteſtatem, Magiſtratum vero eorum habere poteſtatem de quibus exacte ſatis cavere non poſſunt Leges. Inde fit ut ſuprema Tribunalia non modo Juris præſcriptum ſæpe non ſequantur, ſed ne ſuorum quidem decretorum præjudicia, prægravante æqui bonique lance in perpendendis temporum, perſonarum, &c circumſtantiis.

6. *Privatos judices*] Privatarum controverſiarum, & litium, quales Centumviri de quibus in Auguſto cap. 36. &c vel Prætor urbanus de quo ibid ad cap 33.

7. *Plus petendo*] Qui petebat pluſquam ſibi deberetur, is debitum amittebat. Cicero pro Roſcio: *Si tu amplius nummo petiſti in judicio quam tibi debitum eſt cauſſam perdidiſti.* Hinc jocus ille apud Plautum in Moſtellaria; cum enim creditor expreſſa ſumma dixiſſet, *nihilo plus peto*, reſpondet ille:

Velim quidem hercle ut uno nummo plus petas.

Quod nec ſemper obtinuerat ante, nec poſt obtinuit.

8. *Formula excidiſſent*] Formulæ nil erant aliud quam certæ ac ſolennes quædam verborum conceptiones in unaquaque litium materia (quales Formularium ſeu Stylum dicunt) ut, Formula actionum bonæ fidei, Formula poſtulandi dominii, intendendæ litis, &c. quarum multas retulit Sigonius libro de Judiciis. Secundum eas ſuum jus omnes perſequi neceſſario debebant, ut cauſſa caderet qui aliis quam Formulæ verbis quidpiam poſtularet aut defenderet. Unde apud Juriſconſultos hæ loquendi formulæ, *Quis cadit a ſyllaba, cadit a cauſſa. Formula cadere. & cauſſa cadere*, pro eodem quod Suetonius *Formula excidere* dixit De quibus Quintilianus libro 7. *Eſt enim*, inquit, *certa ſervitus ad certa ſe verba aſtringendi* Et paulo poſt: *Nam eſt etiam periculoſiſſimum, cum ſi uno verbo ſit erratum, tota cauſſa cecidiſſe videamur*

9. *Reſtituit actiones*] Hoc eſt, reſtituit illis jus perſequendæ cauſſæ quod amiſerant. Qua in re Legum duritiam moderabatur; Prætor enim plus petentes non reſtituebat in integrum, niſi vel minores eſſent annis vigintiquinque, vel tam magna cauſſa juſti erroris interveniret ut etiam conſtantiſſimus quiſque labi potuiſſet; quo caſu etiam majori ſuccurrebatur

10 *Ad beſtias*] Vel pugnaturi vel laniandi objiciebantur, ut ſupra in Caligula ad cap. 27.

Digitized by Google

CAPUT XV.

IN cognoscendo autem ac decernendo, mira varietate animi fuit, modo circumspectus & sagax, modo inconsultus ac præceps: nonnumquam frivolus amentique similis. Cum [1] decurias [2] rerum actu expungeret, eum, qui dissimulata vacatione quam beneficio [3] liberorum habebat, [4] responderat, ut cupidum judicandi dimisit: [a] alium interpellatum ab adversariis de propria lite, negantemque [5] cognitionis rem, sed ordinarii juris esse, agere caussam confestim apud se coëgit, proprio negotio documentum daturum, quam æquus judex in alieno negotio futurus esset. Fœminam non agnoscentem filium suum, dubia utrimque argumentorum fide, ad confessionem compulit indicto matrimonio juvenis. [6] Absentibus secundum præsentes facillime dabat, nullo delectu, culpa ne quis an aliqua necessitate cessasset. Proclamante quodam, [7] præcidendas esse falsario manus, carnificem statim acciri cum [8] machæra [9] mensaque lanionia flagitavit. [10] Peregrinitatis reum, orta inter advocatos levi contentione, togatumne an palliatum dicere caussam oporteret, quasi æquitatem integram ostentans, mutare habitum sæpius, & prout [11] accusaretur defenderetur ve, jussit. De quodam etiam negotio ita [12] ex tabella pronuntiasse creditur, [13] SECUNDUM EOS SE SENTIRE QUI VERA PROPOSUISSENT. Propter quæ usque eo eviluit, ut passim ac propalam contemtui esset. Excusans quidam testem e provincia ab eo vocatum, negavit præsto esse posse: dissimulata [14] diu caussa, ac post longas demum interrogationes, *Mortuus est*, inquit, *Puteolis*. Alius gratias agens, quod [15] reum defendi pateretur, adjecit: *Et tamen fieri solet*. Illud quoque a majoribus natu audiebam, adeo caussidicos patientia ejus solitos abuti, ut descendentem e tribunali non solum voce revocarent, sed & lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenso retinerent. Ac ne cui hæc mira sint, litigatori Græculo vox in altercatione excidit; [b] καὶ σὺ γέρων εἶ, καὶ μωρός. Equitem quidem Romanum obscœnitatis in fœminas reum, sed falso, & ab impotentibus inimicis conficto crimine, satis constat, cum [16] scorta meritoria citari adversus se, & audiri pro testimonio videret, [17] graphium & libellos quos tenebat in manu, ita cum magna stultitiæ & sævitiæ exprobratione jeciisse in faciem ejus, ut genam non leviter perstrinxerit.

INTERPRETATIO.

a *Alium* judicem *interpellatum ab adversariis de propria lite, dicentemque negotium non esse juris extraordinaris, sed ordinarii, compulit ut extemplo caussam suam oraret seipso* judice, *ad probandum propria lite quam æquus judex futurus esset in aliena lite.*

b *& tu senex es & fatuus.*

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Rerum actu*] Hoc est eo tempore quod judiciis exercendis attributum erat. Plinius Epist. 25. lib. 9. *Nunc me rerum actus modice, sed tamen distringit: quo finito, aliquid earumdem Camœnarum in istum benignissimum sinum effundam.* Supra & in Aug. cap. 32. &c.

2. *Decurias expungeret*] De Judicum decuriis in Augusto ad cap. 29. & 32. &c. Expungere hîc est aliquorum in illis recognoscendis nomina delere & cancellare, v. g. mortuorum aut quacumque de causa impeditorum, aliorum servare. Quo verbo usi sunt præsertim in rationibus habendis & calculo. Unde expungere est ut ait Torrentius, ordinare qui retinendi quive non.

3. *Liberorum*] De jure trium liberorum & immunitatibus illi adjunctis, supra jam non nihil in Julio ad cap. 20. & Augusto cap. 34. & 44. ac infra cap. 19. & 35. Harum una erat ut a judicandi onere & militia vacarent.

4. *Respondere*] In hac enim recognitione singuli suis nominibus appellati, ut Calig. cap. 6. respondere debebant, nisi immunes facti essent a judicando. Unde cum ille de quo hîc agitur, licet immunis, respondisset, Claudius judicandi cupidine factum arbitratus est, & illum albo Judicum expunxit.

5. *Cognitionis rem, sed ordinarii juris*] Ordinarii juris ea erant de quibus coram usitato & legitimo judicum ordine secundum receptas litigandi formulas disceptabatur, veluti cum impetrata a Prætore actionis formula, apud eos Judices quos ipse dederat, agitabatur controversia ut in Julio ad cap. 11. notatum est. Extraordinarii vero juris ea erant de quibus ipse Magistratus, Consul vel Prætor, (aut post mutatam Rempublicam Princeps) alio Judice non dato cognoscebant: quod & Tiberii exemplum confirmat, in Tiberio cap. 32. & infra cap. 35. &c. Quod in iis ferme negotiis fieri solebat quæ vel ad Rempublicam spectarent, vel ad exemplum traherentur. Unde quamquam cognitionis nomen generale sit, ad eastamen plerumque judicia refertur quæ extra ordinem fiunt, qualia sunt supra modo dicta. Hujusmodi cognitiones sacræ appellantur a Jurisconsultis, easque si cuipiam Cæsar ipse demandaret, is sacer Cognitor dicebatur. De illis cognitionibus fuse Jurisconsulti ff *de extraordinariis cognitionibus* ubi varia etiam referuntur, de quibus Præses Provinciæ, non dato Judice, coram ipso cognoscere debebat. Hujus igitur loci sensus est Unus e Judicibus quorum decuriæ expungebantur, de propria lite interpellatus est ab adversario coram Imperatore, ut ab Imperatore judicarentur: sed cum ille Judex nollet respondere, & tueretur se hac exceptione quod ordinarii juris esset, non cognitionis seu extraordinarii juris, res illa de qua inter se judicem & adversarium suum agebatur, hoc est quod ejus generis esset controversia, ut a Judicibus ordinariis & privatis, non vero ab Imperatore cognoscenda esset; Imperator voluit ut ipse Judex ageret causam suam, simul & illam judicaret, ut in propria lite judicanda documentum daret æquitatis juxta quam aliorum lites judicaturus esset. Quod quamquam durum videatur ut aliquis causæ suæ judex, dicatur causam agere apud se; non videtur tamen aliter cohærere posse totam hujus loci seriem. Nec aliter Torrentius hîc & clariss. Salmasius *de modo usurarum* explicarunt. *Interpellare* Budæus in Pandectas idem esse dicit ac *in jus vocare*. Qui sensus hîc optime convenit.

6. *Absentibus secundum præsentes*] Apud Jurisconsultos dare, secundum aliquem, idem est ac in ejus commodum judicare: qua loquendi formula intelligendum videtur judicium. Seneca de brevitate vitæ cap. 1. in fine: *Hic est exitus omnis judicii in quo lis secundum plures datur.* Cicero Verr. 4. 41. addit præpositionem *de absente secundum præsentem judicare*. Cujus defectu Torrentius existimat Suetonium hîc nove locutum.

7. *Præcidendas manus*] Martianus J. C. L. 1. ff. *ad Legem Corneliam de falsi* hanc falsario pœnam statuit: *Pœna falsi vel quasi falsi deportatio est, & omnium bonorum publicatio: & si servus eorum quid admiserit, ultimo supplicio affici jubetur.* Alexander Imperator Legi addidit similem pœnam quam Claudius hîc decrevit; Notarium enim falsi damnatum deportatione punivit, incisis digitorum nervis, ut numquam posset scribere. Falsarius is est qui vel falsum testi-

Digitized by Google

monium profert, vel falsum testamentum condit, &c. Sed maxime circa Testamenta falsi crimen admittebatur; unde Lex Cornelia quæ de illo cavit, dicta quoque est Testamentaria.

8. *Machæra*] Gladius est ad scindendum simul & pungendum.

9. *Mensa lanionia*] Quali utuntur in dissecandis carnibus laniones; & ad plectendos damnatos, carnifices.

10. *Peregrinitatis reum*] Ille reus est peregrinitatis, de quo disceptatur an sit civis Romanus, an peregrinus, cum tamen pro cive se gerat. Vox enim *reus* hîc & apud Jurisconsultos accusatum significat. v. g. qui litem intendit, *actor*; qui defendit, *reus* dicitur.

11. *Accusaretur*] Tunc enim contendentes civem Romanum non esse, toga induendum nolebat quæ Romanorum insigne est: contra vero cum defenderetur, togam sumpturus pallium quod peregrinorum ac imprimis Græcorum est, exuebat.

12. *Ex tabella*] Qua sententiam suam hac in causa descripserat. Simile quid in Augusto ad cap. 39.

13. *Secundum*] Hoc capite num. 6.

14. *Puteolis*] Multi legunt *puto licuit*: quod longe plus acuminis habere videtur; verba enim sunt excusantis absentem, & hoc ipso Claudium irridentis, quod dicat putare se justam mortuis absentiæ causam esse.

15. *Reum*] Hoc est, accusatum duntaxat, ut patet ex eo quod dicit falso reum fuisse: quo sensu modo hoc eodem capite. Obscœnitates illæ eædem esse videntur de quibus in Tiberio cap. 44.

16. *Scorta meritoria*] Mercede conducta.

17. *Graphium*] Quo ad scribendum utebantur, & ad vulnera quo nonnumquam aburebantur, ut supra non semel, præsertim in Julio ad cap. 82.

CAPUT XVI.

A. U. C. DCCC. DCCCI.

GESSIT & censuram [1] intermissam diu post Paullum Plancumque censores: sed hanc quoque inæqualiter, varioque & animo & eventu. [2] Recognitione equitum juvenem probri plenum, sed quem pater probatissimum sibi affirmabat, sine ignominia dimisit, *habere* dicens *censorem suum*. Alium corruptelis adulteriisque famosum, nihil amplius quam monuit *ut aut parcius etatula indulgeret, aut certe cautius*. Addiditque, *Quare enim ego scio, quam amicam habeas?* Et cum orantibus familiaribus demissset cuidam appositam [3] notam, [4] *Litura tamen*, inquit, *exstet*. Splendidum virum, Græciæque Provinciæ Principem, verum Latini sermonis [5] ignarum, non modo [6] albo Judicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit. Nec quemquam nisi sua voce, utcunque quis posset, ac sine patrono, rationem vitæ passus est reddere. Notavitque multos, & quosdam inopinantes, & ex causa novi generis, quod se inscio ac sine [7] commeatu Italia excessissent: quemdam vero & quod [8] comes Regis in Provincia fuisset, referens, majorum temporibus, [9] Rabirio Postumo, Ptolemæum Alexandriam, crediti servandi causa, secuto, majestatis crimen apud Judices motum. Plures notare conatus, magna inquisitorum negligentia, sed suo majore dedecore, innorios fere reperit, quibuscunque [10] cœlibatum aut orbitatem, aut egestatem objiceret, maritos, patres opulentos se probantibus: eo quidem, qui [11] sibimet vim ferro intulisse arguebatur, illæsum corpus veste deposita ostentante. Fuerunt & illa in censura ejus notabilia, quod essedum argenteum sumtuose fabricatum ac venale ad [12] Sigillaria, redimi

redimi concidique coram imperavit: quodque uno die XX. edicta proposuit: inter quæ duo, quorum altero admonebat, *ut uberi vinearum proventu bene* [13] *dolia picarentur:* altero, *nihil æque facere ad viperæ morsum quam* [14] *taxi arboris succum.*

NOTÆ.

1. *Intermissam diu*] Ab anno circiter 741. ad annum 800. de quo Plinius lib. 10. cap. 2. Vide Aug. cap. 27 & 37.

2. *Recognitione*] Quæ factæ fuerant Equitum recognitiones, hæ caruerunt censuræ nomine, ut jam inde a Julio cap. 41. & in Augusto cap. 38. 39. 40. passim observare est.

3. *Notam*] Censoriam scilicet; cum enim in mores inquirere Censorum munus esset, ut supra in Julio ad cap. 41. illis inurebatur infamia quos notarant.

4. *Litura tamen exstet*] Torrentio placet *exstat*, ut sit sensus: Notæ quidem censoriæ gratiam ei fieri, sed turpitudinem tanquam facti vestigium, quod deleri nequeat, permanere. Hîc autem lituram exstare idem esse videtur ac remanere testimonium aliquod sui de illo judicii, quale v. g. Appii Censoris quondam fuerat, qui cum notandum Curionem arbitraretur, amicisque ejus notam condonaret, suam tamen de eo sententiam aperuit in Senatu, ut narrat Dio lib. 40. Quo facto infamia quidem non inurebatur, vestigium tamen & quasi notæ litura permanebat.

5. *Ignarum*] Tiberius voluerat ut Latino sermone omnes uterentur. In Tiberio ad cap. 71.

6. *Judicum albo*] In Tiberio ad cap. 51.

7. *Commeatu*] Hoc est discedendi venia, Supra in Tib. ad c. 10 12. 72. &c. Tiberius noluerat Magistratus destinatos abesse, ut nec Senatores eorumve liberos Julius in Jul. c. 42. De quo etiam Livius lib. 6. decad. 4. Ubi dicit Senatori Magistratuive non licuisse longius ab urbe abire quam unde uno die redire possent. Quod tamen postea non obtinuit: quæ jam enim Provinciæ exceptæ sunt, ut Siciliæ Narbonensisque Gallia, in quas auctore Tacito lib. 12 Senatoribus ire licebat, non petita Principis venia. Unde etiam videtur novi generis caussam hîc dicere quod forsan illuc iviſſent, quo principe inconsulto ire potuerant.

8. *Comes*] Quasi Romano cive indignum fuisset regum comites aut asseclas fieri. De comitibus supra Tiber. ad cap. 46. lege Cornelia majestatis, aquæ & ignis interdictio pœna erat civi Romano, qui apud regem externum versatus esset.

9. *Rabirio Postumo*] Hic Ptolemæo Alexandria pulso ut in Jul. ad cap. 11. notatum est, grandem pecuniam crediderat, cujus recuperandæ caussa regem convenit, a quo factus dispensator vestitum mutare coactus erat. Hinc accusatus est imminutæ P. R. majestatis quod civem Romanum peregrino habitu vestiri nefas esset, & defensus a Cicerone, qui oratione in Pisonem idem ferme exprobrat Gabinio.

10. *Cœlibatum*] Hic enim vitio dabatur præsertim a quo tempore Augustus leges de maritandis ordinibus tulerat in August. cap. 34. Hujus loci sensus est eos omnes quos accusabat cœlibatus aut orbitatis aut paupertatis probasse se esse matrimonio junctos, liberos habere, & dives esse; quod magnæ in accusando socordiæ est.

11. *Sibimet vim ferro intulisse*] Torrentius in uno *sibi metu vim ferre*; is omnimodo puniendus est, inquit lex 3. ff. *de bonis eorum qui ante sententiam sibi mortem consciverunt, &c. qui enim sibi non pepercit multo minus alii parcet.* Ibi variæ super hac re legum sanctiones afferuntur.

12. *Sigillaria*] Vicus erat, de quo supra ad cap. 5.

13. *Dolia picarentur*] Quod unum est ex iis quæ in Claudio ridicula fuisse dixit, quid enim opus ut edicto publico privati moneantur de rebus domesticis curandis. Non dolia tantum linebantur pice & resina; sed & ipsum vinum iisdem condiebatur, ut ex Columella & Plinio passim constat.

14. *Taxi arboris succum*] Ridiculeadhuc magis, hæc enim arbor & nullo succo est, & maxime venenata ex Plinio lib. 16. cap. 10. ubi post multa ait *suntinque dicant & taxica hinc appellata, venena*

Digitized by Google

quæ nunc toxica dicimus. Meminit & Theophraſtus lib. 3. hiſt. Plant. cap. 6. & lib. 5. cap. 8. & alibi ſæpe.

CAPUT XVII.

EXPEDITIONEM unam omnino ſuſcepit, eamque modicam. Cum decretis ſibi à ſenatu [1] ornamentis triumphalibus leviorem majeſtati principali titulum arbitraretur, velletque juſti triumphi decus, unde acquireret, Britanniam potiſſimum elegit: neque [2] tentatam ulli poſt divum Julium, & tunc tumultuantem ob non redditos transfugas. Huc cum ab Oſtia navigaret, vehementi [3] Circio bis pæne demerſus eſt, prope [4] Liguriam, juxtaque [5] Stœchadas inſulas. Quare à Maſſilia [6] Geſſoriacum uſque pedeſtri itinere confecto, inde tranſmiſit: ac ſine ullo prælio aut ſanguine intra pauciſſimos dies parte inſulæ in deditionem recepta, ſexto quam profectus erat menſe Romam rediit, triumphavitque maximo apparatu. Ad cujus ſpectaculum commeare in urbem non ſolum [7] præſidibus provinciarum permiſit, verum etiam exſulibus quibuſdam: atque inter hoſtilia ſpolia, navalem coronam [8] faſtigio Palatinæ domus juxta [9] civicam fixit, trajecti & quaſi domiti Oceani inſigne. Currum ejus Meſſalina uxor carpento ſecuta eſt. Secuti & triumphalia ornamenta eodem bello adepti, ſed cæteri pedibus & in [10] prætexta: Craſſus [11] Frugi equo phalerato, & in veſte [12] palmata, quod eum honorem iteraverat.

A. U. C. 10 DCCXCVII

NOTÆ.

1. *Ornamentis triumphalibus*] Supra in Aug. ad cap. 38.

2. *Tentatam ulli*] Auguſtus quidem ejus intrandæ conſilium inierat, ſed ex Gallia propter Dalmatiæ tumultum revocatus deſtitit quo tempore Horatius lib. 1. Ode 35. Fortunam precabatur ut illum hac expeditione ſervaret.

Serves iturum Cæſarem in ultimos
orbis Britannos, &c. & Ode 5. lib. 3.

3. *Circio*] Circius ventus eſt Galliæ Narbonenſi infeſtiſſimus, cujus meminit & Gellius lib. 2. c. 22. & Seneca lib. 5. natural. quæſt. ubi & templum huic vento ab Auguſto votum & erectum refert Plinius quoque lib. 2. cap. 47.

4. *Liguriam*] In eo mari quod hodie *riviere de Gennes.*

5. *Stœchadas*] Tres ſunt inſulæ non longe à Maſſilia, quas hodie *les Iſles d'Hieres* ſecundum pleroſque.

6. *Geſſoriacum*] Plures exiſtimant eſſe hodie Bononiam maritimam in Picardia civitatem. Turnebus tamen variis conjecturis lib. 8. cap. 21. contendit vicum illum eſſe qui hodie *Soiaci* prope Audomari fanum hoc eſt *ſaint Omer*; & quia locus ille remotior eſſe a mari videbatur quam ut Claudius inde in Britanniam tranſmiſiſſe dici poſſet, non levibus conjecturis probat plagam illam æquore olim inundatam fuiſſe ac recedentibus aquis, terræ accreviſſe, quod nempe locus ille hodieque ab incolis dicatur *Portus Soiaci*, quod tota regionis facies etiam in ſicco præ ſe ferat ſinus imaginem, ac denique quod ab aratoribus terram vertentibus, ibi exaratæ quondam anchoræ fuerint. Quod certe probabilius videtur quam quæ laudatur à Schildio Screverii conjectura dicentis *Geſſoriacum* eſſe quaſi *Caſaridium*, unde concludit portum Itium, qui hodie *Calais*, ut cenſent vulgo, eumdem eſſe cum Geſſoriaco. Certè Turnebus

Digitized by Google

magis accedit ad similitudinem nominis, cum e *Gesſoriaco Seiaci* factum dicit.

7. *Præſidibus provinciarum*] Iis non licebat e provincia egredi non expectato ſucceſſore. Jam ſupra in Jul. ad cap. 8. notatum.

8. *Faſtigio*] Quid ſit faſtigium domus dictum eſt in Jul. ad cap 81. Navalem coronam hîc appellat quam alii roſtratam. Erat aurea ſpeciem roſtrorum referens, iis dari ſolita qui primi naves hoſtium inſiliiſſent ut de murali, Caſtrenſi, &c. dictum eſt. In Aug. ad cap. 25.

9. *Juxta Civicam*] De qua in Jul. ad cap. 2. appendebatur ad fores Imperatorum. In Tib. ad cap. 26.

10. *Pratexta*] Hæc & puerorum veſtis & magiſtratuum. In Jul. ad cap. 1. Nota porro magni & prope divini honoris fuiſſe ſi quæ matrona carpento veheretur feſtis illis & ludorum Circenſium ſolennibus diebus, ut de Claudii matre ſupra cap. 11.

11. *Craſſus frugi*] Hoc etiam cognomen Piſonum fuit, & meminit Cicero in Tuſculanis.

12. *Palmata*] Tunica fuit cui palmæ ex aliqua materia intextæ, vel pictæ. Patet etiam ex loco Livii ſupra in Aug. ad cap. 38.

CAPUT XVIII.

URBIS annonæque curam ſolicitiſſime ſemper egit. Cum [1] Æmiliana pertinacius arderent, in [2] diribitorio duabus noctibus manſit: ac deficiente militum ac [3] familiarum turba, auxilio plebem per magiſtratus ex omnibus vicis convocavit: ac poſitis ante ſe cum pecunia [4] fiſcis, ad ſubveniendum hortatus eſt, [5] repræſentaturus pro opera dignam cuique mercedem. [6] Arctiore autem annona ob aſſiduas ſterilitates, detentus quondam medio Foro à turba, * conuitiiſque ac ſimul fragminibus panis ita [7] inſtratus, ut ægre nec niſi [8] poſtico evadere in Palatium valuerit: nihil non excogitavit ad invehendos etiam in tempore hiberno commeatus.

NOTÆ.

1. *Æmiliana*] Hæc erant ædificia extra urbis portas, ut ex Varronis lib. 3. de re ruſt. cap. 2. colligere eſt; *Nam quod extra urbem eſt ædificium nihilo magis ideo eſt Villa quam eorum ædificia qui habitant extra Portam Flumentanam, aut in Æmilianis.*

2. *Diribitorio*] Vox iſta variè exercuit Interpretes. Sabellicus legit *derivatorio*, & exiſtimat idem fuiſſe quod Caſtellum, ædificium nempe in aquæductibus, unde aquæ in varias Urbis partes derivabantur, qualia multa extruxit Auguſti gener Agrippa ut patet ex cap. 42. in Aug. Cujus & opus illud fuiſſe cenſuit. Cui opinioni lubens acceſſerim ſi adſtipulentur Codices. Torrentius *diribitorium* retinet, & ejuſdem Agrippæ imperfectum opus fuiſſe colligit ex Dionis lib. 55. ab eo inſtitutum in regione Circi Flaminii non procul a ſeptis ut diribitores illuc ſe reciperent, Miniſtri nempe illi qui Romanis ad ſuffragia euntibus tabellas diribebant, hoc eſt, diſtribuebant. De quibus in Jul. ad cap. 80. & Cicero Oratione poſt reditum, num. 27. Torrentii ſententiam firmaverit & Plinii locus lib. 16. cap. 40. ubi & diribitorii meminit, & Agrippæ opus fuiſſe innuit.

3. *Familiarum*] Gladiatorum ſcilicet. De quibus in Jul ad cap 10. &c. pro *Magiſtratus* alii legunt *Magiſtros* ſcilicet vicorum. De quibus Aug. cap. 30.

4. *Fiſcis*] Fiſcus crumena eſt ſeu marſupium quoddam ſed grandius. De quo in Aug. ad cap. 15.

5. *Repraſentaturus*] In præſentia & ſine dilatione daturus jam. Supra in Cal. cap. 16. Aug. cap. 101. &c.

6. *Arctiore annona*] Hujus meminere & Tacitus 12. annal. & Joſephus lib. 20.

Digitized by Google

quæ nunc toxica dicimus. Meminit & Theophraſtus lib. 3. hiſt. Plant. cap. 6. & lib. 5. cap. 8. & alibi ſæpe.

CAPUT XVII.

EXPEDITIONEM unam omnino ſuſcepit, eamque modicam. Cum decretis ſibi à ſenatu [1] ornamentis triumphalibus leviorem majeſtati principali titulum arbitraretur, velletque juſti triumphi decus, unde acquireret, Britanniam potiſſimum elegit : neque [2] tentatam ulli poſt divum Julium, & tunc tumultuantem ob non redditos transfugas. Huc cum ab Oſtia navigaret, vehementi [3] Circio bis pæne demerſus eſt, prope [4] Liguriam, juxtaque [5] Stœchadas inſulas. Quare à Maſſilia [6] Geſſoriacum uſque pedeſtri itinere confecto, inde tranſmiſit : ac ſine ullo prælio aut ſanguine intra pauciſſimos dies A. U. C. 10 parte inſulæ in deditionem recepta, ſexto quam profectus erat menDCCXCVII ſe Romam rediit, triumphavitque maximo apparatu. Ad cujus ſpectaculum commeare in urbem non ſolum [7] præſidibus provinciarum permiſit, verum etiam exſulibus quibuſdam : atque inter hoſtilia ſpolia, navalem coronam [8] faſtigio Palatinæ domus juxta [9] civicam fixit, trajecti & quaſi domiti Oceani inſigne. Currum ejus Meſſalina uxor carpento ſecuta eſt. Secuti & triumphalia ornamenta eodem bello adepti, ſed cæteri pedibus & in [10] prætexta : Craſſus [11] Frugi equo phalerato, & in veſte [12] palmata, quod eum honorem iteraverat.

NOTÆ.

1. *Ornamentis triumphalibus*] Supra in Aug. ad cap. 38.

2. *Tentatam ulli*] Auguſtus quidem ejus intrandæ conſilium inierat, ſed ex Gallia propter Dalmatiæ tumultum revocatus deſtitit quo tempore Horatius lib. 1. Ode 35. Fortunam precabatur ut illum hac expeditione ſervaret.

Servet iturum Cæſarem in ultimos
orbis Britannos, &c. & Ode 5. lib. 3.

3. *Circio*] Circius ventus eſt Galliæ Narbonenſi infeſtiſſimus, cujus meminit & Gellius lib. 2. c. 22. & Seneca lib. 5. natural. quæſt. ubi & templum huic vento ab Auguſto votum & erectum refert Plinius quoque lib. 2. cap. 47.

4. *Liguriam*] In eo mari quod hodie *riviere de Gennes.*

5. *Stœchadas*] Tres ſunt inſulæ non longe à Maſſilia, quas hodie *les Iſles d'Hieres* ſecundum pleroſque.

6. *Geſſoriacum*] Plures exiſtimant eſſe hodie Bononiam maritimam in Picardia civitatem. Turnebus tamen variis conjecturis lib. 8. cap. 21. contendit vicum illum eſſe qui hodie *Seiaci* prope Audomari fanum hoc eſt *ſaint Omer* ; & quia locus ille remotior eſſe a mari videbatur quam ut Claudius inde in Britanniam tranſmiſiſſe dici poſſet, non levibus conjecturis probat plagam illam æquore olim inundatam fuiſſe ac recedentibus aquis, terræ accreviſſe, quod nempe locus ille hodieque ab incolis dicatur *Portus Seiaci*, quod tota regionis facies etiam in ſico præ ſe ferat ſinus imaginem, ac denique quod ab aratoribus terram vertentibus, ibi exaratæ quondam anchoræ fuerint. Quod certe probabilius videtur quam quæ laudatur à Schildio Screverii conjectura dicentis *Geſſoriacum* eſſe quaſi *Ceſariacium*, unde concludit portum Itium, qui hodie *Calais*, ut cenſent vulgo, eumdem eſſe cum Geſſoriaco. Certè Turnebus

Digitized by Google

magis accedit ad similitudinem nominis, cum e *Gessoriaco Soiati* factum dicit.

7. *Præsidibus provinciarum*] Iis non licebat e provincia egredi non expectato successore. Jam supra in Jul. ad cap. 8. notatum.

8. *Fastigio*] Quid sit fastigium domus dictum est in Jul. ad cap 81. Navalem coronam hîc appellat quam alii rostratam. Erat aurea speciem rostrorum referens, iis dari solita qui primi naves hostium insiliissent ut de murali, Castrensi, &c. dictum est. In Aug. ad cap. 25.

9. *Juxta Civicam*] De qua in Jul. ad cap. 2. appendebatur ad fores Imperatorum. In Tib. ad cap. 26.

10. *Prætexta*] Hæc & puerorum vestis & magistratuum. In Jul. ad cap. 1. Nota porro magni & prope divini honoris fuisse si quæ matrona carpento veheretur festis illis & ludorum Circensium solennibus diebus, ut de Claudii matre supra cap. 11.

11. *Crassus frugi*] Hoc etiam cognomen Pisonum fuit, & meminit Cicero in Tusculanis.

12. *Palmata*] Tunica fuit cui palmæ ex aliqua materia intextæ, vel pictæ. Patet etiam ex loco Livii supra in Aug. ad cap. 38.

CAPUT XVIII.

URBIS annonæque curam solicitissime semper egit. Cum [1] Æmiliana pertinacius arderent, in [2] diribitorio duabus noctibus mansit: ac deficiente militum ac [3] familiarum turba, auxilio plebem per magistratus ex omnibus vicis convocavit: ac positis ante se cum pecunia [4] fiscis, ad subveniendum hortatus est, [5] repræsentaturus pro opera dignam cuique mercedem. [6] Arctiore autem annona ob assiduas sterilitates, detentus quondam medio Foro à turba, * conuitiisque ac simul fragminibus panis ita [7] instratus, ut ægre nec nisi [8] postico evadere in Palatium valuerit: nihil non excogitavit ad invehendos etiam in tempore hiberno commeatus.

Notæ.

1. *Æmiliana*] Hæc erant ædificia extra urbis portas, ut ex Varronis lib. 3. de re rust. cap. 2. colligere est; *Nam quod extra urbem est ædificium nihilo magis ideo est Villa quam eorum ædificia qui habitant extra Portam Flumentanam, aut in Æmilianis.*

2. *Diribitorio*] Vox ista variè exercuit Interpretes. Sabellicus legit *derivatorio*, & existimat idem fuisse quod Castellum, ædificium nempe in aquæ ductibus, unde aquæ in varias Urbis partes derivabantur, qualia multa extruxit Augusti gener. Agrippa ut patet ex cap. 42. in Aug. Cujus & opus illud fuisse censuit. Cui opinioni lubens accesserim si adstipulentur Codices. Torrentius *diribitorium* retinet, & ejusdem Agrippæ imperfectum opus fuisse colligit ex Dionis lib. 55. ab eo institutum in regione Circi Flaminii non procul a septis ut diribitores illuc se reciperent, Ministri nempe illi qui Romanis ad suffragia euntibus tabellas diribebant, hoc est, distribuebant. De quibus in Jul. ad cap. 80. & Cicero Oratione post reditum, num. 17. Torrentii sententiam firmaverit & Plinii locus lib. 16. cap. 40. ubi & diribitorii meminit, & Agrippæ opus fuisse innuit.

3. *Familiarum*] Gladiatorum scilicet. De quibus in Jul ad cap 10. &c. pro *Magistratus* alii legunt *Magistros* scilicet vicorum. De quibus Aug. cap. 30.

4. *Fiscis*] Fiscus crumena est seu marsupium quoddam sed grandius. De quo in Aug. ad cap. 15.

5. *Repræsentaturus*] In præsentia & sine dilatione daturus jam. Supra in Cal. cap. 16. Aug. cap. 101. &c.

6. *Arctiore annona*] Hujus meminere & Tacitus 12. annal. & Josephus lib. 20.

Digitized by Google

cap. 3. Utpote qua magna fames fuit in multis imperii partibus.

7. *Infractus*] Cujacii Codices & alii bene multi quos laudat Casaubonus, legunt *infestatus*.

8. *Postico*] Posticum est porta in posteriore domûs parte. Horatius lib. 1. Epist. 5. vers. 31.

Atria servantem postico falle clientem.

Dicitur & *postica*. Ammiano Marell. *per posticam ingressus*. Et Ciceroni *Pseudo-thyrum*, quasi falsum ostium in Verrinis. Et Petronio *posticula*.

CAPUT XIX.

NAM & negotiatoribus certa lucra proposuit, suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset: & naves mercaturæ caussa fabricantibus magna commoda [1] constituit. Pro conditione cujusque, [2] civibus vacationem legis Papiæ Poppeæ: Latinis jus Quiritum: fœminis [3] jus quatuor liberorum: quæ constituta hodieque servantur.

Nota.

1. *Constituit*] Has voces ab iis qui Suetonium in capita secuerunt a præcedenti capite perperam divulsas iterum conjunxere Torrentius & Casaubonus; quorum prior pro *civibus* legit *civi*, & pro *Latinis* legit *Latino*. Quod & in Manuscripto notavit quoque Casaubonus, nec sensum immutat.

2. *Civibus*] Sensus est iis qui naves fabricarentur constituta pro singulorum conditione præmia: scilicet civibus Romanis immunitatem a Lege Papia Poppea. De qua Aug. cap. 34. Latinis vero, hoc est iis qui Latinitate duntaxat. De qua lib. 1. ad cap. 8. non vero civitate. De qua ibid. & cap. 24. gaudebant ipsam civitatem concessam, hæc est jus Quiritium, quo ejusdem cum civibus conditionis fiebant. Torrentius aliter hæc intelligit, nempe de varia libertorum conditione, ut Suetonius eives eos dixerit qui justam & plenam libertatem consecuti civium conditionis erant. Latinos vero qui imperfectam sic dictos, quod instar Latinorum essent qui variis modis justam illam libertatem assequi poterant. Verum e Jurisconsultorum libris fusius repete, & delibata sunt in Augusto ad cap. 40. Locum hunc agitavit Jurisconsultus clarissimus Petrus Faber lib. 1. semestrium, c. 25. Salmasius legit etiam *civi* & *Latino* pro *Latinis*.

3. *Jus quatuor liberorum*] Hæc verba Torrentium verosimiliter induxerunt ut totum hunc locum de libertinis explicaret; jus enim illud quatuor liberorum libertinis tantum mulieribus concessum intelligi debet, cum ingenuas non nisi tres habere liberos oporteret ad illud idem obtinendum. Verum auctor hic brevitatis amans, ut libertinas pariter ac ingenuas hac prærogativæ juris honoratas indicaret satis habuit proponere modum quo libertinæ possent illam assequi, arbitratus idem a fortiori de de ingenuis facile judicandum. Jus autem illud trium quatuorve liberorum in in eo maximè situm erat, ut fœminæ mortuorum liberorum hæredes esse possent cum antea lex duodecim tabularum adeo expelleret eos qui per fœminini sexus necessitudinem junguntur, ut ne quidem inter matrem filiamve ultro citroque hereditatis capiendæ jus daret. Quod primus immutavit D. Claudius, hereditate matri delata ad solatium liberorum amissorum, ut fusè Justinianus in Instit. lib. 3. titulo 3.

CAPUT XX.

OPERA magna potius quam necessaria, quam multa perfecit: sed vel præcipua, aquæductum a [1] Cajo inchoatum: item [2] emissarium Fucini lacus, portumque Ostiensem: quamquam sciret ex his alterum ab Augusto precantibus assidue [3] Marsis negatum, alterum [4] à D. Julio sæpius destinatum, ac propter difficultatem omissum: [5] Clau-

Digitized by Google

diæ aquæ gelidos & uberes fontes, quorum alteri Cæruleo, alteri Curtio & [6] Albudino nomen est, simulque rivum [7] Anienis novi lapideo opere in urbem perduxit, divisitque in plurimos & ornatissimos lacus. Fucinum aggressus est, non minus compendii spe quam gloriæ, cum quidam privato sumtu emissuros se repromitterent, si sibi siccati agri concederentur. Per tria autem passuum millia, partim effoso [8] monte, partim exciso, canalem absolvit ægre, & post undecim annos: quamvis continuis triginta hominum millibus sine intermissione operantibus. Portum Ostiæ exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio, & ad introitum profundo jam [9] solo mole objecta: quam quo stabilius fundaret, navem [10] ante demersit, qua magnus [11] obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini [12] Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent. Congiaria [13] populo sæpius distribuit.

NOTÆ.

1. *A Cajo inchoatum*] Caligula scilicet. Supra in Calig. cap. 21.

2. *Emissarum Fucini lacus*] In Jul. ad cap. 44. Portum Ostiensem postea instauravit Trajanus. Hujus operis magnificentia multis Auctorum & Inscriptionum ac Numismatum testimoniis celebratur, quippe huc appellebant undique reges, principes, legati, mercatores, &c. Opus hoc pictum expressit Petrus Ligorius, & inter splendida Urbis antiquæ opera retulit Jacobus Laurus.

3. *Marsis*] Populi in Latio vicini Fucino, unde etiam nomen hodiernum habet *Lago Marso*.

4. *Alterum a D. Julio*] Portus Ostiensis non meminit in Julio, sicut nec Fucini lacus in Augusto.

5. *Claudia aqua*, &c.] Hujus Castellum fuit ad Portam Næviam & Labicanam quæ hodie *Porta maggiore*, ubi visuntur adhuc Inscriptiones testantes hoc opus a Claudio factum & fontes illos Anieni junctos, quod & Plinius lib. 36. cap. 15. & Frontinus lib. 1. de Aquæductibus. Inscriptionem vide in calce operis.

6. *Albudino*] Hujus non meminit Plinius loco citato, unde Torrentius existimat eumdem esse cum Curtio. Frontinus loco citato diversos fontes, sed eodem canali junctos refert. Fuerunt plures aquæ hujusmodi in urbe immensis sumptibus derivatæ & ab eis qui derivarant appellatæ Martia, Julia, Claudia, Antoniniana, &c.

7. *Anienis novi*] Beroaldus legebat *novo lapideo*. Frontinus ibidem de aqua Claudia loquens, *Altera, quoniam duæ Anienis aquæ in urbem fluere cœperant, ut facilius appellationibus dignoscerentur, Anio novus appellari cœpit: & quod illas omnes præcesserat prior Anio, cognomen ei veteris est adjectum.* Lacus erant aquarum in publico receptacula e quibus petere omnibus fas esset

8. *Effosso monte partim exciso*] Quæ partim e terra partim e silicibus, ut notat Plinius, ubi opus hoc tantis laudibus effert ut *neque concipi animo, nisi ab iis qui viderе, neque humano sermone enarrari* posse contendat.

9. *Solo*] Sabellicus & Casaubonus censent legendum *salo*. Utrumque potest.

10. *Navem*] *Qua nave nil admirabilius visum in mari certum est*, ut ait Plinius lib. 16. cap. 40. ubi hanc describit & eadem narrat quæ Suetonius

11. *Obeliscus*] Auctore Amniano lapis est in figuram metæ sensim ad proceritatem consurgens excelsam & in radium gracilescens specie quadrata in verticem productus angustum minu lævigatus artificis sermonum innumeras notas continet, quæ Hieroglificæ appellantur, &c. Hujusmodi opera Soli sacrata dicit Plinius lib. 36. cap 8. cujus radiorum argumentum in effigie est. De his plura idem Plinius ibid. & capit. 9. Ex Ægypto in urbem invehebantur. Hunc

Digitized by Google

in Vaticano Circo positum narrat ibid. Plinius, & Sixtus v. Pontifex Maximus ingenti postea sumptu medio in foro collocavit in Dei gloriam & sanctissimæ Crucis exaltationem.

12. *Phari*] In Tib. ad cap. 74.

13. *Congiaria*] In Jul. ad cap. 27. &c.

CAPUT XXI.

SPECTACULA quoque complura magnificaque edidit, non usitata modo, ac solitis locis, sed & commentitia, & ex antiquitate repetita, & ubi præterea nemo ante eum. Ludos dedicationis [1] Pompeiani theatri quod ambustum restituerat, e [2] tribunali posito in [3] orchestra [4] com-
A. U. C. DCCC. 5 misit, cum prius apud [5] superiores ædes supplicasset, perque mediam [6] caveam [7] sedentibus ac silentibus cunctis descendisset. Fecit & [8] sæculares, quasi anticipatos [9] ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos: quamvis ipse in historiis suis prodat, *intermissos eos Augustum multo post, diligentissime annorum ratione subducta, in ordinem redegisse.* Quare
10 vox præconis irrisa est, invitantis more solenni ad ludos, *quos nec spectasset quisquam,* [10] *nec spectaturus esset*: cum supersent adhuc qui spectaverant, & [11] quidam histrionum producti olim, tunc quoque producerentur. Circenses frequenter etiam in [12] Vaticano commisit, nonnumquam interjecta per [13] quinos missus venatione. Circo vero maximo marmo-
15 reis [14] carceribus, auratisque [15] metis, quæ utraque & [16] tophina ac lignea antea fuerant, exculto, [17] propria Senatoribus constituit loca, promiscue spectare solitis. Ac super quadrigarum certamina, [18] Trojæ lusum exhibuit, & [19] Africanas conficiente turma equitum prætorianorum, ducibus Tribunis, ipsoque [20] præfecto: præterea [21] Thessalos
20 equites, [22] qui feros tauros per spatia Circi agunt, insiliuntque defessos, & ad terram cornibus detrahunt. Gladiatoria munera [23] plurifariam ac multiplicia exhibuit. [24] Anniversarium in castris prætorianis, sine venatione [25] apparatuque, [26] justum atque legitimum in [27] Septis, ibidem extraordinarium & breve, dierumque paucorum, quodque appellare co-
25 pit [28] *Sportulam*: quia primum daturus edixerat, *velut ad* [29] *subitam conditamque cœnulam invitare se populum.* Nec ullo spectaculi genere [30] communior aut remissior erat, adeo ut oblatos victoribus [31] aureos prolata [32] sinistra pariter cum vulgo, voce digitisque numeraret: ac sæpe hortando rogandoque ad hilaritatem homines provocaret, [33] *dominos* idem-
30 tidem appellans, immistis interdum frigidis & [34] accersitis jocis: Qualis est, cum [35] Palumbum postulantibus, *daturum* se promisit, *si captus esset.* Illud quoque plane quantumvis salubriter & in tempore, cum [36] essedario, pro quo quatuor filii deprecabantur, magno omnium favore indulsisset [37] rudem, [38] tabulam illico misit, admonens populum, *quan-*
35 *to opere liberos suscipere deberet, quos videret & gladiatori præsidio gratiaque esse.* Edidit & in Martio campo expugnationem direptionemque oppidi ad imaginem bellicam, & deditionem Britanniæ regum, præseditque [39]

Digitized by Google

Paludatus. Quin & emissurus Fucinum lacum, [40] naumachiam ante commisit. Sed cum proclamantibus naumachiariis, *Ave Imperator, morituri te salutant*, respondisset, [41] *Avete vos*: neque post hanc vocem, [42] quasi venia data, quisquam dimicare vellet, diu cunctatus, an omnes igni ferroque absumeret, tandem e sede sua prosiluit: ac per ambitum lacus, non sine [43] fœda vacillatione, discurrens, partim minando, partim adhortando ad pugnam compulit. Hoc spectaculo classis [44] Sicula & Rhodia concurrerunt, [45] duodenarum triremium singulæ, exciente buccina [46] Tritone argenteo, qui e medio lacu [47] per machinam emerserat.

NOTÆ.

1. *Pompeïani Theatri*] In August. ad c. 31. Sæpe in centum colligere est ex Tiber. cap. 41. & Calig. 21.

2. *Tribunali posito*] Posteriorem vocem omisere Beroald. & Sabell. & Torrentius in duobus Manuscriptis non exstare testatur.

3. *Orchestra*] Quid sit in Jul ad cap. 39. & Tiber. 66.

4. *Commisit*] Hoc est, signum dedit incipiendi. Vide infra in Ner. ad cap. 22.

5. *Superiores ædes*] Torrentius legit *sedes*, refragrato Beroaldo, qui nescio quas ædes non procul a theatro in superiore parte urbis astruebat: sed melius videtur intelligi debere de æde Veneris, quam theatro illi superpositam probat Lipsius Elect. lib. 1. c. 11. Tertulliani auctoritate motus, hic enim theatrorum lasciviam insectatus non mirum esse dicit quod Pompeius Veneris ædem theatro suo superposuerit.

6. *Caveam*] In Aug. ad cap. 44.

7. *Sedentibus ac silentibus*] Quod ideo notavit quia insolitum: nam advenienti Principi assurgebant, & voce plausuque gratulabantur. Martial. Lib. 6. Epig. 34.

Quoisque sonant pleno voceque manuque theatra
Cum subiti populus Cæsaris ora videt.

8. *Sæculares*] Anno ab U. C. 800. teste Tacito Annal 11. quarto & sexagesimo postquam Augustus ediderat.

9. *Ab Augusto*] Sup. in Aug. ad cap. 31. & infra in Domit. ad cap 4.

10. *Spectaturus esset*] Verba sunt præconis invitantis ad ludos visendos, & falsa siquidem annis minus 45. post iterum editi sunt à Domitiano.

11. *Quidam Histrionum*] Stephanio ille de quo Aug. cap 45. His quoque Claudi ludis productus est, ut docet Plinius lib. 7. cap. 48. & diu adhuc postea vixisse.

12. *Vaticano*] Collis fuit prope triumphalem portam qua in regione est hodie Templum D. Petri.

13. *Quinos missus*] Missus dicebantur quoties equi bigæ vel quadrigæ sese in cursum effundebant ad metas circumeundas; quod unius diei spatio primùm quinquies & vicies, postea quater tantum & vicies fieri solenne fuit in Circensibus. Singulis missibus quatuor currus emittebantur. Qua de re Servius ad 3. Georgic. vers. 18.

Centum quadrijuges agitabo ad flumina currus,

14. *Carceribus*] Carceres sunt repagula unde currus prorumpebant dato a Magistratu aut ab Imperatore signo, ac reclusis derepente & eleganti artificio portis. Virg. 1. Georg. vers. penult.

Ut cum carceribus sese effudere quadrigæ.

15. *Metis*] Metarum figura propemodum eadem erat quæ Pyramidis a lato incipiens in altum fastigiatæ per modum inversi turbinis, aut fœni acervorum, quos ideo Columella metas quoque appellat. Lib. 2. cap. 19.

16. *Tophina*] Tophus est genus lapidis asperi & friabilis, qui & parvi ponderis est & facile abit in arenam. Livius lib. 8. decadis 1. refert statutos primum carceres in Circo, ab anno U. C. 325. sed ex qua materia fuerint, non expressit.

17. *Propria Senatoribus loca*] Ea ab Augusto jam secreta constat ex cap. 44. in ejus vita, sed in amphitheatro tantum videntur assignata, ut ex cap. 45. ibidem colligere est, non in Circo, quod fecit Claudius; saltem juxta Suetonii historiam, Die-

Digitized by Google

ni quippe non omnino convenit.

18. *Troja.*] In Jul. ad cap. 39. De hoc ludrico ut & de quadrigis.

19. *Africanas*] Pantheras. Cal. ad cap. 23.

20. *Prefecto*] Prætorianorum: Supra ad cap. 12.

21. *Theſſalos equites*] Plinius lib. 8. c. 45. refert Theſſalorum inventum fuiſſe tauros necare cornu intorta cervice, vel potius ut emendant qui errorem ſubeſſe credunt, *cornu intorto reſtibus* aut *retibus*: Hujus enim venationis taurorum peritiſſimi Theſſali illis adequitabant, & injecto in cornua vinculo magna vi proſternebant. Cujuſmodi ſpectaculum a Julio Cæſare primo editum ait ibidem Plinius.

22. *Feros*] An ſylveſtres, quales dicimus *ſauvages*? an vero indomitos & minaces? non definit. De vulgaribus tamen tauris loqui videtur Plinius toto illo capite.

23. *Hilariſſariam*] Pluribus in locis, ut in Aug. ad cap. 100.

24. *Anniverſarium*] Singulis annis edendum, propter receptum eo loci Imperium. Supra cap. 10.

25. *Apparatu*] Supra in Jul. cap. 10 &c.

26. *Juſtum ac legitimum*] Juſtum munus intelligit quod fit cum apparatu ordinario & venationi jungitur. Legitimum verò quod fit tempore & loco ſolito.

27. *Septis*] Septa ſive ovile in Campo Martio. Supra in Aug. ad cap. 43. & Tib. 27. &c.

28. *Sportulam*] Vide in Aug. ad cap. 74.

29. *Subitam conditamque*] Vide in Tiber. ad cap. 42.

30. *Communior*] Hoc eſt, magis familia is & comis, unde alii legendum cenſent *comior*, quod idem eſſe videtur apud Terentium Heautontim. act. 5. ſc. 1. verſ. 39.

Quemquam animo tam communi eſſe aut leni putas
Quiſe vidente, &c.

31. *Aureos*] De his infra in Oth. ad cap. 4 morem illum innuit quo populus aurum victoribus dari depoſcebat. Juvenal. Satyr. 7. verſ. ult.

Accipe victori populus quod poſtulat aurum.

Martial, lib. 10. Epig. 74. & pro ipſis equis poſtea petitum teſtis eſt Capitolinus in Vero *volucri equo Praſino mortuo ſepulchrum in Vaticano fecit. In hujus equi gratiam primum cœperunt equis aurei vel bravia poſtulari.*

32. *Siniſtra*] Videtur innuere priſcum illum morem numerandi per digitos, cujus hæc inter alias lex erat, ut quicumque numeri infra centum ſiniſtra manu indicarentur, dextra verò qui ſupra centum. Unde Juvenal. Satyr. 10. verſ. 249. de longæva Neſtoris vita.

Qui tot per ſæcula vitam
Diſtulit atque ſuos jam dextra computat annos.

33. *Dominos*] Hac appellatione ſalutabant obvios quorum nomina non ſuccurrebant.

34. *Accerſitis*] Minime appoſitis ad rem ſed à longe petitis.

35. *Palumbum*] Gladiatoris nomen eſt, ut Columbus, &c. De quo Calig. cap. 35.

36. *Eſſedarium.*] Calig. ad cap. 35.

37. *Rudem indulſit*] Hoc eſt, a pugnandi onere in perpetuum liberavit, rude donata quæ bene meritorum præmium erat. Unde Horatius lib. 1. Epiſt. 1.

Si, ellatum ſatis & donatum jam rude, quaris
Mæcenas iterum antiquo me includere Circo.

Hinc Rudiarii dicti in Tib. cap. 7. quid hoc a miſſione differat in Aug. ad c. 45. Quid ſit rudis in Calig. ad cap. 32. num. 8.

34. *Tabulam miſit*] Refert Dio Claudium præconibus raro uſum, ſed tabulis inſcripta omnia divulgaſſe, benigne & comiter poſtulata præbentem. Vide in Aug. ad cap. 42.

39. *Paludatus*] Caſaubonus in Liſlæi codice legit *paludamentatus*, paludamentum bellicum erat Imperatoris veſtimentum. Supra in Jul. cap. 64. & Aug. 10.

40. *Naumachiam*] Navalem pugnam. Supra ſæpe hanc fuiſſe egregiam inter omnes quæ præceſſerant ex eo colligere eſt, quod Domitiani Naumachiæ illam componat Martialis, ut hujus in majus extollat Epig. 28. lib. Spect.

Fucinus & pigri taceantur ſtagna Neronis
Hanc norint unam ſæcula naumachiam.

41. *Avete vos*] Schildius in Salmaſiano codice legit *aut non* quod cum referretur ad

morituri

morituri, hinc videretur præbita naumachiariis facilior occasio in suam gratiam responsum hoc explicandi

41. *Quasi data venia*] Vel quod eos non morituros indicasset, vel saltem quod avere jussisset; unde factam sibi pugnandi veniam interpretabantur, cum pugnari non posset sine multorum interitu.

43. *Fœda*] Hoc est tremula, & qualis est senis infirmissimi. Quo sensu Juvenalis Sat. 6. de illo: (*suasit*

Ille senis tremulumque caput descendere
In cœlum, & longam manantia labra salivam.

Qua vacillatione obscœnum forte quid inerat, ut ex cap. 30. infra colligere est.

44. *Sicula classis & Rhodia*] Non quasi Rhodii forent aut Siculi naumachiarii, sed quia insulares illi artis nauticæ peritissimi, vel quia juxta eorum consuetudinem pugnaturi erant, sic appellatæ sunt classes. Dio enim lib. 55. appellatos tantum fuisse notat.

45. *Duodenarum triremium*] Dio ibidem naumachiarios omnes morte damnatos referens, quinquaginta hinc & inde navibus vectos addidit: Suetonius, duodenas tantum triremes assignat, unde alterutrius error manifestus esse videtur Lipsius ad 12. Annal. Taciti, ubi hæc ipsa narrantur, Dionem sequitur, & falsum Suetonium affirmans, *quinquagenum* hîc legendum pronuntiat. Torrentius minime audiendum admonet, loco Taciti supradicto fretus, ubi undeviginti hominum millia ad hanc pugnam armatos narrat, quem numerum tantæ navium multitudini vel nauta judice merito prædicat, unde legendum censet *duodevicenarum*; mutatione quidem minori quam Lipsius, qua tamen quod vult effici non videtur, quia non amplius quam quingentos singulis navibus vectores assignat; hac enim ratione non nisi duodeviginti hominum millia fuisse oporteret, quos tamen undeviginti fuisse Tacitus auctor est. Verùm quid si triremes plusquam quingentos caperent? Si septingentos aut octingentos? Si septingentos nonaginta duos, unde viginti millibus suffecturæ sunt a Suetonio triremes assignatæ. Huic conjecturæ favere videtur Tacitus ibidem triremes quadriremesque memorans; cum enim hæ majores essent, majorem quoque numerum continuisse necesse est: qua ratione Suetonio cum Tacito fortasse convenerit, quin & utrique cum ipso Dione, si totus Taciti locus expendatur; addit enim *cinctum ratibus ambitum, ne vaga effugia forent.* Dio quippe dici potest, rates & triremes, hoc est tam pugnæ quam usui illi destinata navigia, unica *vasa*, hoc est *navis* appellatione complexus, cum Auctor hîc noster non nisi triremes, hoc est pugnaturas, expresserit.

46. *Tritone*] Triton Neptuni tubicen, ejus & Salaciæ Nimphæ filius, si fides Servio ad 1. Æneid. Meminit etiam in sexto, ubi de Miseno ipsum provocante ait,

Cava dum personat æquora pompa
Demens & cantu vocat in certamina divos
Æmulus exceptum Triton (sic reddere dignum est)
Inter saxa virum spumosa immersorit unda.

47. *Per machinam*] Duplex illa fuit; non enim ex undis tantum emersit argenteus ille Triton, sed & buccina cecinit, quemadmodum in hydraulicis organis fieri etiam hodie videre est. Vitruvius auctor est omnimodas ferme voces & organa, ab organariis illis exprimi aquarum in varias fistulas immissarum assultu & agitatione. Quod eleganter a Claudiano describitur, carmine ad Manlium:

Et qui magna levi detrudens murmura tactu
Innumeras voces fegetis moderatur ahenæ.
Intonat erranti digito, penitusque trabali
Vecte laborantes in carmina concitat undas.

Quod & in theatro inter machinas sonitum edentes, factitatum probant hi versus Cornelii Severi in Ætna: quod opus Virgilio nonnulli tribuunt:

Nam veluti resonante diu Tritone canoro
Pellit opus collectus aqua victusque movere
Spiritus & longas emugit buccina voces,
Carminaque irriguo magni cortina theatri
Imparibus numerosa modis canit arte regentis.

Cujus meminit & Servius in 7. Æneid. v. 23.

Neptunus ventis implevit vela secundis.

Physice, inquit, *locutus est; mota enim aqua ventus creatur, ut videmus in bombis organorum.*

CAPUT XXII.

QUÆDAM circa cærimonias, civilemque & militarem morem, item circa omnium ordinum ſtatum, domi foriſque, aut correxit, aut exoleta revocavit, aut etiam nova inſtituit. In cooptandis per collegia Sacerdotibus, neminem niſi [1] juratus nominavit: obſervavitque ſedulo, ut quoties [2] terra in urbe moviſſet, ferias advocata concione Prætor indiceret: utque [3] dira avi in Urbe aut in Capitolio viſa, obſecratio haberetur, eamque ipſe jure Max. Pont. commonito pro Roſtris populo [4] præiret, [5] ſubmotaque operariorum ſervorumque turba.

Nota.

1. *Juratus*] Hoc eſt, niſi jurejurando affirmaſſet digniſſimum a ſe nominandum.

2. *Terra moviſſet*] Hoc eſt, ſi terræ motus factus eſſet; ejus enim rei cauſſa ferias edicto imperabant: quoniam vero & qua vi & per quem deorum dearumve terra tremeret, incertum eſſet; hinc Dei nomen ſtatuere & edicere quieſcebant, ne alium pro alio nominando falſa religione populum alligarent. Quæ omnia fuſius apud Gellium lib. 2. cap. 28. & lib. 4. cap. 6.

3. *Dira avi*] Hoc eſt, infauſta & mali ominis, quales ſunt bubones, noctuæ, quas lugubres aves appellat Horatius libro 3. Od. 3.

Troja renaſcens alite lugubri
Fortuna, &c.

& malas, Od. 10. Epod. quarum cauſſa ſemper pavefacti Romani uſque, ut totam civitatem quondam luſtrarint propter bubonem Capitolini Jovis cellam ingreſſum, ut narrat Plinius lib. 10. cap. 12. ubi de hac ſuperſtitione alia multa. Lucanus quoque varias hac de cauſſa cerimonias deſcribit lib. 1. Pharſal. Vulgati legebant hîc, *ob dira aut in Urbe aut in Capitolio?* Quod codicum fide Turnebus emendavit lib. 22. cap. 31.

4. *Præiret*] Hoc eſt prælegeret, ut reliqui mox ſequerentur idem repetentes ſolennia nempe quædam verba, quibus fiebat obſecratio. Hinc Livius lib. 8. *Agedum Pontifex publicus populi Romani præi verba.* Et Plinius lib. 28. cap. 2. *Vidimus*, inquit, *certis precationibus obſecraſſe ſummos Magiſtratus & nequid verborum præteratur, aut præpoſterum dicatur deſcripto præire aliquem, rurſuſque alium cuſtodem dari qui attendat: alium vero præponi qui favere linguis jubeat, tibicinem canere ne quid aliud exaudiatur.*

5. *Summota operariorum turba*] Utpote quæ ut maxima pars peregrinorum eſſet, (viliores enim artes ad bellum nati Romani non multum coluere) hos ergo peregrinos viliores eſſe cenſuit quam ut ſolennibus populi Romani ſacris intereſſent, viliſſima quippe illa turba maxime poſt mutatam Rempublicam; nam antea ad honores & ſuffragia admiſſa quandoque legitur apud Halicarnaſſeum lib. 2. & 6. ubi turbam hanc a civibus ſeparat.

CAPUT XXIII.

RERUM [1] actum diviſum antea in hibernos æſtivoſque menſes conjunxit. Juriſdictionem de fidei commiſſis quotannis, & tantum in urbe delegari magiſtratibus ſolitam in perpetuum, atque etiam per provincias poteſtatibus demandavit. [3] Capiti Papiæ Poppeæ legis, a Tiberio Cæſare, quaſi [4] ſexagenarii genetare non poſſent, [5] addito, [6] obrogavit. Sanxit ut pupillis [7] extra ordinem tutores a Coſſ. darentur, utque hi, quibus a magiſtratibus Provinciæ interdicerentur, urbe quoque & Italia ſubmoverentur. Ipſe quoſdam novo exemplo relegavit, ut ultra lapidem tertium vetaret egredi ab urbe. De majore negotio

Digitized by Google

acturus, in curia medius inter Consulum sellas, [8] tribunitio subsellio sedebat. [9] Commeatus a Senatu peti solitos beneficii sui fecit.

Notæ.

1. *Actum*] Patet hîc intelligendum eodem sensu quo supra cap. 15. & videtur loqui de semestribus illis consiliis quæ ab Augusto instituta retulit, supra in Augusto cap. 35.

2. *Fideicommissis*] Ea sunt quæ restituenda fidei alicujus committuntur: quibus enim hereditatem vel legata relinquere non poterant, quales erant peregrini, sed & cœlibes, & orbi, &c. post Legem Papiam de qua supra in Augusto ad c. 34. iis si quid a se relictum vellent, eorum fidei committebant qui capere ex Testamento poterant: hoc est, illis ea conditione dabant ut restituerent. Quæ ideo fideicommissa appellata sunt, quia nullo juris vinculo continebantur, sed tantum pudore eorum qui rogabantur. Postea Augustus ob insignem quorumdam perfidiam quodque rogatus, ut aiunt, per salutem suam diceretur, & ob personarum gratiam, jussit Consulibus auctoritatem suam interponere: quod quia justum videbatur, & populare erat, paulatim in assiduam jurisdictionem conversum est, tantusque favor eorum factus, ut Prætor proprius crearetur qui de fideicommissis jus diceret quem fideicommissarium appellabant. Qua de re plura in Jurisconsultorum libris ad *L. 2. ff. de Origine Juris*, ubi duos ad id Prætores a Claudio institutos legere est. & Instit lib 2. tit. 23.

3. *Capiti Papiæ Poppææ*] De hac lege in Augusto ad cap. 34. Uno e capitibus illius Legis cavebatur ne quis sexaginta natus annos uxorem duceret minorem annis quinquaginta, ac vicissim; sed caput illud additum fuisse a Tiberio nemo præter Suetonium dixit, quin e contra Taciti Annal. 3. constat lenitam ab ipso non auctam Papiæ Legis acerbitatem, propter varia illius incommoda quæ, ut ait idem Auctor, *altius penetrabant, urbemque & Italiam, & quod usquam est civium corripuerant.* Unde *multorum exciti status, & terror omnibus intentabatur, ni Tiberius statuendo remedio*, &c. Ac tandem *exoluti plerique Legis nexus levamentum fuere.* Ex quo loco Torrentius credidit voces *a Tiberio* imperiti, cujusdam manu additas, & rejiciendas.

5. *Sexagenarii*] Quia & octogenarii patres plures, ut de Massinissa & Catone censorio legitur.

4. *Addito*] Sic Casaubonus ex Memmii & Lisæi codicibus, sic & vetus editio Rob. Stephani. Torrentius in suis omnibus *edicto* legit & servat. Vulgati *edito*. Quid si caput illud Papiæ Poppææ Legi additum dixeris a Tiberio in sexagenariorum gratiam? Utpote quo permittebantur juniores ducere uxores, antiquato illo ejusdem Legis capite quo prohibebantur, hoc contextu phrasis & sensu, *Claudius, quasi sexagenarii generare non possent, obrogavit capiti quod Tiberius addiderat Legi Papiæ* in eorum gratiam. Ut intelligatur Claudius ipse intendisse Legis severitatem lenitam à Tiberio, ut constat ex superiore Taciti loco. Quod & cum superiori capite cohærere optime videtur, ubi multa correxisse, & exoleta revocasse dicitur; & ipsius Claudii ingenio, utpote qui procreandis liberis populum dare operam vellet, ut patet exemplo Essedarii illius de quo supra cap. 21. Cui procreationi liberorum obstare crederet conjunctionem illam discrepantium ætatum, ex qua nulli aut nimis imbecilli partus edantur, quæ & Platonis mens est lib. 4. de Legibus.

5. *Obrogavit*] Vulgati *abrogavit*. Quod aliud significat. Ulpianus lib. 1. Institut. *Lex aut rogatur, id est fertur; aut abrogatur, id est posteriori Lege tollitur; aut derogatur, ideſt pars tollitur; aut subrogatur, id est adjicitur aliquid primæ Legi; aut obrogatur, id est mutatur aliquid ex primâ Lege.* Cui adde Legem 191. de verb signific. & Ciceronem ad Atticum lib. 3. epist. 23. quæ est omnium 65.

6. *Extra ordinem*] Ordinario quippe jure, hoc est Lege XII. Tabul si pupillorum pater tutorem Testamento non dedisset, proximo agnato tutela defereb atur: quod utrumque si deesset, Prætor urbanus cum majore parte Tribunorum (decem enim erant Tribuni plebis) in Provincii, vero Præsides illarum, dandi tutoris jus habebant. Quam curam Claudius Consulum esse voluit: quod ad M. Antoninum obti-

nuit; ab hoc enim, ut narrat Capitolinus, Prætor Tutelaris institutus est, quemadmodum a Claudio Fideicommissarius.

7. *Tribunitio subsellio*] Propter sacrosanctam Tribunorum personam, ut in Augusto ad cap. 27. notatum, honoratissimus erat ille locus; & ideo Cæsari Dictatori, ac cæteris post illum Imperatoribus a Senatu decretus, ut ex Dionis lib. 42. notavit Casaubonus.

8. *Commeatus*] Discedendi facultates, de quibus supra ad cap 16. Refertur forte etiam ad cap. 42. in Jul.

CAPUT XXIV.

ORNAMENTA consularia etiam [2] procuratoribus ducenariis indulsit. [3] Senatoriam dignitatem recusantibus, equestrem quoque ademit. [4] Latum clavum, quamvis initio affirmasset non lecturum Senatorem, nisi civis Rom. abnepotem, etiam libertini filio tribuit: sed sub conditione, si prius ab equite Rom. adoptatus esset. Ac sic quoque reprehensionem verens, etiam Appium Cæcum generis sui [5] proauctorem, [6] libertinorum filios in Senatum allegisse docuit: ignarus, temporibus Appii & deinceps [7] aliquandiu *libertinos* dictos, non ipsos qui manumitterentur, sed [8] ingenuos ex his procreatos. [9] Collegio Quæstorum pro stratura viarum gladiatorum munus injunxit; detractique [10] Ostiensi & Gallica provincia, curam [11] ærarii Saturni reddidit, quam [12] medio tempore prætores aut [13] utique Prætura functi sustinuerant. Triumphalia ornamenta [14] Silano filiæ suæ sponso nondum puberi dedit. Majoribus vero natu, tam multis, tamque facile, ut epistola communi legionum nomine exstiterit, petentium, [15] *ut legatis consularibus simul cum exercitu & triumphalia darentur, ne causssam belli quoquo modo quærerent.* A. Plautio etiam [16] ovationem decrevit; ingressoque urbem obviam progressus, & in Capitolium eunti, & inde rursus revertenti [17] latus texit. Gabinio Secundo, Chaucis, gente Germanica, superatis, [18] Chaucius cognomen usurpare concessit.

NOTÆ.

1. *Ornamenta Consularia*] In Julio ad cap. 76.

2. *Procuratoribus ducenariis*] De Procuratoribus Cæsaris, supra ad cap. 12. Cur autem hi ducenarii appellati fuerint, varie varii tradidere: Alii, quod ex decuria Judicum ducenariorum essent, de quibus in Augusto cap 32. Alii, quod ducentesimam ex auctionibus colligerent, de qua Calig. cap. 16. ubi *centesimam* legendum est. Alii denique verius, ut ex Dionis lib. 53. perspicuum est, quod ducena pro stipendio suo sestertia acciperent, hoc est 8750 lib. quod ab Augusto institutum idem auctor est, ac colligi posse videtur ex cap. 36. in ejus vita.

3. *Senatoriam dignitatem*, &c.] Vide in Augusto cap. 40.

4. *Latum clavum*] In Julio ad cap. 45. & 48. &c.

5. *Proauctorem*] Hoc est, longa & remota origine auctorem: quo sensu etiam proavus dicitur. De hoc Appio in Tiberio cap. 1.

6. *Libertinorum filios*] Qui quanquam ingenui sint, eorum tamen lectionem ab Appio Cæco factam adeo ignominiosam censuerunt, ut Plautius Appii collega pudore victus censura se abdicavit, ut refert Livius lib. 9. Decad 1.

7. *Aliquandiu libertinos dictos*] Aperte innuit non ita semper appellatos, sed ipsos qui manumitterentur aliquanto post Appii censuram libertinos quoque nuncupari solitos. Vide & in Augusto cap. 25.

8. *Ingenuos*] Hos enim liberos nasci

Digitized by Google

placuit, qui ex patre & matre manumissis nascerentur: ingenuus autem is est qui statim ut natus est, liber est. Unde Horatius quamvis libertino patre natus, ingenui tamen se filium prædicat, Sat. 6. lib. 1. v. 20.

censorque moveret
Appius, ingenuo si non esset patre natus.

Ex qua etiam Satyra patet libertinos ab Horatio pro ingenuis habitos: versu eum 45.

Nunc ad me redeo libertino patre natum.

9. *Collegio Quæstorum*] De Quæstura, quæ primus erat Magistratus urbanus, supra in Julio cap 6. Ad Quæstores pertinebat sternendas vias curare, quod immutatum notat hîc Suetonius. Gladiatorum meminit Tacitus lib. 11. Annal. *P. Dolabella censuit munus gladiatorum edendum pecunia eorum qui Quæsturam adipiscerentur.* Mutavit rursus Nero, eodem Auctore lib 13. qui voluit *ut ne designatis quidem Quæstoribus edendi gladiatores necessitas esset*, & restituit Domitianus infra in ejus vita cap. 4.

10. *Ostiensi & Gallica Provincia*] Torrentius emendandum censet & *callium Provincia*, eodem sensu quo in Julio cap. 19. totam enim Galliam ampliorem fuisse credit, quam ut Quæstoria tantum esset. Hunc refellit Dionis auctoritate Casaubonus: libro quippe 55. clare docet Quæstores ab Augusto præfectos oræ maritimæ, eosque ad urbem (quæ Ostiensis ista Provincia est de qua hîc sermo) & quibusdam aliis Italiæ locis, inter quæ Galliam intelligit, non quidem totam, sed eam tantum partem quæ administrationi Quæstorum subjacebat, quam circumpadanam fuisse colligere est ex Plutarcho in vita Sertorii. Ostiensis meminit quoque Cicero in Oratione pro Murena; unde patet male a quibusdam legi *decreta* pro *detracta*.

11. *Ærarii Saturni*] De eo sic Macrobius lib. 1. Saturnal. cap 8. *Ædem Saturni, Romani ærarium esse voluerunt, quod tempore, quo incoluit Italiam, ferunt in ejus finibus nullum esse furtum commissum, aut quia sub illo nil erat cujusquam privatum.*

Nec signare solum aut partiri limite campum
Fas erat, in medium quærebant.
(Virgil. Georgic. 1.)

Ideo apud eum locaretur populi pecunia communis, sub quo fuissent cunctis universa communia. Cujus rei causas & alias enumerat Plutarchus in Probiematis; quarum præcipua est, quod Valerius ille Publicola, a quo id institutum, ductus est opportunitate loci, quem utpote editum, ab insidiis tutissimum existimavit.

12. *Medio tempore*] Ab Augusto ad Claudium, quod ita se habet. Usque ad tempora Julii Cæsaris, cura ærarii fuit penes Quæstores, supra in Julio cap. 6. Quarto Julii Consulatu, dum ipse esset in Hispania, nulli Quæstores creati; cura autem ærarii ad Ædiles translata, auctore Dione lib. 43. A quibus non ad Quæstores pro veteri consuetudine rediit, sed ad Prætores Prætorioswe, Augusto volente, in ejus vita c. 36. Unde Torrentius merito suspicatur auctum ab eo Prætorum numerum. Hinc etiam Prætores ærarii leguntur apud Frontinum, & postea Præfecti ærarii apud Gellium lib. 13 cap. 23.

13. *Utique*] Multi tam vulgati, quam MSS. leguat, *aut utique tunc*. Turnebus, *uti nunc*, ut referatur ad Suetonii tempora, cui etiam favet locus Gellii. Sed prior lectio stabilitur supradicto Augusti cap. 36.

14. *Silano*] Hunc quanquam Claudio tunc temporis carissimum, postea perdidit Agrippina, ut ex Taciti lib. 12. initio patet.

15. *Legatis Consularibus*] De legatis in Aug cap. 47. &c.

16. *Ovationem*] Quale sit istud triumphi genus, in Tiberio cap. 1.

17. *Latus texit*] Dextrum latus incedendo honorificentius erat, & interior dicebatur qui a dextro latere incedebat. Ovid. 5. Fast.

Et medius juvenum, non indignantibus ipsis,
Ibat, & interior si comes unus erat.

qui vero a sinistro, ille dicebatur exterior: Horatius Sat. 5. lib. 2. vers. 17.

ne tamen illi
Tu comes exterior si postulet, ire recuses.

quod & *latus tegere* dicebant, ut ibidem Horatius declarat superiori versui respondens:

Ut ne tegam spurco Damæ latus?

& Eutropius loquens de triumpho ejusdem Plautii, qui plura fortiter gesserat in Britannia: *Triumphantem ipse* (Claudius nempe) *prosequeretur, & conscendens Capitolium lævus incederet.*

18. *Chaucius*] Chauci sunt populi Ger-

Digitized by Google

maniæ, majores scilicet inter Albim & Visurgim fluvios, *l'Elbe & le Vveser*, quorum caput *Breme*; & minores inter Visurgim & Amasium, qui hodie *Ems* in Frisiæ & Vvestphaliæ confiniis. Majores Chaucos alii locant, ubi nunc Luneburgenses.

CAPUT XXV.

EQUESTREIS militias ita ordinavit, ut post [1] cohortem, alam: post alam, tribunatum legionis daret: stipendiaque instituit, & imaginariæ militiæ genus, quod vocatur [2] *Super numerum*, quo absentes, & titulo tenus fungerentur. Milites domos Senatorias salutandi caussa ingredi, etiam patrum decreto prohibuit. Libertinos, qui se pro equitibus Romanis agerent, [3] publicavit. [4] Ingratos & de quibus patroni quererentur, [5] revocavit in servitutem; advocatisque eorum negavit se adversus libertos ipsorum jus dicturum. Cum quidam ægra & affecta mancipia in [6] insulam Æsculapii tædio medendi exponerent, omnes qui exponerentur, liberos esse sanxit, nec redire in ditionem domini, si convaluissent: quod si quis [7] necare quem mallet quam exponere, cædis crimine teneri. Viatores ne per Italiæ oppida, nisi aut pedibus, aut sella, aut [8] lectica transirent, monuit [9] edicto. Puteolis & Ostiæ singulas cohortes ad arcendos incendiorum casus collocavit. [10] Peregrinæ conditionis homines vetuit usurpare Romana nomina, dumtaxat [11] gentilitia. Civitatem Romanam usurpantes in [12] Campo Esquilino securi percussit. Provincias [13] Achaiam & Macedoniam, quas Tiberius ad curam suam transtulerat, [14] Senatui reddidit. [15] Lyciis ob exitiabiles inter se discordias libertatem ademit: Rhodiis ob pœnitentiam veterum delictorum reddidit. [16] Ilienſibus, quasi Romanæ gentis auctoribus, tributa in perpetuum remisit: recitata vetere epistola Græca Senatus Populique Rom. [17] Seleuco Regi amicitiam, & societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset. [18] Judæos impulsore [19] CHRESTO assidue tumultuantes Roma expulit. Germanorum legatis in [20] orchestra sedere permisit, simplicitate eorum & fiducia motus, quod in [21] popularia deducti, cum animadvertissent Parthos & Armenios sedentes in [22] Senatu, ad eadem loca sponte transierant, nihilo deteriorem virtutem aut conditionem suam prædicantes. [23] Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantum civibus sub Augusto interdictam, [24] penitus abolevit. Contra, [25] sacra Eleusina etiam transferre ex Attica Romam conatus est. Templum quoque in Sicilia [26] Veneris Erycinæ vetustate collapsum, ut ex [27] ærario Populi Romani reficeretur, auctor fuit. Cum Regibus fœdus in foro icit, [27] porca cæsa, ac vetere [29] fecialium præfatione adhibita. Sed & hæc & cætera, totumque adeo ex parte magna principatum, non tam suo, quam uxorum libertorumque arbitrio administravit: talis ubique plerumque, qualem esse cum aut expediret illis aut liberet.

Digitized by Google

NOTÆ.

11. *Post cohortem*] Vide in Augusto c. 38. ubi alius militiæ ordo. Alæ quippe sociorum distributorum in decem cohortes, quarum singulæ 360 homines continebant. Suetonii vero temporibus alas non nisi equitum auxiliariorum fuisse contendunt, de quibus fuse Lipsius lib. 2. de Militia cap. 6. & 7. & Salmasius commentario de Militia.

2. *Super numerum*] Alii legunt *supra*. Supernumerarii milites apud Vegetium lib. 2. cap. 1. sunt qui post completam legionem addebantur, qui & *accensi* appellati. Sed ab his diversi de quibus hîc sermo.

3. *Publicavit*] Non definit an bona duntaxat illorum proscripserit: quo sensu supra cap. 8. An vero ipsorum quoque personas, ut de famosis fœminis, supra Tib. cap. 75. tam utrumque fieri potest quam alterutrum. Vide & Aug. cap. 24.

4. *Ingratos*] *Ingratus libertus est, qui patrono obsequium non præstat, vel res ejus, filiorumve tutelam administrare detrectat.* Ex Lege 19. *ff. de Iure Patronatus*, aut qui patrono delatores summiserit ad faciendam ei status controversiam (num scilicet liber, num servus esset) ut Lege 5. ff eodem, ubi hujus Constitutionis meminit Jurisconsultus.

5. *Revocavit in servitutem*] Exemplo Athenienſium quorum in Urbe adversus ingratos actio constituta est, de qua Valerius Max. lib. 5. cap. 3.

6. *Insulam Æsculapii*] Dicitur hodie Insula Sancti Bartholomæi, eademque insula Tiberina dicebatur, de qua Livius lib. 2. initio, antequam Æsculapius ingruente peste Romam Epidauro deferretur, de quo idem Livius lib. 10. Decad. 1. & Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. & Ovidius 15. Metam. Ibi extructum Æsculapio Templum in quo ægri exponebantur ad captanda somnia: & Torrentius testis est Romæ extare tabellas marmoreas, quibus etiam hujusmodi miracula enarrantur. De hoc more servos infirmos exponendi Zonaras & Dio plura narrant, ac Jureconsulti ad Leg. 2. *ff. Qui sine manumissione ad libertatem proveniant. Servo quem pro derelicto dominus ob gravem infirmitatem habuit, ex Edicto D. Claudii competit libertas.* Quin & recens natos infantes vel occidere vel exponere ad cædem liceret: quod jus ab Imperatoribus Christianis postea, quamquam non statim, sublatum est, ut patet ex codice Theodosiano tit. *de expositis.*

7. *Necare mallet*] Hæc enim ipsis tam in filios quam in servos potestas erat. Unde Cato senior male audivit, quod ægra & senio debilitata mancipia domo exigeret, victumque negaret. Quæ severitas multis postea modis coërcita est. Vide titulum apud Justinianum *de iis qui sui, vel alieni juris sunt.*

8. *Sella aut lectica*] Quæ servorum corporibus bajulabantur, ut ex Calig. cap 58. notare est.

9. *Edicto*] Torrentius existimat hujus Edicti causam fuisse, ne viæ corrumperentur, quemadmodum de Adriano narrat Spartianus, vehicula nempe cum ingentibus sarcinis Urbem ingredi prohibita, ut nec in equis sedere in civitatibus; quod & in Antonino Capitolinus.

10. *Peregrina conditionis*] Qui nempe non erant cives, ut supra cap. 15. Civitatem hîc patet intelligi jus civitatis, ut in Julio cap. 8.

11. *Gentilitia*] Ea sunt nomina quæ gentem & originem, non vero gentis familias indicarent. De quibus in Tiberio cap. 1. & in Julio cap. 1.

12. *Campo Esquilino*] Mons Esquilinus unus est e septem Romanis montibus, & ejusdem nominis porta est, extra quam supplicium de nocentibus sumebatur, Tacit. Annal. 2. ubi & pauperum vel amburi vel semiambusta projici cadavera solebant. Horatius Ode 5. Epod. in fine:

Post insepulta membra different lupi
Et Esquilina alites, &c.

13. *Achaiam & Macedoniam*] De his in Julio cap. 35. & Tib. cap. 16. & 24.

14. *Senatui reddidit*] Imperator Augusti instituto Provinciarum alias sibi servabat; alias populo tradebat gubernandas. In Augusto cap. 47.

15. *Lyciis*] Lycia Asiæ regio est, hodie *Aldinelli*; vel, ut alii volunt, *Bricania* reddere libertatem Urbi vel Provinciæ est suis illam legibus administrandam permittere; contra vero eamdem tollere.

16. *Ilienſibus*] His & Romanis magna necessitudo, cujus meminit & Livius Decad. 4. lib. 7. & 8. lib. 1. ad cap. 79. Infra

Digitized by Google

in Nerone cap. 7.

17. *Seleuco*] Uni ex Syriæ Regibus post Alexandrum Magnum.

18. *Iudæos*] Tam Græci quam Latini Auctores illius sæculi Christianos Judæis annumerant. Judæos igitur hîc intellige proprie dictos qui, non quidem impulsore Christo Domino; jam enim passus erat mortem, imperante Tiberio. Tacitus Annal. 15. de Christianis loquens: *Auctor nominis Christus qui Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Sed occasione Christi cum discipulis ejus dissidebant Judæi.

19. *Chresto*] Sic Torrentius in uno e suis libris, cum in aliis omnibus legeretur *Cirresto* aut *Chiresto* vel *Chiresto*. Nostram lectionem Tertulliani & Lactantii tuetur auctoritas; hi enim docent Christum Salvatorem sic ab impiis derisoribus appellari solitum, mutato *i* in *e* per contumeliam, ut de Pertinace Capitolinus tradidit, eum scilicet *Chrestologi* nomine appellatum, quod bona loqueretur, mala perpetraret.

20. *Orchestra*] Loco in spectaculis honoratissimo, in Julio cap. 39. & supra cap. 21. &c.

21. *Popularia*] Populi in spectando loca. In Julio cap. 39. &c.

22. *In Senatu*] In locis Senatoriis, orchestra scilicet, quomodo infra Domit. cap. 8. *sedere in equite* pro *in equestribus*, & Ner. cap. 12.

23. *Druidarum*] Druidæ antiqui Gallorum Sacerdotes, omnibus noti, quorum immanitas in eo sita erat, quod sanguine captivo sacrificarent, & ex hominum fibris auguria captarent.

24. *Penitus*] Romæ tantum, non autem in ipsa Gallia, ut ex Tacito colligere est Annal 14. & ex Vopisco, qui Druidas ab Aureliano consultos narrat, &c.

25. *Sacra Eleusina*] In Augusto cap. 93.

26. *Veneris Erycinæ*] Eryx mons & urbs in Sicilia, ubi celebre illud Templum a conditore Veneris filio appellatum, de quo Virgilius 5. Æneid.

Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ, &c.

Dicitur hodie *di San Giuliano*. Ideo autem dixit *in Sicilia*, quia & Romæ unum erat hoc nomine Templum prope portam Collatinam.

27. *Ærario populi*] Non ergo ex sua pecunia, sed ex publica populi. Principis enim fiscus non ærarium dicebatur. In Augusto cap. 15.

28. *Porca cæsa*] Sic & Virgilius lib. 8. Æneid.

cæsa jungebant fœdera porca;

ideoque, ut ait Festus, *porci effigies in militaribus signis locum obtinebat, quia confecto bello, inter quos pax fieret, cæsa porca fœdus firmare solebant* Porcam hanc minister ille qui a patrando fœdere *pater patratus* dicebatur, recitatis carminibus, silice feriebat Jovem precatus, ut eodem modo populum illum feriret, qui prior a fœdere defeciſſet; unde etiam icere fœdus dictum volunt. Quæ omnia fuse describuntur apud Livium lib. 1. decad. 1. ubi tamen *porcum*, non *porcam* assidue dicit.

29. *Fœcialium*] Fœciales fœdera inibant, & quasi fidei publicæ præfecti Sacerdotes erant; quorum collegium jam inde a Numa Pompilio institutum, ex eorum quippe collegio sumebatur pater patratus qui proferret solennia verba, quæ Tranquillus hîc appellat *veterem præfationem*. quæ extat apud eumdem Livium ibidem, ubi de fœdere Romanos inter & Albanos, quod omnium primum fuisse indicat.

CAPUT XXVI.

SPONSAS admodum adolescens duas habuit: [1] Æmiliam Lepidam, Augusti proneptem: item Liviam Medullinam, cui & cognomen Camillæ erat, e genere antiquo Dictatoris Camilli. Priorem, quod [2] parentes ejus Augustum offenderant, virginem adhuc repudiavit: Posteriorem, ipso die qui erat nuptiis destinatus, ex valitudine amisit. Uxores deinde duxit Plautiam [3] Urgulanillam, [4] triumphali, & mox Æliam Petinam, consulari patre. Cum utraque divortium fecit: sed cum Petina,

ex

Digitized by Google

ex levibus offensis: cum Urgulanilla, ob libidinum probra & homicid suspicionem. Post has Valeriam Messallinam, Barbari Messallæ [5] consobrini sui filiam in matrimonium accepit. Quam cum comperisset super [6] cætera flagitia atque dedecora, C. [7] Silio etiam nupsisse, [8] dote A. U. C. DCCCI.
inter auspices consignata, supplicio affecit: confirmavitque pro concione apud Prætorianos, [9] *Quatenus sibi matrimonia male cederent, permansurum se in cœlibatu: ac nisi permansisset, non recusaturum se confodi manibus ipsorum.* Nec durare valuit quin de [10] conditionibus continuo tractaret, etiam de Petinæ, quam olim exegerat, deque [11] Lolliæ Paullinæ, quæ C. Cæsari nupta fuerat. Verum illecebris [12] Agrippinæ, Germanici fratris sui filiæ, per [13] jus osculi & blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornavit proximo Senatu qui censeret cogendum se ad ducendum eam uxorem, quasi Reip. maxime interesset: dandamque cæteris veniam talium conjugiorum, quæ ad id tempus [14] incesta habebantur. Ac vix uno imposito die, confecit nuptias: [15] non repertis qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero [16] primipilari, cujus [17] officium nuptiarum & ipse cum Agrippina celebravit.

NOTÆ.

1. *Æmiliam Lepidam Augusti proneptem*] Quod ita se habet. Julia Augusti filia, in Augusto cap. 63. nupsit Agrippæ, ibidem, ex quo suscepit Juliam Augusti igitur neptem, ibidem cap. 64. quæ Lucio Æmilio Paulo nupta, ibidem, Æmiliam hanc genuit, Augusti ut patet proneptem, si quidem Juliæ neptis ejus filia fuit.

2. *Parentes ejus*] Pater conjuratione in Augustum cap. 19. & 65. in Augusto, mater vitæ turpitudine, unde ipsam & matrem carcinomata sua vocabat Augustus: Cap. 65.

3. *Urgulanillam*] Sic Torrentius emendavit, ex Tacit. Annal. 2. & 4. & maxime inscriptione, qua paret id cognomen fuisse Plautiorum familiæ.

4. *Triumphali*] Patre scilicet qui triumphi honore quondam auctus esset, probat & eadem inscriptio, quam ex veteri Plautiorum sepulcro in via Tiburtina erutam laudat hîc Torrentius, quam videsis in calce operis.

5. *Consobrini sui*] Quid sit, in Caligula cap. 26. *Consobrina* legendum censet Lipsius lib. 11. Annal. Taciti; & bene, nisi si Claudii consobrinus dictus fuerit propter Domitiam uxorem suam, quæ vere Claudii consobrina fuit. Claudius enim & Domitia matres habuere duas sorores Antonias. De Claudio constat ex cap. 1. supra, de Domitia ex cap. 5. & 6. infra in Nerone.

6. *Cætera flagitia*] Famosissima Messalina, cujus inauditas libidines retulere Tacitus, Aurelius, & stylo satyrico tam atrociter perstrinxit Juvenalis Sat. 6. & 10.

7. *Caio Silio*] De quo Juvenalis Sat. 10. v. 330.

cui nubere Cæsaris uxor
Destinat, optimus hic & formosissimus idem
Gentis Patriciæ. &c.

Jam erat Consul designatus. De hoc matrimonio Tacitus lib. 11. Annal. *Nec ultra exspectato quam dum sacrificii gratia Claudius Ostiam proficisceretur, cuncta nuptiarum solennia celebrat.* Ubi addi. fabulosum hoc posteris visum iri, se tamen nil composuisse miraculi caussa, verum a senioribus audita scriptaque tradere.

8. *Dote consignata*] Hoc est, adhibitis Notariis qui de dote tradenda testimonium redditurî signarent tabulas matrimoniales. Juvenalis ibid.

Veniet cum signatoribus auspex.

Nec enim matrimonia, ut nec alia majoris momenti negotia sine auspicio transigebantur. Hæc omnia fuse Tacitus lib. 11.

9. *Quatenus*] Pro *quoniam* ponitur etiam apud Plinium & Florum. Torrentius in uno MS. legebat *quod*; in altero, *quia*; & in optimo *quatinus*. Quæ omnia eadem significant. Horatius Sat. 3. lib. 1.

Digitized by Google

Denique quatinus excidi penitus vitium ira,

Cætera item nequeunt.

10. *Conditionibus*] Matrimoniorum.

11. *Lollia Paulina*] In Calig. cap. 25.

12. *Agrippina Germanici*] Qui & quot Germanico liberi, in Caligula cap. 7. De hac Agrippina infra in Nerone plura.

13. *Jus osculi*] Quanquam enim prohibita fuissent a Tiberio oscula, in Tiberio cap. 14 non tamen inter personas tanta propinquitate junctas, ut ibidem notatum est.

14. *Incesta*] Quæ matrimonia ab aliis postea Imperatoribus varie vetita & permissa sunt. De quibus plura apud Jurisconsultos.

15. *Non repertus*] Unum duntaxat repertum ait Tacitus lib 12. *Neque repertus est nisi unus, talis matrimonii cupitor Tolledius Severus Eques Romanus, quem plerique Agrippinæ gratia impulsum ferebant.*

16. *Primipilari*] Supra in Tiberio c. 37.

17. *Officium*] De ejusmodi officiis, in Augusto cap. 53.

CAPUT XXVII.

LIBEROS ex tribus uxoribus tulit: ex Urgulanilla Drusum & Claudiam: ex Petina Antoniam: ex Messallina Octaviam, & quem primo Germanicum, mox [1] Britannicum cognominavit. Drusum [2] Pompeiis impuberem amisit, pyro per lusum in sublime jactato, & hiatu oris ex-
A. U. C. 5. cepto strangulatum: cui & ante paucos dies filiam Sejani despondisset.
DCCLXXIII Quo magis miror fuisse qui traderent, fraude a Sejano necatum. Claudiam ex liberto suo Botere conceptam, quamvis ante quintum mensem divortii natam, alique cœptam, exponi tamen ad matris januam, & nudam jussit [3] abjici. Antoniam Cn. Pompeio Magno, deinde Fausto
DCCCVI. 10 Syllæ, nobilissimis juvenibus, Octaviam [4] Neroni privigno suo collocavit, Silano ante desponsatam. Britannicum vigesimo imperii die, inque secundo Consulatu natum sibi parvulum etiam tum, & militibus pro concione manibus suis gestans, & plebi per spectacula gremio, aut ante se retinens, assidue commendabat, faustisque ominibus cum acclamantium turba prosequebatur. E generis Neronem adoptavit: Pompeium
DCCCLIII. atque Silanum non recusavit modo, sed & interemit.

NOTÆ.

1. *Britannicum*] Propter devictam a patre Britanniam. De hoc & Agrippinæ in illum insidiis infra passim.

2. *Pompeiis*] Pompeii urbs & colonia in ora Campaniæ prope Sarnum fluvium, urbem Stabias, & Vesuvium montem: ubi nunc *Castel a mare di Stabia*. Vulgati legunt hîc *Pompeium, puberem*. Quod Torrentius Lipsii conjecturam secutus factum ait ignorantia cujusdam Scriptoris, qui existimaret impuberes desponderi, hoc est sponsalia celebrare non posse, quemadmodum nec matrimonium.

3. *Abjici*] Supra cap. 25. notatum aliquid.

4. *Neroni privigno*] Agrippinæ filio, de quo libro sequente toto.

Digitized by Google

CAPUT XXVIII.

LIBERTORUM præcipue ſuſpexit [1] Poſidem ſpadonem, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros [2] haſta pura donavit. Nec minus Felicem, quem cohortibus & [3] alis, Provinciæque Judææ præpoſuit, [4] trium Reginarum maritum. Et [5] Harpocram, cui lectica per urbem vehendi, [6] ſpectaculaque publice edendi jus tribuit. Ac ſuper hos Polybium a [7] ſtudiis, qui ſæpe inter duos Coſſ. ambulabat. Sed ante omnes, Narciſſum ab epiſtolis, & [8] Pallantem a rationibus: quos decreto quoque Senatus non præmiis modo ingentibus, ſed & quæſtoriis prætoriiſque ornamentis ornari libenter paſſus eſt: tantum præterea acquirere & rapere, ut querente eo quondam de fiſci exiguitate, non abſurde ſit dictum, *Abundaturum, ſi a* [9] *duobus libertis in conſortium reciperetur.*

NOTÆ.

1. *Poſidem*] Juvenalis Sat. 14.

Ut ſpado vincebat Capitolia noſtra Poſides.

2. *Haſta pura*] Sic dicta quod ſine ferro eſſet militare præmium fortitudinis, de quo Donatus in illud 6. Æneid.

Ille vides, pura juvenem qui nititur haſta.

3. *Alis*] Videtur aperte diſtinguere alas a cohortibus, quo confirmatur quod ad cap. 25. notatum eſt, eas temporibus illis pro equitatu tantum uſurpatas.

4. *Trium Reginarum maritum*] Hujus Felicis meminit & Joſephus lib. 20. cap. 5. & Tacitus lib. 5. Annal. Sed quænam illæ Reginæ fuerint, nemo, quem norim, docuit. Equidem Joſephus loco ſupra citato dicit Felici nupſiſſe Druſillam ſororem Regis Agrippæ, quæ prius nupſerat Azizo Emezenorum Regi. Et Tacitus lib. 5. initio ductam a Felice refert Druſillam quandam Antonii & Cleopatræ neptem, quæ veroſimiliter alia fuit a ſuperiore. Harum altera Regina, Regii ſanguinis altera, de tertia nihil omnino conjiciendum datur. Ad ſtupra id referendum cenſet Torrentius.

5. *Harpocram*] Beroaldus & Torrentius exiſtimant hunc eumdem eſſe cum Calliſto libertorum omnium gratioſiſſimo, quem Tacitus aliique adeo celebrarunt, omiſſo illo Harpocra quem ſolus etiam Suetonius memoravit, de Calliſto prorſus ſilens. Unde duplex hoc ei nomen attribuit Beroaldus.

6. *Spectacula edendi*] Nec enim cuilibet id promiſcue licitum, præſertim a quo tempore Fidenis amphitheatrum corruit, de quo in Tiberio cap. 40. Qua occaſione Tacitus Annal. 4. factum ait Senatuſconſultum quo vetabatur *ne quis munus gladiatorium ederet, cui minor quadringentorum millium res eſſet.*

7. *A ſtudiis*] De hac loquendi ratione jam ſupra in Julio cap. 74. & Aug. cap. 67. Servi *a manu, ab epiſtolis, a memoria*, &c. Ad Polybium hunc extat apud Senecam conſolatio de morte fratris ejus, tunc ſcripta cum Seneca exularet.

8. *Pallantem*] Felicis fratrem, auctore Tacito & Joſepho. Horum libertorum crebra eſt mentio tum apud Poetas, tum apud Hiſtoricos. Plinius Junior lib. 7. Epiſt. 29. ridet ſuperbum titulum monumento Pallantis hujus adſcriptum. Ac rurſus Epiſt. 8. lib. 6 uti hæc omnia confirmantur quæ Suetonius hîc narrat.

9. *A duobus libertis*] Pallante & Narciſſo. Juvenalis Sat. 1. v. 109. illorum divitias exaggerans,

ego poſſideo plus
Pallante & Licinis, &c.

& Sat. 14. v. 328.

Nec Creſi fortuna unquam, nec Perſica regna
Sufficient animo, nec divitiæ Narciſſi
Indulſit Cæſar cui Claudius omnia cujus
Paruit imperiis, uxorem occidere juſſus.

Digitized by Google

CAPUT XXIX.

His, ut dixi, uxoribusque addictus, non principem se, sed [1] ministrum egit. Compendio cujusque horum, vel etiam studio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est: & quidem insciens plerumque & ignarus. Ac ne sigillatim minima quæque enumerem, revocatas liberalitates ejus, judicia rescissa, suppositos aut etiam palam immutatos datorum officiorum [2] codicillos; App. Silanum [3] consocerum suum, [4] Juliasque, alteram Drusi, alteram Germanici filiam, crimine incerto, nec defensione ulla data, occidit. Item Cn. Pompeium, [5] majoris filiæ virum, & L. Silanum minoris sponsum. Ex quibus Pompeius in concubitu dilecti adolescentuli confossus est. Silanus abdicere se Prætura ante quartum Kalend. Januarias, morique initio anni coactus, die [6] ipso Claudii & Agrippinæ nuptiarum. In quinque & triginta Senatores, trecentosque amplius Equites Romanos tanta facilitate animadvertit, ut de nece Consularis viri renuntiante Centurione, *Factum esse quod imperasset, negaret quidquam se imperasse, nihilo minus rem comprobaret:* affirmantibus libertis, officio milites functos, quod ad ultionem Imperatoris ultro procurrissent. Nam illud omnem [7] fidem excesserit, quod nuptiis, quas Messallina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis & ipse consignaverit: inductus, quasi de industria simularentur, ad avertendum transferendumque [8] periculum quod imminere ipsi per quædam ostenta portenderetur.

A. U. C. DCCCII.

Notæ.

1. *Ministrum*] Aurelius Victor in Claudio loquens de libertis, *Hos omnes anteibat Narcissus dominum se gerens ipsius domini.*

2. *Codicillos*] Diplomata quibus ejusmodi officia deferuntur, quales & Suetonius Literas vocat in Vespasiano cap 8. Vide in Augusto cap. 50. & Tib. cap. 51.

3. *Consocerum suum*] Cujus filio Octavia Claudii filia desponsata fuerat, supra cap. 7. quin & ipsius Claudii socer erat, ut patet ex Dione, qui ductam a Silano Messalinæ matrem refert, unde etiam ipsi pereundi causa, quod nurus impudicitiæ servire quoque noluisset.

4. *Juliasque*] Altera filia fuit Drusi, qui filius Tiberii, altera Germanici, quam Suetonius Calig. cap. 7. Livillam quoque vocat, præter Dionem. Probat hoc etiam Torrentii nummus æreus, in quo effictæ cernuntur Germanici tres filiæ, cum inscriptione *Drusilla, Agrippina, Julia* Unde patet Sabellici error, qui *Livia* scribendum volebat.

5. { *Majoris filia*] Antoniæ / *Minoris*] Octaviæ } de quibus supra cap. 27.

6. *Die ipso*] Tacitus lib. 12. Annal. *Die nuptiarum Silanus sibi mortem consciscit: sive eo usque spem vitæ produxerat, sive dilecto die augendam ad invidiam.* Unde patet vulgatarum editionum error, in quibus punctum additur ante voces *die nuptiarum*, quasi cædes illa trigintaquinque Senatorum die nuptiarum patrata fuisset.

7. *Fidem excesserit*] Vide cap 26. supra.

8. *Periculum*] In Calig. ad cap. 14. notatum est antiquos aliquem conservari posse arbitratos, si ejus se loco devovisset alius. Hoc prætextu deceptus uxoris astutia Claudius, existimabat in alium transferri posse periculum quod sibi Imperatori imminere prædixerant harioli, si quis alius Imperator esse fingeretur.

Digitized by Google

CAPUT XXX.

AUCTORITAS dignitasque formæ non defuit vel stanti vel sedenti, ac præcipue quiescenti. Nam & prolixo, nec exili corpore erat: & specie canitieque pulcra, opimis cervicibus. Cæterum & ingredientem destituebant [1] poplites minus firmi, & remisse quid vel serio agentem multa dehonestabant. Risus indecens: ira turpior, [2] spumante rictu, humentibus naribus: [3] præterea linguæ titubantia, caputque, cum semper, tum in quantulocumque actu vel maxime tremulum.

NOTÆ.

1. *Poplites minus firmi*] Exemplo est vacillatio illa de qua supra cap. 11.

2. *Spumante rictu*] Vide versum Juvenalis ad eumdem locum supra.

3. *Præterea*] Sic restituit Pulmannus: sic & Torrentius in tribus MSS. Vulgati habebant *plectra lingua*. Unde Beroaldus linguam plectri similem, & dentes chordarum instar habitos notabat ex Cicerone 2. de natura deorum.

CAPUT XXXI.

VALITUDINE sicut olim gravi, ita princeps perprospera usus est, excepto stomachi dolore: quo se correptum etiam de consciscenda morte cogitasse dixit.

CAPUT XXXII.

CONVIVIA agitavit & ampla & assidua, ac fere patentissimis locis, ut plerumque [1] sexcenteni simul discumberent. Convivatus & super [2] emissarium Fucini lacus, ac pene submersus, cum emissa impetu aqua redundasset. Adhibebat omni cœnæ & liberos suos cum puetis puellisque nobilibus, qui more veteri ad [3] fulcra lectorum sedentes vescerentur. Convivæ, qui pridie scyphum aureum surripuisse existimabatur, revocato in-diem posterum, calicem fictilem apposuit. Dicitur etiam meditatus edictum, *quo veniam daret flatum crepitumque ventris in convivio emittendi*: cum periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperisset.

NOTÆ.

1. *Sexcenteni*] Lipsius legendum contendit *sexageni*. Certe corruptum in numeris Suetonius alias etiam notare est, ut Tiber. cap. 1.

2. *Emissarium*] Locus est per quem aquæ emittebantur. Tacitus Annal. 12. *effluvium* dixit, *quin & convivium effluvio lacus appositum magna formidine cunctos afficit, quia vis aquarum prorumpens, & proxima trahebat*. Supra cap 20

3. *Fulcra lectorum*] In Augusto cap. 64. Idem de Augusti liberis, nisi quod ibi *imum lectum* dixit eam tori partem quam hîc fulcrorum nomine indicat.

Digitized by Google

CAPUT XXXIII.

CIBI vinique quocumque & tempore & loco appetentissimus. [1] Cognoscens quondam in Augusti foro, ictusque nidore prandii, quod in [2] proxima Martis æde [3] Saliis apparabatur, deserto tribunali, adscendit ad Sacerdotes, unaque discubuit. Nec temere unquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens: & ut statim supino, ac per somnum hianti, [4] pinna in os inderetur, ad exonerandum stomachum. Somni brevissimi erat. Nam ante mediam noctem plerumque evigilabat, ut tamen interdiu nonnumquam in jure dicendo obdormisceret, vixque ab advocatis de industria vocem augentibus excitaretur. Libidinis in fœminas profusissimæ, marium omnino expers. Aleam studiosissime lusit: de cujus arte librum quoque emisit: solitus etiam in [5] gestatione ludere, ita essedo [6] alveoque adaptatis, ne lusus confunderetur.

NOTÆ.

1. *Cognoscens*] Ad judicandum sedens. Vide supra cap. 10.

2. *Proxima*] Beroaldus & Sabellicus legunt *maxima*. ad differentiam alterius quæ erat in Capitolio. Vide in Aug cap. 29.

3. *Saliis apparabatur*] Hi sunt Martis Sacerdotes de quibus supra cap. 4. Ex quibus locis mirum non est *cœnas saliares* in proverbium abiisse pro lautis & exquisitis conviviis.

4. *Pinna in os*] Phœnicopteri ut plurimum, de qua ave in Calig. cap. 22. Pinna vomitum provocabant. Unde Martialis lib. 3. Epig. 82.

Stat exoletus suggeritque ructanti
Pinnas rubentes.

quo prætextu Agrippina venenum ei præbuisse dicitur. Pinna illita veneno rapidissimo, Tacit. Annal. 12. sub finem.

5. *Gestatione*] Legunt alii *gestatorio*, quod idem est; gestatio enim significat & rem ipsam & locum in quo fiebat: qui locus arboribus utplurimum aliisque id genus ad amœnitatem ambiebatur. Plinius libro 2. Epist. 17. *Gestatio buxo, aut rore marino ubi deficit buxus, ambitur*, &c.

6. *Alveo*] Tabula lusoria.

CAPUT XXXIV.

SÆVUM & sanguinarium natura fuisse, magnis minimisque apparuit rebus. Tormenta quæstionum, [1] pœnasque parricidarum [2] repræsentabat, exigebatque coram. Cum & spectare [3] antiqui moris supplicium Tiburi concupisset, & deligatis ad palum noxiis carnifex deesset, accitum ab urbe vesperam usque operiri perseveravit. Quocumque gladiatorio munere, vel suo, vel alieno, etiam forte prolapsos jugulari jubebat: maxime [4] retiarios, ut exspirantium facies videret. [5] Cum par quoddam mutuis ictibus concidisset, cultellos sibi parvulos ex utroque ferro in usum fieri sine mora jussit. [6] Bestiariis [7] meridianisque adeo delectabatur, ut etiam prima luce ad spectaculum descenderet: & meridie, dimisso ad [8] prandium populo, persederet: præterque destinatos, etiam levi subitaque de caussa, quosdam committeret, de fabrorum quoque ac ministrorum, atque id genus numero, si [9] αὐτόχειρα vel [10] pegma, vel quid tale aliud parum cessisset. Induxit & unum e [11] nomenculatoribus suis, sicut erat togatus.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Pœnas parricidarum*] Ut Culeo insui, in mare projici, Supra in Augusto cap. 33. Seneca lib. 1. de Clementia cap. 23. & lib. 1. de Ira cap. 16. testatur plures a Claudio insutos fuisse unius quinquennii decursu, quam omnibus retro sæculis.

2. *Repræsentabat*] In præsentiarum & sine dilatione solvendas jubebat: quo sensu *pecuniam repræsentare*, Calig. 16. &c.

3. *Antiqui moris supplicium*] Ab ipso Suetonio describitur, in Nerone cap. 49.

4. *Retiarios*] Qui sint, in Calig. cap. 30. Ideo illorum faciem videre volebat, quod capite indefenso pugnarent. Juvenalis Sat. 8. v. 203. de Retiario,

nec galea faciem abscondit.

5. *Cum par quoddam*] Hoc est, Duo gladiatores simul pugnantes, ut & Aug. cap. 44.

6. *Bestiariis*] Intelligere præsertim videtur eos qui bestiis objiciebantur, sed pugnaturi, non vero duntaxat laniandi. Illi autem in triplici fuere differentia: vel enim erant damnati, ut Calig. cap. 27. vel conducti, ex iis nempe quos lanistæ in usum illum erudiebant, ut in Julio cap. 10. & 26. & in Augusto cap. 42. Vel denique exauctorati virtutis ostentandæ aut lucrifaciendi caussa, ut in Tiberio cap. 7. Quibus addi possunt servi singulorum, quos ab initio domini dare poterant ad bestias, ut libuerat, donec tanta illa dominorum auctoritas coërcita legibus est, nec nisi justa de caussa servi damnati sunt hoc supplicio.

7. *Meridianis*] Triplicis generis in uno die spectacula, matutina, meridiana, pomeridiana. Prima bestiariorum, ut plurimum. Martialis in Xeniis Epig. 94.

Matutinarum non ultima præda ferarum
Savus Orix, &c.

Epig. 66. lib. 5. &c. Seneca Epist. 70. *Nuper in ludo bestiariorum unus e Germanis cum ad spectacula matutina pararetur, secessit.* &c. Meridiana gladiatorum erant, vel ordinariorum, vel eorum qui prælio bestiariorum superstites fuerant. Innuit Seneca Epist. 7. *Mane leonibus & ursis, homines, meridie spectatoribus suis objiciuntur.* Et Tertullianus in Apologetico: *Risimus inter ludicras meridianorum crudelitates, Mercurium mortuos cauterio examinantem, vidimus & Iovis fratrem gladiatorum cadavera cum malleo deducentem.* Pomeridiana denique jucundiora quædam erant spectacula, quales Scenici vel Circenses ludi, quibus recreatus a cæde & sanguine populus mitior abiret, & hilarior, colligere est ex eodem Seneca Epist. 7. quæ ferme tota de spectaculis est. Quæ tamen omnia eodem ordine semper non facta constat, ut de Circensibus supra cap. 21. & de celebri illo Curionis amphitheatro, de quo Plinius lib. 35. c. 13. in quo gladiatores postremo producti.

8. *Ad prandium*] In Calig. cap. 56.

9. *αὐτόματον*] Torrentius in vetustissimo libro legit *automatum*: quod confirmat Politianus, addens librarios ex eo fecisse *autornatum*, quod in quibusdam legitur: & certe *automatum* tam fuit in usu quam *pegma*, licet utraque vox Græca sit *αὐτόματος*, hoc est sua sponte. Unde automata dictæ sunt machinæ quædam tanta solertia fabricatæ, ut nulla apparente caussa & quasi sua sponte moverentur, qualia sunt horologia, qualis fuit argenteus ille Triton de quo supra cap. 21. quales imagunculæ quædam cursitantes, quæ fidiculis & nervis quibusdam intensæ per se moveri videantur. Horatius Sat. 7. lib. 2. vers. 82.

aliis servis iter, atque
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.

10. *Pegma*] Non aliud est quam grandis & ingeniosa quædam contabulatio, quæ sponte & occulte statim crescceret, aut subsideret, unde multa exhibebantur, quorum aliqua supra in Calig. cap. 26. notata sunt. Seneca machinam ipsam describit Epist. 88. de artificibus loquens: *His licet annumeres machinatores qui pegmata ex se surgentia excogitant, & tabulata tacite in sublime crescentia, & alias ex inopinato varietates, aut dehiscentibus qua cohærebant; aut qua distabant sua sponte cohærentibus; aut iis qua eminebant, paulatim in se residentibus.* De quo plura legi possunt apud Lipsium lib. de Amphith cap ult.

11. *Nomenculatoribus*] Ii sunt qui singulorum nomina Imperatori suggerebant, quos melioris conditionis quam servos reliquos fuisse ex eo conjiciunt, quod togatum hunc dixerit, cum tunicati duntaxat essent alii De nomenclatoribus jam in Augusto cap. 19.

Digitized by Google

CAPUT XXXV.

SED nihil æque quam timidus ac diffidens fuit. Primis imperii diebus, quamquam, ut diximus, jactator [1] civilitatis, neque convivia inire ausus est, nisi ut [2] speculatores cum lanceis circumstarent, militesque vice ministrorum fungerentur: neque ægrum quemquam visitavit nisi explorato prius cubiculo, culcitisque & stragulis pertentatis, & excussis: reliquo autem tempore salutatoribus [3] scrutatores semper apposuit, & quidem omnibus, & acerbissimos. Sero enim, ac vix remisit, ne fœminæ prætextatique pueri & puellæ contrectarentur, & ne cuivis [4] comiti aut [5] librario calamariæ aut graphiariæ thecæ adimerentur. Motu civili cum eum [6] Camillus non dubitans etiam citra bellum posse terreri, contumeliosa & minaci & contumaci epistola cedere imperio juberet, vitamque otiosam in privata re agere: dubitavit, adhibitis principibus viris, an obtemperaret.

NOTÆ.

1. *Civilitatis*] De ea virtute lib. 1. cap. 76. & 2. cap. 51.

2. *Speculatores*] Torrentius in optimo libro legit *speculatores*. De his in Caligula cap. 51.

3. *Scrutatores*] Qui scrutarentur adeuntes se ad salutationis officium, in Augusto cap. 27.

4. *Comiti*] De pueris nobilibus loquitur, quibus comites pædagogi & vulgo librarii, quos capsarios vocat in Ner. cap. 36. & Juven. Sat. 10.

Quem sequitur custos angusta vernula capsa.

Capsula quippe libros inclusos gerebant.

5. *Librario*] Librarii qui libros aut alia quæpiam transcribebant. Cicero pro Sylla 42. *Describi statim ab omnibus librariis imperavi.* Et Epist. ad Famil. lib. 16. Epist. 21. &c. Quid essent graphia, in Julio cap. 82. & Calig cap. 28.

6. *Camillus*] De quo supra cap. 13.

CAPUT XXXVI.

QUADAM insidias temere delatas adeo expavit, ut deponere imperium tentaverit. Quodam, ut supra [1] retuli, cum ferro circa sacrificantem se deprehenso, Senatum per præcones propere convocavit: lacrymisque & vociferatione miseratus est conditionem suam, cui nihil tuti usquam esset, ac diu publico abstinuit. Messallinæ quoque amorem flagrantissimum, non tam indignitate contumeliarum, quam periculi metu abjecit, cum adultero Silio acquiri imperium credidisset: quo tempore fœdum in modum trepidus ad castra confugit, nihil tota via quam *essetne sibi salvum imperium*, requirens.

NOTÆ.

1. *Retuli*] Supra cap. 13.

CAPUT

CAPUT XXXVII.

NULLA adeo suspicio, nullus auctor tam levis exstitit, a quo non mediocri scrupulo injecto ad cavendum ulciscendumque compellererur. Unus ex litigatoribus, [1] seducto in salutatione affirmavit se vidisse per quietem, occidisse eum a quodam: deinde paullo post, quasi percussorem agnosceret, [2] libellum tradentem adversarium suum demonstravit: confestimque is pro deprehenso ad pœnam raptus est. Pari modo oppressum ferunt App. [3] Silanum: quem cum Messallina & [4] Narcissus conspirassent perdere, divisis partibus, alter ante lucem, similis attonito, patroni cubiculum irrupit, affirmans somniasse se, vim ei ab Appio illatam: altera, in admirationem formata, sibi quoque eandem speciem aliquot jam noctibus obversari retulit. Nec multo post ex composito irrumpere Appius nuntiatus, cui pridie ad id temporis ut adesset præceptum erat, quasi plane repræsentaretur somnii fides, [5] arcessi statim ac mori jussus est. Nec dubitavit postero die Claudius ordinem rei gestæ perferre ad Senatum, ac liberto gratias agere, quod pro salute sua etiam dormiens excubaret.

NOTÆ.

1. *Seducto*] Claudio ad secretum abducto.
2. *Libellum*] Supplicem.
3. *Silanum*] Consocerum suum, supra cap. 29.
4. *Narcissus*] De hoc & cæteris libertis, supra cap. 28.
5. *Arcessi*] Hoc est accusari; aliquem enim arcessere crimine, idem est atque accusare. Alii legunt *arceri statim*, quod & potest, quanquam Torrentius priorem lectionem prætulit.

CAPUT XXXVIII.

IRÆ atque iracundiæ conscius sibi, utramque excusavit edicto: distinxitque, pollicitus [1] *alteram quidem brevem & innoxiam, alteram non injustam fore*. Ostiensibus, quia sibi subeunti Tiberim scaphas obviam non miserint, graviter correptis, eaque cum invidia, *ut in* [2] *ordinem se coactum* conscriberet, repente tantum non [3] satisfacientibus veniam modo dedit. Quosdam in publico parum tempestive adeuntes manu sua repulit. Item [4] Scribam quæstorium, itemque Prætura functum Senatorem, inauditos & innoxios relegavit: quod ille adversus privatum se intemperantius [5] affuisset: hic, in ædilitate [6] inquilinos prædiorum suorum contra vetitum [7] coacta vendentes multasset, [8] villicumque intervenientem flagellasset. Qua de causa etiam coërcitionem popinarum Ædilibus ademit. Ac ne stultitiam quidem suam reticuit, [9] simulatamque a se ex industria sub Caio, quod aliter evasurus perventurusque ad susceptam [10] stationem non fuerit, quibusdam oratiunculis testatus est. Nec ante persuasit quam intra breve tempus liber editus sit, cui index erat [11] μωρὸς ἀδικούμενος: argumentum autem, *stultitiam neminem fingere*.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Ira & iracundia*] Differentiam refert Seneca lib. 1. de Ira cap. 4. *Quid esſit ira ſatis explicatum eſt: quo diſtet ab iracundia ſatis apparet: quo ebrius ab ebrioſo, timens a timido. Iratus poteſt non eſſe iracundus, iracundus poteſt aliquando iratus non eſſe.* Paulo aliter ſenſiſſe videtur Claudius, iracundiam hoc loco, odii inſtar longam & inveteratam iram eſſe innuens.

2. *Alteram brevem*] Iram ſcilicet quæ furor brevis eſt.

3. *In ordinem ſe coactum*] Redigi vel cogi in ordinem dicuntur qui vel deſpicatui habentur, vel ad privatorum modum rediguntur. Quo ſenſu Magiſtratus nonnunquam in ordinem cogi dicuntur a Livio.

4. *Satisfacientibus*] Quid ſit *ſatisfacere*, ſupra in Julio cap. 73. Varia eſt hujus loci lectio. Alii *ſatisfaciens*, alii *tantum non ſatisfacientis modo*, eodem ſenſu, ut nempe intelligatur Claudius propemodum illis etiam ſatisfeciſſe, adeo repreſſa ira mitigaverat objurgationem. Alii legunt *tantum non*, & *tantummodo ſatisfacientibus*, ut ſit ſenſus, Claudium illis peperciſſe etiam leviter ſatisfacientibus.

5. *Scribam quæſtorium*] De Quæſtoribus in Jul. cap. 6. de Scribis ſupra cap 1. Quæſtores miniſtris uſi ſunt, ſcribis & lictoribus; illis ad conficiendas tabulas publicas, his ad tuendam dignitatem.

6. *Affuiſſet*] Adeſſe alicui in judicio pro patrocinari, ſæpe legitur apud Juriſconſultos, quod & *ſupereſſe* aliqui dixerunt, male, ut patet ex Gellio lib. 1. cap. 22. & ſupra in Auguſto cap. 56.

7. *Inquilinos*] Ii ſunt qui alienas ædes, vel prædia ex conducto incolunt.

8. *Cocta*] Sic legunt in MSS. omnibus quorum uni adſcriptum eſt. id eſt *collecta*, ut ſenſus ſit, collecta & coacervata fuiſſe ab inquilinis illis vendenda ea quæ vetita fuiſſent, ab iis quibus annona curæ, ut in Julio cap. 43. Torrentius legendum vult *cocta*, arbitratus jam ante Claudium id ſtatutum fuiſſe, quod ipſe, teſte Dione, ſtatuit de tabernis, quo potaturi commeabant, ne ſcilicet in illis calida aqua aut elixæ carnes venderentur. Quod certe vix cohæreat cum capite 16. infra in Nerone, ubi cocta prohibita leguntur, *cum ante nullum non obſoni genus venderetur*, inquit.

9. *Villicum*] Villicus ille eſt qui rationibus & univerſo operi ruſtico præponitur, quem e ſervorum numero fuiſſe, inde colligas quod ab Ædili flagellatum dixit. A Poëtis quandoque ſumitur pro eo qui magnis etiam rebus præficitur, ſed Satyricus, ut Juven. Sat. 4. v. 77. pro Urbis Præfecto:

Pegaſus attonita poſitus modo villicus urbi.

10. *Simulatam*] Non dubitaverim quin id Bruti exemplo fecerit princeps hiſtoriæ callentiſſimus, & Tito-Livio, ut pater ex cap. 41. conjunctiſſimus; notum enim eſt ex Livii hiſtoria ſimulatam a Bruto juvene ſtultitiam quo foret, ut ait Ovidius:

Tutus ab inſidiis dire ſuperbe tuis.

11. *Stationem*] Hoc eſt imperii adminiſtrationem. Quo ſenſu Lucanus Neroni adulans vel illudens lib. 1. Pharſal.

cum ſtatione peracta
Aſtra petes ſerus.

12. *μωρὸν ἀνάστασιν*] Hoc eſt *ſtultorum reſurrectio*. De quo jocoſe & inciviliter Nero infra cap. 33. Argumentum hujus libri Caſaubonus ſic legit, *ſtultitiam ſtultum neminem fingere*, clarius.

CAPUT XXXIX.

INTER cætera in eo mirati ſunt homines & oblivionem & inconſiderantiam: vel, ut Græce dicam, [1] *μεριμνίαν καὶ ἀβλεψίαν*. Occiſa Meſſallina, paullo poſt quam in triclinio decubuit, *cur* [2] *domina non veniret*, requiſivit. Multos ex iis quos capite damnaverat, poſtero ſtatim die
5 & in convivium & ad aleæ luſum admoveri juſſit: & quaſi morarentur, ut ſomniculoſos per nuntium increpuit. Ducturus contra fas Agrippinam uxorem, non ceſſavit omni oratione [3] *filiam & alumnam, & in gremio ſuo natam, atque educatam* prædicare. Adſciturus in nomen familiæ ſuæ [4] Neronem, quaſi parum reprehenderetur, quod [5] adulto jam filio

Digitized by Google

privignum adoptaret, identidem [6] divulgavit, *neminem unquam per adoptionem [7] familiæ Claudiæ insertum.*

NOTÆ.

1. *μετωπείαν & ἀβλεψίαν*] Hoc est, stoliditatem & inconsiderantiam: *μετωπεία* enim est quædam mentis quasi *supinitas* & inertia.

2. *Domina*] Hoc nomine conjuges sese invicem appellasse videntur etiam ex Virgilio lib. 4. Æneid.

Dominum Æneam in tecta recepit,

& lib. 6.

Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.

Quem locum Servius eodem sensu explicat.

3. *Filiam & alumnam*] Cujus nempe erat patruus utpote frater Germanici patris ejus. Quod Casaubonus ad Claudii stoliditatem refert; id enim publicabat quod alii maxime dissimulant, cognationem nempe qua odiosum & incestum fiebat ejus matrimonium.

4. *Neronem*] De quo libro sequente. Erat ex familia Domitiorum.

5. *Adulto jam filio*] Hoc est, jam grandiusculo, utpote qui adoptionis tempore, novem vel undecim tantum annos natus erat; Nero enim duobus annis Britannico major, ut patet ex Tacit. Annal. 12. undecimo vel decimotertio ætatis anno adoptatus est. Vide in ejus vita cap. 7.

6. *Divulgavit*] Et aliud stoliditatis indicium fuisse aiunt, quod alium insereret in suam familiam, quæ per seipsam ab initio duraverat, nato jam & grandiusculo filio, quo id honoris continuari poterat. Hoc tamen Augusti exemplo defendi quadantenus potuerit, si verum quod innuit Pallas id ipsum Claudio persuadens apud Tacit. lib. 12. Annal. ab Augusto nempe Tiberium adoptatum, viventibus licet nepotibus: quod tamen Suetonii historiæ repugnat, in Augusto cap. 65.

7. *Familia Claudia*] Tacitus ibidem: *Adnotabant periti nullam antehac adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eosque ab Atta Clauso continuos duravisse.* Certe aliquem ex illis in alienam familiam adoptatum constat ex supradictis, in Tiberio cap. 2. & in Julio cap. 20.

CAPUT XL.

SERMONIS vero rerumque tantam sæpe negligentiam ostendit, ut nec quis, nec inter quos, quove tempore ac loco verba faceret, scire ac cogitare existimaretur. Cum de [1] laniis ac vinariis ageretur, exclamavit in curia: *Rogo vos, quis potest sine offula vivere?* Descripsitque abundantiam veterum tabernarum, unde solitus esset vinum olim [2] & ipse petere. De [2] Quæstore quodam candidato inter causas suffragationis suæ posuit, *quod pater ejus [4] frigidam ægro sibi tempestive dedisset.* [5] Inducta teste in Senatu, *Hæc*, inquit, *matris meæ libertu & [6] ornatrix fuit: sed me patronum semper existimavit. Hoc ideo dixi, quod quidam sunt adhuc in domo mea qui me patronum non putant.* Sed & pro tribunali, Ostiensibus quiddam publice orantibus, cum exclamassent, *Nihil habere se vociferatus est, quare eos demereatur: si quem alium & se liberum esse.* Nam illa ejus quotidiana, & plane omnium horarum & momentorum erant, *Quid, ego tibi [7] Telegennius videor, & [8] λογιώτατος?* Multaque talia etiam privatis deformia, nedum principi, neque infacundo, neque indocto, immo etiam pertinaciter liberalibus studiis dedito.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Laniis ac vinariis*] Illi carnium, hi vini venditores: posteriore voce minus frequenter usi sunt Auctores.

2. *Et ipse*] Probat se tunc temporis tenuem admodum extitisse; hujusmodi enim hominum est, vinum e taberna, non e cella sua petere. Unde Cicero inter alia sordidæ libidinis indicia Pisoni exprobrat: *Pistor domi nullus, nulla cella, panis & vinum de propola atque de cupa*, &c.

3. *Quæstore*] Beroaldus & Sabellicus legunt *Quæstura*, sensu aperto; patet enim de eo intelligendum qui Quæsturam ambiret, non vero de Quæstore illo qui candidatus Principis dicebatur. De quo in Aug. cap. 65. & in Nerone cap. 16.

4. *Frigidam*] Hoc refert ut ridiculum: tamen simile quid magnum animi memoris argumentum fuit in Dario Hydaspe, qui eodem beneficio urgente necessitate affectus fuerat.

4. *Inducta teste*] Raro testes mulieres, nisi ubi de crimine majestatis agitur: quo casu deficientibus reliquis, earum indicio uti non dedignabantur, ut constat de Fulvia illa cujus ope Cicero conjurationem Catilinæ detexit, de qua plura apud Sallustium & in libris Digestorum ad Legem Juliam Majestatis Lege 8.

6. *Ornatrix*] In famulatu matronarum fuere quæ illarum ornamenta servarent & aptarent, qualia erant inaures, armillæ, &c. Has Græco vocabulo cosmetas appellat Juvenalis Sat. 6. v. 476.

periit libraria, ponunt
Cosmeta tunicas, &c.

7. *Telegennius*] Hanc lectionem tuetur Casaubonus ex Scaligero, qui uni ex Romanis gentibus id nominis fuisse colligit ex veteri inscriptione,

DIS MANIBUS C.
TELEGENNII OPTATI.

nec dubium videtur quin ea sit omnium verisimillima, nullibi enim sic variant codices, *Thelegonius, Thologonus, Theologenius, Theogonius*, &c. Quisquis ille fuerit, apparet notæ faruitatis quemdam fuisse cui Claudius comparatum se noliet.

8. λογοδαίτατος] Hoc est verbosissimus. Sic plures legunt codices. Casaubonus tamen testatur Græcam vocem in Vitterbiensi non extare, sed margini adscriptam interpretationem hanc, *dic & loquere*. Unde facile colligit scriptum λέγε καὶ εἰπέ. Turnebus lib. 22. cap. 31 legisse se affirmat, λάλει & μὴ ἀγχαν *loquere & ne attinge*. Cujus lectionis vestigia in Pithœi & Grotii codicibus expressissima notavit Casaubonus. Quæ etiam clariora sunt verba inconsiderati hominis, & parum pro imperatoria majestate loquentis, quasi verbera & plagas formidasset.

CAPUT XLI.

HISTORIAM in adolescentia, hortante T. [2] Livio, Sulpicio vero Flavo etiam adjuvante, scribere aggressus est. Et cum primum frequenti auditorio [3] commisisset, ægre perlegit, [4] refrigeratus sæpe a semetipso. Nam cum initio recitationis defractis compluribus subselliis, obesitate cujusdam, risus exortus esset: ne sedato quidem tumultu temperare potuit, quin ex intervallo subinde facti reminisceretur, cachinnosque revocaret. In principatu quoque & scripsit plurimum & assidue recitavit per lectorem. Initium autem sumsit historiæ post cædem Cæsaris Dictatoris. Sed & [5] transiit ad inferiora tempora, cœpitque a pace civili: cum sentiret neque libere neque vere sibi de superioribus tradendi potestatem relictam, correptus sæpe & a [6] matre & ab avia. Prioris materiæ duo volumina, posterioris unum & quadraginta reliquit. Composuit & *de vita sua* octo volumina, magis inepte quam ineleganter. Item *Ciceronis defensionem adversus* [7] *Asinii Galli libros*, satis eruditam. Novas etiam commentus est [8] literas tres, ac numero

veterum quasi maxime necessarias addidit. De quarum ratione cum privatus adhuc volumen edidisset, mox princeps non difficulter obtinuit ut in usu quoque promiscuo essent. Exstat talis ? scriptura in [10] plerisque libris, ac diurnis tituliſque operum.

NOTÆ.

1. *Historiam*] Meminit & Plinius lib. 12. cap. 27. & Suetonius supra cap. 21.

2. *Tito Livio*] Titus Livius Historiæ Romanæ princeps, auctore Eusebio Chronic. 19. mortem obiit quarto imperii Tiberii anno, qui Urbis fuit 771. & Coss habuit Junium Sillanum & L Norbanum Balbum: quo tempore Claudius viginti circiter & septem annos natus erat, utpote qui anno U. C. 744. Coss. Julo Antonio & Fabio Africano, ut supra cap. 2. in lucem editus fuerat.

3. *Commisisset*] De commissionibus, in Augusto cap. 45. & 89. & Calig cap. 53.

4. *Refrigeratus*] Sic iterum Suetonius in vita Lucani dixit, Neronem *nulla nisi refrigerandi sui* (hoc est Lucani recitantis) *caussa* recessisse. Refrigerare igitur recitantem est auditorii, ut ita dicam, frigus illi afferre. Hoc sensu & Plinius Epist. 13. libi 6. de Passieno Paulo recitante ait, *Interim Paulo aliena deliratio aliquantum frigoris attulit.* Unde recitandorum operum consuetudinem colligere est, de qua in Augusto ad cap. 89. A seipso refrigeratus dicitur, quia ipse sibi frigoris hujus caussa fuit, quod in recitando, subinde recordatus obesi & præpinguis illius viri qui pondere suo subsellia fregerat, sibi non posset a risu temperare.

5. *Transiit*] Non nisi duobus, ut ait, super hac materia scriptis voluminibus; nec enim prosecutus videtur integram hanc historiam quæ tredecim circiter annorum erat a cæde scilicet Julii Cæsaris, anno U. C. 10. ad mortem Antonii 723. Pacem civilem dixit eam quæ bella omnia civilia secuta est, tunc cum Janum clausit Augustus. De quo in Augusto cap. 22.

6. *A matre*] Antonia, supra cap. 1. & Calig. cap. 1 & 22.

Ibid. *Ab avia*] An Octavia Augusti sorore, quæ Antoniæ mater fuit, de qua in Augusto cap. 63. An vero Livia Augusti conjuge, patris ejus matre, de qua tam sæpe supra.

7. *Asinii Galli*] De hoc in Augusto ad cap. 66. filius fuit Asinii Pollionis Oratoris, ut ibidem ad cap. 43. notatum, & Poëtæ, ut in Julio ad cap. 30. & 35. Scripsit libros de comparatione Pollionis patris sui, & Ciceronis, quibus patri suo dare palmam ausus est, ut ait Plinius Epist. 4. lib. 7. Quem cum Largio quodam eodem nomine insectatur Gellius lib. 17. cap. 1.

8. *Literas tres*] Idem habet Tacitus Annal. 11. ubi de literarum inventoribus locutus addit: *Quo exemplo Claudius tres literas adjecit, qua usu imperitante eo, posh obliterata.* Sed nec tradidit quænam illæ fuerint, nec tradere etiam curavere Grammatici, ut fatetur Lipsius Taciti locum enarrans, ubi de Æolico, ut vocant, digammate constare probat ex Quintiliano & inscriptionibus illius temporis, *Nec inutiliter Claudius Æolicam illam Ⅎ ad hos usus literarum adjecerat*, ait Quintilianus lib. 1. cap. 13. Vetusta marmora, *Pomerium amplagit terminogitque Octavia, Digi Augusti*, &c. Unde patet hujus literæ Ⅎ eumdem valorem esse qui *v* consonantis. De reliquis nihil constat ubi conjecturis tantum agitur. Pari exemplo & eventu Chilpericus Francorum Rex tres quoque literas addidit, quas in usum adhibendas edicto jusserat.

9. *Scriptura*] Tacitus ibidem: *Aspiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiscitis per fora & templa fixo.*

10. *Libris ac diurnis*] Torrentius de libris actorum intelligit errorem scripturæ inde natum, existimans quod cum Suetonius dimidiatis, more veterum, vocibus scripsisset *lib. ac diurn.* librarii fecerint *libris ac diurnis*: quod quanquam verosimillimum est intelligendum tamen videtur de privatis etiam libris, tum quia *plerisque* dixit, tum quia diurna, libri sunt quibus dierum singulorum rationes describuntur. Juvenalis:

Longi relegit transacta diurni.

& Ausonius de sapiente loquens,

Digitized by Google

Nec prius in dulcem declinant lumina somnum

Omnia quam longi reputaverit acta diei.
Vide in Augusto ad cap. 78.

CAPUT XLII.

NEc minore cura Græca studia secutus est, amorem præstantiamque linguæ occasione omni professus. Cuidam barbaro Græce & Latine differenti, *Cum utroque*, inquit, *sermone nostro sis* [1] *peritus*. Et in commendanda patribus conscriptis [2] Achaia, *gratam sibi provinciam* ait, *communium studiorum commercio*. Ac sæpe in Senatu legatis [3] perpetua oratione respondit. Multum vero pro tribunali etiam [4] Homericis locutus est versibus. Quoties quidem hostem vel insidiatorem ultus esset, excubitori [5] Tribuno signum de more poscenti, non temere aliud dedit quam,

[a] Ἄνδρ' ἐπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος κακὸν εἴπῃ.

Denique & Græcas scripsit historias, [6] Τυρρηνικῶν XX. [7] Καρχηδονιακῶν VIII. Quarum caussa [8] veteri Alexandriæ Musæo alterum additum ex ipsius nomine: institutumque ut quotannis in altero Τυρρηνικῶν libri, altero Καρχηδονιακῶν diebus statutis, velut in auditorio, recitarentur toti a singulis per vices.

INTERPRETATIO.

a *Virum ulcisci* oportet, *quando aliquis prior injuriam facit.*

NOTÆ.

1. *Peritus*] Pithœi & Lisiæi codices *paratus*.

2. *Achaia*] Quam illis reddiderat, Supra cap. 25.

3. *Perpetua oratione*] Græca scilicet, quod contra majorum ac præsertim Augusti institutum fuit. Vide in Tiberio ad cap. 71.

4. *Homericis*] Beroaldus & Sabellicus scripserant *heroicis*, male.

5. *Tribuno*] Qui excubitorum cohortibus præerat, in Caligula cap. 56. Signum autem intellige tesseram militarem, de qua ibidem.

6. Τυρρηνικῶν] Latinis alii literis *Tyrrhenicon* Interpretes probabilius putant legere Κυρηναϊκῶν *Cyrrhenicon*, quamvis Tyrrheni fama satis noti sint.

7. Καρχηδονιακῶν] Hoc est Carthaginensium: hi enim Carchedonem conditorem agnoscebant Appiano auctore, (quanquam Dido vulgatiore fama Carthaginem condidisse feratur) Cum igitur Cyrenaicis vicini fuerint Carthaginenses, multa inter se communicanda & disceptanda habuisse longe probabilius foret, etiam tacente Sallustio, qui tamen bello Jugurthino de uriusque populi diffidiis locutus est. Cyrenaica regio Africæ eadem quæ Plinio Pentapolitana dicitur lib. 5. cap. 5. hodie Barbariæ pars: Cyrene vero civitas etiam *Corene*.

8. *Veteri Alexandriæ Musæo alterum additum*] Ita scripsit Casaubonus ex MSS. cum in vulgatis editionibus non extaret vox *alterum*. Sensus est: Alexandriæ erat antiquum Musæum. Huic Claudius addidit novum suo nomine appellatum: quod confirmat Athenæus lib. 6. ubi disertis verbis Claudium Musæum Alexandriæ fuisse significat. Musæum autem vel Musium Alexandrinum fuit collegium hominum circa disciplinas versantium, quibus attributa e publico pecunia ad promovenda bonarum artium studia, a Ptolemæo Philadelpho celebri illo Bibliothecæ conditore institutum, ut vulgo censent. Augustus & Tiberius multa Musæo in gratiam doctorum hominum liberaliter indulserunt. Testis est Strabo libro ultimo, ubi & ædificium describit, de quo & Spartianus in Adriano qui sæpe quæstiones illis proponebat; & Philostratus in vita Dionysii Milesii Sophi-

Digitized by Google

ſtæ, ubi Muſæum menſam fuiſſe dicit quæ ex omni terrarum orbe eloquentiſſimos | quoſque viros convocaret.

CAPUT XLIII.

SUB exitu vitæ, ſigna quædam nec obſcura pœnitentis de matrimonio Agrippinæ, deque Neronis adoptione dederat. Siquidem commemorantibus libertis, ac laudantibus [1] cognitionem, qua pridie quandam adulterii ream condemnaverat: *ſibi quoque in fatis eſſe* jactavit *omnia impudica, ſed non impunita matrimonia.* Et ſubinde obvium ſibi Britannicum arctius complexus, hortatus eſt, *ut creſceret, rationemque a ſe omnium factorum acciperet*, Græca inſuper voce proſecutus, [2] ὁ ἔμ᾽ ἐπιγαμῶν. Cumque impubi teneroque adhuc, [3] quando ſtatura permitteret, togam dare deſtinaſſet, adjecit: *ut tandem Pop. Rom.* [4] *verum Cæſarem habeat.*

NOTÆ.

1. *Cognitionem*] Supra ad cap. 15.

2. ὁ ἔμ᾽ ἐπιγαμῶν] Hoc eſt, *amor impellit.* Sic plures habent codices: alii tamen ὁρθῶς ποιῶν *bene facite.* Petrus Victorius lib. 24. variarum Lectionum cap. 14. ex veteſti codicis veſtigiis legit ὁ πρώτως κἀμὲ ἰάσεται, *qui læſit & ſanabit*, proverbio quod ex oraculi reſponſione factum eſt cum Telephus ab Achille vulneratus, illud olim conſuluiſſet. Hoc certe de principe in Homericis verſatiſſimo probabilius eſt quam quod Turnebus lib. 22. cap. 31. ὁ πρώτως πάσχων, *qui læſit pœnas dabit.*

3. *Quando*] Hoc eſt ſiquidem, notat quippe Xiphilinus Britannicum ſtatura majorem fuiſſe quam vulgo ferret ejus ætas.

4. *Verum Cæſarem*] Non vero adoptivum, ut antea habuerat, & habitura erat ſi Nero rerum potiretur.

CAPUT XLIV.

NON multoque poſt teſtamentum etiam conſcripſit, ac ſignis omnium magiſtratuum [1] obſignavit. Prius igitur quam ultra progrederetur, præventus eſt ab Agrippina, quam præter hæc, conſcientia quoque, nec minus [2] delatores multorum [3] criminum arguebant. Et veneno quidem occiſum convenit: [4] ubi autem & per quem dato, diſcrepat. Quidam tradunt, epulanti in arce cum Sacerdotibus, per [5] Halotum ſpadonem [6] præguſtatorem: alii, domeſtico convivio, per ipſam Agrippinam, quæ [7] boletum medicatum avidiſſimo ciborum talium obtulerat. Etiam de ſubſequentibus diverſa fama eſt. Multi ſtatim hauſto veneno obmutuiſſe aiunt, excruciatumque doloribus nocte tota, defeciſſe prope lucem. Nonnulli inter initia conſopitum, deinde cibo affluente evomuiſſe omnia, [8] repetitumque toxico, incertum pultine addito, cum velut exhauſtum refici cibo oporteret, an immiſſo per clyſterem: ut quaſi abundantia laboranti etiam hoc genere egeſtionis ſubveniretur.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Obsignavit*] De Testamentorum signis, supra in Augusto ad cap. 33. &c. Ner. ad cap. 4.

2. *Delatores*] Quos inter Narcissus libertus, de quo supra cap. 28.

3. *Criminum*] Impudicitiæ præsertim cum Pallante liberto, de quo supra ibid.

4. *Ubi*] Ex Tacit. Annal. 12. patet fuisse in Palatio & a locusta veneficii damnata muliere præparatum fuisse.

5. *Per Halotum*] Tacitus ibidem de veneno illo loquens: *Cujus minister e spadonibus fuit Halotus inferre epulas & explorare gustu solitus.*

6. *Prægustatore*] Munus hoc demandari solitum ei quem principes imprimis diligebant Tacit. Annal. 13. *Quia cibos potusque dilectus ex ministris explorabat.* Quem morem stante Republica ignotum, nec ante Augustum incœpisse colligunt viri docti tum ex Suetonio & Tacito tum ex inscriptionibus quas vide in calce.

7. *Boletum medicatum*] Nec enim solus nocet, & Plinius lib. 22. cap 22. boletum iis annumerat quæ temere manduntur, ideoque Tacitus Annal. 12. delectabili boletorum cibo infusum venenum dicit; unde patet ex iis fungi non fuisse, qui quanquam boletum extrinsecus referant, mortiferi tamen sunt; unde & Plinio ibidem cap. 23. & Juvenali Sat. 5. v. 146. ancipites dicuntur:

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis.

8. *Repetitumque toxico*] Tacitus alium adhuc modum refert libro 12. extremo, *Nec vim medicaminis satis intellectam socordia ne Claudii an vinolentia. Simul soluta alvus subvenisse videbatur. Igitur exterrita Agrippina, & quando ultima timebantur, spreta præsentium invidia, provisam jam sibi Xenophontis Medici conscientiam adhibet; ille tanquam nisus evomentis adjuvaret pinnam rapido veneno illitam faucibus ejus demisisse creditur.* Vide supra ad cap. 33.

CAPUT XLV.

MORS ejus celata est, donec circa [1] successorem omnia ordinarentur. Itaque & quasi pro ægro adhuc vota suscepta sunt, & inducti per simulationem comœdi, qui velut desiderantem oblectarent. Excessit III. Idus Octobris, Asinio Marcello, Acilio Aviola [2] Coss. LXIV. ætatis, imperii XIV. anno. Funeratus est solenni Principum pompa, & [3] in numerum Deorum relatus. Quem honorem, a Nerone [4] destitutum abolitumque, recepit mox per Vespasianum.

NOTÆ.

1. *Successorem*] Tacitus ibidem: *Dum res firmando Neronis imperio componuntur*, & eadem quæ hîc Suetonius, nisi quod de comœdis silet.

2. *Coss.*] Qui annus ab U. C. 806. Christi vero 56. qui ætatis ejus annos exacte numerant ii, non amplius quam 63 ann. duobus mensibus ac tredecim diebus: sed Suetonius annum incœptum habuit pro completo, ut & alias.

3. *Deorum numerum*] Apotheosim intelligit, ut & Julii cap. 88. Tacitus: *Cæleste que honores Claudio decernuntur, & funeris solemne perinde ac Divo Augusto celebratur, æmulante Agrippina prævia Livia magnificentiam.*

4. *Destitutum a Nerone*] Aliter Plinius in Panegyrico: *Dicavit cœlo Tiberius Augustum, sed ut majestatis numen induceret; Claudium Nero, sed ut irrideret.* Et ipse Suetonius consecratum a Nerone testatur infra cap. 9. Unde locus hic non nisi de Templo Claudii intelligendus, quod a Nerone destructum Vespasianus instauravit. In Vesp. cap. 9.

CAPUT

CAPUT XLVI.

PRÆSAGIA mortis ejus præcipua fuerunt: exortus crinitæ ſtellæ, quam [1] cometen vocant: tactumque de cælo monumentum Druſi patris: & quod eodem anno ex [2] omnium magiſtratuum genere plerique mortem obierant. Sed ipſe nec ignoraſſe, aut diſſimulaſſe ultima vitæ ſuæ tempora videtur, aliquot quidem argumentis. Nam & cum Coſſ. deſignaret, neminem ultra menſem, quo obiit, deſignavit: & in Senatu, cui noviſſime interfuit, multum ad concordiam liberos ſuos cohortatus, utriuſque ætatem ſuppliciter patribus commendavit. Et in ultima [3] cognitione pro tribunali, *acceſſiſſe ad finem mortalitatis*, quanquam [4] abominantibus qui audiebant, ſemel atque iterum pronuntiavit.

NOTÆ.

1. *Cometen*] Hujus meminit & Seneca lib. 7. natural. Quæſt. cap. 17. & 29. & Plinius lib. 2. cap. 25. *Cometas Graci vocant, noſtri crinitas horrentes crine ſanguineo & comarum modo in vertice hiſpidas; terrificum magna ex parte ſidus, ac non leviter piatum, ut civili motu Octavio Conſule, iterumque Pompeii & Cæſaris bello; in noſtro vero ævo circa veneficium quo Claudius Cæſar imperium reliquit Domitio Neroni*, &c.

2. *Omnium magiſtratuum*] Tacitus lib. 12. ubi & alia ab his portenta recenſet: *Numerabatur inter oſtenta deminutus Magiſtratuum numerus, Quæſtore, Ædili, Tribuno ac Prætore & Conſule paucos intra menſes defunctis.* Unde etiam colligere eſt quinam fuerint Magiſtratus Romani; quos enim generatim Suetonius expreſſit. Hos Tacitus ſigillatim declaravit.

3. *Cognitione*] Conſtanter dicitur de judicio in quo Princeps ipſe cognoſcit, ut ſupra cap. 15. & 43.

4. *Abominantibus*] Hoc eſt, malum omen deprecantibus; abominari enim eſt triſte aliquid precibus rejicere, & amoliri: quod Virgilius ſic expreſſit 3. Æneid.

Di prohibete minas, di talem avertite caſum.

quo depelli poſſe credebant ominis exitium.

Digitized by Google

Digitized by Google

C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CÆSARIBVS.

LIBER VI.

NERO CLAUDIUS CÆSAR.

CAPUT I.

EX [1] gente DOMITIA duæ familiæ claruerunt; [2] CALVINORUM & [3] ÆNOBARBORUM. Ænobarbi auctorem originis itemque cognominis habent L. Domitium: cui rure quondam revertenti, [4] juvenes gemini augustiore forma ex occursu imperasse traduntur, nuntiaret Senatui ac Populo victoriam, de qua incertum adhuc erat: atque in fidem majestatis, adeo permulsisse malas, ut e nigro rutilum ærique assimilem capillum redderent. Quod insigne mansit & in posteris ejus, ac magna pars rutila barba fuerunt. Functi autem ¶ Consulatibus VII. * Triumpho † Censuraque duplici, & inter [5] Patritios allecti perseverarunt omnes in eodem cognomine. Ac ne [6] prænomina quidem ulla, præterquam Cnæi & Lucii usurparunt: eaque ipsa notabili varietate, modo continuantes unumquodque per ternas personas, modo alternantes per singulas. Nam primum secundumque ac tertium Ænobarborum Lucios: rursus sequentes tres ex ordine Cnæos accepimus: reliquos nonnisi vicissim, tum Lucios tum Cnæos. Plures e familia cognosci referre arbitror: quo facilius appareat ita degenerasse a suorum virtutibus [7] Neronem, ut tamen vitia cujusque quasi tradita & ingenita retulerit.

A. U. C. DLXXVI.

¶ DXCIII. DCXXXII. DCLVIII. DCLX. DCC. DCCXXII. DCCXXCV. *DCXXXII. †DCXXXIX. DCLXIII.

NOTÆ.

1. *Gente Domitia*] Gens & familia differunt ut totum & pars, ut jam supra in Tiberio cap. 1.

2. *Calvinorum*] Ex hac familia Domitius ille Calvinus, Julii Cæsaris Legatus, de quo in Julio cap. 36.

3. *Ænobarborum*] In lapidibus Capitolinis & nummis, quos Torrentius profert,

Digitized by Google

scriptum est *Ahenobarb.*

4. *Juvenes gemini*] Hos Castorem & Pollucem fuisse creditum est; præcipuo enim favore Romanis semper opitulatos narrat Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. Victoria illa relata est adversus Tarquinios anno U. C. 257. unde gentis antiquitatem colligere est. Idem narrat & Plutarchus in Æmilio. Livius lib. 2. Decad. 1. & Dionysius Halicarnasseus lib. 6. qui ea pugna pro Romanis certasse Castorem & Pollucem narrant, & extructum illis Templum; quo loco sudorem equorum abstergentes visi sunt.

5. *Patricios adlecti*] Quid hoc sit, supra in Tiberio cap. 1. & Aug. cap. 2. &c.

6. *Prænomine*] Vide in Tiberio cap. 1.

7. *Neronem*] Casaubonus legit *Nero*, ex scriptura Vitterb. & Liszi.

CAPUT II.

A. U. C. DCLI. DCXXXII. DCXCVI. DCCI.

UT igitur paullo altius repetam, [1] atavus ejus Cn. Domitius in [2] Tribunatu Pontificibus offensior, quod alium quam se in patris sui locum cooptassent, jus Sacerdotum subrogandorum a [3] collegiis ad populum transtulit: ac in Consulatu Allobrogibus Arverniisque superatis, [4] elephanto per [5] provinciam invectus est: turba militum, quasi inter solennia triumphi, prosequente. In hunc dixit Licinius Crassus orator, *Non esse mirandum quod æneam barbam haberet, cui esset* [6] *os ferreum,* [7] *cor plumbeum.* Hujus filius [8] Prætor C. Cæsarem abeuntem Consulatu, quem adversus auspicia legesque gessisse existimabatur, ad disquisitionem Senatus vocavit: mox Consul Imperatorem ab exercitibus Gallicis retrahere tentavit: successorque ei per factionem nominatus, principio civilis belli ad [9] Corfinium captus est. Unde dimissus, [10] Massilienses obsidione laborantes cum adventu suo confirmasset, repente destituit, acieque demum Pharsalica occubuit. Vir neque satis constans, & ingenio truci: in desperatione rerum, mortem timore appetitam ita expavit, ut haustum venenum [11] pœnitentia evomuerit, medicumque manumiserit, qui id sibi prudens ac sciens minus noxium temperasset. Consultante autem Cn. Pompeio [12] de mediis ac neutram partem sequentibus, solus censuit hostium numero habendos.

Notæ.

1. *Atavus*] Nemo non novit atavum occupare quintum cognationis gradum ascendendo, cui respondet atnepos descendendo Sed Casaubonus & Torrentius contendunt Ænobarbos patrem & filium a Suetonio confundi; qui enim Allobrogas domuit, is ejus pater qui censuram gessit una cum Licinio Crasso eximio Oratore, de quo præclara multa narrat Cicero lib. 3. de Orat initio. & lib. de clar. Orat. Meminit & Plinius lib. 17. cap. 1.

2. *Tribunatu*] Plebis scilicet, quod factum anno U. C. 651. ut notavit Sigonius lib. 1. de Jure Civium Rom. cap. 19. Unde colligas Ænobarborum familiam inter Patricios nondum allectam fuisse tunc temporis, aut rursus ad plebem se contulisse; hujus enim erat hic Magistratus, ut ex Aug. cap. 10. & 40. & Jul. cap. 20 notare est.

3. *Collegiis*] Collegia hæc erant variæ classes seu societates eorum qui res sacras curabant, quales erant v. g. Flaminum qui ab initio tres, postea quindecim, Augurum qui similiter ab initio non nisi tres ac procedente tempore novem extitere Pontificum, fratrum Arualium, &c. quorum e numero si quis deficeret, collegæ alium ipsi auctoritate sua subrogabant. Quod ille Domitius populi non collegii beneficium esse voluit, & sublatum a Sylla iterum re-

Digitized by Google

stituit Labienus Tribunus plebis, Lege quæ sub Antonio Consule abrogata iterum restituta est, jusque illud populo redditum: quo tempore cæteræ quoque Antonii Leges sublatæ sunt.

4. *Elephanto*] His animalibus usos hoc bello Romanos testatur & Florus lib. 3. cap. 2. *Maximus barbaris terror elephanti fuere.* Ubi & tanti momenti victoriam hanc fuisse refert, ut Domitius Fabiusque ejus belli duces, iliis quibus dimicaverant locis, extruxerint saxeas turres & desuper exornata armis hostilibus tropæa fixerint, cum is mos Romanis fuisset antea inusitatus.

5. *Per Provinciam*] Galliam scilicet Narbonensem cui attributi sunt Allobroges, quorum regio hodie Delphinatus & Sabaudiæ pars.

6. *Os ferreum*] Dicterium illud in impudentes jactari solitum, idem Pisoni a Cicerone objicitur, idem & Catullus Epig. 43.

ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.

Quo sensu Terentius in Eunucho, *Os durum, os impudens*, &c.

7. *Cor plumbeum*] Alii tardum interpretantur, ut apud Terentium in Heautontim. Act. 5. Scen. 1. v. 4.

in me quidvis harum rerum convenit
Quæ sunt dicta in stultum, cunctor, stipes, asinus, plumbeus, &c.

Alii lividum. Satius videtur dicere mollitiem & ignaviam Domitio exprobratam ex comparatione plumbi cum ferro; hujus enim respectu molle dici potest.

8. *Prætor*] In Julio cap. 23. & seq.

9. *Corfinium*] In Julio cap. 34. Huic renuenti vitam a Cæsare concessam innuit Lucanus lib. 2.

Vive licet nolis & nostro munere, dixit,
Cerne diem!

10. *Massilienses*] Itidem in Julio cap. 34.

11. *Pœnitentia*] Subito exorta cum audivit Cæsarem humaniſſime victoria utentem, captis parcere, ut ait Plutarchus in Cæsare. Et Seneca lib. 3. de Benef. cap. 24. ubi servorum in dominos beneficia memorat, hoc profert exemplum.

12. *Medii*] Quos Cæsar amicorum sibi loco futuros pronuntiarat, in Julio cap. 75.

CAPUT III.

RELIQUIT filium omnibus gentis suæ proculdubio præferendum. Is inter conscios [1] Cæsarianæ necis, quanquam insons, damnatus lege [2] Pedia, cum ad Cassium Brutumque se, propinqua sibi cognatione junctos, contulisset, post utriusque interitum classem olim commissam retinuit: auxit etiam: nec nisi partibus ubique profligatis, [3] M. Antonio sponte, & ingentis meriti loco tradidit. Solusque omnium ex iis qui pari lege damnati erant, restitutus in patriam, amplissimos honores percucurrit. Ac subinde [4] redintegrata dissensione civili, eidem Antonio legatus, delatam sibi summam imperii ab iis quos Cleopatræ pudebat, neque suscipere neque recusare fidenter, propter subitam valitudinem, ausus, transiit [5] ad Augustum: & in diebus paucis obiit, nonnulla & ipse infamia adspersus. Nam Antonius eum desiderio amicæ [6] Serviliæ Naidis transfugisse jactavit. DCCXI. DCCXIII.

NOTÆ.

1. *Cæsarianæ necis*] In Julio cap. 81.

2. *Lege Pedia*] Quam tulit Q. Pedius, Augusto coheres a Cæsare datus, in Julio cap. 83. Velleius lib. 2. cap. 65. *Consulatumque iniit Cæsar pridie quam viginti annos impleret decimo Cal. Octobres cum collega Q. Pedio post Urbem conditam annis* 709. Et paulo infra cap. 69. *Et Lege Pedia quam Consul Pedius tulerat, omnibus qui Cæsarem interfecerant, aqua ignique interdictum.*

3. *M. Antonio*] Ad quem illum remisit Augustus. In Augusto cap. 16. & Plutarcho plura.

4. *Redintegrata dissensione*] In Augusto cap. 17.

5. *Ad Augustum*] Plutarchus in Antonio

Digitized by Google

sub Actiacæ pugnæ tempus id factum narrat, ipsumque Domitium febre jam tunc implicitum.

6. *Servilia Naidis*] Torrentius ex cognomento colligit libertam hanc fuisse.

CAPUT IV.

EX hoc Domitius nascitur, quem [1] emtorem [2] familiæ pecuniæque in [3] Testamento Augusti fuisse, mox vulgo notatum est: non minus aurigandi arte in adolescentia clarus, quam deinde [4] ornamentis triumphalibus ex Germanico bello. Verum arrogans, profusus, immitis, [5] Censorem L Plancum via sibi decedere Ædilis coëgit: Præturæ Consulatusque honore Equites Rom. matronasque ad agendum [6] mimum produxit in scenam: venationesque & in Circo & in omnibus urbis regionibus dedit. Munus etiam gladiatorium: sed [7] tanta sævitia, ut necesse fuerit Augusto clam frustra monitum [8] edicto coërcere.

Notæ.

1. *Emtorem*] Emtor ille imaginarius adhibebatur in Testamentis, ut Testator vivens alienasse & vendidisse bona sua videretur.

2. *Familiæ*] Familia apud Jureconsultos plerumque significat res omnes hereditarias, ut familiæ erciscundæ judicium quod instituitur ad dividendam inter heredes hereditatem. Hinc non immerito suspecta vox *pecuniaque* Torrentio: hæc enim idem significat ac *familiæ*: nec *pecunia emptor* apud Jurisconsultos legere est, ut affirmat idem. Vide L. 195. *ff. de verborum signif.*

3. *Testamento*] Plura erant apud Romanos Testamentorum genera: alia fiebant in bello coram aliquibus tantum commilitonibus quæ *in procinctu* dicebantur, namque sub ipsam pugnæ horam a pugnaturis militibus condebantur. Alia in pace coram populo convocato, quæ ideo *Testamenta calatis comitiis* appellata sunt. *Accessit deinde tertium genus Testamentorum, quod dicebatur per æs & libram: scilicet quod per emancipationem, id est imaginariam quandam venditionem agebatur, quinque testibus & libripende civibus Romanis puberibus præsentibus, & eo qui familiæ emptor dicebatur.* Justin. lib. 2. Instit. Tit. *de Testamentis.* Eodem ferme modo quo supra in Augusto cap. 64. de adoptione per æs & libram, nisi quod alia erant solennia verba: Testator enim tenens tabulas testamentarias dicebat: *Hæc uti his tabulis cerisque scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor, itaque vos Quirites testimonium prabetote.*

4. *Ornamentis triumphalibus*] In Tiberio cap. 20.

5. *Censorem*] De Munatii Planci Censura, in Augusto cap. 37. Cum vero Censura multo sit Ædilitate superior, ideo Torrentius non existimat ea fronte Domitium esse potuisse, ut Censorem Magistratu durante sibi via cedere vellet Ædilis, & ideo legit *censorium*. Sed Censuræ honorem valde tunc temporis imminutum fuisse constat ex Augusto cap. 27. & 37. Et certe homo gratia potens apud Principem & arrogans facere id potuit.

6. *Mimum*] Idem de Laberio Equite Romano, in Julio cap. 39. & de aliis Equitibus, in Augusto cap. 43. & infra cap. 20. Hoc autem non tam profusioni quam arrogantiæ & superbiæ Domitii tribuendum videtur, quod honestos non ignobiles & infames actores habere voluerit, satis enim patet ejus profusio ex venationibus, quas non tantum in circo, sed in omnibus quoque regionibus edidit.

7. *Tanta sævitia*] Qui gladiatores temere jugulari vellet, ut de Claudio cap. 34. in Claudio.

8. *Edicto*] Illo forte quo gladiatores sine missione edi prohibuit. In Augusto cap. 45.

Digitized by Google

CAPUT V.

EX [1] Antonia majore patrem Neronis procreavit, omni parte vitæ detestabilem. Siquidem comes ad orientem C. [2] Cæsaris juvenis, occiso liberto suo, quod potare quantum jubebatur, recusarat, dimissus e [3] cohorte amicorum nihilo modestius vixit. Sed & in viæ Appiæ vico repente puerum citatis jumentis haud ignarus obtrivit: & Romæ, medio Foro cuidam Equiti Rom. liberius jurganti oculum eruit: perfidiæ vero tantæ, ut non modo [4] argentarios pretiis rerum coëmtarum, sed & in [5] Prætura mercede [6] palmarum [7] aurigarios fraudaverit. Notatus ob hæc & fororis joco, querentibus dominis factionum, [8] *repræsentanda præmia in posterum* sanxit. [9] Majestatis quoque & adulteriorum, incestique cum sorore [10] Lepida sub excessu Tiberii reus, mutatione temporum evasit decessitque [11] Pyrgis morbo aquæ intercutis, sublato filio Nerone ex [12] Agrippina, Germanico genita.

NOTÆ.

1. *Antonia majore*] In Claudio cap. 1. & Calig. cap. 1. &c.

2. *Caii Cæsaris*] Qui filius Agrippæ ab Augusto adoptatus, in Augusto cap. 64. & in Tiberio cap. 12. &c.

3. *Cohorte amicorum*] Ita vocabant exemplo prætoriæ cohortis, ita & Tacitus de Vestilio, *quem Druso fratri suo percarum transtulerat in cohortem suam.* Amicorum cohortem in tres classes divisit Tiberius. Vide in Tiberio cap. 46.

4. *Argentarios*] De iis in Augusto cap. 2. & 3. Ad eorum tabernas fiebant quoque auctiones, (de quibus quid sint, supra in Julio cap 50. Calig. cap. 16. &c.) ut constat ex Cicerone in Orat. pro Cecinna, & Quintil. lib. 11. cap. 1. ac præsertim ex Seneca lib. 1. Declamat. ubi de Hortensii memoria. Ad ipsos quoque bona minorum aliaque mittebantur vendenda, ut ex multis Legum & Constitutionum locis colligit Torrentius, ac præsertim ex Lege 88. *ff. de Solutionibus: Filia intestato patri heredis negotia mater gessit, & res vendendas per argentarios dedit, argentarii universum redactum venditionis fotverunt* Unde patet quænam sint ea rerum emptarum pretia, quæ Domitius argentariis ademit, nisi si de mercede ipsorum argentariorum intelligatur hîc locus.

5. *Prætura*] A Prætoribus & Ædilibus ludos edi solitos, supra notatum in Julio cap. 10. & 14.

6. *Palmarum*] Quæ jam diu apud Romanos victoris præmia. Livius lib. 10. Decad. 1. *Eodem anno* (qui fuit U. C. 460.) *coronati primum ob res bello bene gestas ludos Romanos spectaverunt, palmaque tum primum translato e Græcia more victoribus data.* Pro palmis aurum etiam dari solitum, ut Claudii cap. 21. patet, quod ideo *palmarium* dicebatur: quæ vox pro ipsa mercede victoris usurpata. Unde Torrentius merito arbitratur hîc legendum esse *palmarii* aut *palmariorum.*

7. *Aurigarios*] Vel aurigarum curatores, vel equorum agitatores, singulis factionibus sui ministri, quales isti ac præterea conditores, succonditores, tentores, viatores, medici, &c. quibus qui præerant, hi factionum domini dicebantur, de quibus supra in Calig. cap. 55. & 18. & Tib. cap. 37 & infra cap. 22.

8. *Repræsentanda*] Sine dilatione solvenda. In Aug. cap ult & Claud. c. 34. &c.

9. *Majestatis*] De illo crimine in Tiberio cap. 2. &c.

10. *Lepida*] Uxore Messallæ Barbati, Messallinæ patris. Vide in Claudio cap. 26.

11. *Pyrgis*] Pyrgi Hetruriæ oppidum, hodie *S. Maria di Purgano.*

12. *Agrippina*] In Calig. cap. 7. & 24. & Claud. 26. &c.

Digitized by Google

CAPUT VI.

NERO [1] natus est Antii post IX. menses quam Tiberius excessit, XVIII. Kal. Januarias: tantum quod exoriente Sole, pene [2] ut radiis prius quam terra [3] contingeretur. De [4] genitura ejus statim multa & formidolosa multis conjectantibus, præsagio fuit etiam Domitii patris vox, inter gratulationes amicorum, negantis quidquam ex se & Agrippina nisi detestabile & malo publico nasci potuisse. Ejusdem futuræ infelicitatis signum evidens die [5] lustrico exstitit: nam C. Cæsar, rogante sorore ut infanti quod vellet, [6] nomen daret, intuens Claudium patruum suum, a quo mox principe Nero adoptatus est, ejus se dixit dare: neque id ipse serio, sed per jocum, & aspernante Agrippina, quod tum Claudius inter [7] ludibria aulæ erat. Trimulus patrem amisit: cujus ex parte tertia heres, ne hanc quidem integram cepit, correptis per coheredem Caïum universis bonis, & subinde [8] matre etiam relegata, pene inops atque egens apud [9] amitam Lepidam nutritus est, sub duobus pædagogis, saltatore atque tonsore. Verum Claudio imperium adepto, non solum paternas opes recuperavit; sed & Crispi [10] Passieni vitrici sui hereditate ditatus est. Gratia quidem & potentia revocatæ restitutæque matris usque eo floruit, ut emanaret in vulgus, missos a Messallina uxore Claudii, qui eum, [11] meridiantem quasi Britannici æmulum strangularent. Additum fabulæ est, eosdem [12] dracone e pulvino se proferente conterritos refugisse. Quæ fabula exorta est, deprehensis in lecto ejus circum cervicalia [13] serpentis exuviis: quas tamen aureæ [14] armillæ ex voluntate matris inclusas dextro brachio gestavit aliquandiu: ac tædio tandem maternæ memoriæ abjecit: rursusque extremis suis rebus frustra requisivit.

NOTÆ.

1. *Natus est Antii*] Ubi & Caligula, supra in Caligula cap. 8. Alii legunt *ante*, scilicet ante obitum Tiberii, de quo in Tiberio cap. 73. sive ante sive post, optime convenit mensium numerus: sunt quippe novem menses a 17. Calendas Aprilis, hoc est 16. Martii die, ad 18 Calendas Januarii, hoc est 15. Decembris diem.

2. *Radiis*] Qui illum, ut ait Dio, nascentem circumfulsere, unde futuri præsagium imperii.

3. *Contingeretur*] Hoc apud ipsos religiosum. Vide in Augusto cap. 5.

4. *Genitura ejus*] Hoc est nativitate, aut potius themate nativitatis indice, de quo in Augusto cap. 94.

5. *Die lustrico*] Quo nomen imponebatur pueris, unde & *nominalia* dictus est. De cujus ceremoniis plura apud Macrobium lib. 1. cap. 16. & Plutarchum Quæst. Rom. *Festum lustrius dies infantium appellantur, puellarum octavus, puerorum nonus, qui a lustrantur, atque iis nomina imponuntur.*

6. *Nomen*] Potest intelligi de prænomine; hoc enim ad arbitrium imponebatur, manente nomine ad gentem indicandam, ut in Tiberio cap. 1. vel 2. Claudii nomen jocose duntaxat inditum a Caligula; nec enim sic appellatus est ante adoptionem, ut patet ex Tacito, qui illum ubique Lucium Domitium appellat, maxime ubi de ludis illis de quibus capite sequenti.

7. *Ludibria aulæ erat*] In Claudio cap. 3.

8. *Matre relegata*] In Calig. cap. 24.

9. *Amitam Lepidam*] Patris sororem, cap. proxime præcedenti.

10. *Passieni*] Huic post Domitium nupserat Agrippina. Seneca ut virum optimum non

non uno in loco laudat, & Plinius lib. 16. cap. 42. Oratorem & bis Consulem fuisse dicit, de quo & in Calig. cap. 10.

11. *Meridiantem*] Calig. cap. 38.

12. *Dracone e pulvino*] Narrat quoque Tacitus lib. 11. Annal. initio vulgatum infantiæ ejus dracones affuisse per modum custodum, & ipse Nero nequaquam, ut ait, famæ suæ detractor narrare solitus erat, unam omnino anguem in cubiculo suo visam.

13. *Serpentis exuviis*] Idem narrat Xiphilinus, additque interpretatos ex hoc vates magnam ab homine sene potentiam capturum, quod serpentes exuviis positis senectutem exuere dicantur.

14. *Armilla*] Serpentis exuvias multis remediis efficaces testatur Plinius.

CAPUT VII.

TENER adhuc, nec dum matura pueritia, Circensibus ludis [1] Troiam constantissime favorabiliterque lusit. [2] Undecimo ætatis anno a Claudio adoptatus est, [3] Annæoque Senecæ jam tunc Senatori in disciplinam traditus. Ferunt Senecam proxima nocte visum sibi per quietem, C. Cæsari præcipere: & fidem somnio Nero brevi fecit prodita immanitate naturæ, quibus primum potuit experimentis. Namque Britannicum fratrem, quod se post adoptionem [4] ÆNOBARBUM ex consuetudine salutasset, ut subditivum apud patrem arguere conatus est. Amitam etiam [5] Lepidam, ream testimonio coram afflixit, gratificans matri, a qua rea [6] premebatur. Deductus in forum [7] tiro, populo congiarium, militi donativum proposuit: indictaque [8] decursione prætorianis, [9] scutum sua manu prætulit: exinde patri [10] gratias in Senatu egit. Apud eundem Consulem pro Bononiensibus Latine, & pro Rhodiis atque Ilienses Græce verba fecit. Auspicatus est & jurisdictionem, [11] Præfectus urbis sacro [12] Latinarum, celeberrimis patronis, non translatitias, ut assolet, & breves, sed maximas plurimasque postulationes [13] certatim ingerentibus: quamvis interdictum a Claudio esset. Nec multo post duxit uxorem [14] Octaviam: ediditque pro Claudii salute [15] Circenses, & venationem.

NOTÆ.

1. *Troiam*] De his puerorum ludis, in Julio cap. 39. &c.

2. *Undecimo ætatis anno*] Ita codices omnes. Qua in re Suetonium erraſſe colligunt ex Taciti Annal. 12. ubi adoptio facta legitur Coss. C. Antistio, & M. Suillio. Qui annus fuit Urbis 802. Claudius vero mortuus est, M. Asinio Marcello & M. Acilio Aviola Coss. anno Urbis 806. ut patet ex cap. 45. supra in Claudio: quo tempore Nero septemdecim natus annos imperium suscepit, ut patet ex capite sequenti. Quo quidem clarum fit Neronem, cum adoptatus est, non nisi quadriennio minorem fuisse quam cum imperium suscepit. Unde Torrentius qui hoc animadvertit, & Casaubonus illum secutus, contendunt legendum esse hic *decimo tertio*. Sed videtur Tacitus in recensendis Consulum nominibus tam potuisse errare, quam in assignanda Neronis ætate Suetonius, quem alias adeo exactum iidem illi doctissimi viri prædicant.

3. *Annæo Seneca*] De quo jam supra in Caligula cap. 53. Is favore Agrippinæ revocatus est ex Insula Corsica, in qua Claudii jussu, & Messalinæ odio exulabat, *ut tali magistro Domitii pueritia adolesceret*, inquit Tacitus initio libri 12.

4. *Ænobarbum*] Non vero *Neronem*, quod verum ipsi nomen postquam adoptatus est, *quod ut initium discordiæ Agrippinæ multo quæstu ad maritum defert: spernit quippe adoptionem, quaque censuerunt patres, jusserit populus, intra penates abrogari*, in-

Digitized by Google

quit Tacitus Annal. 12.

5. *Lepidam*] Amitam, supra cap. 5. & 6.

6. *Premebatur*] Agrippina invidebat Lepidæ propter generis claritudinem; hæc enim Antoniæ majoris filia, siquidem soror Domitii, ut supra cap. 5.

7. *Tiro*] De Tirocinio, in Augusto cap. 26. De donativis & congiariis, in Julio cap. 27.

8. *Decursione*] Sic apud Tacit. 2. Annal. *exercitio equitum, decursibus cohortium interesse*: hæc enim decursio exercitii causa fiebat, & ter in singulos menses, ex Augusti instituto. Eamdem Vegetius appellat *campicursionem* lib. 1. cap. 27. & lib. 3. cap. 4. Suetonius vero infra in Galba cap. 6. *campestrem decursionem*. Erat & alia decursio in funebri pompa, de qua in Claudio cap. 1.

9. *Scutum*] Quo decursionem moderabatur. Sic & infra in Galba cap. 6.

10. *Gratias egit*] Quod huic decursioni præesse se voluisset.

11. *Prafectus Urbis*] Alii legunt *Prafecti*, male; respicit enim ad morem antiquum, quo Magistratum ineuntes primo die negotiis quidem incumbebant, sed non toto, neque laborioso, delibabant duntaxat aliquid auspicii causa, unde & *auspicalis* appellatus est ille dies. Utrumque constat ex Plinio in Panegyrico. Alii quoque ipso Calend. Januar. die operis sui delibabant aliquid,

Totus ab auspicio ne foret annus iners,

ut ait Ovidius, & ex Senec. Epist. 84. ac Columella lib. 11. cap. 12. probat Casaubonus.

12. *Latinarum*] In Julio cap 79. translatitias communes intellige, ut in Augusto cap. 10.

13. *Certatim ingerentibus*] Sensus est, multas res magnique momenti advocatos postulasse a Nerone, quamvis leves duntaxat proponi moris esset; non enim tam negotiorum, quam auspicii causa id fiebat. Quo nomine etiam laudatur a Plinio Trajanus in Panegyrico.

14. *Octaviam*] Claudii ex Messallina filiam, Britannici sororem. De qua in Claudio cap. 27.

15. *Circenses & venationem*] De illis in Julio cap. 39. &c.

CAPUT VIII.

A. U. C. DCCCVII.

SEPTEMDECIM natus annos, ut de Claudio palam factum est, [1] inter horam sextam septimamque processit ad [2] excubitores: cum ob totius [3] diei diritatem non aliud auspicandi tempus accommodatius videretur: proque Palatii gradibus IMPERATOR consalutatus, lectica in [4] castra, & inde raptim appellatis militibus in curiam delatus est, discessitque jam vesperi: ex immensis quibus cumulabatur honoribus, tantum PATRIS PATRIÆ nomine recusato propter ætatem.

NOTÆ.

1. *Inter horam sextam*] Ita & Tacitus lib. 12. in fine: *Tunc medio diei; tertio ante Idus Octobres foribus Palatii repente diductis, comitante Burrho, Nero egreditur ad cohortem quæ more militiæ excubiis adest.*

2. *Ad excubitores*] In Claudio cap. 42.

3. *Diei diritatem*] Hoc est, quia diræ & infaustæ erant aliæ diei horæ ad auspicandum imperium, patet ex Tacito ibidem: *Agrippina, &c. crebro vulgabat ire in melius valetudinem Principis, quo milites bona in spe ageret, tempusque prosperum ex monitis Chaldæorum attenderet.* Quam mulierum superstitionem Juvenalis ridet Sat. 6.

Ad primum lapidem vehiari si placet, hora
Sumitur ex libro.

4. *Castra*] Prætoria de quibus in Claudio cap. 10. & Tiberio cap. 37.

Digitized by Google

CAPUT IX.

ORsus hinc a pietatis ostentatione, Claudium apparatissimo funere elatum laudavit, [1] consecravitque. Memoriæ Domitii patris honores maximos habuit. Matri summam omnium rerum publicarum privatarumque permisit. Primo etiam Imperii die signum excubanti Tribuno dedit, *Optimam matrem:* ac deinceps ejusdem sæpe lectica per publicum simul vectus est. Antium coloniam deduxit, adscriptis [2] veteranis e prætorio, additisque per [3] domicilii translationem ditissimis [4] primipilarium, ubi & portum operis sumtuosissimi fecit.

Notæ.

1. *Consecravit*] Vide in Claudio cap. 45.

2. *Veteranis e Prætorio*] De Prætorianis supra sæpe.

3. *Domicilii translationem*] Hæc addit ut coloniæ magnificentiam indicet, in quam missi sunt cives Romani, iique *optimo jure cives*. relicto eo quo gaudebant Romæ domicilio. Ii enim dicebantur cives Romani optimo jure qui domicilium, qui tribum, qui honorum potestatem habebant; unde qui municipia incolebant, quanquam & tribum, & honorum petitionem haberent. Quia tamen domicilio carebant, eos Cicero in Bruto appellat non ingenuos cives Romanos, donec Romam cum suis rebus commigrassent. Domicilium hoc non in urbe tantum ipsa, sed in agro Romano patuit. Qua de re plura apud Ciceronem in Agrariis adversus Rullum, & maxime apud Sigonium lib. 1. de Antiquo Jure Civium Romanorum cap. 1. & 2. ubi ista fuse & docte persequitur.

4. *Primipilarium*] De iis quid sint, vide in Tiberio cap. 37.

CAPUT X.

ATque, ut certiorem adhuc indolem ostenderet, ex [1] *Augusti præscripto imperaturum se* professus, neque liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ ullam occasionem omisit. [2] Graviora vectigalia abolevit, aut minuit. [3] Præmia [4] delatorum Papiæ legis ad quartas redegit. Divisis populo viritim [5] quadringenis nummis: Senatorum nobilissimo cuique, sed a re familiari destituto, annua salaria, & quibusdam [6] quingena constituit. Item prætorianis cohortibus frumentum menstruum gratuitum. Et cum de supplicio cujusdam capite damnati ut ex more subscriberet, admoneretur: [7] *Quam vellem*, inquit, *nescire literas!* Omnes ordines subinde, ac memoriter salutavit. Agenti Senatui gratias, respondit: [8] *Cum meruero.* Ad [9] campestres exercitationes suas admisit & plebem. Declamavit & sæpius publice. Recitavit & carmina, non modo domi, sed in theatro, tanta universorum lætitia, ut ob recitationem [10] supplicatio decreta sit, eaque pars carminum aureis literis Jovi Capitolino dicata.

Notæ.

1. *Augusti præscripto*] Idem & Tacitus, ac præsertim Seneca libro de Clementia, qui inscriptus *ad Neronem.*

2. *Graviora vectigalia*] Qualia invenerat Caligula, supra in ejus vita cap. 40. aut alia hujusmodi de quibus pluta apud Tacitum lib. 13. Annal. sub finem.

3. *Præmia*] Lipsius ad 3. Annalium Taciti num. 49. existimat fuisse quartam partem bonorum ejus, qui deferebatur, ut

Digitized by Google

forsan sue it antea tertia vel semis. Beroaldus vero hîc non nisi quartam præmiorum antea constitutorum partem, ut si v. g. quarta pars bonorum delatori daretur antea, jam non haberet nisi quartam illius quartæ. Quod probabilius est.

4. *Delatorum Papia Legis*] De hac Lege in Claudio cap. 23. &c. Hujus delatores eos esse patet, qui peccantem adversus Legem accusant ac deferunt; genus hominum sordidum, quales erant quadruplatores, forsitan ab ista quarta dicti, quod illam lucrifacerent aliis accusandis, sordidoque isto modo vitam sustentarent.

5. *Quadringenis nummis*] Sestertios intellige, scilicet unam argenti libram, ut in Julio cap. 4. notatum, 17 lib. 10 s.

6. *Quingena*] Supple sestertia quorum singula mille sestertios valent, ut ibidem & cap. 26. notatum est. 2187 lib. 10 s.

7. *Quam vellem*, &c.] Hoc dictum mire extollit Seneca, atque testatur natum inde sibi *de Clementia* scribendi consilium.

8. *Cum meruero*] Idem Aug. cap. 56. cum filios suos commendaret.

9. *Campestres*] In Augusto cap. 83.

10. *Supplicatio*] Quid sit, in Julio cap. 24.

CAPUT XI.

SPECTACULORUM plurima & varia genera edidit: [1] Juvenales, Circenses, scenicos ludos, gladiatorium munus. Juvenalibus senes quoque consulares anusque matronas recepit ad lusum. Circensibus loca [2] equiti secreta a cæteris tribuit: commisitque etiam camelorum quadrigas. Ludis, quos pro æternitate Imperii susceptos appellari *Maximos* voluit, [3] ex utroque ordine & sexu plerique ludicras partes sustinuerunt. Notissimus eques Rom. elephanto supersedens per [4] catadromum decucurrit. Inducta est & Afranii [5] togata, quæ *Incendium* inscribitur: concessumque ut scenici ardentis domus supellectilem diriperent, ac sibi haberent. Sparsa & populo missilia omnium rerum per omnes dies [6] singula quotidie millia. Avium cujusque generis multiplex penus, [7] tesseræ frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam mansuetæ feræ: novissime naves, [8] insulæ, agri.

NOTÆ.

1. *Iuvenales*] Hos privatim exhibitos patet ex Tacit. Annal. 14. & ab ipso Nerone institutos; quod miror prætermissum a Suetonio. Videsis Tacitum hæc fuse differentem.

2. *Equiti secreta*] Tacitus lib. 15. *Equitum Rom. locos sedilibus plebis antepositi apud Circum; numque ad eam diem indiscreti inibant, quia Lex Roscia* (de qua in Augusto ad cap. 40.) *nil nisi de quatuordecim ordinibus* (qui in Theatro, ut in Julio ad cap. 39.) *sanxit.*

3. *Utroque ordine*] Senatorio & equestri, quin & in arena certasse mulieres eodem anno quo loca discrevit equitibus. Tacitus refert Annal. 15. *Spectacula gladiatorum idem annus habuit, pari magnificentia ac priora, sed fœminarum illustrium Senatorumque plures per arenam fœdati.* Quæ postmodum etiam fœminarum libido fuit, quæ exagitatur a Juvenale Sat. 6. v. 260.

Aspice quo fremitu monstratos perferat ictus
Et quanto galea curvetur pondere, quanta
Poplitibus sedeat, &c.

Statius Sylv. ultima lib. 1. Adeoque id vulgatum, ut Severo imperante cavendum fuerit Senatusconsulto ne fœmina ulla ad gladium ultra depugnaret, auctore Xiphilino in ejus vita.

4. *Catadromum*] Quidam explicant pro decursionis stadio; sed quid mirum si per spatium amplum elephantus decurrat. Melius Torrentius & Casaubonus funem protensum fuisse dicunt quo elephantus ille de-

Digitized by Google

curreret: quod & Xiphilinus ſic reddidit, & conſtat elephantos viſos eſſe funambulos tum ex cap. 6. in Galba, tum ex Seneca epiſt. 85. *Elephantem minimus Æthiops jubet ſubſidere in genua, & ambulare per funem.* Sed maxime Plinius lib. 8. cap. 3. ubi de his animalibus plura & mira.

5. *Togata*] Fabula Romano more & habitu. In Auguſto ad cap. 45.

6. *Singula millia*] Hoc eſt, ſingularum rerum unum mille, ſingulis diebus. Beroaldus aliter diſtinguit hoc ſenſu, ut ſingula millia avium omnis generis ſingulis diebus ſparſa ſint, & multiplex penus intelligit eſculenta varia; penus enim id omne dicitur quo veſcuntur homines, minus probabiliter.

7. *Teſſera*] De teſſeris frumentariis, in Auguſto ad cap. 40. de aliis ad cap. 41. & Calig. ad cap. 3. num. 23. His teſſeris de quibus non modo deſcripta erat quædam frumenti quantitas accipienda, ſed & veſtes, agri, margaritæ, &c quæ concedebantur arripientibus teſſeras. Unde Martialis lib. 8. Epig. 67.

Nunc dat ſpectatas teſſera larga feras.

8. *Inſula*] Hoc eſt domus, in Julio ad cap. 41. &c.

CAPUT XII.

HOs ludos ſpectavit e [1] proſcenii faſtigio. Munere quod in [2] Amphitheatro ligneo, in regione Martii campi intra anni ſpatium fabricato, dedit, neminem occidit, ne noxiorum quidem. Exhibuit autem ad ferrum etiam [3] quadringentos Senatores, ſexcentoſque equites R. & quoſdam fortunæ atque [4] exiſtimationis integræ ex [5] iiſdem ordinibus, confectoreſque ferarum, & ad varia arenæ miniſteria. Exhibuit & naumachiam [6] marina aqua innantibus belluis, item [7] Pyrrichas quaſdam e numero [8] epheborum, quibus poſt editam operam [9] diplomata civitatis Romanæ ſingulis obtulit. Inter [10] Pyrricharum argumenta, taurus [11] Paſiphaën ligneo juvencæ ſimulacro abditam iniit, ut multi ſpectantium crediderunt. [12] Icarus primo ſtatim conatu juxta [13] cubiculum ejus decidit, ipſumque cruore reſperſit. Nam perraro [14] præſidere, cæterum accubans primum parvis foraminibus, deinde [15] toto podio adaperto ſpectare conſueverat. Inſtituit & [16] quinquennale certamen primus omnium Romæ, more Græco triplex, [17] muſicum, gymnicum, equeſtre, quod appellavit NERONIA. Dedicatiſque [18] thermis atque gymnaſio, Senatui quoque & equiti [19] oleum præbuit. Magiſtros toti certamini præpoſuit conſulares ſorte, ſede Prætorum: deinde in [20] orcheſtram Senatumque deſcendit, & orationis quidem carminiſque Latini [21] coronam, de qua honeſtiſſimus quiſque contenderat, ipſorum conſenſu conceſſam, ſibi recepit. [22] Citharam autem a judicibus ad ſe delatam [23] adoravit, ferrique ad Auguſti ſtatuam juſſit. [24] Gymnico, quod in Septis edebat, inter [25] buthyſiæ apparatum, [26] barbam primam poſuit, conditamque in auream pyxidem, & pretioſiſſimis margaritis adornatam [27] Jovi Capitolino conſecravit. [28] Ad athletarum ſpectaculum invitavit & Virgines Veſtales: quia [29] Olympiæ [30] Cereris Sacerdotibus ſpectare conceditur.

A. U. C. DCCCX.

DCCCXIII.

Digitized by Google

Notæ.

1. *Proscenii*] Servius ait proscenica esse pulpita ante scenam, in quibus ludicra exercebantur, ad hunc Virgilii 2. Georgic. vers. 386.

Veteres ineunt proscenia ludi.

2. *Amphitheatro ligneo*] Quale jam ante ædificaverat Curio ille Tribunus tuba civilis belli, de quo lib. 1 cap. 29. & 50. &c. cujus magnificentiam describit & miratur Plinius lib. 35. cap. 15.

3. *Quadringentos Senatores*] Lipsius 8. Annal. Taciti corruptum hunc numerum affirmat, & *quadragenos* ac *sexagenos* reponit, verosimillime 400 quippe Senatores dimidia Senatus pars erat, & Xiphilinus 300 tantum equites memorat, quos tamen arenæ longe cupidissimos colligere est ex Calig. cap. 30.

4. *Existimationis integræ*] Nam plerumque non nisi pauperes aut ignominia notati.

5. *Iisdem ordinibus*] Senatorio & equestri, quos tamen a Nerone coactos indicat Juvenalis Sat. 6.

quanti sua funera vendant
Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone.

ibi enim exagitat sui temporis equites qui Principe non jubente, sed sponte, hanc subibant infamiam.

6. *Marina aqua*] Quam e mari deduxerat. Belluas istas intelligunt crocodilos, hippotamos, &c. de quibus Martialis Domitiano blandiens Epig. 28. Spectaculorum.

Cæsaris hæc nostri pars est quota, vidit in undis
Et Thetis ignotas & Galatea feras.

7. *Pyrrichas*] In Julio ad cap. 39.

8. *Ephebeorum*] Quales erant adolescentes illi ex Asia per Caligulam acciti, in Calig. cap 58.

9. *Diplomata*] Hoc est codicillos quibus delatum erat jus civitatis Romanæ hi enim a forma sic appellata sunt, quia formabantur in modum tabellarum duplicium: quare etiam δίπλωσις a Græcis appellari notavit Casaubonus. De his jam supra in Augusto ad cap. 50.

10. *Pyrrhicarum argumenta*] In scenicis ludis erant quoque saltationes, quarum argumentum ad comœdiam vel tragœdiam quæ agebatur accommodatum erat, unde videtur fabulæ argumentum illius fuisse de Pasiphaë, & illi convenisse saltationem.

11. *Pasiphaën*] Nota est Pasiphaës Dædali ac Minotauri fabula. Simile quid innuit Martialis Epig. 5. Spectaculorum:

Junctam Pasiphaën Dictæo credite tauro
Vidimus, accepit fabula prisca fidem.

12. *Icarus*] Ejusdem argumenti continuatio esse videtur ex eo quod Icarus volans induceretur. Hujus & Dædali patris Minoëm fugientis fabulam nemo nescit.

13. *Cubiculum*] Principis in spectando suggestus est, de quo lib. 1. ad cap. 76.

14. *Præsidere*] In Augusto ad cap. 45. &c.

15. *Toto podio*] Quid sit podium, in Julio ad cap. 39. Quod autem adspertum dixit innuere videtur simile fuisse Menianis quibusdam de quibus in Calig. ad cap. 18.

16. *Quinquennale*] Jam ante celebrabatur Neapoli, supra in Augusto cap 98. Idem narrat Tacitus lib. 14. & lib. 16, ubi *lustrale certamen* appellat, quod singulis lustris, hoc est quinquenniis, instauraretur. Testantur & nummi veteres.

17. *Musicum, gymnicum*] De musico adhuc infra in Domitiano cap. 4. de Gymnicis in Augusto cap. 43. & 45. &c.

18. *Thermis atque Gymnasio*] Thermæ fuerunt balnea calidarum aquarum, qualia plura & magnificentissima fuere sub Imperatoribus. His ædificiis jungebantur gymnasia ephebea stadia, aliaque id genus loca exercendis corporibus destinata.

19. *Oleum*] Ad usum scilicet gymnasii: hoc enim ungi salubre est gymnasticam exercentibus. Hinc Plinius lib. 14. cap. 22. *Duo sunt liquores humano corpori gratissimi, intus vini, foris olei.* Virgilius Æneid. 3. de Actiacis ludis:

Exercent patrias oleo labente palæstras
Nudati socii.

20. *Orchestram Senatumque*] Idem sonant ut in Julio ad cap. 39. & Tib. cap. 66. & Claud. cap. 21 &c.

21. *Coronam*] Tacitus lib. 14. *Eloquentiæ primas partes nemo tulit, sed victorem esse Cæsarem pronuntiatum.*

22. *Citharam*] Beroaldus & Sabellicus legunt *cithara*, quod & in MSS. multis Casaubonus agnovit. Qua recepta lectione, supplenda est vox *coronam*, quod probabilius est: hanc enim potius quam citharam

Digitized by Google

ad Augusti statuam miserit: cui accedit quod Eusebius testis est cunctos a Nerone in citharistarum agone contendente fuisse superatos.

23. *Adoravit*] Vide in Aug. ad cap. 94. num. 28.

24. *Gymnico quod in septis*] Certamine scilicet quod edidit in septis, de quibus in Aug. ad cap. 43. & Tib. cap. 17. &c.

25. *Bustyſia*] Hoc est dum pararetur maximum omnium sacrificium: θυσία enim græce id est *sacrificium*, & βοῦς id est *bos* qui victima est omnium maxima. Virgilius 2. Georgic. v. 146.

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima.

26. *Barbam primam posuit*] In Caligula ad cap. 10.

27. *Iovi Capitolino*] Hæc enim alicui Deo sacrari solita, Martialis lib. 1. epig. 32.

Hos tibi, Phœbe, vovet totos a vertice crines
Encolpus, &c.

& lib. 9. Epig. 17.

Consilium forma speculum dulcesque capillos
Pergameo posuit dona sacrata deo.

28. *Athletarum*] In Augusto ad cap. 43. & 45.

29. *Olympia*] In Caligula ad cap. 57.

30. *Cereris*] Eleusinæ de qua in Claudio ad cap. 25. has antistitas quoque appellarunt, quarum castitas Athenis eodem in honore quo Romæ Vestalium. Juven. Sat. 6.

Pauca adeo Cereris vittas contingere digna.

& Sat. 14.

qualem Cereris vult esse Sacerdos.

CAPUT XIII.

NON immerito inter spectacula ab eo edita, & [1] Tiridatis in urbem introitum retulerim. Quem [2] Armeniæ Regem magnis pollicitationibus solicitatum, cum destinato per edictum die ostensurus populo propter nubilum distulisset, produxit, quo opportunissime potuit: disposítis circa fori Templa armatis cohortibus, [3] curuli residens apud Rostra triumphantis habitu, inter signa militaria, atque vexilla: & primo per devexum pulpitum subeuntem admisit ad genua, allevatumque dextra exosculatus est: dein precanti [4] tiara deducta, [5] diadema imposuit, verba supplicis interpretata prætorio viro multitudini pronuntiante. Perductum deinde in theatrum, ac rursus supplicantem, juxta se [6] latere dextro collocavit. Ob quæ Imperator consalutatus, [7] laurea in Capitolium lata, [8] Janum geminum clausit tam nullo quam residuo bello. A. U. C. DCCCXIX.

NOTÆ.

1. *Tiridatis*] Hic a Corbulone victus solennes inter ceremonias sublatum capite diadema Neronis imagini subjecerat in ipsa Armenia. Pluribus hic narrat Tacitus lib. 15. Annal.

2. *Armenia*] De hac in Tiberio ad cap. 41.

3. *Curuli*] Tacitus ibidem id quoque de ejus imagine narrat: *Medio tribunal sedem curulem, sedes effigiem Neronis sustinebat.* De sella curuli in Augusto ad cap. 43.

4. *Tiara deducta*] Hæc capitis ornamentum est Persis & Phrygiis, unde & Sacerdotes quidam Romani a Trojanis orti hac utebantur. Juven. Sat. 6. v. 515.

cui rauca cohors, cui timpana cedunt
Plebeia & Phrygia vestitur bucca tiara.

rotunda & quasi sphæra media, capitis apicem apertum relinquebat, unde & lunata dicitur a Sidonio,

Flexit Achemenius lunatum Persa tiaram.

ubi nota masculino quoque genere efferri a Virgilio lib. 7.

sceptrumque sacerque tiaras.

5. *Diadema*] Quod in Armenia deposuerat non nisi Neronis manu resumendum. Tacitus ibidem.

Digitized by Google

6. *Latere dextro*] Honoratiore, ut supra notatum in Claudio ad cap. 24. Theatrum hîc intellige Pompeianum, quod Nero hac de caussa operiendum auro jusserat, auctore Plinio lib. 33.

7. *Laurea in capite*] Quod stante Republica licuit omnibus qui Imperatores consalutati fuerant: de quo adhuc infra in Domitiano cap. 6.

8. *Ianum geminum*] Ab his verbis caput sequens incœperunt qui Suetonium distinxere. Restituit Casaubonus ex optimo Vitterbiensi codice, non quidem distincto capitibus, in quo tamen quibusdam in locis paragraphi minio notati visuntur.

CAPUT XIV.

A. U. C. DCCCVIII. DCCCX. DCCCXI. DCCCXIII.

CONSULATUS quatuor gessit: primum bimestrem, secundum & novissimum semestres, tertium quadrimestrem: medios duos [1] continuavit, reliquos inter annua spatia variavit. In jurisdictione [2] postulatoribus nisi sequenti die, ac per [3] libellos, non temere respondit.

NOTÆ.

1. *Continuavit*] Sic in Aug. ad cap. 26. & Julio cap. 76.

2. *Postulatoribus*] Ii sunt quos Jurisconsulti vocant etiam Procuratores, ut & nostrates vulgo.

3. *Libellos*] Ne impræsentiarum respondens temere quid statueret, propria voce.

CAPUT XV.

[1] IN cognoscendo, morem eum tenuit, ut [2] continuis actionibus omissis, sigillatim quæque [3] per vices ageret. Quoties autem ad consultandum secederet, neque in commune quidquam, neque propalam deliberabat: sed & conscriptas ab unoquoque sententias tacitus ac secreto legens, quod ipsi libuisset, perinde atque pluribus idem videretur, pronuntiabat. In curiam [4] libertorum filios diu non admisit: admissisque a prioribus principibus honores denegavit. Candidatos qui [5] supra numerum essent, in solatium dilationis ac moræ, legionibus præposuit. Consulatum in senos plerumque menses dedit. Defunctoque circa Kalend Januarias altero e Coss. neminem substituit: improbans exemplum vetus [6] Caninii Rebili, uno die Consulis. [7] Triumphalia ornamenta, etiam quæstoriæ dignitatis, & nonnullis ex equestri ordine tribuit: nec utique de caussa militari. De quibusdam rebus rationes ad Senatum missas, præterito [8] Quæstoris officio, [9] per Coss. plerumque recitabat.

NOTÆ.

1. *In cognoscendo*] Hoc est judicando, supra in Claudio ad cap. 15.

2. *Continuis actionibus*] Hoc est caussis quæ ubi agi cœperant, non ante relinquebantur, nec aliæ tractabantur quam forent absolutæ: quod patet ex Ciceronis Verrinis.

3. *Per vices*] Non attendendo utrum necne incœpta prius, finita foret.

4. *Libertorum filios*] Supra in Claudio cap. 24.

5. *Supra numerum*] Definitus enim erat Magistratuum numerus: unde si plures peterent, necessario aliqui repellebantur. De hoc & Tacitus: *Comitia Prætorum arbitrio Senatus haberi solita, quod acriore ambitu exarserant, Princeps composuit, tres qui supra numerum petebant, legioni præficiendo.*

6. *Caninii Rebili*] In paucas horas Consulis, supra in Julio cap. 76.

7. *Triumphalia ornamenta*] Supra non semel.

Digitized by Google

ſimel. Unde in Claudio ad cap. 17.

8. *Quæſtoris officio*] Hic eſt candidatus ille Principis cujus erat officium literas in Senatu Principis nomine recitare. De quo in Auguſto cap. 65. Hic & ſub Imperatoribus Conſtantinopolitanis Quæſtor Sacri Palatii dictus eſt, ejuſque munus ampliatum; libellis enim ſupplicibus ſubſcribebant, leges ſubnotabant Quæſtores Sacri Palatii, quales poſtea in Aula Principum dixere Cancellarios.

9. *Per conſulem*] Quod videbatur magnificentius.

CAPUT XVI.

FORMAM ædificiorum urbis novam excogitavit: & ut ante inſulas ac domos porticus eſſent, de quarum [1] ſolariis incendia arcerentur: eaſque ſumptu ſuo [2] exſtruxit. Deſtinarat etiam [3] Oſtia tenus mœnia promovere, atque inde foſſa mare veteri urbi inducere. Multa ſub eo & animadverſa ſevere, & coërcita, nec minus inſtituta: adhibitus ſumtibus modus: publicæ cœnæ ad [4] ſportulas redactæ: interdictum [5] ne quid in popinis cocti præter legumina aut olera veniret, cum antea nullum non opſonii genus proponeretur: [6] afflicti ſuppliciis CHRISTIANI, genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ: vetiti quadrigariorum luſus, quibus inveterata [7] licentia paſſim vagantibus, fallere ac furari per jocum jus erat: [8] pantomimorum factiones cum ipſis ſimul relegatæ.

NOTÆ.

1. *Solariis*] Quid ſint ſolaria, ſupra dictum eſt in Claudio ad cap. 10. & Meniana quæ ferme idem erant, in Calig. ad cap. 18.

2. *Exſtruxit*] Tacitus lib. 15. non niſi pollicitum refert poſt incenſam Urbem, lib. 15.

3. *Oſtia tenus*] Torrentius legit in tribus libris *Oſtiam*. Hæc aberat ſexdecim ab urbe millibus.

4. *Sportulas redacta*] Sportæ ſunt calathi viminei, quibus pecuniæ condi, & cœnæ ac prandia inferri ſolebant non ſecus atque caniſtris. Hinc ſportulæ dictæ vel cœnæ vel quæ pro cœnis, aliquando pecuniæ clientibus dabantur Quarum uſum poſtea Domitianus ſuſtulit, revocata cœnarum rectarum conſuetudine De quibus ſupra in Auguſto ad cap. 74. & Domitiano cap. 7. Ex quo tamen inſtituto erogationes etiam quæ in ordinem decurionum fiebant, ſportulæ dictæ ſunt, ut & ea quæ judicibus aut viatoribus pro ſalario dabantur.

5. *Ne quid cocti*] Vide in Claudio ad cap. 38.

6. *Afflicti ſuppliciis Chriſtiani*] Tacitus enumerat hæc ſupplicia, Annal. 15. ubi retulit a Nerone tentata incaſſum omnia, ut incendii a ſe excitati opinionem everteret, ſubjungit: *Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & quæſitiſſimis pœnis affecit, quos (& per flagitia inviſos) vulgus Chriſtianos appellabat.* Et paulo infra: *Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defeciſſet dies in uſum nocturni luminis uterentur, hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat.* De qua immanitate Joſephus Scaliger & Lipſius intelligendum putant Juvenalem Sat. 1. v. 155.

Pone Tigellinum tæda lucebis in illa
Qua ſtantes ardent qui fixo pectore fumant.

quanquam alii de quibuſvis maleficis aut damnatis. De Chriſtianis jam ſupra in Claudio cap. 25.

7. *Licentia*] Forte qualem deſcribit infra cap. 26.

8. *Pantomimorum*] Quid ſint pantomimi & mimi, in Auguſto ad cap. 45. & Julio ad cap. 39. De factionibus horum etiam in Tiberio cap 37.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

ADVERSUS [1] falsarios tunc primum repertum ne [2] tabulæ nisi pertusæ, ac ter lino per foramina trajecto, obsignarentur. Cautum ut in Testamentis [3] primæ duæ ceræ, testatorum modo nomine inscripto, [4] vacuæ signaturis ostenderentur: ac ne quis alieni Testamenti [5] scriptor legatum sibi adscriberet. Item ut litigatores [6] pro patrociniis [7] certam justamque mercedem, pro [8] subselliis nullam omnino darent, præbente ærario gratuita: utque [9] rerum actu ab ærario caussæ ad forum, ac recuperatores transferrentur: & ut omnes [10] appellationes a Judicibus ad Senatum fierent.

NOTÆ.

1. *Falsarios*] Iudictum adversus illos supplicium In Claudio cap. 15.

2. *Tabulæ*] Quæ cera illitæ pugillares quoque & codicilli dicuntur, quamvis pro magnitudine & usu discrepasse videantur. Obsignare est linum illud seu filum per foramina ter traductum munire signis testium, cum ante non nisi semel traduceretur; nec enim incognitus ille mos jam inde a Plauti temporibus, ut patet ex Bacchidibus aliisque hujus Poëtæ locis. Hæc cautio ad contractus & tabulas omnes adhibita, ad testamentarias vero alia insuper.

3. *Primæ duæ ceræ*] Hoc est primæ duæ tabulæ ceratæ, sive paginæ: erant enim aliquando quintuplices, vulgo triplices.

4. *Vacuæ*] Horatius lib. 2. Sat. 5. v. 54. ubi curiosos heredipetas insectatur, ait:

quid prima secundo
Cera velit versu, solus multisne coheres
Veloci percurre oculo.

Ad quem locum Porphyrion, *Bene hoc & juxta ordinem, quia prius testatoris nomen, secundo heredis.* Ne igitur testes qui & nomina sua subscribebant & signa apponebant, heredem cognoscerent, Nero voluit ut primis duabus paginis non scriberetur aliud quam Testatoris nomen, quo testibus constaret tantum, se ejus Testamento adhibitos, & ubi subscripserant; tum Testator securus describebat suum Testamentum in vacuis illis paginis quas ideo reliquerat. Hæc autem omnia ad majorem Testatoris ipsius, & heredis instituti sive substituti securitatem.

5. *Scriptor*]. Quales sunt Tabelliones. Lege 3. codice *De his qui sibi ascribunt*, refertur ex Alexandri Imperatoris Constitutione hoc a Divo Claudio prohibitum. Ad quem locum Cujacius Suetonium accusat erroris, qui Neroni tribuerit quod erat Claudio tribuendum, quia nempe Nero *Divi* appellatione affectus non legitur.

6. *Pro patrociniis*] Hoc vetitum fuerat Lege Cincia quam M. Cincius Tribunus plebis tulerat multo ante, anno scilicet U C. 549. quam idcirco muneralem appellarunt, quia vetabat ne quis donum munusve caperet, ut Festus ex Plauto in voce *Muneralis*. De ea Lege Tacitus Annal. 11. *Consurgunt Patres Legemque Cinciam flagitant, qua cavetur antiquitus ne quis ob caussam orandam, pecuniam donumve accipiat.* Et lib. 14. *Ejus opprimendæ gratia repetitum credebatur Senatusconsultum, pœnaque Cinciæ Legis adversus eos qui pretio caussas oravissent.* Hanc postea vetustate evanescentem Augustus firmarat Senatusconsulto, quod a Nerone sublatum, restituit iterum Trajanus, ut diserte innuit Plinius libro 5. Epist. ultima. Qua de re & Cicero & Livius non uno in loco.

7. *Certam justamque mercedem*] Hæc fuit ex Plinio Epist. ultima lib. 5. decem millium: ex Tacito lib. 11. Annal. initio, ubi Claudium hujus rei auctorem facit, *decies sestertium, qua egressi repetundarum tenerentur.* Ex Ulpiano Lege 1. ff. *de extraordin. cognit.* §. 10. & 11. *pro singulis caussis centum aurei*, ad plurimum. Quæ tria in idem omnino recidunt: aureus enim unus vigintiquinque denarios sive centum nummos valebat, ut probatur infra in Othone ad cap. 4. nostrate igitur moneta 437 lib. 10 s. Vide in Julio ad cap. 4. & 26. de sestertiis.

8. *Subselliis*] Casaubonus existimat subsellia & Tribunalia in foro ad tempus extructa fuisse, quoties opus esset propter

Digitized by Google

judicia quæ ibi a Prætore cæterisque Magistratibus exercebantur. Unde colligit fuisse quosdam illorum mancipes qui pecunia sua, subsellia extruerent, quam postmodum a litigatoribus cum lucro repeterent. Certe obscurum est quænam illa subsellia fuerint; vix enim intelligi potest de Judicum subselliis, ut lib. 1. cap. 84. aut patronorum, ut in Augusto cap 56. &c. Recitantes quidem de quibus Aug. c. 89. num 10. & Claud. cap. 41. subsellia conduxisse constare videtur ex Juven. Sat. 7. v. 45.

Nemo dabit Regum quanti subsellia constent.
Et qua conducto pendent anabathra sigillo.

9. *Rerum actu*] Judiciorum tempore, ut in Claudio cap. 15. & 23. & Aug. cap 32. Recuperatores, non multum ab iis Judicibus diversi quos a Prætore datos, notatum est supra in Julio ad cap. 11. aut sorte ductos, ut in Augusto cap. 29. nisi Recuperatores dicebantur Judices dati, quod in iis ferme caussis in quibus de facto quodam aut statu alicujus ageretur; quia per eos rem aut statum quisque suum recuperabat. Quidam codices legunt *reciperatores*. ut & Festus in voce *reciperatio*, ubi etiam de iis nonnulla. Sensus igitur est, caussas quæ ante agebantur coram Præfectis ærarii, de quibus Aug. cap. 36. & Claud. cap. 9. & 24. in ipso ærario, vel ad ærarium, ut loquuntur alii, translatas in forum apud Judices illos per quos res suas quisque recuperabat.

10. *Appellationes*] Caligula Judicibus permiserat liberam jurisdictionem, supra in Caligula cap. 16. Quæ tamen diuturna non fuit, ut patet ex hoc loco & ex Tacit. Annal. 14.

CAPUT XVIII.

AUGENDI propagandique Imperii neque voluntate ulla neque spe motus umquam, etiam ex Britannia deducere exercitum cogitavit: nec nisi verecundia, ne obtrectare parentis gloriæ videretur, destitit. Ponti modo regnum concedente [1] Polemone, item Alpium, defuncto [2] Cottio [3] in Provinciæ formam redegit.

NOTÆ.

1. *Polemone*] *Pontum in jus provinciæ Polemonis Reguli permissu redegit, a quo Polemoniacus Pontus appellatus est*, inquit Aurelius Victor in Nerone. Pontus Asiæ minoris regio quæ hodie *Anatolia*.

2. *Cottio*] A quo Alpes Cottiæ appellatæ, quas alii appellant *Moncenis*, alii *Mongenebre*.

3. *In provinciæ formam*] Hoc est, a Magistratu Romano administrandam voluit, ut Augustus Ægyptum, Aug. cap. 18.

CAPUT XIX.

PEREGRINATIONES duas omnino suscepit, Alexandrinam & [1] Achaicam, sed Alexandrinâ ipso profectionis die destitit, turbatus religione simul ac periculo. Nam circuitis templis cum in æde Vestæ resedisset, consurgenti ei primum lacinia obhæsit: deinde tanta oborta caligo est, ut [2] dispicere non posset. In Achaia Isthmum perfodere aggressus, prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus est: tubaque signo dato, primus rastello humum effodit, & [3] corbulæ congestam humeris extulit. Parabat & ad [4] Caspias portas expeditionem, conscripta ex Italicis [5] senûm pedum tyronibus nova legione, quam Magni Alexandri [6] phalangem appellabat. Hæc partim nulla reprehensione, partim etiam non mediocri laude digna in unum contuli: ut secernerem a probris ac sceleribus ejus, de quibus dehinc dicam.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Achaicam*] De Achaia, in Tiberio cap. 4. &c.

2. *Dispicere*] Alii *despicere*. Tacitus addit & per omnes artus tremuisse. De consilio perfodendi Isthmi, jam supra in Caligula cap. 21. & Jul. cap. 44.

3. *Corbula*] Vas est vimineum. Hoc autem præstitit non tantum, ut more magnorum Imperatorum milites incitaret ipse suo exemplo, sed etiam ut religione deterritos confirmaret, quod ad primam fossionem visus esset erumpens sanguis, visa spectra auditique gemitus, referente Xiphilino.

4. *Caspias portas*] *Claustra Caspiarum* dixit Tacitus 1. Hist. De his & Plinius lib. 6. cap. 11. & 14. & Strabo lib. 11. Sunt angustiæ Tauri montis, non longe a mari Caspio, natura & magno artis molimine intercluſæ, qua transitus est e Media, quæ hodie *Madag* in Albaniam. Hujus regionis ut non una pars est, ita nec unum nomen hodiernum est.

5. *Senum pedum*] Proceros quosque lectos patet ex eo quod de statura dictum est, in Tiberio cap. 68. Quod & ab Imperatoribus Romanis in tirone legendo animadversum notat Vegetius, & non semper exigendum, probat exemplis, lib. 1. cap. 15.

6. *Phalangem*] Phalanx Macedonica, caterva Gallica, & legio Romana, non multum inter se nec robore nec numero differebant. Notat porro ex Suida Casaubonus Macedonicis Regibus fuisse cohortem aut legionem e tironibus staturæ procerioris compositam, Neronianæ isti plane similem, quin & ejusdem omnes ætatis erant unde dicebantur Ἥλικες.

CAPUT XX.

INTER cæteras disciplinas pueritiæ tempore imbutus & musica, statim ut Imperium adeptus est, Terpnum citharœdum [1] vigentem tunc præter alios, accersiit; diebusque continuis post cœnam canenti in multam noctem assidens, paullatim & ipse meditari exercerique cœpit: nec eorum quidquam omittere, quæ generis ejus artifices, vel conservandæ vocis causſa vel augendæ factitarent. Sed & [2] plumbeam chartam supinus pectore sustinere: & clystere vomituque purgari: & abstinere pomis cibisque [3] officientibus, donec blandiente profectu (quamquam exiguæ vocis, & [4] fuscæ) prodire in scenam concupivit: subinde inter familiares Græcum proverbium jactans, *occultæ musicæ nullum esse respectum*. Et prodiit [5] Neapoli primum: ac, ne concussō quidem repente motu terræ theatro, ante cantare destitit quam inchoatum absolveret [6] νόμον. Ibidem sæpius & per complures cantavit dies: sumto etiam ad reficiendam vocem brevi tempore, impatiens secreti a balneis in theatrum transiit, mediaque in [7] orchestra frequente populo epulatus, *si paullum subbibisset, aliquid se* [8] *sufferti tinniturum* Græco sermone promisit. Captus autem modulatis [9] Alexandrinorum laudationibus, qui de novo commeatu Neapolim confluxerant, plures Alexandria evocavit. Neque eo segnius adolescentulos equestris ordinis, & quinque amplius millia e plebe robustissimæ juventutis undique elegit, qui divisi in [10] factiones, [11] plausuum genera condiscerent, (*bombos*, & *imbrices*, & *testas* vocabant) operamque navarent cantanti sibi, insignes [13] pinguissima coma, & excellentissimo cultu pueri, nec sine anulo [14] lævis: quorum duces [15] quadragena millia HS. merebant.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Vigentem*] Torrentii MSS. libri omnes *ingentem*. Artifices hujus generis sunt phonasci, ut infra cap. 25. patet, formandæ vocis magistri.

2. *Chartam plumbeam*] Plinius lib. 34. cap. 18. *Nero* (*quoniam ita diis placuit*) *lamina pectori imposita sub ea cantica exclamans, alendis vocibus demonstravit rationem.* Ubi de vario plumbi usu loquitur.

3. *Officientibus*] Unus e libris MSS. *afficientibus*: quod eo potest sensu, quo in Claudio cap. 25. verbum hoc explicatum est. Porro sectivo hac de caussa auctoritatem dedit *ex oleo statis mensium omnium diebus, nihilque aliud, ac ne pane quidem vescendo*, inquit Plinius lib. 19. cap. 6.

4. *Fusca*] Et ideo maxime porro usus videtur; hic enim *vocis splendorem affert*, auctore eodem Plinio lib. 20. cap. 6. qui & de voce *fusca* lib. 28. cap. 6. Hanc subraucam fuisse innuit Quintilianus, cum ait in Antonio fuisse vocem fuscam & subraucam. Quem Auctorem vide lib. 9. cap. 3. ubi de vocis qualitate plura differit.

5. *Neapoli*] Utpote quæ cum Græca civitas foret, non adeo mirum videretur, si Græco in ea more ageret: nec enim apud Græcos, quemadmodum apud Romanos, musica & saltatio a Principum persona aberant, nec in vitiis ponebantur; quin imo hæc *omnia apud Græcos & grata & laude digna dicuntur*, ut ait Cornelius Nepos in Epaminonda.

6. νόμοι] Torrentius scribit latinis characteribus *nomon*, ut supra in Claudio cap. 34. *automaton*. Nomi autem sunt leges seu modi canendi, tibicinum præsertim & citharœdorum; unde & ipsa cantica nomi quoque dicuntur.

7. *Orchestra*] In Julio cap. 39. & 76. & Tib. cap. 66. &c.

8. *Sufferti*] Turnebus lib. 24. cap. 6. legisse se ait in codice antiquo *sufferi*, quasi esset ὑπαχθόν τι, quod & in veteribus libris legit Casaubonus, nec probat, quia melius verteretur *subrustici*. Nero promittebat se cantaturum plenius quid & grandius si bibisset: *sufferium* enim & *differtum* significant *plenum*. Unde sive *sufferum* sive *sufferum* retineatur, hæ voces indicant Neronem Græce locutum in urbe Græca ὑπάχθιον ὑποπνεῖν & ὑποπίνειν, quæ Suetonius latine verterit *sufferum* aut *sufferum*, & *subbibere*.

9. *Alexandrinorum laudationibus*] De quibus jam dictum est supra in Augusto cap. 98. ubi & de commeatu. Quæ vox lib. 5. de bello Gallico sumitur a Cæsare pro itu & reditu classis, *duobus commeatibus exercitum reportare constituit*. Et paulo post, *prioris commeatus expositis militibus*, &c.

10. *Factiones*] Ad similitudinem histrionum, de quibus in Tiberio cap. 37. & aurigarum, de quibus infra cap. 22.

11. *Plausuum genera*] Plausus quoque suis modulis constabant, ut & Annal. 16. Tacit. *Plebs quidem Urbis histrionum quoque gestus juvare solita personabat certis modis, plausuque composito*. Et paulo post de iis qui artem non callebant, *cum manibus nesciis faticerent, turbarent gnaros*, &c. Quæ plaudendi ars jam ante in usu, ut patet ex Ovidio lib. 1. de Arte v. 114.

In medio plausu (*plausus tunc arte carebat*)
Rex populo prada signa petenda dedit.

Postea usi sunt instrumento quodam, quod vel ad augendam, vel ad dirigendam vocem ori adjungebant instar personæ histrionicæ, unde *oraria* nomen erat. Vopiscus in Aureliano, *Ipsumque primum donasse oraria populo, quibus uteretur ad favorem*, hoc est ad acclamationem; ibi enim favor id significat.

12. *Bombos & imbrices*] Conficta plausuum nomina ab apum sonitu, qui proprie bombus. Plinius lib. 11. cap. 10. *Noctu quies apibus in matutinum, donec una excitet omnes gemino aut triplici bombo, ut buccino aliquo*. Bombus ille quibusdam instrumentis edi solebat. Hinc Nero ipse apud Persium Sat. 1. v. 93.

Torva Mimalloneis implorunt cornua bombis.

Imbricum autem plausus vel sic dictus est ex similitudine crepitantis super tegulas pluviæ, vel quod imbricibus fieret; est enim imbrex tegula cava. Idem de testis dicendum videtur, quarum meminit quoque Juvenalis Sat. 11. v. 170.

audiat ille
Testarum crepitus cum verbis, &c.

Quæ omnia fuisse videntur eadem quæ crepitacula illa de quibus in Calig. cap. 54.

Digitized by Google

13. *Pinguissima coma*] Vel propter capillorum densitatem. Quo sensu Aug. c. 82. pinguem togam dixit pro crassa & densa, vel propter unguenta quibus crines perfundere solebant.

14. *Lævis*] Hoc est, sinistris manibus annulo exornatis. Torrentius in quatuor libris MSS legit *leves*. Hoc sensu ut intelligantur manus annulo exoneratæ, ad plaudendum agiliores extitisse: quod summo illi viro probatur.

15. *Quadragena millia* HS] Casaubonus in Pithœi codice legit *quadringena*, quod multum augeret summam. Priore enim 1750 lib posteriore 1500 lib. quod supra idem esse videtur, nisi *quadringena* & *quadragena* pro eodem usurpari inde colligas.

CAPUT XXI.

CUM magni æstimaret cantare, etiam Romæ [1] Neroneum agona ante præstitutam diem revocavit. Flagitantibusque cunctis [2] *cælestem vocem*, respondit quidem, [3] *in hortis se copiam volentibus facturum*: sed adjuvante vulgi preces etiam statione militum, quæ tunc excubabat, repræsentaturum se pollicitus est libens: ac sine mora nomen suum [4] in albo profitentium citharœdorum jussit adscribi: [5] sorticulaque in urnam cum cæteris demissa intravit ordine suo, simulque [6] Præfecti Prætorii citharam sustinentes: post Tribuni militum, juxtaque [7] amicorum intimi. Utque constitit, peracto [8] principio, [9] Nioben se cantaturum per Cluvium Rufum consularem pronuntiavit, & in horam fere [10] decimam perseveravit: coronamque eam, & reliquam certaminis partem in annum sequentem distulit, ut sæpius canendi occasio esset. Quod cum tardum videretur, non cessavit identidem [11] se publicare. Non dubitavit etiam [12] privatis spectaculis operam inter scenicos dare, [13] quodam Prætorum HS. decies offerente. [14] Tragœdias quoque cantavit [15] personatus: heroum Deorumque, item heroidum ac Dearum personis effictis ad similitudinem oris sui, & fœminæ, prout quamque diligeret. Inter cætera cantavit [16] *Canacen parturientem*, [17] *Orestem matricidam*, [18] *Oedipodem excœcatum*, [19] *Herculem insanum*. In qua fabula fama est tirunculum militem positum ad custodiam aditus, cum eum ornari ac vinciri catenis, sicut argumentum postulabat, videret, accurrisse ferendæ opis gratia.

NOTÆ.

1. *Neroneum*] Certamen quinquennale de quo supra cap. 12. quamvis nondum expleto quinquennio ex quo primum Neapoli editum erat.

2. *Cælestem vocem*] Adulatorie, ut patet; hanc enim capite proxime præcedenti fuscam dixit & ex lem

3. *In hortis*] Iisdem verosimiliter in quibus Juvenales ludos editos supra notatum est cap. 11 in quibus theatrum quoddam minus fuisse innuit Plinius lib. 37. c. 2. ubi vero Pompeiano præludebat. Casaubonus verosimillime existimat hortos illos fuisse Transtiberinos populo publice legatos a Julio Cæsare, ut lib. 1. cap. 83.

4. *In albo*] In quo citharœdorum certare volentium nomen describebatur. Vide in Caligula cap. 51.

5. *Sorticula*] Minore quadam sorte; unde patet nulla se prærogativa admitti voluisse, sed eo tantum loco quem sors daret, in urnam pro more missa & extracta. Horat. Od. 3. lib. 2.

omnium
Versatur urna, serius ocyus
Sors exitura.

Digitized by Google

6. *Præfecti Prætorii*] Tacitus Annal. 14. ubi narravit mortem Burrhi, *quippe Cæsar duos prætoriis cohortibus imposuerat, Fenium Rufum ex vulgi favore, & Ofonium Tigellinum veterem impudicitiam in eo secutus, ac quæ illi pro cognatis moribus fuere.* Hic iste Tigellinus de quo Juven. Sat. 1. v. 155.

7. *Amicorum intimi*] Referendum videtur ad cohortes interioris admissionis, de quibus in Tiberio cap. 46.

8. *Principio*] Quasi proëmio quo præludunt citharœdi ante legitimum certamen. Alii legunt *parato proscenio.*

9. *Nioben*] Fabulam cujus argumentum esset Niobe, quæ Amphionis uxor cum suam fœcunditatem Latonæ prætulisset, liberos suos ab Apolline in ultionem injuriæ Latonæ matri suæ illatæ confixos vidit, &c. De his plura apud Ovidium, & Juvenalem Sat. 6. v. 171. &c.

10. *Decimam*] Provecto jam die ultra solitam cœnandi horam, ut supra in Caligula cap. 45.

11. *Se publicare*] Hoc est, publicam vocis suæ copiam facere.

12. *Privatis spectaculis*] Quæ ab aliis quam a seipso ederentur. Alii enim a Principe, etiam Magistratus privatorum loco habentur. Quo sensu Plinius Junior ait Consulatum esse privati hominis fastigium.

13. *Quodam Prætorum*] Illo, ut videtur, qui ludos exhibebat. Decies, supple centena millia, hoc est 43750 lib.

14. *Tragœdias cantavit*] Supra in Caligula cap. 57.

15. *Personatus*] Persona velatus, Gallice *masque.*

16. *Canacen*] Æoli Thuscorum Regis filiam, quæ vagitu pueri ex incesto Macharei fratris concubitu nati deprensa, mortem sibi consciscere coacta est gladio quem pater ad ipsam audito scelere miserat: quod & Machareus ipse fecit. Narrat Dio cuidam, dum Nero Canacen caneret, interroganti quid faceret Imperator, responsum ab altero, illum parere: quod eo facetum magis fuerit, si dictum postquam Nero Pythagoræ suo nupserat, ut infra dicetur.

17. *Orestem matricidam*] Qui ut patrem Agamemnona ab Ægisto matris adultero interfecto ulciscereturcum duodecim annos ejusdem sortis metu delituisset, in Phocide redux tandem & incognitus matrem interemit. Quo scelere admisso, correptus est Furiis, &c.

18 *Oedipodem excœcatum*] Hic Laii Thebanorum Regis & Iocastæ filius fuit, qui cum patrem ignarus occidisset, matremque postmodum eodem fato duxisset, re detecta & dolore percitus ipse sibi oculos eruit.

19 *Herculem insanum*] Hoc est furore correptum, inducta toga quam Nessi Centauri sanguine tinctam Dejanira decepta miserat, existimans non aliud fore quam remedium Ioles amori, quo flagrabat Hercules.

CAPUT XXII.

EQUORUM studio vel præcipue ab ineunte ætate flagravit, pluri-musque illi sermo, quamquam vetaretur, de [1] Circensibus erat: & quondam [2] tractum [3] Prasinum agitatorem inter condiscipulos querens, objurgante magistro, de [4] Hectore se loqui mentitus est. Sed cum inter initia Imperii eburneis quadrigis quotidie [5] in abaco luderet, ad omnes etiam minimos Circenses commeabat [6] secessu, primo clam, deinde propalam: ut nemini dubium esset eo die utique affuturum. Neque dissimulabat velle se [7] palmarum numerum ampliare: quare spectaculum multiplicatis [8] missibus in serum protrahebatur, ne [9] dominis quidem jam factionum dignantibus, nisi ad totius diei cursum, greges ducere. Mox & ipse aurigare, atque etiam spectari sæpius voluit: positoque in hortis inter servitia & sordidam plebem rudimento, universorum se oculis [10] in Circo maximo præbuit, aliquo liberto [11] mittente mappam, unde [12] magistratus solent. Nec contentus harum

artium experimenta Romæ dediſſe, Achaiam, ut [13] diximus, petit, hinc maxime motus: inſtituerant civitates, apud quas muſici agones edi ſolent, omnes citharœdorum coronas ad ipſum mittere. Eas adeo grate recipiebat, ut legatos qui pertuliſſent, non modo primos admitteret, ſed etiam familiaribus epulis interponeret. A quibuſdam ex his rogatus, ut cantaret ſuper cœnam, [14] exceptuſque effuſius: *ſolos ſcire audire Græcos, ſoloſque ſe & ſtudiis ſuis dignos* ait. Nec profectione dilata, ut primum [15] Caſſiopen trajecit, ſtatim ad aram Jovis Caſſii cantare auſpicatus eſt.

NOTÆ.

1. *Circenſibus*] Ludis nempe qui equorum curſu utplurimum celebrabantur.

2. *Tractum*] Equorum impetu abreptum. Alias *trahi*, gladiatorum & damnatorum ſupplicium eſt, ut in Tiberio cap. 61. & 75.

3. *Praſinum agitatorem*] Hoc eſt, aurigam Praſinæ ſeu viridis factionis, de qua jam in Caligula cap. 55. Aurigantium in Circo partes adverſæ: hoc eſt, factiones quatuor fuerunt, & ſuis omnes diſtinctæ coloribus, & appellatæ Praſina, Veneta, Ruſſata, Albata: hoc eſt viridis, cærulei, coccinei, albique panni. De his Caſſiodorus libro 3. variar. Epiſt. 51. *Dolores autem in vicem temporum quadrifaria diviſione funduntur: praſinus virenti verno, venetus nubila hyemi, roſeus æſtati flammea, albus pruinoſo autumno dicatus eſt*, &c. De his & Iſidorus lib. 18. Etym. cap. 41 Corippus poëta lib. 1. &c.

4. *Hectore*] Hunc enim Achilles in ultionem Patrocli Circum Trojana mœnia trahi juſſerat. Virgilius lib. 1. Æneid.

Ter Circum Iliacos raptaverat Hectora muros.

5. *In abaco*] Tabula luſoria in qua auriga illi eburnei ſimilitudinem Circenſium referebant. Ita & Lampridius de Heliogabalo dicit eum in triclinio pranſitantem & cœnitantem ſemper exhibuiſſe quadrigas.

6. *Seceſſu*] Alii *e ſeceſſu*, clarius: nam ſæpe commeabat in ſuburbanum aliquod, imperii initio.

7. *Palmarum numerum ampliare*] In Circenſibus erant primæ, ſecundæ & tertiæ palmæ: quod patet ex inſcriptione, quam Torrentius laudat: VICIT CXXX. SECUND. TULIT. LXXXVIII. TERT. TULIT VII.

8. *Miſſibus*] De his in Claudio cap. 21. Alii legunt *miſſilibus*, male.

9. *Dominis factionum*] Supra cap. 5. & in Tiberio cap. 37. ubi capita factionum ſed hiſtrionicarum dicuntur.

10. *Circo maximo*] Plinius lib. 33. cap. 5. refert Circi arenam chryſocolla a Nerone ſtratam, de qua in Caligula cap. 18.

11. *Mittente mappam*] Moris erat ut Magiſtratus ludorum editores ſignum darent incipiendi excuſſa & miſſa ex alto mappa, quod ludos committere dixit, ſupra in Claudio cap. 21.

12. *Magiſtratus*] Ædiles, vel Prætores, &c. qui ſi forte non poſſent, Dictator vel in id unum creabatur, ut de Plautio tempore ludorum ægrotante refert Livius lib. 3. Decad. 1. A Conſulibus quoque ſignum hoc datum probant Ennii verſus apud Ciceronem lib. 1. de Divinat.

Expectant veluti Conſul cum mittere ſignum
Volt, omnes avidi ſpectant ad carceris oras
Quo mox emittat pictis e faucibus currus.

13. *Diximus*,] Cap. 19.

14. *Exceptus effuſius*] Hoc eſt, immodica laudatione & plauſu aſſentatorio.

15. *Caſſiopen*] Urſinus ſcribit *Caſſopen* ex Græco numiſmate, in quo legitur ΚΑΣ-ΣΩΠΑΙΩΝ. Plinius lib 4. cap. 12. Caſſiopen Corcyræ oppidum eſſe dicit, quod hodie, ut refert Ferrarius, nonniſi pagus eſt vulgo *S. Maria di Caſſopo*. De quo, quia ibi quoque Jovem Templo cultum ait idem Plinius, potius videtur intelligendus hic locus, quam de Caſſope, nempe portu qui eſt in Theſprotia, non longe a Corcyra.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

CERTAMINA deinceps obiit omnia. Nam & quæ [1] diverſiſſimorum temporum ſunt, cogi in unum annum quibuſdam etiam iteratis juſſit, Olympiæ quoque [2] præter conſuetudinem muſicum agona commiſit. Ac, ne quid circa hæc occupatum avocaret detineretve, cum præſentia ejus urbicas res egere a liberto Helio admoneretur, reſcripſit his verbis, *Quamvis nunc tuum conſilium ſit & votum, celeriter reverti me; tamen ſuadere & optare potius debes, ut Nerone dignus revertar.* Cantante eo, ne neceſſaria quidem cauſſa [3] excedere theatro licitum erat. Itaque & enixæ quædam in ſpectaculis dicuntur, & multi tædio audiendi laudandique, clauſis oppidorum portis, aut furtim deſiluiſſe de muro, aut morte ſimulata funere elati. Quam autem trepide anxieque certaverit, quanta adverſariorum æmulatione, quo [4] metu judicum, vix credi poteſt. Adverſarios quaſi plane conditionis ejuſdem, obſervare, captare, infamare ſecreto, nonnumquam ex occurſu maledictis inceſſere: ac, ſi qui arte præcellerent, [5] corrumpere etiam ſolebat. Judices autem priuſquam inciperet, [6] reverentiſſime alloquebatur, *omnia ſe facienda feciſſe, ſed eventum in manu eſſe Fortunæ: illos, ut ſapientes & doctos viros fortuita debere excludere:* atque ut auderet hortantibus, æquiore animo recedebat: ac ne ſic quidem ſine ſollicitudine taciturnitatem pudoremque quorumdam pro triſtitia ac malignitate arguens, ſuſpectoſque ſibi dicens.

Notæ.

1. *Diverſiſſimorum*] Hoc eſt, ludos quos non ſingulis annis, ſed aliquo duntaxat annorum interpoſito ſpatio celebrari moris erat, eodem anno & tempore non debito celebrari voluit. Apud Philoſtratum lib. 5. cap. 2. teſtatur Apollonius juſſos a Nerone Elidenſes, ut ludos ſuos, hoc eſt Olympicos, qui circa anni finem celebrari ſolebant, in adventum ſuum differrent.

2. *Præter conſuetudinem*] Et hoc diſerte refert Apollonius ibidem, eum nempe Tragœdorum & Citharœdorum certamina propoſuiſſe apud viros quibus nec theatra ſint, nec ſcenæ, nec alia ejuſmodi ludicris idonea, ſed nativum duntaxat ſtadium; & nuda omnia. De his Neronis oblectationibus Juvenalis Sat. 8.

Hæc opera atque hæ ſunt generoſi Principis artes
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita ſaltu
Proſtitui, Graiaque apium meruiſſe corona.

3. *Excedere theatro*] Exemplo eſt Veſpaſianus, infra in Veſpaſiano cap. 4. & refert Tacitus multos ob id occiſos: & Apollonius apud Philoſtratum lib. 5. cap. 2. teſtis eſt præcipuam hanc delatoribus accuſandi materiam, non veniſſe auditum Neronem, aut veniſſe quidem, ſed negligenter audiviſſe, riſiſſe, non plauſiſſe, pro Neronis voce non ſacrificaſſe, ut clarior ad Pythium veniret.

4. *Metu judicum*] Gellius lib 9. cap. 12. probat ex Salluſtio *metum* dici, & de eo qui timet & de eo qui timetur. Poſteriore ſenſu hîc intelligendum probat Taciti Annal. 16. auctoritas idipſum narrantis, *Poſtremo flexus genu & cœtum illum manu veneratus ſententias judicum operiebatur ficto pavore.* Et Apollonius inſectatur apud eumdem Philoſtratum ibidem.

5. *Corrumpere*] Muneribus ut ſecum certantes aliquid peritiæ ſuæ remitterent.

6. *Reverentiſſime*] Dio ipſa ejus verba refert, κύριοί μου ἄνδρες μου ἀκούσατε: *Domini mei, audite me favientes.* Quod & in more poſitum fuiſſe colligitur ex veteri

Digitized by Google

Epigrammate quod laudat hîc Casaubonus:

Ingressus scenam populum saltator adorat.
Solerti pendet prodere verba manu.

CAPUT XXIV.

IN certando vero ita [1] legi obediebat, ut numquam [2] excreare ausus, sudorem quoque frontis brachio detergeret: atque etiam in quodam tragico actu, cum elapsum [3] baculum cito resumsisset, pavidus & metuens, ne ob delictum certamine submoveretur, non aliter confirmatus est quam adjurante [4] hypocrita, non animadversum id inter exsultationes succlamationesque populi. Victorem autem [5] se ipse pronuntiabat. Qua de causa & [6] præconio ubique contendit. Ac ne cujus alterius [7] hieronicarum memoria, aut vestigium extaret usquam, subverti & unco trahi, abjicique in latrinas omnium [8] statuas & [9] imagines imperavit. Aurigavit quoque plurifariam, Olympiis vero etiam [10] decemjugem: quamvis idipsum in Rege Mithridate, carmine quodam suo reprehendisset. Sed excussus curru, ac rursus repositus, cum perdurare non posset, destitit [11] ante decursum: nec eo secius coronatus est. Decedens deinde, provinciam universam [12] libertate donavit: simulque judices [13] civitate Romana, & pecunia grandi. Quæ beneficia e medio [14] stadio [15] Isthmiorum die [16] sua ipse voce pronuntiavit.

NOTÆ.

1. *Legi obediebat*] Eadem omnino & Tacitus Annal. 16. initio. Suæ erant & gladiatoribus leges, ut v. g. jussi ferrum jugulo exciperent, suum & hostis sanguinem eodem vultu aspicerent, &c. Qua de re plura apud Senecam Epist. 7.

2. *Excreare*] Hoc est exspuere, quæ theatro reverentia præstabatur ab histrionibus quasi Templo; nec enim in Templis excreare fas erat, aut emungere, ut aperte Arrianus in Epictet. lib. 4. cap. 11. Tragicus actus hîc est ipsa tragœdia.

3. *Baculum*] Baculus pars erat ornatus histrionici, quem pro ornamentorum diversitate diversum gerebant, v. g. Regibus pro baculo sceptrum quale tunc Neroni fuisse, ut & Tragœdiam illam Creontis vel Oedipi fuisse verosimillime indicat eodem loco Philostratus.

4. *Hypocrita*] Hoc est, alienæ personæ simulator, quales secundarii de quibus in Caligula cap. 57. Hic fuisse videtur quidam Neronis hypocrita, qui forte verba, si quæ memoriam fugerent, canenti subjiceret.

5. *Se ipse pronuntiabat*] Notat Casaubonus Dionem huic loco contradicere: auctor enim est Neronem usum esse præcone Cluvio Rufo, & ipsius præconii formulam refert: quod verisimile est cum eodem præcone jam usus legatur supra cap. 12. Forte de diversis temporibus Auctor uterque loquitur.

6. *Præconio contendit*] Hoc est præconis arte, seu vocis magnitudine; præconum enim erat victores pronuntiare, & eisdem coronas imponere: quapropter in Olympiis præconum quoque certamen erat, ut & tibicinum & æneatorum: quod fiebat ad quandam aram cujus situm describit Pausanias in Eliacis. Ex quo videtur ars præconum apud Græcos non adeo contempta fuisse, atque apud Romanos, tam enim vilis erat, ut nequidem esse decurio posset is qui illam exerceret.

7. *Hieronicarum*] Hieronicæ, hoc est sacri victores. Sic dicebantur qui in aliquo e sacris Græciæ certaminibus vicissent. Ea quatuor erant, Olympia, Pythia, Isthmica, Nemea. Qui in omnibus vicerant, ii periodo victores appellati.

8. *Statuas*] Summi enim apud Græcos ejusmodi victoribus honores habiti sunt,

Digitized by Google

quos inter maximi erant ſtatuæ in publico poſitæ: qui honos non niſi magnis viris, & magna de cauſſa delatus: proximus ab iſto is erat quod patriam repetentes, quadrigis in mœnia triumphantium inſtar inveherentur, & perpetuum e publico vectigal acciperent.

9. *Imagines*] Hoc eſt vel tabulas, ut de Olympicis teſtatur P. Ivius lib. 35. cap 10. de Eupompi Pictoris operibus loquens, *Eupompi victor certamine gymnico palmam tenens*, vel icones ad victorum ſimilitudinem formatæ. De quibus in Caligula ad cap 22.

10. *Decemjugem*] Currum decem equis junctis tractum, ut ſejuges qui ſex, quadrijuges qui quatuor, &c.

11. *Ante decurſum*] Priuſquam ſtadium omne decurriſſet.

12. *Libertate donavit*] De hoc in Claudio ad cap. 25. & Tib ad cap. 37. Pauſanias in Achaïcis auctor eſt datam Senatui & Populo Sardinium Achaïæ loco, quam ipſis adimebat, licet datam a Claudio, ut ſupra ibidem.

13. *Civitate*] De jure civitatis, libro 1. ad cap 8.

14. *Stadio*] Stadium locus eſt ad currendum comparatus, qui in Græcia 600 pedes paret; ſed Olympicum cæteris longius, quia Herculis pedibus metatum, ut ait Gellius lib. 1. cap. 1.

15. *Iſthmiorum die*] Iſthmii ſunt ludi qui in Iſthmo Corinthiaco ſingulis quinquenniis celebrabantur, à Theſeo, ut quidam cenſent, inſtituti in æmulationem Olympicorum quos Hercules inſtituerat.

16. *Sua voce*] Præconis functus officio, quo confirmatur quod de ſe ipſo victorem ſe pronuntiante dixit ſupra.

CAPUT XXV.

REVERSUS e Græcia Neapolim, quod in ea [1] primum artem protulerat, [2] albis equis introiit, disjecta parte muri, ut [3] mos hieronicarum eſt. Simili modo Antium, inde [4] Albanum, inde Romam. Sed & Romam eo curru quo Auguſtus olim triumphaverat, & in veſte purpurea, diſtinctaque ſtellis aureis [5] chlamyde, coronamque capite gerens [6] Olympiacam, dextra manu [7] Pythiam, præeunte pompa [8] cæterarum cum titulis *ubi, & quos, quo cantionum, quove fabularum argumento viciſſet*: ſequentibus currum [9] ovantium ritu plauſoribus, [10] *Auguſtianos, militeſque ſe triumphi ejus* clamitantibus. Dehinc diruto [11] Circi maximi arcu, per [12] Velabrum, Forumque, [13] Palatium & Apollinem petiit. [14] Incedenti paſſim victimæ cæſæ, ſparſo per vias identidem [15] croco, ingeſtæque aves, ac [16] lemniſci, & [17] bellaria. [18] Sacras coronas in cubili circum lectos poſuit. Item ſtatuas ſuas [19] citharœdico habitu: qua nota etiam nummum percuſſit. Ac poſt hæc tantum abfuit a remittendo laxandoque ſtudio: ut conſervandæ vocis gratia, neque milites umquam, niſi abſens, aut alio verba pronuntiante, appellaret: neque quidquam ſerio jocove egerit, niſi adſtante [20] phonaſco, qui moneret, parceret arteriis, ac ſudatium ad os applicaret: multiſque vel amicitiam ſuam obtulerit, vel ſimultatem indixerit, prout quiſque ſe magis [21] parciuſve laudaſſet.

NOTÆ.

1. *Primum*] Supra cap. 20.

2. *Albis equis*] More triumphantium, ut de Camillo ſupra in Auguſto ad cap. 94.

3. *Mos hieronicarum*] Hujus moris rationem hanc offert Plutarchus Quæſtionum Convival. 5. lib 2. quod aliis huic urbi munimentis opus eſſe non videatur, quæ tantos viros habeat cives De his cap præced.

Digitized by Google

4. *Albenum*] Albam potius intelligere videtur quam villam hujus nominis prope Veiitras, viginti ab urbe millibus. De Antio supra sæpe.

5. *Chlamyde*] Supra in Tib. cap. 6. &c.

6. *Olympiacam*] Quidam legunt *Olympicam*. Hanc ex oleastro factam auctor est Plinius.

7. *Pythiam*] Ludis Pythiis partam. Hi ludi in Apollinis honorem propter occisum Pythonem instituti. Ovid. 1. Metam.

Neve operis famam posset delere vetustas,
Instituit sacros celebri certamine ludos
Pythia perdomita serpentis nomine dictos.

Corona hæc primum ex æsculo, tum ex lauro facta est, ut ibidem idem auctor.

8. *Caterarum*] Coronarum scilicet quas in Isthmiis, Nemeis, &c. reportarat.

9. *Ovantium*] De ovatione in Tiberio ad cap. 1

10. *Augustianos*] Torrentius in tribus libris MSS. legit & probat, *Augustianosque se, militesque, &c.* plausorum ejusmodi quinque millia parata scribit Xiphilinus, & Tacitus equites illum secutos esse qui dies noctesque plausibus personarent, &c. quos omnes ex eorum genere esse videntur, de quibus supra ad cap. 20.

11. *Circi maximi arcu*] Romæ plures erant Circi, maximus jam inde a Romulo Palatinum inter & Aventinum montes designatus, a Tarquinio Prisco ut temporis imperitia ferebat extructus, a Julio Cæsare amplificatus, ab Augusto translatis ex Ægypto obeliscis adornatus, ac demum a Claudio aliisque deinceps Imperatoribus varie perpolitus. Altera Circi extremitas portis pervia, altera clausa. Cum igitur ab hac parte in rotundum desineret instar semi circuli, videtur Circus ille de quo loquitur hîc Suetonius esse pars illa semi circuli formam referens, quam Nero disjecerit, ut secundum totam Circi longitudinem pompa traduceretur.

12. *Velabrum*] Vicus erat urbis, de quo in Julio cap. 37.

13. *Palatium*] In Palatino monte sedem Imperii posuerat Augustus, ut supra in Augusto ad cap. 5. & 29 &c. Apollinem hîc intellige Palatini Apollinis ædem, de qua ibidem. In hanc ædem merito traducebat pompam sui triumphi, utpote cujus victoriæ musica non bello partæ; alii enim triumphantes pompam in Capitolium novissime traducebant.

14. *Incedenti passim cæsa victima*] Hic honor & Caligulæ delatus supra in Calig. cap. 13. & Galbæ infrà in Galba cap. 18. & longe ante in usu fuisse satis innuit Ovidius Epistola Paridis ad Helenam:

Ibis Dardanias ingens Regina per urbes,
Teque novam credet vulgus adesse deam.
Quaque feres gressus adolebunt cinnama flamma,
Cæsaque sanguineam victima planget humum.

& Metam. 15. de navi serpentem Epidaurium vehente.

15. *Croco*] Croci multus in pompis usus erat, vino dulci tritus spargebatur & in theatris, ut ex Plinio lib. 21. cap. 6. & in nobilium funeribus, ut innuit Statius. Sed non modo crocum & aves ingessisse moris fuit, sed & ipsas tunicas & petasos & crepidas & flores sertos & solutos, ut ait Apuleius, aliaque id genus quæ ad manum aderant, quandoque jacta sunt in eos quos honore auctos volebant, ut ex Livio lib 2. Decad. 4. ubi de honore Flaminii colligas aliisque sed Græcorum locis.

16. *Lemnisci*] Casaubonus in ora Viterbiensis codicis explicatam legit hanc vocem ex Festo: *Lemnisci, id est fasciola, colorisa dependentes ex coronis. Propterea dicuntur, quod antiquissimum fuit genus coronarum lanearum.* Vocem hanc Syracusanam esse probat ex Athenæo Turnebus Adverss. lib. 18. cap. 13. ac significare angustam quandam taeniam, qua in victoriis nobilioribus coronæ vel palmæ ornabantur. Unde Ausonius in Epist.

Et qua jamdudum tibi palma poëtica pollet,
Lemnisco ornata est quo mea palma caret.

De quo etiam Josephus Scaliger lib. 1. Ausonianarum Lectionum cap 10. Cicero pro Roscio *lemniscatam coronam* appellat. Plinius lib. 21. cap. 3.

17. *Bellaria*] Ea sunt quæcumque apponuntur secundis mensis, quæ melle utplurimum condiebant, non saccaro, ut apud nos, hoc enim duntaxat ad medicinæ usum.

Digitized by Google

18. *Sacras coronas*] Sacris certaminibus relatas, quas 1808 numero fuisse auctor est Xiphilinus in Nerone, non in cubili sed in circo, ad Ægyptiacum obeliscum appensas, quod non nisi de circensium tempore intelligendum videtur ex ipso etiam Xiphilino: unde staret nihilosecius locus Suetonii, in quo forte melius legeretur *cubilibus* aut *cubiculis*, ut in Palatinis & Salmasiano codicibus.

19. *Citharadico habitu*] Appensa ad colossum cithara: quæ omnia ridet Juvenalis Sat. 8. vers. 228. Nummum æreum profert Torrentius, qui & aureos huic similes vidit, quibus exprimitur Nero longa veste indutus citharam pulsans.

20. *Phonasco*] Vocis regendæ magistro, ut in Augusto ad cap. 84.

21. *Parcius ve*] Hinc magno illi Thraseæ pernicies quod numquam applausisset, auctore Xiphilino.

CAPUT XXVI.

PETULANTIAM, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem sensim quidem primo & occulte, velut juvenili errore exercuit: sed ut tunc quoque dubium nemini foret, naturæ illa vitia non ætatis esse. Post crepusculum statim arrepto [1] pileo vel galero, popinas inibat: circumque vicos vagabatur ludibundus, nec sine pernicie tamen. Siquidem redeuntes a cœna verberare, ac repugnantes vulnerare, cloacisque demergere assueverat: tabernulas etiam effringere & expilare: [2] quintana domi constituta, ubi partæ & ad licitationem dividendæ prædæ pretium assumeretur. Ac sæpe in ejusmodi rixis, oculorum & vitæ periculum adiit, à quodam [3] laticlavio, cujus uxorem attrectaverat, prope ad necem cæsus. Quare numquam postea se publico illud horæ sine Tribunis commisit, procul & occulte subsequentibus. Interdiu quoque clam gestatoria sella delatus in theatrum, [4] seditionibus pantomimorum ex parte [5] prosceni superiori, [6] signifer simul ac spectator aderat. Et cum [7] ad manus ventum esset, lapidibusque & subselliorum fragminibus decerneretur, [8] multa & ipse jecit in populum, atque etiam Prætoris caput consauciavit.

NOTÆ.

1. *Pileo vel galero*] Aperte distinguit: pileus ex ovium pellibus densus ac villosus, qui aulicis turbinatus fuit & serico tectus: galerus autem ex pellibus quoque, sed in galeæ formam rotundus: hoc Pontifex Maximus & Flamines Diales præsertim operiebantur. Dissimilis fuisse non videtur petasis, de quibus in Augusto ad cap. 82. & hac lascivia videtur quoque Caligulam imitatus, ut supra in Caligula cap. 11. Unde galerus hic idem forte quod ibi capillamentum, & in Othone cap. 12. galericulus, Juvenalis Sat. 6. v. 120.

Sed nigrum flavo crinem abscondente galero.

2. *Quintana*] *Quintana*, inquit Festus, *appellabatur porta in castris post Prætorium, ubi rerum utensilium forum fuit.* Vide notam doctissimi Andreæ Dacerii ad hunc locum Festi, quem emendat quasi Quintana porta nulla fuerit, sed pars fori ipsius, quod post Prætorium, & Quæstorio fuit adsitum, *Quintana* dicta fuerit; ad cujus similitudinem Quintanam prædæ vendendæ domi suæ Nero instituisse dicitur. Isidorus lib. 15. cap. 2. *Quintana pars platea quinta est, qua carpentum progredi potest.*

3. *Laticlavio*] Hunc Julium Montanum appellant Tacitus & Dio. De Laticlavii dignitate in Julio ad cap. 45. & 80. &c.

4. *Seditionibus pantomimorum*] Quæ oriebantur ex diverso favore spectantium, supra in Tiberio ad cap. 37.

5. *Prosceni*] Supra ad cap. 12.

Digitized by Google

6. *Signifer*] An quod signum committendis ludis ludis dabat, an quod seditionem ipse accendebat?

7. *Ad manus ventum esset*] Tanta erat inter factionum illarum fautores æmulatio, ut dum suam quisque præferendam contendebat, armis deficientibus lapides & quæcumque ad manum erant invicem jactitarent. Quam licentiam cum Nero non impunitate modo, sed & præmiis auxisset (ut refert Tacitus Annal 13.) non aliud denique remedium fuit, quam histriones ex Italia pellere: quod supra cap. 16. retulit. Quo loco notare est, a Tacito histriones dici, qui a Suetonio pantomimi, quo confirmantur quæ in Caligula ad cap. 57. notata sunt.

8. *Multa & ipse fecit*] In eos verosimiliter ex populo, qui factioni sibi dilectæ non favebant.

CAPUT XXVII.

PAULLATIM vero invalescentibus vitiis, jocularia & latebras omisit, nullaque dissimulandi cura ad majora palam erupit. Epulas [1] a medio die ad mediam noctem protrahebat: refotus sæpius calidis [2] piscinis, ac tempore æstivo nivatis. Cœnitabatque nonnumquam & in publico, Naumachia præclusa, vel Martio campo, vel Circo maximo, inter scortorum totius urbis [3] ambubajarumque ministeria. Quoties Ostiam Tiberi [4] defluereat, aut Bajanum sinum præternavigaret, dispositæ per litora & ripas diversoriæ tabernæ parabantur, [5] insignes ganeæ & matronarum institorio [7] copas imitantium atque hinc inde hortantium ut appelleret. Indicebat & familiaribus cœnas, quorum uni [8] mitellita quadragies HS. constitit, alteri pluris aliquanto [9] absortio rosaria.

NOTÆ.

1. *A medio die*] Hujus quoque luxuriæ meminit Juvenalis Sat 4. v. 135.

noverat ille
Luxuriam imperii veterem noctesque Neronis
Jam medias.

Vide in Caligula ad cap. 45.

2. *Piscinis*] Publica erat piscina in quam natandi & exercitationis causa veniebant, fuerunt & in splendidis illis thermarum ædificiis: sed quæ non parebant omnibus piscinæ, hæ nive refrigerari solitæ cum usus exigeret, ut patet ex hoc loco & ex Senec. lib. 4. Quæst. natural. cap. ultimo in ipso fine: *Nix ista etiam in qua natatis eo pervenit usu, & quotidiana stomachi servitute ut aqua locum obtineat.*

3. *Ambubajarumque, &c.*] Casaubonus post Angelum Caninium & Josephum Scaligerum firmiter asseverat ambubajas fuisse Syras quasdam mulieres, quæ in Circo aliisque locis ædilem metuentibus habitarent, ac duplici quæstu vitam sustentarent, corpore & instrumentis quibusdam musicis, quæ e patria secum adportarant: *ambubaja* enim, inquit, Syriaca vox est pura puta. Lambinus ad primum illum versum Sat. 2. lib. 1 Horatii, *Ambubajarum collegia, &c.* edoctum se ait a P. Mercero Hebraicæ Linguæ peritissimo *ambub* significare tibiam, unde verosimillimum fit barbarici instrumenti nomen in urbe remansisse, cum & Syros & Syras fidicines ac tibicines Romæ frequentes, quin & eorum forte linguam in usu fuisse colligas ex Juven. Sat 3. v. 62.

Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes
Et linguam & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, necnon gentilia tympana secum
Vexit, & ad Circum jussas prostare puellas.

Alii ambubajas esse volunt genus quoddam hominum lascivia ac parasitica arte famosorum, qui sic dicti sint vel ab *ambiendo* per epenthesim, ut *induperator* pro *imperator*; vel a Baiis, loco nempe Romanorum deliciis notissimo, ubi multa ejusmodi turba.

4. *Defluereat*] Sic Virgil. 8. Æneid.

Digitized by Google

secundo defluit amni

5. *Insignes ganeæ*, &c.] Vulgati legunt *Insignes ganeæ & matronarum institoriæ operas imitantium.* Unde Torrentius tollendam censet conjunctionem &, aut sic legendum *& matronarum institoria copas imitantium.* Utrobique tam bene. Lectionem tamen nostram asserit Turnebus libro 24. cap. 6. Torrentii codicum unus, & Casaubonus ex aliis.

6. *Institorio*] Institorium dixit pro institoris munere: est autem institor qui negotio cuicumque agendo instat, unde Stabuli & Cauponæ institores dicuntur, L. 1. ff. *Nauta, Caupones*, &c. Lipsius ad librum 15. Annal. Tacit. emendat *institoria*, & pro ipsis locis intelligit.

7. *Copas*] Copæ sunt mulieres cauponam exercentes, Turnebus lib 24. cap. 6. Tacitus libro 15. de convivio quod in Agrippæ stagno Tigellini cura Nero præparaverat, *Crepidinibus stagni lupanaria astabant illustribus fœminis completa, & contra scorta visebantur nudis corporibus. Lupanaria* videtur dixisse, quas Suetonius *tabernas*, & *scorta* quas forte idem *copas*: nec enim ferme discrepabant apud antiquos.

8. *Mitellita*] Lectionem hanc retinuit Casaubonus mendi licet, ipso fatente, suspectam, nec sibi intellectam, sed quia optimorum codicum est. Salmasius refert ad coronarum usum in conviviis tunc frequentissimum, eruitque ex corrupto itidem Plinii loco lib. 21. cap. 3. quem restituit: unde corollas, non tantum ex rosis, non tantum ex nardi folio, sed etiam ex veste serica versicolori unguentis madida ab India & ultra Indos petita, factitatas contendit, hasque sericas coronas quasi parvas mitras (quæ capitis tegmina, supra) seu quod idem est, *mitellas* fuisse. Ex qua voce Suetonius fecerit *mitellita*, ad significandam *mitellarum* distributionem nepotinis ejusmodi conviviis fieri solitam. Turnebus Adverss. 24. cap. 6. existimabat *mitellita* fuisse placentarum quoddam genus: quod longe verosimilius innuit vulgata lectio *mellita*, hoc est bellaria illa melle condita, de quibus ad cap. 25. quæ quadragies constitisse, hoc est 175000 lib. tam credi potest, quam mitellas Salmasii.

9. *Absortio rosaria*] Casaubonus emendat *asperso*, & fatetur nescire se quid sibi vellet *absortio*. Salmasius & vulgati non agnoscunt illam vocem. Utut est, significari videtur illud artificium triclinia rigandi per fistulas, quomodo Plutarchus narrat factum ab Othone cum Neronem convivio exciperet, in quo tubi aurei argenteique tantam repente unguenti copiam effuderunt, ut omnia tanquam aquâ rigarentur. Quo posito, fidem non superabit summa quadragies HS.

CAPUT XXVIII.

SUPER ingenuorum [1] pœdagogia, & nuptarum concubinatus, Vestali virgini Rubriæ vim intulit. Acten libertam paullum abfuit quin justo matrimonio sibi conjungeret: subnixis consularibus viris qui regio genere ortam pejerarent. Puerum Sporum, exsectis testibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus est: cum dote & [2] flameo per sollenne nuptiarum celeberrimo officio, deductum ad se pro uxore habuit. Exstatque cujusdam non inscitus jocus, *Bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem habuisset uxorem.* Hunc Sporum Augustarum ornamentis excultum, lecticaque vectum, & circa conventus mercatusque Græciæ, ac mox Romæ circa [3] Sigillaria, comitatus est, identidem exosculans. Nam [4] matris concubitum appetisse, & ab obtrectatoribus ejus, ne ferox & impotens mulier & hoc genere gratiæ prævaleret, deterritum nemo dubitavit: utique postquam meretricem, quam fama erat Agrippinæ simillimam, inter concubinas recepit. Olim etiam quoties lectica cum matre veheretur, libidinatum incesse, ac maculis vestis proditum affirmant.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Padagogia*] Legitur & *padagium*, domus pars in qua παῖδες, hoc est pueri, habitabant. Plinius lib. 7. epist. 27. *Puer in padagogio missus pluribus dormiebat.* Pædagogia a Jureconsultis aliisque sumuntur eodem sensu, quo supra in Julio cap. 47. & Augusto cap. 42. *servitia.* Ita & Plinius lib. 33. cap. 3. & 12. & Seneca libro de Vita beata cap. 17. & de Tranquillitate Animi cap. 1. Egnatius cum vulgatis legit *proægia*, ut fuerint puerorum in deliciis habitorum cœtus, qui cum hucusque servi fuissent, Nero sibi esse voluit omnes ingenuos pueros, & elegantissimos, ut innuit Juvenalis Sat. 10. v. 306 Marcellus Donatus a pædagogiis veterum deducit vocem hodiernam *Pages.*

2. *Flammeo*] Flammeum est velamen lutei coloris, quo novæ nuptæ operiebantur boni ominis gratia, ut matrimonium bene consentiens, & individuum foret. Sic dictum est illud velamen, quia simili utebatur semper uxor Flaminica cui divortium facere non licebat. Tacitus Annal. 15. refert *cum iisdem ceremoniis Neronem nupsisse Pythagoræ suo inditum Imperatori flammeum, dos & genialis torus & faces nuptiales, cuncta denique spectata quæ etiam in femina nox operit.* Vide caput sequens.

3. *Sigillaria*] In Claudio cap. 5. & 16.

4. *Matris concubitum*] Multa de hoc etiam Tacitus Annal. 14. initio.

CAPUT XXIX.

SUAM quidem pudicitiam usque adeo prostituit, ut contaminatis pene omnibus membris, novissime quasi genus luxus excogitaret: quatenus feræ pelle contectus emitteretur e cavea, virorumque ac fœminarum ad stipitem deligatorum inguina invaderet: & cum affatim desævisset, conficeretur à [1] Dorypho liberto: cui etiam, sicut ipsi Sporus, ita ipse [2] denupsit: voces quoque & ejulatus vim patientium virginum imitatus. Ex nonnullis comperi, persuasissimum habuisse eum, neminem hominem pudicum, aut ulla corporis parte purum esse: verum pleroscque dissimulare vitium, & calliditate obtegere: ideoque professis apud se obscœnitatem, cætera quoque concessisse delicta.

NOTÆ.

1. *Doriphoro*] Pythagoram illum appellat Tacitus Annal. 15. nec probabile est in tam publica Neroniani matrimonii infamia alterutrum errare potuisse; unde dubium non videtur, quin duplici isto nomine fuerit appellatus, ut de Calliste supra in Claudio ad cap. 28.

2. *Denupsit*] Vide locum Taciti ad caput proxime superius.

CAPUT XXX.

DIVITIARUM & pecuniæ fructum non alium putabat quam profusionem: sordidos ac deparcos esse quibus ratio impensarum constaret: prælautos vereque magnificos qui abuterentur ac perderent. Laudabat mirabaturque [1] avunculum Caïum, nullo magis nomine, quam quod ingentes [2] a Tiberio relictas opes in brevi spatio prodegisset. Quare nec largiendi nec absumendi modum tenuit. In [3] Tiridatem, quod vix credibile videatur, [4] octingena nummûm millia diurna erogavit, abeuntique super HS. [5] millies contulit. Menecratem citharœdum & Spicillum [6] mirmillonem triumphalium virorum patrimoniis ædibusque

Digitized by Google

ædibusque donavit. [7] Cercopithecum Panerotem fœneratorem, & urbanis rusticisque prædiis locupletatum, prope regio extulit funere. Nullam vestem bis induit. Quadringenis [8] in punctum HS. aleam lusit. Piscatus est rete aurato, purpura [9] coccoque funibus nexis. Nunquam [10] carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, [11] canusinatis mulionibus, armillata & phalerata cum [12] Mazacum turba, atque cursorum.

Nota.

1. *Avunculum Caium*] Caligulam scilicet, Agrippinæ matris ejus fratrem, ut in Caligula cap. 7.

2. *A Tiberio relictas*] In Calig. cap. 37.

3. *Tyridatem*] Armeniæ Regem, de quo supra cap. 13.

4. *Octingena*] Sic legitur in veteribus libris: in vulgatis *octingenta*, supple *sestertia*, vel *sestertiorum millia*, hoc est 35000 lib.

5. *Millies*] 4375000 lib.

6. *Mirmillonem*] Supra in Caligula ad cap. 30. & 32.

7. *Cercopithecum*] Hunc locum sic legendum censet Torrent. *Cercopithecum Panerotis fœnerateris urbanis*, &c. ut intelligatur Cercopithecus ille fuisse gladiator aut mimus Panerotis qui fuerit ipse libertus fœneratoris cujusdam a Nerone confiscati, qui modus loquendi valde implicatus videtur. Cur enim Torrentius adduci non potest ut credat fœneratorem Neroni tam carum fuisse? Skildius lectionem retinet & explicat de simia laudata (id enim significat cercopithecus) circa quam Nero eodem modo insaniret, ut Caligula circa incitatum equum suum, ut supra in Caligula cap. 55. Quod facile de Nerone persuaserit, verum quis credat ab aliis omnibus omissum?

8. *In punctum*] Vel unoquoque talorum jactu vel in singula tesserarum puncta; qui enim talis ludebant, singulis jactibus infelicibus, nummum conferebant, vel in singulos talos, ut Aug. cap. 71. vel in singulas unitates, prout conuenerat inter collusores, quod & *manum* appellat Augustus ipse ibidem.

9. *Cocco*] Coccum granum est rubens rubore quodam exuberante & splendido, sed purpura inferius, unde ad hanc adulterandam eo utebantur, de quo Plinius lib. 9. cap. 41. Hinc & purpuræ appellatione coccum non contineri auctor est Ulpianus lege *Si cui lana* 70. §. 13. *ff. de legatis & fideicommissis* 3.

10. *Carrucis*] Carruca varios habuit apud veteres usus: hic significat minorem quemdam carrum quatuor habentem rotas, qui divitibus erat in deliciis, unde auro & argento sæpe sæpius ornatus fuisse legitur. De quo Spartianus in Severo, & Plinius lib. 32. cap. 11. Eadem Persarum Regibus erat quæ Neroni luxuria Narrat enim Heliogabalus apud Lampridium, eos decem millibus camelorum iter facere, ubi multa & majora his, de Heliogabali luxuria.

11. *Canusinatis mulionibus*] Sensus est, Carrucarios illos canusina veste indutos fuisse: quod Suetonius annotavit propter nobilitatem lanæ Canusinæ.

12. *Mazacum*] Beroaldus & vulgati legunt *hamaxicorum*, hoc est *carrucariorum*; ἅμαξα enim id est *currus*: quam vocem Capitolinus Latinam fecit, referens Maximum traxisse hamaxas manibus. Libri MSS. dissentiunt. Mazaces sunt populi interioris Africæ, quorum equos laudat Nemesianus:

Quemque coloratus Mazax deserta per arva
Pavit & assiduos docuit tolerare labores.

De his locum hunc Turnebus intelligit lib 24. cap. 6. Frequens enim apud ipsos Afrorum equitum comitatus. Verum cum & Cappadoces equites in comitatu quoque nobilium fuisse reperiantur, ut ex Martiali Epig. 76. lib. 10. & Mazaca Cappadocum civitas fuerit, quæ postea Cæsarea dicta est, sita ad radices montis Argæi: unde & Claudianus 1. in Rufinum:

Volucrumque parens Argæus equorum.

Non videtur constare de utro intelligendum sit, quamquam de Afris sermo sit, quoties Mazacum memnere, ut Claudianus lib. 1. in Consulat. Stiliconis:

Pavidus projecit missile Mazax.

Digitized by Google

& Lucan. lib. 9. *aquaturusque sagittas* | *Medorum, tremulum cum torsit missile Mazax.*

CAPUT XXXI.

NON in alia re damnosior quam in ædificando. Domum [1], a Palatio Esquilias usque fecit. Quam primo [2] *Transitoriam*, mox, incendio absumtam, restitutamque, *Auream* nominavit. De cujus spatio atque cultu suffecerit hoc retulisse. Vestibulum ejus fuit, in quo [3] colossus centum viginti pedum staret ipsius effigie: tanta laxitas, ut porticus [4] triplices milliarias haberet: item [5] stagnum maris instar, circumseptum ædificiis ad urbium speciem. Rura insuper arvis atque vinetis & pascuis, silvisque, varia cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In cæteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis unionumque conchis erant. [6] Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores, [7] fistulis, ut unguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur: balineæ [8] marinis & Albulis fluentes aquis. Ejusmodi domum cum absolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut se diceret *quasi hominem tandem habitare cœpisse*. Præterea inchoabat [9] piscinam à [10] Miseno ad Avernum lacum, contectam, porticibus concluſam, quo quidquid totis Baiis calidarum esset, converteretur. Fossam ab [11] Averno Ostiam usque, ut navibus nec tamen mari iretur, longitudinis per [12] centum sexaginta milliaria: latitudinis, qua contrariæ quinqueremes commearent. Quorum operum perficiendorum gratia, quod ubique esset [13] custodiæ in Italiam deportari, etiam scelere convictos, nonnisi ad opus damnari, præceperat. Ad hunc impendiorum furorem super fiduciam imperii etiam spe quadam repentina immensarum & reconditarum opum impulsus est: ex indicio [14] equitis Rom. pro comperto pollicentis, thesauros antiquissimæ gazæ, quos Dido Regina fugiens Tyro secum extulisset, esse in Africa vastissimis specubus abditos, ac posse erui parvula molientium opera.

A. U. C. 818.

NOTÆ.

1. *Palatio Esquilias*] Duo sunt Urbis montes, multis & ingentibus ædificiis exornati, quæ incendio illo de quo infra cap. 38. absumpta fuerunt, & in eorum locum extructa domus hæc, de qua fuse & Tacitus Annal. 15. & Martialis libro Spectacul. Epig. 2.

2. *Transitoriam*] Quod ab uno monte in alium per eam transitus esset.

3. *Colossus*] Ad quem faciendum Zenodorus accitus e Gallia fuerat. Eo loci postea extructum celeberrimum illud amphitheatrum, cujus reliquias hac de causa etiam hodie *Coliseum* vocant. De quo adhuc infra in Vespasiano cap 18. Neroniani hujus ædificii nullæ reliquiæ supersunt; nec mirum, cum jam inde a Vespasiani temporibus destructum fuerit, ut ex Martiali lib. 1. Epig. 2. patet. Vide & in Caligula cap. 35.

4. *Triplices milliarias*] An tres diversas porticus, an multas quarum triplex ordo columnarum, quales fieri docet Vitruvius lib. 3. Milliarias Torrentius intelligit mille pedibus longas, non mille passibus; contrarium tamen evincere videtur, tum usus loquendi, tum spatii quod hîc describitur amplitudo.

Digitized by Google

5. *Stagnum*] In valle Palatinum inter & Esquilinum montes jacente: quo loco erectum amphitheatrum Vespasiani, de quo Vespas. cap. 18. patet ex Martiali libro 1. Epig. 2.

Hic ubi coelicui venerabilis amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.

6. *Cœnationes*] Membra sunt splendidarum ædium, ut & diætæ de quibus in Claudio ad cap. 10.

7. *Fistulis*] Pari artificio, de quo supra ad cap. 27. Casaubonus legit *fistulata*, longe clarius, juxta hunc contextum orationis, *Cœnationes laqueata tabulis eburneis versatilibus, ut flores: fistulata ut unguenta desuper spargerentur:* Tabulæ enim circumactæ flores spargebant, fistulis unguentum effundebatur. De quo artificio Seneca Epist. 90. & lib. 2. Quæst. Natural. Lampridius de Heliogabalo, *Oppressit in tricliniis versatilibus parasitos suos violis & floribus, sic ut animam aliqui efflaverint, cum eripi ad summum non possent.*

8. *Marinis & albulis*] In Aug. cap. 82.

9. *Piscinam*] Ad natandum, non ad alendos pisces comparata videtur, quales multæ in lautorum domibus, ut jam paulo supra cap. 27.

10. *A Miseno*, &c] Per quinque aut sex milliaria, hoc est nostrates leucas circiter duas. De his locis jam supra.

11. *Ab Averno*] *Magistris & machinatoribus Severo & Celere, quibus ingenium & audacia erat, viribus Principis illudere*, ut ait Tacitus lib. 15. ubi irritum hoc consilium fusius narrat.

12. *Centum sexaginta*] Hoc est leucas circiter quinquaginta tres: tria quippe milliaria pro singulis leucis vulgo numerant. Quæ tanta non est hæc distantia, sed pluribus diverticulis uti cogebant obices, qui multi, ut innuit Tacitus. *Milliaria*, legunt alii *millia*.

13. *Custodia*] Casaubonus in Cujacii libro legit *custodiarum*, bene nisi si addita litera legas, *quot ubique essent custodia*. Prima tamen lectio est plurium codicum. De custodiis in Tiberio ad cap. 27. & 61. ubi vincti servi tenebantur.

14. *Equitis Romani*] Tacitus orditur librum 16. Annalium ab hujus rei narratione: *Illusit dehinc Neroni fortuna ex promisso Cæsellii Bassi, qui origine Pœnus mente turbida nocturna quietis imaginem, ad spem haud dubiam retraxit.* Ubi quod perstringitur hîc a Suetonio, narrat cum circumstantiis omnibus, quarum una est quod cum quinquennale ludicrum secundo tunc lustro celebraretur, ea præcipue materia in Principis laudem sumpta sit; *nec enim tantum solitas fruges nec metallis confusum aurum gigni, sed nova uberitate provenire terras, & obvias opes proferre deos. Quaque alia summa facundia nec minore adulatione servilia fingebant securi de facilitate credentis.*

CAPUT XXXII.

VERUM ut spes fefellit, destitutus, atque ita jam exhaustus & egens, ut [1] stipendia quoque militum, & [2] commoda veteranorum protrahi ac differri necesse esset, calumniis rapinisque intendit animum. [3] Ante omnia instituit, ut [4] e libertorum defunctorum bonis [5] pro semisse dodrans cogeretur ei, si qui sine probabili causa eo nomine essent quo fuissent illæ familiæ quas ipse contingeret: [6] deinde ut ingratorum in Principem testamenta ad fiscum pertinerent: ac ne impune esset [7] studiosis juris qui scripsissent vel dictassent ea: tum ut lege [8] majestatis facta dictaque omnia, quibus modo delator non deesset, tenerentur. Revocavit & [9] præmia coronarum, quæ umquam sibi in certaminibus civitates detulissent. Et cum interdixisset [10] usum amethystini ac Tyrii coloris, submisissetque qui nundinarum die [11] paucas uncias venderet: præclusit cunctos negotiatores. Quinetiam inter canendum animadversam matronam e spectaculis, vertita purpura cultam, demonstrasse procuratoribus suis creditur, detractamque illico, non

Digitized by Google

veſte modo ſed & bonis exuit. Nulli delegavit officium, ut non adjiceret: *Scis quid mihi opus ſit:* &, *Hoc agamus, ne quis quidquam habeat.* Ultimo, templis compluribus dona detraxit, ſimulacraque ex auro vel argento fabricata [11] conflavit: in his Penatium Deorum, quæ mox Galba reſtituit.

INTERPRETATIO.

a *Primo decrevit ut loco media partis, tres quadrantes pro ſe colligerentur ex bonis eorum libertorum, qui abſque ratione legitima appellarentur eodem nomine, quo* appellatæ *fuiſſent illa familia quibus* aliquo modo *conjunctus eſſet*, ac *poſtea* ut *teſtamenta* ejuſmodi libertorum *confiſcarentur, tanquam ingratorum in Principem.*

NOTÆ.

1. *Stipendia*] De his in Julio ad cap. 26. & Auguſto ad cap. 49.

2. *Commoda veteranorum*] De his in Auguſto ad cap. 24.

3. *E libertorum bonis*] Lege XII. Tabul. libertus in condendo Teſtamento præterire patronum impune poterat, nec ad hereditatem ejus alio modo venire patronus, quam ſi libertus obiret & ſine liberis & inteſtatus. Hoc quanquam pro liberis naturalibus obtinuerit, pro adoptivis tamen edicto Prætoris emendatum eſt, cautumque ut ſive teſtatus, ſive inteſtatus moreretur libertus natis ex matrimonio legitimo liberis carens, pars dimidia bonorum ejus ad patronum pertineret. Quæ jura patronorum Lege Papia, de qua in Auguſto, adhuc aucta ſunt: hac enim ſtatutum eſt ut patronus liberti relinquentis patrimonium centum millium HS. in bonis liberti ſuccederet æqua portione cum liberis etiam naturalibus, ſi iſti pauciores quam tres eſſent. De quibus fuſe Juſtinianus *de ſucceſſione libertorum* Inſtit.

4. *Pro ſemiſſe*] Quot & quibus nominibus appellatæ hereditatis partes eſſent, ſupra in Julio ad cap. 83. Cum igitur non niſi media pars forſan eſſet in fiſcum redigenda, & altera medietas heredibus aut patrono relinquenda, hujus medietatis mediam iterum partem ſibi ſumpſit Nero in eorum libertorum bonis, qui eo nomine appellati fuiſſent, quo nuncupabantur illæ familiæ quibus aliquo vel naturæ vel adoptionis vinculo conjungebatur, quales v. g. Julia, Claudia, Domitia, &c. Cum enim moris eſſet, ut liberti patronorum nominibus appellarentur, inde ex nomine ſcilicet, colligere volebat iſtarum familiarum libertos illos eſſe, atque ideo ſe patronum, qui & illarum caput eſſet, niſi probabilem & laudandam iſtius appellationis cauſſam legitimus ipſe patronus allegaret. Caſaubonus hîc pro *dedrans* ſcribit *dextans* ex codice Vitterbienſi & Liſlæi, &c.

5. *Deinde ut ingratorum*] An de ejuſmodi libertis intelligit, qui cum eum patronum haberent (ut volebat ipſe) Teſtamento nihilominus præteribant? An vero de aliis quibuſcumque quos ſi quid ab ipſo vel honoris vel gratiarum accepiſſent, debere exiſtimabat ſuum hoc modo teſtari gratum animum: priorem ſenſum amplectitur Beroaldus, poſteriorem alii omnes. Vide in Caligula ad cap 38. & Claudio ad cap. 25.

6. *Studioſis juris*] Vulgati legunt *viris*. Romani ad omnes contractus juris peritorum operam adhibebant, ut ſua negotia tutius gererent, & ſtrictos juris apices obſervarent. Juris ſtudioſorum hujuſmodi & doctorum hominum loco ſucceſſere tabelliones, quibus ideo juris peritiam neceſſariam eſſe notavit Gothofredus ad Novellam 66. cap. 1.

7. *Majeſtatis*] Læſæ ſcilicet. In Tiberio ad cap. 2. &c.

8. *Pramia coronarum*] Vel quæ ſibi præter coronas (ut moris erat in ſacris certaminibus) delata civitatibus condonarat, vel coronas intelligit ſibi quidem delatas, ut ſupra cap. 22. ſed non repræſentatas, quas jam poſt exhauſtas tot opes volebat repræſentari.

9. *Uſum amethyſtini & Tyrii*] Amethyſtinus & Tyrius color ſunt, purpuræ ſpecies, cujus uſum prohibuit, ut Julius conchyliatæ veſtis, in Julio ad cap. 43. De

Digitized by Google

purpura vide plura apud Plinium libro 9. cap. 41. & lib. 21. cap. 8.

10. *Pauculas uncias*] Colorum scilicet ejusmodi, vel mistorum vel separatorum, sed pretii longe dispatis: amethystinus enim non nisi centum denariis, Tyrius vero mille in singulas uncias vix emebatur.

11. *Conflavit*] Vide in Aug. ad cap. 52.

CAPUT XXXIII.

PARRICIDIA & cædes a Claudio exorsus est: cujus necis etsi non auctor, at conscius fuit: neque dissimulanter, ut qui boletos, in quo cibi genere [1] venenum is acceperat, quasi [2] Deorum cibum, posthac proverbio Græco collaudare sit solitus. Certe omnibus rerum verborumque contumeliis mortuum insectatus est, modo stultitiæ, modo sævitiæ arguens. Nam & [3] morari eum inter homines desiisse, producta prima syllaba jocabatur, multaque decreta & constituta, ut [4] insipientis atque deliri, pro irritis habuit. Denique [5] bustum ejus consepiri, nisi humili levique materia, neglexit. Britannicum, non minus æmulatione vocis quæ illi jucundior suppetebat, quam metu ne quandoque apud hominum gratiam paterna memoria prævaleret, veneno aggressus est. Quod acceptum a [6] quadam Locusta, venenariorum [7] indice, cum opinione tardius cederet, ventre modo Britannici moto: accersitam mulierem sua manu verberavit, arguens pro veneno remedium dedisse. Excusantique minus datum ad occultandam facinoris invidiam: *Sane*, inquit, [8] *Legem Juliam timeo*: coëgitque se coram in cubiculo quam posset velocissimum ac præsentaneum coquere. Deinde in hœdo expertus, postquam is quinque horas protraxit: iterum ac sæpius recoctum, porcello objecit. Quo statim exanimato, inferri in triclinium, darique cœnanti secum Britannico imperavit. Et cum ille ad primum gustum concidisset, comitiali morbo ex consuetudine correptum apud convivas ementitus, postero die raptim inter maximos [10] imbres translatitio extulit funere. Locustæ pro navata opera, [11] impunitatem, prædiaque ampla, sed & [12] discipulos dedit.

NOTÆ.

1. *Venenum acceperat*] In Claudio cap. 44.

2. *Deorum cibum*] Illudens Claudio inter deos relato. Quo sensu & Vespasianus de seipso infra cap. 23. simile quid.

3. *Morari*] A Græco μωρός, hoc est fatuus: unde & Latinis *morus*.

Amor mores hominum moros & morosos efficit. Plaut.

Hinc etiam Nero effingebat verbum *morari*, hoc est *fatuo agere*, producta prima, quia in voce Græca est ο longum.

4. *Insipientis*] Vide in Claudio cap. 39.

5. *Bustum*] Hoc est locum ubi cadaver Claudii crematum fuerat. Quo sensu Servius ad hos quinti Æneid. versus:

semiustaque servant
Busta, &c.

Quem locum custodiæ caussa consepire moris erat, divitibus quidem iisque quos volebant honoratos, magnifice ex marmore aut alia qua pretiosiore materia, aliis vero alia pretii minoris, pauperibus nulla omnino. Aliter intelligi posse non videtur hic locus; nam capite 9. supra, & in Claudio cap. 44. solenni pompa funeratum Claudium retulit.

6. *Quadam locusta*] In veteribus libris legunt *quodam*, male: fœminam enim fuisse diserte innuit Juvenalis Sat. 1. vers. 71. &

Digitized by Google

affirmat Scholiastes matronam fuisse magnæ famæ ad hæc scelera accitam a Nerone, & innuit etiam aperte Tacitus lib. 12.

7. *Indice*] Supplicium evaserat, alias veneficas, & veneficos indicando: damnatam enim patet ex eodem Tacito ibidem.

8. *Legem Juliam*] Hac Lege nihil de veneficiis statutum legitur: probabile tamen est, Suetonium juris peritissimum, hîc tam obscure locuturum non fuisse, si de iis omnino Lex illa siluisset: quare dicendum videtur cavisse quidem de veneficiis aliquid, sed ea capita quibus id cautum erat cum aliis bene multis temporum lapsu periisse: quota enim pars Juliæ Legis supereſt? Quamvis immenso labore ex antiquissimis marmoribus, & abstrusissimis auctorum locis eruta, quæ leguntur apud Sigonium lib. de Judiciis, &c.

9. *Ad primum gustum*] Tacitus hæc omnia fuse & cum aliis multis circumstantiis. Lib. 12.

10. *Imbres*] Quibus iram Dei portendi creditum, ut refert Tacitus. Translatitium funus, hoc est vulgare, ut supra cap. 7. & Aug. cap. 10.

11. *Impunitatem*] Utpote quæ damnata veneficii jam ante fuerat, ut paulo supra num. 7. ex Tacito.

12. *Discipulos*] Juvenalis Sat. 1. v. 71.

Instituitque rudes melior lenusta propinquos
Per famam & populum nigros efferre maritos.

Ubi Scholiastes affirmat Neronem ab ea quoque edoceri voluisse.

CAPUT XXXIV.

MATREM, dicta factaque sua exquirentem acerbius & corrigentem, hactenus primo gravabatur, ut invidia identidem oneraret, quasi cessurus imperio, Rhodumque abiturus: mox & honore omni & potestate privavit, abductaque [1] militum & Germanorum statione, contubernio quoque ac palatio expulit. Neque in divexanda quidquam pensi habuit: submissis & qui Romæ morantem, [2] litibus, & in secessu quiescentem, per convitia & jocos, terra marique prætervehentes inquietarent. Verum [3] minis ejus ac violentia territus perdere statuit. Et cum veneno ter tentasset, sentiretque antidotis præmunitam: lacunaria, quæ noctu super dormientem laxata machina deciderent, paravit. Hoc consilio per conscios parum celato, solutilem navem, cujus vel naufragio vel [4] cameræ ruina periret, commentus est. Atque ita reconciliatione simulata, jucundissimis literis Bajas evocavit ad sollennia [5] Quinquatrium simul celebranda: datoque negotio [6] trierarchis, qui [7] Liburnicam, qua advecta erat, velut fortuito concursu confringerent, protraxit convivium. Repetentique [8] Baulos, in locum corrupti navigii, machinosum illud obtulit, hilare prosecutus: atque in digressu papillas quoque exosculatus, reliquum temporis cum magna trepidatione vigilavit, cœptorum opperiens exitum. Sed ut diversa omnia, nandoque evasisse eam comperit, inops consilii, L. Agernium libertum ejus, salvam & incolumen cum gaudio nuntiantem, objecto clam juxta pugione, ut percussorem sibi subornatum arripi constringique jussit, matremque occidi: quasi deprehensum crimen voluntaria morte vitasset. Adduntur his atrociora, nec incertis auctoribus, ad visendum interfectæ cadaver accurrisse, contrectasse membra, alia vituperasse, alia laudasse, sitique interim obortā, bibisse. Neque tamen sceleris conscientiam, quamquam & militum

Digitized by Google

& Senatus populique gratulationibus confirmaretur, aut ſtatim aut umquam poſtea ferre potuit: ſæpe confeſſus exagitari ſe [9] materna ſpecie, verberibus [10] Furiarum, ac tædis ardentibus. Quin & [11] facto per Magos ſacro, evocare Manes, & exorare tentavit. Peregrinatione quidem Græciæ, [12] Eleuſiniis ſacris, quorum imitatione [13] impii & ſcelerati voce præconis ſubmoverentur, intereſſe non auſus eſt. Junxitque parricidio matris [14] amitæ necem. Quam cum ex duritia alvi cubantem viſitaret, & illa tractans lanuginem ejus, ut aſſolet, jam grandis natu, per blanditias forte dixiſſet, [15] *Simul hanc excepero, mori volo,* converſus ad proximos, confeſtim ſe poſiturum velut irridens ait: præcepitque medicis ut largius purgarent ægram. Nam nec dum defunctæ bona invaſit, ſuppreſſo Teſtamento, ne quid abſcederet.

NOTÆ.

1. *Militum & Germanorum*] Milites a Germanis aperte diſtinguit, & Tacitus lib. 15. *Excubiaſque militares, qua ut conjugi Imperatoris olim, tum & ut matri ſervabantur, & Germanos ſuper eumdem honorem ac cuſtodes additos digredi jubet.* Vox *milites* indicat legionarios aut prætorianos, hoc eſt cives Romanos. Vide in Caligula ad cap. 43.

2. *Litibus*] Tacitus auctor eſt, accuſatores a Julia Silana paratos, qui Agrippinam accuſarent, quod ſubornaſſet ad res novas Rubellium Plancum.

3. *Mimis*] *Trux erat Agrippina, qua filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat*, inquit Tacitus.

4. *Camera*] Cubiculi ſuperior pars incurvata, & ferme in modum fornicis, unde tectum concameratum & fornicatum a laquearo diſcrepat. Qua de re Vitruvius lib. 7. cap. 3.

5. *Quinquatrium*] De his in Auguſto ad cap. 71. quibus adde Ovidii verſus de celebritate quinque illorum dierum, Lib. 3. Faſtorum ſub finem:

Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,
Cauſſa quod eſt illa nata Minerva die.
Alter treſque ſuper raſa celebrantur arena
Enſibus exertis bellica lata dea eſt.

6. *Trierarchis*] Trierarchæ ſunt triremium Præfecti.

7. *Liburnicam*] De his navibus in Auguſto ad cap. 17. & Calig. cap. 34.

8. *Baulos*] Id villæ nomen eſt, Miſenum inter & Bajanum ſinum, etiam hodie *Bauli* vel Bagola.

9. *Materna ſpecie*] Umbra, ut in Calig. cap. 59. & Horatius Epod. Ode 5.

nocturnus occurram furor
Petamque vultus umbra curvis unguibus.

Virgil. lib. 4.

Omnibus umbra locis adero; dabis, improbe, pœnas.

Ovid. in Ibin, &c.

10. *Furiarum*] Ita Ovid. ibid.

Verbera ſæva dabunt ſonitum, nexaque colubris
Conſcia fumabunt ſemper adora faces.

Qua de re Cicero in Piſonem: *Nolite enim putare ut in ſcena videtis homines conſceleratos impulſu deorum terreri furiarum tadis ardentibus, ſua quemque fraus, ſuum ſcelus, ſuum facinus, ſua audacia, de ſanitate ac mente deturbat.* Atque iterum pro Roſcio Amerino idem, ſed fuſius Juvenalis Sat. 13.

diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortor flagellum.

Unde colligere eſt, Neronem his animi cruciatibus agitatum, ut erat poëſeos ad furorem cupidus, ſuas poëticis illis vocibus pœnas adumbraſſe. De ſpectris tamen ejuſmodi plura apud Auctores paſſim, ut Plutarchum in Cimone, & Plinium libro 7. Epiſt. 27. &c.

11. *Facto per Magos ſacro evocare, &c.*] Super hac re Plinius lib. 30. cap. 2. ait de

Digitized by Google

magia loquens, *Ex multis aliis divina promisit: praterea umbrarum inferorumque colloquia, qua omnia ætate nostra Princeps Nero vana falsaque comperit.*

12. *Eleusiniis sacris*] In Aug. ad cap. 93. & Claud. cap. 25.

13. *Impii & scelerati*] Lampridius in Alexandro Severo idem narrat, *præconem* scilicet alta voce dicere *ut nemo ingrediatur, nisi qui se innocentem novit.* Hinc Poëta,

Procul ô procul este profani.

14. *Amita*] Domitiam patris sororem intellige.

15. *Simul hanc excepero*] Verba sunt blandientis. Vide supra ad cap. 12. &c.

CAPUT XXXV.

UXORES præter [1] Octaviam duas postea duxit. [2] Poppæam Sabinam, [3] quæstorio patre natam, & [4] equiti Romano antea nuptam: deinde Statiliam Messallinam [5] Tauri bis consulis ac triumphalis abneptem. Qua ut potiretur, virum ejus Atticum Vestinum Cos. in honore ipso trucidavit. Octaviæ consuetudinem cito aspernatus, corripientibus amicis, *sufficere illi debere* respondit *uxoria ornamenta.* Eandem mox sæpe frustra strangulare meditatus, dimisit ut sterilem: sed improbante divortium populo, nec parcente convitiis, etiam relegavit. Denique occidit sub crimine adulteriorum, adeo impudenti falsoque, ut in quæstione pernegantibus cunctis, [6] Anicetum pædagogum suum indicem subjecerit, qui dolo stupratam a se fateretur. Poppæam duodecimo die post divortium Octaviæ in matrimonium acceptam, dilexit unice. Et tamen ipsam quoque ictu calcis occidit: quod se ex aurigatione sero reversum, gravida & ægra convitiis incesserat. Ex hac filiam tulit Claudiam Augustam, amisitque admodum infantem. Nullum adeo necessitudinis genus est quod non scelere perculerit. [7] Antoniam Claudii filiam recusantem post Poppææ mortem nuptias suas, quasi molitricem novarum rerum, interemit. Similiter interemit cæteros, affinitate aliqua sibi aut propinquitate conjunctos. In quibus [8] Aulum Plautium juvenem: quem cum ante mortem per vim [9] constupraſſet: *Eat nunc,* inquit, *mater mea, & successorem meum osculetur:* jactans dilectum ab ea, & ad spem imperii impulsum. [10] Privignum Rufinum Crispinum, Poppæa natum, impuberem adhuc, quia ferebatur [11] ducatus & imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit. Tuscum nutricis filium relegavit, quod in [12] procuratione Ægypti, balineis [13] in adventum suum exstructis laviſſet. [14] Senecam præceptorem ad necem compulit: quamvis sæpe commeatum petenti, boniſque cedenti, persancte juraſſet, *suspectum se frustra, periturumque potius quam nocituram ei.* [15] Burro præfecto remedium ad fauces pollicitus, toxicum misit. [16] Libertos divites & senes olim adoptionis, mox dominationis suæ fautores, atque rectores, veneno, partim cibis partim potionibus indito, intercepit.

A U. C. DCCCXV.

DCCCVIII.

Nota.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Octaviam*] Supra cap. 7, & Claudii cap. 27.

2. *Poppæam Sabinam*] *Huic mulieri cuncta alia fuere præter honestum animum*, inquit Tacitus lib. 13. ubi mores ejus graphice describit, & lib 14. Ejus nomen Casaubonus in suis libris legit *Pompeia*, ut & Plutarchus Πομπηία.

3. *Quæstorio patre*] Huic T. Ollius nomen erat, ex eodem Tacito lib. 15. *Sed nomen avi materni sumpserat illustri memoria Poppæi Sabini consulari & triumphali decore præfulgentis; nam Ollium honoribus nondum functum amicitia Sejani subvertit.*

4. *Equiti Romano*] Rufo Crispino, ac postea Othoni primum adultero ejus tum marito, cujus culpa vel consilio Neroni conciliata, ipsi postmodum nupsit, ut fuse & pulchre Tacitus lib. 13. & 14. narrat.

5. *Tauri*] A quo primo lapideum & permanens amphitheatrum Romæ structum existimant, ut supra in Augusto ad cap. 29. Consulatum primum gessit cum Augustus octavum suum gereret, secundum ante Augusti mortem, anno U. C. 763. si recte Glareanus; alii enim paulo aliter.

6. *Anicetum*] Hujus opera Nero usus est ad occidendam matrem: erat enim Classi apud Misenum Præfectus. De quo plura Tacitus lib. 14.

7. *Antoniam*] Ex Petina, ut in Claudio cap. 27. Octaviam enim ei genuerat Messallina ibidem.

8. *Aulum Plantium*] Ejus, ut videtur, filium, de quo in Claudio cap. 24. In quibusdam enim libris legitur *Plautium*: nec enim convenire potest Rubellio illi Planco de quo supra cap. 34. In Asia quippe jussu Neronis occisus est, ejusque caput Romam relatum, ut scribit Tacitus lib. 14.

9. *Constupraſſet*] Casaubonus in tribus codicibus legit *conspurcasset*. Utrobique maxima subest obscœnitas.

10. *Privignum*] Filium nempe conjugis, suæ Poppææ, ex Rufo Crispino priore marito, ut modo notatum est.

11. *Ducatus & imperia*] Ducatum dixit jam supra in Tiberio ad cap. 19. Intelligendus non videtur hic locus nisi de lusu puerili quo fingantur Potestates, & Imperia, quæ ludant pueri, ad eum omnino modum quem de Catone puero narrat Plutarchus in ejus vita, illum nempe judicia & accusationes ludere solitum. Trebellius in Gallieno, & Spartianus in Severo, confirmant in more positum fuisse ludentibus pueris, & omnium pulcherrime Seneca lib. de constantia Sapientis cap. 12.

12. *Procuratione Ægypti*] De Procuratoribus Cæsaris, in Claudio ad cap. 12.

13. *In adventum suum*] Alexandriam proficisci destinarat, supra cap. 19. Simile quid de Persarum Regibus narratur, capitale scilicet fuisse si quis in eorum sella consedisset: quod & de Imperatoribus Romanis colligas ex Spartiano in Hadriano, & ex Herodiano lib. 1.

14. *Senecam*] De quo jam supra ad cap. 7. Tacitus lib. 14. *Hi variis criminationibus Senecam adoriuntur, tanquam ingentes, & privatum modum evectas opes adhuc augeret hortorum quoque amœnitate & villarum magnificentia, quasi Principem supergrederetur.* Et lib. 15. refert illum resectis venis, haustoque veneno, quia tardius mors procedebat, in balneum aquæ calidæ illatum, ejusque vapore exanimatum periisse. Quid sit commeatus, supra in Claudio cap. 23. & alibi.

15. *Burro præfecto*] Prætorianorum. Hic ante Senecam fatis concesserat, *& mors Burri infregit potentiam Seneca, velut altero duce amoto, & Nero ad deteriores inclinabat*, inquit Tacitus. Et lib. 13. initio: *Hi rectores imperatoria juventa, & pari in societate potentia concordes, diversa arte ex æquo pollebant: Burrus militaribus curis & severitate morum; Seneca præceptis eloquentia & comitate honesta, juvantes invicem quo facilius lubricam Principis ætatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent.*

16. *Libertos*] Pallantem de quo in Claudio cap. 28. & Doryphorum de quo supra cap. 29.

Digitized by Google

CAPUT XXXVI.

NEc minore ſævitia foris, & in exteros graſſatus eſt. [1] Stella crinita, quæ ſummis poteſtatibus exitium portendere vulgo putatur, per continuas noctes oriri cœperat. Anxius ea re, ut ex [2] Babilo aſtrologo didicit, ſolere Reges talia oſtenta cæde aliqua illuſtri expiare, atque a ſemet [3] in capita procerum depellere: nobiliſſimo cuique exitium deſtinavit. Enimvero multo magis & quaſi per juſtam cauſſam duabus conjurationibus promulgatis: quarum prior majorque [4] Piſoniana, Romæ: poſterior, [5] Viniciana, Beneventi conflata atque detecta eſt. Conjurati e vinculis triplicium catenarum dixêre cauſſam: cum quidam crimen ultro [6] faterentur, nonnulli etiam [7] imputarent, tamquam aliter illi non poſſent niſi morte ſuccurrere, dedecorato flagitiis omnibus. Damnatorum liberi urbe pulſi, enectique veneno aut fame. Conſtat quoſdam cum [8] pædagogis & capſariis uno prandio pariter necatos, alios diurnum victum prohibitos quærere.

Notæ.

1. *Stella crinita*] In Claudio cap. ultimo jam de Cometa a quo diverſus hic fuit, ut clare dicit Seneca lib. 7. Quæſt. natural. cap. 21. ubi utriuſque curſum deſcribit. Tacitus lib. 15. *De eo fine anni* (ab Urbe condita 817. a Chriſto nato circiter 66.) *vulgantur prodigia imminentium malorum, vis fulgurum non aliàs crebrior, & ſidus Cometes ſanguine illuſtri ſemper Neroni expiatum.* De eo & Plinius lib. 2. cap. 25.

2. *Babilo*] Tacitus meminit cujuſdam Babili cui Præfecturam Ægypti Nero permiſerit.

3. *In capita procerum*] Vide in Claudio ad cap. 29. de hac ſuperſtitione.

4. *Piſoniana Romæ*] Piſo ille præter nobilitatem multis & animi & corporis dotibus inſignis, & gratia potens apud populum, multos ex primoribus quos inter Senecam licet inſontem, ſecum traxit in ruinam: de quo fuſe Tacitus lib. 15. ubi notat Subrium Flavium occulto conſilio cum centurionibus agitaſſe, ut ſi Piſo & ſocii Neronem obtruncaſſent, imperium Senecæ deferretur: unde forſan Juven. Sat. 8. v. 212.

Liberæ ſi dentur populo ſuffragia, quis tam
Perditus ut dubitet Senecam præferre Neroni?

5. *Viniciana*] Hæc Vinicii conſpiratio non ita celebratur ab Auctoribus: quæ enim de ea ſcripſerat veriſimiliter Tacitus, ea cum reliquo libro 16. ejus Annalium ad nos uſque non pervenere. Meminit quidem hic Auctor Vinicii Rufini equitis Romani, qui Lege Cornelia *de falſis* a Nerone damnatus eſt. Beneventum Italiæ civitas etiamnum hodie *Benevento* in Regno Neapolitano.

6. *Faterentur*] Inter quos Subrius ille Flavius, de quo plura & fortiſſima narrat Tacitus lib. 15.

7. *Imputarent*] Hoc eſt, beneficii loco ponerent. Sic & Tacitus de Germanis libro de moribus eorum: *Gaudent muneribus, ſed nec data imputant, nec acceptis obligantur,* &c. Juven. Sat. 5.

Fructus amicitiæ magna cibus, imputat hunc Rex;
Et quamvis rarum, tamen imputat.

Intelligit hic Sulpicium Aſperum, qui *percontanti Neroni cur in eadem ſuam conſpiraviſſet, breviter reſpondens ait, non aliter tot flagitiis ejus ſubveniri poſſe.* Tacitus lib 15.

8. *Pædagogis & capſariis*] Illi quaſi cuſtodes erant puerorum nobilium, & capſulam cum libris deferebant.

Digitized by Google

CAPUT XXXVII.

NULLUS posthac adhibitus delectus aut modus interimendi quoscumque libuisset, quacumque de causa. Sed ne de pluribus referam, Salvidieno Orfito objectum est quod tabernas tres de domo sua circa forum civitatibus ad stationem locasset: Cassio Longino Jurisconsulto, ac luminibus orbato, quod in vetere gentili stemmate C. Cassii percussoris Cæsaris [2] imagines restituisset. [3] Pæto Thraseæ, tristior & pædagogi vultus. Mori jussis non amplius quam horarium spatium dabat. Ac ne quid moræ interveniret, medicos admovebat, *qui cunctantes continuo curarent.* Ita enim vocabat, venas mortis gratia incidere. Creditur etiam [4] polyphago cuidam Ægyptii generis, [5] crudam carnem & quidquid daretur mandere assueto, concupisse vivos homines laniandos absumendosque objicere. Elatus inflatusque tantis velut successibus, negavit *quemquam Principum sciisse quid sibi liceret.* Multasque nec dubias significationes sæpe jecit, ne reliquis quidem se parsurum Senatoribus: eumque ordinem sublaturum quandoque e Rep. ac provincias & exercitus Equiti Rom. ac libertis permissurum. Certe neque adveniens, neque proficiscens, quemquam [6] osculo impertivit, ac ne resalutatione quidem. Et in [7] auspicando opere Isthmi, magna frequentia clare, *Ut sibi ac Pop. Rom.* [8] *bene res verteret,* optavit: dissimulata Senatus mentione.

NOTÆ.

1. *Civitatibus ad stationem*] Plinius lib. 16. cap. 44. & Victor in octava regione Urbis referunt fuisse in foro municipiorum stationes. Quod autem hic civitatibus locatam dicit stationem, intelligendum est de legatis qui negotia illarum Romæ curarent.

2. *Imagines*] De imaginibus in Augusto ad cap. 4. Tacitus lib. 16. dicit huic objectum fuisse quod unam coluisset inscriptam DUCI PARTHUM. De illo Cassio in Julio cap. 80. Pro *restituisset* legunt alii *retinuisset.*

3. *Pato Thraseæ*] Hic ille est fortissimus Catonis æmulator, de quo Tacitus lib. 16. sub finem, cum alia multa refert, tum hoc maxime quod *trucidatis tot insignibus viris ad extremum Nero virtutem ipsam exscindere concupivit, interfecto Thrasea, Paeto & Barea Sorano.* Ubi & alia huic objecta quam quæ narrat hic Suetonius. Thraseas ille duxerat Arriam filiam celeberrimæ illius Arriæ, de qua Martialis lib. 1. Epig. 14. & maxime Plinius epist. 16. lib. 3. Huic fœminæ cognatum & Thraseæ familiarem fuisse Persium Poëtam refert Scholiastes in Persii vita.

4. *Polyphago*] Comedoni cuidam insigni, cujusmodi helluones dicuntur quoque phagones. Exemplum est memorabile apud Vopiscum in Aureliano.

5. *Crudam carnem*] Scribit Laërtius hac etiam frequenter usum Diogenem Cynicum.

6. *Osculo impertivit*] Ut discedentes solebant. Vide in Tiberio ad cap. 10. & Aug. cap. 34.

7. *Auspicando*] Inchoando. Supra ad cap. 8.

8. *Bene res verteret*] Bene ominandi formula est, de qua jam supra in Caligula cap. 15. Virgilius *bonum sit*, Persius *hoc bene sit*, &c.

Digitized by Google

CAPUT XXXVIII.

SED nec populo aut mœnibus patriæ pepercit. Dicente quodam in sermone communi,

a 1 Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.

immo, inquit, ἐμοῦ ζῶντος. Planeque ita fecit: nam quasi offensus deformitate veterum ædificiorum, & 2 angustiis flexurisque vicorum, incendit urbem tam palam, ut plerique consulares, cubicularios ejus, cum stupa tædaque, in prædiis suis deprehensos non attigerint: & quædam horrea circa 3 domum Auream, quorum spatium maxime desiderabat, vi bellicis machinis labefactata, atque inflammata sint, quod saxeo muro constructa erant. Per sex dies, septemque noctes ea clade sævitum est, ad monumentorum 4 bustorumque diversoria plebe compulsa. Tunc præter 5 immensum numerum insularum, domus priscorum ducum arserunt, 6 hostilibus adhuc spoliis adornatæ, Deorumque ædes ab Regibus, ac deinde Punicis ac Gallicis bellis votæ dedicatæque, & quidquid visendum atque memorabile ex antiquitate duraverat. Hoc incendium 7 e turri Mæcenatiana prospectans, lætusque *flamma*, ut aiebat, *pulcritudine*, 8 ἄλωσιν Ilii in illo suo scenico habitu decantavit. b Ac ne non hinc quoque quantum posset prædæ & manubiarum invaderet, pollicitus cadaverum & ruderum gratuitam egestionem, nemini ad reliquias rerum suarum adire permisit: 9 collationibusque non receptis modo, verum & efflagitatis, provincias privatorumque census prope exhausit.

INTERPRETATIO.

a *Me moriente terra misceatur igni, Immo*, ait, *me vivente.*

b *Et ne ex hac* calamitate *non raperet etiam quantum posset spoliorum, & manubiarum, promisit se gratis egesturum cadavera & rudera, atque* hoc prætextu *nemini permisit accedere ad reliquias bonorum suorum* quærendas.

NOTÆ.

1. ἐμοῦ θανόντος, &c.] Versus hic & inter voces execrabiles aliis multis in ore fuit, ut de Tiberio narrat Dio lib. 57. Rufino Claudianus:

Everso juvat orbe mori, solatia letho
Exitium commune dabit.

2. *Angustiis flexurisque viarum*, &c.] Ita & Tacitus lib. 15. *Impetu pervagatum incendium, plana primum, deinde in edita assurgens, rursus inferiora populando, anteit remedia velocitate mali, & obnoxia urbe artis itineribus hucque & illuc flexis atque enormibus vicis qualis Roma fuit.* Cujus causa colligitur ex Livio quod nempe post urbem a Gallis incensam, rursum ædificandi festinatio dirigendorum curam vicorum ademisset: quod & confirmat Tacitus ibid. *Urbis quæ domus superarant, non ut post Gallica incendia, nulla distinctione nec passim erecta, sed dimensis vicorum ordinibus*, &c.

3. *Domum auream*] Supra cap. 31.

4. *Bustorumque diversoria*] De bustis paulo supra ad cap. 33. Locus fuit Romæ in quarta urbis regione cui nomen *Busta Gallica*, de quo intelligi potest locus hic Suetonii, ut revera Beroaldus intellexit: quamvis enim Lunæ Templum in eadem regione constructum arsisse Tacitus affirmet, fieri tamen potest ut populo perfugium fuerit in locum illum, tum quia proximum, tum quia apertum & amplum fuisse verosimillimum est, ubi proinde nihil adversus ignes periculi.

5. *Immensum numerum insularum*] De insulis supra non semel. Videbatur *Nero*

Digitized by Google

condenda urbis nova & cognomento suo appellanda gloriam quærere. Quippe in regiones quatuordecim Roma dividitur, quarum quatuor integra manebant, tres solo tenus dejecta, septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant lacera & semiusta, domuum, insularum, & templorum numerum inire haud promptum est.

6. *Hostilibus spoliis adornatæ*] Ex more antiquo foribus domorum illustrium appendebant spolia a se relata.

7. *E turri Mæcenatiana*] Antii erat ab initio incendii, unde non prius rediit quam ignis domui suæ propinquaret. Turris illa erat in Esquiliis, quousque domum suam Nero continuarat. Ex hac Mæcenas agros quosdam suos & ipsam urbem ferme totam prospiciebat. Horatius Ode 29. lib. 3.

Fastidiosam desere copiam, &
Molem propinquam nubibus arduis
Omitte mirari, beata
Fumum, & opes, strepitumque Romæ.

8. ἅλωσιν] Hoc est *Troja expugnationem*] quod & rumore percrebuisse ait Tacitus, & alii tradidere hoc consilio incensam urbem, ut melius quale fuisset incendium Trojanum sibi fingeret. Servius & Juvenalis innuunt Troica a Nerone scripta, unde colligere est hanc halosin ab ipso compositam.

9. *Collationibus*] Ut unusquisque pro modo rei suæ conferret.

CAPUT XXXIX.

ACCESSERUNT [1] tantis ex principe malis, probrisque, quædam & fortuita: pestilentia unius autumni, qua triginta funerum millia in rationem [2] Libitinæ venerunt: clades Britannica, qua [3] duo præcipua oppida, magna [4] civium sociorumque cæde direpta sunt: ignominia ad Orientem legionibus in Armenia sub jugum missis, ægreque [5] Syria retenta. Mirum, & vel præcipue notabile inter hæc fuit, nihil eum [6] patientius quam maledicta & convitia hominum tulisse: neque in ullos leniorem quam qui se dictis aut carminibus lacessissent, extitisse. Multa Græce Latineque proscripta, aut vulgata sunt, sicut illa,

a Νέρων, 7 Ὀρέστης, Ἀλκμαίων, μητροκτόνοι.
Νεοδημφορ Νέρων, ἰδίαν μητέρ' ἀπέκτεινεν.

[8] *Quis negat Æneæ magna de stirpe Neronem?*
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

[9] *Dum tendit citharam noster, dum* [10] *cornua Parthus,*
Noster erit [11] *Pæan, ille* Ἑκατηβελέτης.

[12] *Roma domus fiet: Veios migrate Quirites,*
Si non & Veios occupat ista domus.

Sed neque auctores requisivit: & quosdam per indicem delatos ad Senatum, affici graviore pœna prohibuit. Transeuntem eum Isidorus Cynicus in publico clara voce corripuerat, *quod* [13] *Nauplii mala bene cantitaret,* [14] *sua bona male disponeret.* Et [15] Datus Atellanarum histrio in cantico quodam, b ὑμεῖς πάππε, ὑμεῖς μῆτερ, ita demonstraverat, ut bibentem natantemque faceret, exitum scilicet Claudii Agrippinæque significans: & in novissima clausula,

[17] *Orcus vobis ducit pedes,*

Senatum gestu notaret: histrionem & Philosophum Nero nihil amplius quam urbe Italiaque submovit, vel contemtu omnis infamiæ, vel ne fatendo dolorem, irritaret ingenia.

Digitized by Google

INTERPRETATIO.

a *Nero, Oreſtes, Alcmæon matricida, novam ſponſam Nero, propriam matrem occidit. Quis inficiatur de illuſtri ſtirpe Æneæ, Neronem eſſe? Hic ſuſtulit matrem, ille patrem ſuſtulit.*

Dum noſter tendit citharam, dum Parthus tendit *cornua, noſter erit Apollo, Parthus* vero *a longe jaculans.*

b *Vale pater, vale mater.*

NOTÆ.

1. *Tantis*] Quæ narrata ſunt a capite 26. ad hoc uſque quod more ſuo proposuerat.

2. *Rationem Libitinæ*] Romæ Templum fuit Libitinæ Veneris, in quo jam inde a Numæ temporibus vendebantur vel locabantur quæ ad funera pertinebant, auctore Plutarcho in Rom Quæſt. 23. Unde Libitinarii dicti ſunt qui ea curabant, quales deſignatores, pollinctores, præficæ, ſandapilarii, &c. Ibi Servius Tullius, auctore Dionyſio Halicarnaſſeo lib. 14. inſtituit ærarium Veneris Libitinæ, in quod certi pretii nummos pro ſingulis defunctis inferri juſſerat, quemadmodum pro recens natis in Templum Ilithiæ ſeu Lucinæ Junonis, & in Templum Juventutis pro iis qui ſumpta virili toga referri in viros inciperent: ut autem multitudinis urbanæ numerum apprime noſſet, tabularii in ſingulis erant, tum accipiendæ pecuniæ, tum conficiendis acceptæ rationibus præpoſiti. Quibus patet mortuorum hac peſtilentia civium rationem haberi facile potuiſſe: patet etiam qua de cauſſa libitinarii dicantur paſſim multorum mortem exoptare, &c.

3. *Duo præcipue oppida*] Ea fuere, teſte Tacito lib. 14. Camalodunum, hodie *Colcheſter*, & Londinium, quibus addit municipium Verulanium, quod forte *Cap de Saint André*, in ora Scotiæ orientalis.

4. *Civium ſociorumque multitudine*] Qui ibi negotiabantur, *ad ſeptuaginta millia civium & ſociorum, iis quæ memoravi locis, occidiſſe conſtitit*, inquit ibidem Tacitus: quæ tanta clades ex militum veteranorum petulantia & crudelitate orta eſt.

5. *Syria*] Tacitus lib. 14 & 15 auctor eſt hanc non modo retentam, ſed & domitam Armeniam Corbulonis ductu.

6. *Patientius*] Patienter quidem, ſed & graviter & multo cum dolore, licet occultato, ferebat convitia, ut diſerte innuit Tacitus lib. 15. ubi de reſponſione Subrii Flavii, de quo ſupra ad cap. 36. *Nihil illa conjuratione gravius accidiſſe auribus Neronis conſtitit, qui ut faciendis ſceleribus promptus ita audiendis quæ faceret, inſolens erat.*

7. Ὀρέστης] Quaſi alter Oreſtes qui matrem Clytemneſtram occiderat, Supra ad cap. 21. & alter Alcmæon, qui Amphiarai filius conſciam necis paternæ matrem Eriphylen necavit, & Oreſtis inſtar furore correptus eſt. Non patet autem cur novum ſponſum appellet, ſi legas νεόνυμφον, an propter Pythagoræ, Spori, vel Poppææ matrimonium. Hinc Torrentio totus ille verſus videtur inſulſus. Placet, inquit Caſaubonus, νεόγαμον legi, ut in codice Vitterb. Nam objicit Neroni auctor verſiculi inceſtum cum matre, de quo cap. 28.

8. *Quis negat Æneæ*] Nemo neſcit Anchiſen humeris Æneæ filii elatum ex incendio Trojano erupiſſe, Virgil. 2. Æneid.

Ergo age, care pater, cervici imponere noſtræ;
Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte gravabit.

Scomma eſt in diverſa ſignificatione verbi *tollere*, ſcilicet *occidere* ſeu *tollere e medio*, & *ferre* ſeu *portare*. Vide in Auguſto ad cap. 12.

7. *Dum tendit citharam*] Patet hæc diſticha vario tempore edita fuiſſe, ut ferebant eventus varii. Hoc veroſimiliter factum eſt, cum Vologeſes Parthorum Rex victo in Armenia Pæto Romanas legiones ſub jugum miſerat, hoc ipſo tempore quo *Roma trophæa de Parthis arcuſque medio Capitolini montis ſiſtebantur: decreta ab Senatu integro adhuc bello*, ut ait Tacitus initio lib. 15. Senſus igitur epigrammatis eſt, dum Imperatores Romanus & Parthus ſua quiſque ratione tendunt organa ſua, noſter ſcilicet citharam, ut eam argute pulſet in certaminibus muſicis: Parthus vero cornua ſua quibus ſuos ad vera prælia inflammet, noſter verus erit Pæan, ſed tantum modulandis ſuave cantilenis peritus, Parthus autem erit verus de longe jaculator, ita-

Digitized by Google

πηδελήτης enim, sive ἑκατηβόλος, id significat, & est vulgare Apollinis epithetum, quod radios suos tanquam sagittas vibret.

10. *Cornua*] Hæc apud Parthos erant tympana quædam ingentia cum ferreis tintinnabulis, quæ lanci concavæ (corio scilicet undique protenso) clavis æneis affixa erant. His eorum animi ad pugnam acuebantur, quæ simul ac diverberata erant ignoto & horribili sono tonitrus instar intonabant. De quibus congruentius videtur intelligere locum hunc, quam de corneo arcu, aut de cornibus arcus.

11. *Paan*] Sic Apollo dicitur passim apud auctores.

12. *Roma domus*, &c.] Patet hoc districho perstringi amplitudinem domus Aureæ, de qua supra cap. 31. Veii antiqua Hetruriæ civitas trecentorum Fabiorum cæde insignis capta a Camillo post decem annorum obsidionem, huc se conferre olim Romani voluerant, urbe a Gallis capta & incensa. Locus hodie est *Veiana*, aliis *Martoniano*.

13. *Nauplii mala*] Hoc est tragœdiam ejus nominis, qua exponebantur mala Nauplii, qui Palamedis pater dolore percitus propter occisum a Græcis filium, ut se tandem & illum ulciscereturr, cum classem Græcorum tempestate agitari sciviſſet, Caphareum Eubœæ Promontorium noctu conscendit, ibique elevata facula errantibus navigiis speciem vicini portus ostendit, qua decepti Græci asperrimos inter scopulos naufragium pertulere. Hinc Propertius lib. 4. Eleg. 1.

Nauplius ultores sub noſtrum torrigit ignes,
Et natat exuviis Græcia preſſa ſuis.

& Virgilius innuit lib. XI.

Euboica tantes, ulterque Caphareus.

14. *Sua bona*] Vel impetii vel animi, sed hujus potius; nam Cynicus ille Philosophus id exprobrasse videtur exemplo Diogenis, qui temporis sui Musicos arguebat, quod cum lyræ chordas aptare congrue nossent, animi mores inconcinnos haberent; & Grammaticos, quod Ulyssis mala investigantes, ignorarent sua.

15. *Datus Atellanarum hiſtrio*] Datus nomen proprium fuisse affirmat Torrentius ex veteri marmore in quo *Dates*.

16. *Demonſtraverat*] Gestibus expresserat Claudium bibentem, quod potu etiam venenum hausisse creditus est, Supra in Claudio cap. 44. & Agrippinam natantem, quod natando naufragium evaserat, ut supra de navi solutili cap. 34.

17. *Orcus*, &c.] Verba sunt ipsa clausulæ quibus exitium etiam Senatoribus a Nerone paratum indicabat, ut supra c. 37. Orcus enim Pluto est, ut Virgil.

pallidus Orcus
Eumenideſque ſata, &c.

Unde Nero quasi alter Pluto notatur, qui Senatorum pedes ducat; pedibus enim efferuntur mortui. Hoc ipso convitio Verrem insectatus est Cicero, Orcum illum appellans.

CAPUT XL.

TALEM principem paullo minus XIV. annos perpessus terrarum orbis, tandem destituit: initium facientibus Gallis, [1] duce Julio Vindice, qui tum eam provinciam pro Prætore obtinebat. Prædictum a Mathematicis Neroni olim erat, fore ut quandoque destitueretur: unde vox ejus celeberrima, a [2] τὸ τέχνιον τοῦτο γαῖα θάψει: quo majore venia meditaretur citharœdicam artem principi sibi gratam, privato necessariam. Spoponderunt tamen quidam destituto Orientis [3] dominationem, nonnulli nominatim regnum Hierosolymorum, plures omnis pristinæ fortunæ restitutionem. Cui spei pronior, Britannia Armeniaque amissa, ac rursus utraque recepta, defunctum se fatalibus malis existimabat. Ut vero consulto [4] Delphis Apolline, septuagesimum ac tertium annum cavendum sibi audivit, quasi eo demum obiturus, ac nihil conjectans de ætate [5] Galbæ, tanta fiducia, non modo senectam,

Digitized by Google

sed etiam perpetuam singularemque concepit felicitatem, ut amissis naufragio pretiosissimis rebus, non dubitaverit inter suos dicere, [6] *pisces eas sibi relaturos*. Neapoli de motu Galliarum cognovit [7] die ipso quo matrem occiderat: adeoque lente ac secure tulit, ut gaudentis etiam suspicionem præberet, tanquam occasione nata spoliandarum jure belli opulentissimarum provinciarum. Statimque in [8] gymnasium progressus, certantes athletas effusissimo studio spectavit. Cœnæ quoque tempore interpellatus, tumultuosioribus literis, hactenus excanduit, ut malum iis qui [9] desciissent, minaretur. Denique per octo continuos dies non rescribere cuiquam, non mandare quid aut præcipere conatus, rem silentio obliteravit.

INTERPRETATIO.

a *Artem minimam omnis terra nutrit.*

NOTÆ.

1. *Julio Vindice*] Hic Galbam literis hortatus est ad capescendum imperium: centum enim in Galliis armatorum esse millia & plura fore si res exigeret, & ipse validissimo illi corpori se caput adjungeret, ut fuse Plutarchus in Galba: sed dum Rufo Virginio, qui nullum nisi quem Senatus dixisset imperatorem prædicabat, obsistit, victus ipse se interemit, & Virginius audita Neronis morte, Galbæ cessit imperio. Vide infra in Galba cap. 9. & 11. Juvenalis Sat. 8. v. 221. &c.

2. πίχιον, &c.] Turnebus ex suo codice legebat πίχιον ἡμᾶς διατρέφει, *ars minima nutriet nos*: quod & Casaubonus in suis agnoscit. Et ipse Nero sic loquitur apud Dionem, ubi deliberat num commigrandum sit Alexandriam.

3. *Dominationem*] Torrentii codices & vulgati *ordinationem*. Quod potest, ut in Julio cap. 40. & Augusto cap. 13. &c. De Britannia & Armenia cap. 38.

4. *Delphis Apolline*] Oracula tunc temporis multo rariora, quam fuissent priscorum Græcorum temporibus. Cicero lib. 2. de divinatione 175. testatur jamdiu silere cœpisse hunc Apollinem, & Plutarchus peculiari opere de Oraculorum defectu non nisi pauca; sed tamen aliqua suo ævo superfuisse auctor est.

5. *Galba*] Qui natus annos septuaginta tres imperium ei ademit: unde patet oraculi amphibolia, qualis altera legitur apud Ciceronem ibidem.

6. *Pisces eas*, &c.] Alludit ad singularem illam Polycratis Samiorum tyranni felicitatem, *qui semel duntaxat vultum mutavit perquam brevi tristitiæ salebra succussum, tunc cum admodum gratum sibi annulum de industria in profundum, ne omnis incommodi expers esset, abjecit, quem tamen continuo recepit capto pisce qui eum devoraverat.* Valerius Maximus lib. 6. cap. 11. De quo & Plinius lib. 37. cap. 1 & ultimo. Cicero 3. & 5. de Finibus, & omnium primus Herodotus lib. 3.

7. *Die ipso*] Hoc est, eodem & mensis & alterius anni die: erat enim Baiis, non vero Neapoli, cum matrem occidit, ut supra cap. 34.

8. *Gymnasium*] Locus exercendis athletis.

9. *Desciissent*] Torrentii MSS *desiissent*, alii *descendissent*: omnium ut videtur optime qui *dedissent* legunt.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XLI.

EDICTIS tandem Vindicis contumelioſis & frequentibus permotus, Senatum epiſtola in ultionem ſui reique publicæ adhortatus eſt: excuſato languore faucium propter quem non adeſſet. Nihil autem æque doluit quam ut citharœdum malum ſe [2] increpitum, ac pro Nerone Ænobarbum appellatum. Et nomen quidem gentile, quod ſibi per contumeliam exprobraretur, reſumturum ſe profeſſus eſt, [3] depoſito adoptivo. Cætera convitia ut falſa, non alio argumento refellebat, quam quod etiam inſcitia tantopere laboratæ perfectæque a ſe artis objiceretur: ſingulos ſubinde rogitans, noſſentne quemquam præſtantiorem. Sed urgentibus aliis ſuper alios nuntiis, Romam prætrepidus rediit. Leviterque modo in itinere frivolo auſpicio mente recreata, cum annotaſſet inſculptum monumento, militem Gallum ab Equite Rom. oppreſſum, trahi crinibus, ad eam ſpeciem exiluit gaudio, cœlumque [4] adoravit. Ac ne tunc quidem aut Senatu, aut populo coram appellato, quoſdam e primoribus viris domum evocavit: tranſactaque raptim conſultatione, reliquam diei partem per [5] organa hydraulica novi & ignoti generis circumduxit. Oſtendenſque ſingula, de ratione ac difficultate cujuſque diſſerens, jamque ſe etiam prolaturum omnia in theatrum affirmavit, ſi per Vindicem liceat.

NOTÆ.

1. *Edictis Vindicis*] Edicta dicuntur, quia Proprætor erat. Vide in Julio ad cap. 9. &c.

2. *Increpitum*] Summa orationis hujus legitur apud Philoſtratum libro 5. de vita Apollonii Tyanei cap. 3. ubi recenſitis pleriſque Neronis ſceleribus, negat iis annumerandam eſſe matris cædem utpote meritas perpeſſæ pœnas, quæ tale monſtrum genuiſſet.

3. *Depoſito adoptivo*] Neronis ſcilicet, quod ſuſceperat adoptatus a Claudio, ut ſupra cap. 11. de Gentilibus in Tiberio ad cap. 1.

4. *Adoravit*] Eorum more qui augurium accipiebant, ita & apud Virgilium 5. Æneid. Æneas

tendoque ſupinas
Ad cœlum cum voce manus, &c.

5. *Organa hydraulica*] Videtur potius loqui de inſtrumentis illis quæ nos ſimpliciter *organa* dicimus, qualia in Claudio ad cap. 21. quam de aliis machinis aquæ, ingenioſe quodam artificio tranſfundendæ comparatis, qualis antlia v. g. de qua in Tiberio ad cap. 51. Videtur hæc phraſis manca aut ſaltem inſolens; unde Caſaubono viſum eſt ſic legere, *Reliqua diei parte eos per organa novi & ignoti generis circumduxit.*

CAPUT XLII.

POSTQUAM deinde etiam Galbam & Hiſpanias deſciviſſe cognovit, collapſus, animoque male fracto, diu & ſine voce & prope intermortuus jacuit. Utque [1] reſipiit, [2] veſte deſciſſa, capite converberato, *actum de ſe* pronuntiavit. Conſolantique nutriculæ, & aliis quoque jam principibus ſimilia acciditſe memoranti, *Se vero prater cateros inaudita & incognita pati* reſpondit, *qui* [3] *ſuum imperium vivus amitteret.* Nec eo ſecius quidquam ex conſuetudine luxus atque

Digitized by Google

desidiæ omisit vel imminuit. Quin immo, cum prosperi quiddam ex provinciis nuntiatum esset, super abundantissimam cœnam jocularia in defectionis duces carmina, lasciveque modulata, quæ vulgo innotuerunt, etiam [4] gesticulatus est: ac spectaculis theatri clam illatus, cuidam scenico placenti nuntium misit, *abuti eum occupationibus suis*.

NOTÆ.

1. *Respiit*] Torrentius in tribus codicibus legit *respivit*: quod defendi potest antiquorum exemplo, Catonis apud quem legunt quoque nonnulli *in Legibus posivere*, initio libri de Re rust. & Catulli Epig. 35.

prope Deliam
Deposivit olivam.

Vide Priscianum lib. 10.

2. *Veste dississa*] Juxta consuetudinem adversa ferentium. In Julio ad cap. 33.

3. *Suum vivus amitteret*] Aliqui legunt *summum*. Galba apud Tacitum Hist. 1. *Neque erat adhuc damnati Principis exemplum.* Et Darius apud Q. Curtium lib. 5. *Nec dii siverint ut hoc decus mei capitis aut demere mihi quisquam aut condonare possit, nec hoc imperium vivus amittam; idem erit regni mei qui & spiritus finis.*

4. *Gesticulatus*] Gesticulari carmina, est vultu & motu corporis accommodato eos exprimere de quibus composita sunt, a qua etiam imitatione mimi & pantomimi dicuntur, ut supra notatum est.

CAPUT XLIII.

INITIO statim tumultus, multa & immania, verum non abhorrentia a sua natura, creditur destinasse. Successores, percussoresque submittere [1] exercitus, & provincias regentibus quasi conspiratis, idemque & unum sentientibus: quidquid ubique exsulum, quidquid in urbe hominum Gallicanorum esset, contrucidare: illos, ne discisscentibus aggregarentur: hos, ut conscios popularium suorum, atque fautores. Gallias exercitibus diripiendas permittere: Senatum universum veneno per convivia necare, urbem incendere feris in populum immissis, quo difficilius defenderetur. Sed absterritus, non tam pœnitentia quam perficiendi desperatione, credensque expeditionem necessariam, Coss. ante tempus privavit honore: atque in utriusque locum solus iniit Consulatum, quasi fatale esset, non posse Gallias debellari [2] nisi a Consule. Ac susceptis fascibus, cum post epulas triclinio digrederetur, innixus humeris familiarium, affirmavit, simul ac provinciam attigisset, inermem se in conspectum exercituum proditurum, nec quidquam aliud quam [3] fleturum. Revocatisque ad pœnitentiam defectoribus, sequenti die lætum inter lætos cantaturum [4] epinicia, quæ jam nunc sibi componi oporteret.

NOTÆ.

1. *Exercitus*] Sic legunt omnes, excepto Scaldio, qui *exercitibus*. Sed quis exercitui percussores missos dicat? De solis ducibus & Provinciarum præsidibus intelligendum videtur. Sensus igitur est, voluisse mittere percussores iis qui Provincias & exercitus regebant, vel mittere exercitus ad percutiendos Provinciarum præsides.

2. *Nisi a Consule*] Ut & Parthos nisi a Rege, ut in Julio ad cap. 79.

3. *Fleturum*] Ad movendam apud milites commiserationem, utpote tot Augustæ domus beneficiis devinctos.

4. *Epinicia*] Sunt versus de victoria scripti.

Digitized by Google

CAPUT XLIV.

IN præparanda expeditione primam curam habuit deligendi vehicula, portandis [1] scenicis organis, concubinasque quas secum educeret, tondendi ad virilem modum, & [2] securibus peltisque Amazonicis instruendi. Mox [3] tribus urbanas ad sacramentum citavit: ac nullo [4] idoneo respondente, certum dominis [5] servorum numerum indixit: nec nisi ex tota cujusque familia probatissimos, ne [6] dispensatoribus quidem, aut [7] amanuensibus exceptis, recepit. Partem etiam census omnes ordines conferre jussit: & insuper [8] inquilinos privatarum ædium atque insularum, pensionem annuam [9] repræsentare fisco. Exegitque ingenti fastidio & acerbitate [10] nummum asperum, [11] argentum postulatum, [12] aurum ad obrussam: ut plerique omnem collationem palam recusarent, consensu flagitantes a [13] delatoribus potius revocanda præmia quæcumque cepissent.

NOTÆ.

1. *Scenicis organis*] Vel musicis vel ad scenicas operas necessariis.

2. *Securibus peltisque*] Quæ Amazonum arma sunt. Amazonia securis, Horatio lib. 4. Od. 4. quæ Penthesileæ inventum fuisse tradit Plinius lib. 7. cap. 56. Hinc Virgilius de Camilla tanquam de Amazone loquens:

Nunc validam dextra rapit indefessa bipennim.

De peltis, hoc est scutis ipsarum, in Caligula ad cap. 25.

3. *Tribus urbanas*] Romanæ tribus triginta quinque fuerunt, ut supra in Julio ad cap. 13. notatum est. Hîc verosimile est omnes intelligi, quamquam ab initio honoratiores essent tribus rusticæ, quia labori magis intentæ, cum e contra tanquam inertes contemnerentur.

4. *Idoneo*] Supra jam notatum est, omnes ad militandum in Romana legione non admissos, quales v. g servi in Augusto ad cap. 16. peregrini, histriones, quique fortunæ bonis destituti non nisi capite censi erant: sed qui vocati non respondissent, iis mulcta dicebatur, quæ initio fuit modo major, modo minor, ut boum & ovium. Varro apud Gellium lib. 11. cap. 1. *M. Terentius quando neque citatus respondit, neque excusatus est, ego ei unam ovem multam dico.*

5. *Servorum*] Quod contra militiæ leges nec nisi difficillimis Reip. temporibus factum, ut in Augusto ad cap. 16.

6. *Dispensatoribus*] In Augusto ad cap. 67.

7. *Amanuensibus*] Hi & *a manu* dicti sunt, ut Philemon ille de quo in Julio ad cap. 74. Hi cum dispensatoribus maxime necessarii.

8. *Inquilinos*] Qui in conducto habitabant.

9. *Repræsentare fisco*] Hoc est præsente pecunia solvere pensionem Principi. Vide in Claudio ad cap. 18. & Augusto cap. 15. &c. Pars illa census intelligenda videtur de reditu annuo, quem quisque dum census, hoc est civium descriptio, fieret, profiteri debebat. Unde etiam existimem censum equestrem, de quo supra in Julio ad cap. 33. & 39. & alias sæpe, intelligendum quoque de reditu annuo.

10. *Nummum asperum*] Hoc est integrum, non usu detritum & levigatum, sed ipsa cælaturæ novitate etiamnum asperum, quales sunt nummi recens percussi, vel antiqui in thesauro conservati, & in universum res omnes signatæ apud Virgilium,

Bina dabo argento calata atque aspera signis
Pocula.

& Juven. Sat. 14.

Vasa aspera tergeat alter.

& Persius Sat. 3. de ipsis nummis:

Quis modus argento? quid fas optare? quid asper
Utile nummus habet?

Creditores cupidi erant hujusmodi num-

morum, & illis ſolvendum ſibi debitum quandoque paci cebantur. Hinc *in aſpero & probo ſolvere*, &c. apud Senecam Epiſt. 19.

11. *Argentum poſtulatum*] Nero in illa collatione duo exigebat: integritatem, quod aſperos vellet; & materiæ præſtantiam, quod non niſi ex argento puſtulato & ex auro ad obruſſam. Puſtula eſt tuberculum, qualia multa ignis vi ſuſcitantur dum coquitur argentum: cum autem eo purius ſit quo magis coctum, ideo pro puriſſimo dixere *puſtulatum*, ſive *poſtulatum*, *u* in *o* migrante, quod factum eſt alias non raro: unde & in editione principe Romana quæ MSS. auctoritatem obtinet, & in veteribus codicibus, legitur *poſtulatum* hîc, & apud Martialem lib. 7. Epig. 85.

Argenti tibi libra poſtulari.

nos *argent de coupelle*: niſi puſtulatum intelligas pro argento cælato cujus ſuperficies puſtularum inſtar in quandam aſprediném exciſa videatur.

12. *Aurum ad obruſſam*] Sic Caſaubonus ex Pithœi & Liſæi codicibus, & Turnebus libro 14. cap. 22. Obruſſa cum ſit, exploratio & probatio perfectionis, & nota auri & argenti, eleganter a Cicerone ſcriptum in Bruto, *& adhibenda tanquam obruſſa ratio*, &c. & Seneca epiſt. 13. *Si verus ille animus & in alienum non venturus arbitrium, probatur. hac ejus obruſſa eſt:* hoc eſt examen & depurgatio quemadmodum auri per ignem. Alii legunt *obryſſam, obryſam, obruſum, obryſum*, quæ ferme eadem ſunt; *y* enim & *u* vix differunt. Plinius lib. 33. cap. 3. *Obryſum* tuetur *auri experimentum ignis, eſt ut ſimili colore rubeat quo ignis atque ipſum obryzum vocant*, &c. quem tamen locum adhuc Salmaſius mutat, & ad *obruſſam* trahit.

13. *Delatoribus præmia*] Qualia v. g. quarta illa pars in bonis damnatorum, de qua ſupra ad cap. 10.

CAPUT XLV.

EX annonæ quoque caritate [1] lucrantium accrevit invidia. Nam & forte accidit, ut in publica fame Alexandrina navis nuntiaretur [2] pulverem luctatoribus aulicis advexiſſe. Quare omnium in ſe odio concitato, nihil contumeliarum defuit quin ſubiret. Statuæ ejus a vertice [3] currus appoſitus eſt cum inſcriptione Græca, *Nunc demum* [4] *agona eſſe*; &, *Traheret tandem*. Alterius collo & [5] aſcopera deligata, ſimulque titulus, *Ego* [6] *quid potui? ſed tu culeum meruiſti.* Adſcriptum & columnis, *Etiam* [7] *Gallos eum cantando excitaſſe*. Jam noctibus jurgia cum ſervis plerique ſimulantes, crebro vindicem poſcebant.

§

NOTÆ.

1. *Lucrantium*] Caſaubonus pertendit locum ſic intelligendum, ut conceptæ in Neronem iræ auctæ ſint invidia & odio populi adverſus eos qui ex annonæ caritate lucrabantur. Sed multa ſupplenda videntur, ut ex hac phraſi iſte ſenſus eruatur. Sabellicus, quem ſecuti ſunt multi, legebat *luctantium*, certe apertiore ſententia; innueret enim auctam populi invidiam adverſus luctantes, Neronem ſcilicet & alios amore palæſtræ mimio inſanientes, ut infra cap. 53. cum navis quæ caritati annonæ remedium futura credebatur, non niſi illorum eſſet uſui deſtinata: unde ſic phraſis ordinanda foret, *invidia adverſus luctantes Neronem & alios aucta eſt propter caritatem annonæ.* Niſi verbum *accrevit* active ſumatur caput hoc præcedenti ſic jungendo: quam recuſandi pertinaciam auxit adhuc invidia populi adverſus eos qui lucrum ex frumenti penuria quæritabant.

2. *Pulverem luctatoribus*] De quo Plinius lib. 35. cap. 13. *Non multum a pulvere Puteolano diſtat arena e Nilo, tenuiſſima ſui parte, non ad ſuſtinenda maria, fluctuſque frangendos, ſed ad debellanda corpora palæſtra ſtadiis. Inde certe Patrobio, Neronis Principis liberto, advehebatur.*

3. *Currus*] Hoc eſt currus quoque ſimulacrum. Turnebus lib. 24 cap. 6. ex fide-

Digitized by Google

lissimis, ut ait, libris, totum hunc locum sic legit: *Statua ejus a vertice cirrus appositus est, cum inscriptione Græca, nunc demum agona esse, & raderet.* Ut sit sensus, Neronem in tanto discrimine non debuisse cirratum esse nec cincinnatum, sed potius radendos esse cirros, quo foret ad pugnam expeditior.

4. *Agona esse*] Hoc est verum certamen, non vero ludicrum, quod unum norat & amabat verba Græca, hæc fuisse Casaubonus existimat νῦν γάρ ἐστ' ἀγών, & quia tantum acerbitatis habitura non erant verba Græca ἐλαύνῳ *aurigare*, vel ἕλκειν *trahere*; ideo Torrentius existimat, post verba Græca Latine hoc ascriptum, *traheret tandem*. ut nempe Nero male periret; verbum enim *traho* Latine infaustum est in spectaculis, præsertim ut supra cap. 22. notatum.

5. *Ascopera*] Ex Suida est marsupium ex hœdi pelle confectum, quo alludebatur ad culeum, qui ex corio bubulo, auctoribus Dionysio Halicarnasseo & Valerio Maximo: unde ascopera Neronianæ statuæ collo alligata indicat non ea quidem, quod esset angustior, illi opus esse, sed culeo, utpote matris, fratris & conjugis parricidæ. Alii legunt *ascopa & scopa* Turnebus ibid. *ascoma*, hoc est culeus.

6. *Quid potui*] Verba hæc Casaubonus intelligit populi compellantis Neronem, vel matris Agrippinæ, cæteri omnes emendant *quod*. ut verba sint ejus qui ascoperam alligarat, hoc sensu, Ego dedi tibi quod potui, scilicet exiguum duntaxat ex hœdi pelle saccum. Sed tu longe grandiorem meruisti, e corio bubulo, scilicet culeum, De quo vide supra in Augusto ad cap. 33.

7. *Gallos*] Patet allusio ex æquivoca significatione Galli, propter ortam in Galliis seditionem Ita & de Vindice Julius enim Vindex Galliarum Proprætor seditionem moverat, supra cap. 40 & 41. & vindices illi dicebantur qui aliquem in libertatem vindicabant, ut fuse apud Jureconsultos.

CAPUT XLVI.

TERREBATUR ad hæc evidentibus portentis somniorum & [1] auspiciorum, & ominum, tum veteribus tum novis: numquam antea [2] somniare solitus. Occisa demum matre, vidit per quietem, navem sibi regenti extortum gubernaculum, trahique se ab Octavia uxore in arctissimas tenebras, & modo [3] pennatarum formicarum multitudine oppleri: modo a [4] simulacris gentium ad Pompeii theatrum dedicatarum circuiri, arcerique progressu. [5] Asturconem, quo maxime lætabatur, posteriore corporis parte in simiæ speciem transfiguratum, ac tantum capite integro hinnitus edere canoros. De [6] Mausoleo sponte foribus patefactis exaudita vox est, nomine eum cientis. Kalend. Januarii [7] exornati Lares, in ipso sacrificii apparatu conciderunt. [8] Auspicanti Sporus anulum muneri obtulit, cujus gemmæ sculptura erat, [9] *Proserpinæ raptus.* [10] Votorum nuncupatione magna jam ordinum frequentia vix repertæ Capitolii claves. Cum ex oratione ejus, qua in Vindicem perorabat, [11] recitaretur in Senatu, *daturos pœnas sceleratos, ac brevi dignum exitum facturos*, conclamatum est ab universis, *Tu facies Auguste.* Observatum etiam fuerat, novissimam fabulam cantasse eum publice, [12] *Oedipodem exsulem*, atque in hoc decidisse versu,

[13] ἃ θανεῖν μ' αὐτὴ συγγαμοῦσ', μήτηρ, πατήρ.

INTERPRETATIO.

[a] *Mori me jussit uxor, pater, mater.*

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Auſpiciorum & ominum*] Differentiam vide in Auguſto ad cap. 92. quamquam ea non ſemper obſervata in dicendo.

2. *Somniare ſolitus*] Plinius lib. 10 cap. 75. dicit iis qui numquam ſomniare ſolerent, mortiferum fuiſſe, ſi contra conſuetudem ſomniaſſent: & Plutarchus de Oraculis.

3. *Pennatarum formicarum*] Idem ferme auſpicium lib. 1. cap. 81. & Tiberii cap. 72. De formicis pennatis multa narrant Plinius lib. 11. cap. 31. & Herodotus lib. 3. Eas nempe in India ejus magnitudinis eſſe, quæ media ſit inter canem & vulpem, aurum e caverais eruere, quod Indi poſtea rapiunt velociſſimis camelis vecti, quorum odore ſollicitatæ provolant, & fugientes nonnumquam lacerant, &c.

4. *Simulacris gentium*] Illa erant quatuordecim, auctore Plinio lib. 36. cap. 5. & Servius ad hunc verſum lib. 8. Æneid.

Dona recognoſcit populorum, aptaque ſuperbis
Poſtibus, incedunt victa longo ordine gentes.

Porticum enim Auguſtus fecerat, in qua ſimulacra omnium gentium conlocaverat, quæ porticus appellabatur ad nationes. Quas ſtatuas in funebri Auguſti pompa delatas ſcribit Dio lib. 56.

5. *Aſturconem*] Aſtures populi ſunt Hiſpaniæ in ora Oceani antiquum nomen ſervantes. De illorum equis Plinius lib. 8. cap. 42. *In eadem Hiſpania Callaica gens, & Aſturica equini generis quos Thieldones vocamus, minori forma appellatos. Aſturcones gignunt quibus non vulgaris in curſu gradus, ſed mollis alterno crurum explicatu glomeratio, unde equis ſolutim carpere incurſus dicitur arte.* Ita & Martialis lib. 14. Epig. 199.

Hic brevis ad numerum rapidos qui colligit ungues,
Venit ab auriferis gentibus Aſtur equus.

Aurifera quippe erat Aſturum regio: unde Silius Italicus lib. 1.

Aſtur avarus
Viſceribus lacera telluris mergitur imis,
Et redit infelix effoſſo concolor auro.

6. *Mauſoleo audita vox*] De Mauſoleo Auguſti ſcilicet, in Auguſto cap. 100. Sic Virgilius de Sicheo ad Didonem lib. 4.

Hinc exaudiri gemitus vocemque vocantis
Viſa viri, &c.

Plura his ſimilia apud Ciceronem libro de Divinatione.

7. *Exornati Lares*] De hac celebritate, in Auguſto ad cap. 31.

8. *Auſpicanti*] Pro more ineuntium munera publica, aut etiam incipientium privata & domeſtica negotia, ut ſupra cap. 7. De Sporo cap. 28.

9. *Raptus Proſerpinæ*] A Plutone: unde anſa futuram brevi mortem præſagiendi.

10. *Votorum nuncupatione*] Quid ſit vota nuncupare, ſupra in Aug. ad cap. 97.

11. *Recitaretur*] Per Quæſtorem candidatum, de quo ſupra ad cap. 15. *Tu facies*, nempe brevi dignum exitum.

12. *Oedipodem*] Supra ad cap. 21.

13. *Versus*] Verſus eſt ab ipſo Oedipode pronuntiatus, hic quippe Iocaſtam matrem, quæ eadem uxor erat, ac patrem Laium interemit: quæ Neroni omnia conveniebant. Uxorem enim Octaviam interemit, cap. 35. matrem Agrippinam, cap. 34. patrem Claudium, cap. 33. ſupra.

CAPUT XLVII.

NUNTIATA interim etiam cæterorum exercituum defectione, literas prandenti ſibi redditas concerpſit, menſam ſubvertit: [1] duos ſcyphos gratiſſimi uſus, quos Homericos a cælatura carminum Homeri vocabat, ſolo illiſit: ac ſumto a [2] Locuſta veneno, & in auream pyxidem condito, tranſiit in hortos [3] Servilianos. Ubi præmiſſis libertorum fidiſſimis Oſtiam, ad claſſem præparandam, [4] Tribunos centurioneſque Prætorii de fugæ ſocietate tentavit. Sed partim tergiverſantibus, partim aperte detrectantibus, uno vero etiam proclamante,

[1] *Uſque adeone mori miſerum eſt?*

Digitized by Google

varia agitavit, Parthosne an Galbam supplex peteret, an [6] atratus prodiret in publicum, [7] proque Rostris quanta maxima posset miseratione veniam præteritorum precaretur: ac ni flexisset animos, vel Ægypti Præfecturam concedi sibi oraret. Inventus est postea in scrinio ejus hac de re sermo formatus. Sed deterritum putant, ne prius quam in forum perveniret, discerperetur. Sic cogitatione in posterum diem dilata, ad mediam fere noctem excitatus, ut comperit [8] stationem militum recessisse, prosiluit e lecto, misitque circum amicos. Et quia nihil a quoquam renuntiabatur, ipse cum paucis hospitia singulorum adiit. Verum clausis omnium foribus, respondente nullo, in cubiculum rediit: unde jam & custodes diffugerant, direptis etiam stragulis, amota & pyxide veneni. Ac statim [9] Spicillum mirmillonem, vel quemlibet alium percussorem, cujus manu periret, requisivit. Et nemine reperto: *Ergo ego*, inquit, *nec amicum habeo, nec inimicum?* procurritque quasi præcipiturus se in Tiberim.

Notæ.

1. *Duos scyphos*] Plinius lib. 3. cap. 2. *Nero amissarum rerum nuntiis acceptis, duos calices crystallinos in suprema ira fregit illisos. Hac fuit ratio seculum suum puniendi, ne quis alius ex his biberet.* Quo tamen loco non nihil discrepare videtur a Suetonio.

2. *Locustæ*] Venefica, supra cap. 33.

3. *Servilianos*] Ab illustri Serviliorum familia. Huc sæpe commigrasse videtur Nero ex Tacit. Annal 15. ubi dicitur Milichus ad eum perrexisse in hortos Servilianos, ut ei conjurationem patroni sui detegeret.

4. *Tribunos Centurionesque Prætorii*] Idem Prætoriani dicuntur in Caligula cap. 40.

5. *Usque adeone?* Versus est 12. Æneid. ubi Turnus sorori moriendum potius quam fugiendum esse dicit: [*mihi manes*
Usque adeone mori miserum est? vos æ
Este boni.

6. *Atratus*] Lugubri veste indutus, nigra scilicet, qualem induere moris erat in luctu aut summis periculis.

7. *Pro Rostris*] Quid hæc sint, in Julio ad cap. 6. notatum est.

8. *Stationem militum*] Excubitorum, de quibus supra cap. 8.

9. *Spicillum mirmillonem*] Supra cap. 30. de eo jam.

CAPUT XLVIII.

SED revocato rursus impetu, aliquid secretioris latebræ ad colligendum animum desideravit: & offerente Phaonte liberto [1] suburbanum suum inter [2] Salariam & Nomentanam viam circa quartum milliarium: ut erat nudo pede atque [3] tunicatus, pænulam obsoleti coloris superinduit: adopertoque capite, & ante faciem obtento sudario, equum inscendit, quatuor solum comitantibus, inter quos & Sporus erat. Stratimque tremore terræ, & fulgure adverso pavefactus, audiit ex [4] proximis castris clamorem militum, & sibi adversa & Galbæ prospera ominantium: etiam ex obviis viatoribus quendam dicentem, *Hi Neronem persequuntur:* alium sciscitantem, *Ecquid in urbe novi de Nerone?* Equo autem odore abjecti in via cadaveris consternato, detecta facie, agnitus est a quodam [5] missicio prætoriano, & saluratus. Ut ad diverticulum ventum est, dimissis equis inter fruticeta ac vepres, per arundineti semitam ægre, nec nisi strata sub pedibus veste, ad adversum villæ

parietem evasit. Ibi hortante eodem Phaonte, ut interim in specum egestæ harenæ [6] concederet, negavit *se vivum sub terram iturum*: ac parumper commoratus, dum clandestinus ad villam introitus pararetur, aquam ex subjecta [7] lacuna potaturus manu hausit: & *Hæc est*, inquit, *Neronis* [8] *decocta*. Deinde divulsa sentibus pænula trajectos furculos rasit: atque ita quadrupes per angustias effossæ cavernæ receptus, in proximam cellam decubuit super lectum [9] modicella culcita, vetere pallio strato instructum. Fameque interim & siti interpellante, panem quidem sordidum oblatum aspernatus est, aquæ autem tepidæ aliquantulum bibit.

NOTÆ.

1. *Suburbanum*] Villa est. Vide in Augusto ad cap. 6.

2. *Salariam*] Sic dictam, auctore Plinio lib. 31. cap. 7. *quoniam illa sal in Sabinos portari consueverat*. Nomentana a Nomento Sabinorum oppido, in quod illa ducebat, incidebat in Salariam, & a porta Viminali ordiebatur.

3. *Tunicatus*] Sine toga aut lacerna, quod nos forte diceremus *en pourpoint*. De tunica in Augusto cap. 24. 82. & 94. &c. De pænula in Augusto cap. 40.

4. *Proximis castris*] Prætorianis quæ a Tiberio extructa Viminalem inter & Tiburtinam portas. Vide in Tib. cap. 37.

5. *Missicio*] Alii proprium nomen prætoriani militis fuisse aiunt: alii Prætoriani quidem, sed qui honesta missione a militia prætoriana missus esset, quomodo *subditicius* & *ascriptitius*, &c. quæ licet per *t* scripta olim tamen per *c* scribi solita contendit Salmasius.

6. *Concederet*] Torrentius in uno libro legit *se conderet*. Casaubonus suspicatur cavernam hanc ex earum genere fuisse, quas posterioris ævi auctores vocavere *Neronis cisternam*.

7. *Lacuna*] Fossa est in agris, in quam aqua exsudet ad illos siccandos, vel in qua stare consuevit, collecta post imbres. Virgil. 1. Georgic.

Præsertim incertis si mensibus amnis abundans
Exit, & obducto late tenet omnia limo,
Unde cava tepido sudant humore lacunæ.

8. *Decocta*] *Neronis Principis inventum est decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare; ita voluptas frigoris contingit sine vitiis ejus*, inquit Plinius lib. 31. cap. 3.

9. *Modicella culcita*] Torrentius in suis legit *modica*. Quid sit culcita, in Tiberio ad cap. 54.

CAPUT XLIX.

TUNC unoquoque hinc inde instante, ut quamprimum se impendentibus contumeliis eriperet, [1] scrobem coram fieri imperavit, dimensus ad corporis sui modulum: componique simul, si qua invenirentur, frusta marmoris & [2] aquam simul ac ligna conferri, curando mox cadaveri, flens ad singula, atque idemtidem dictitans: *Qualis* [3] *artifex pereo!* Inter moras perlatos a cursore Phoantis [4] codicillos præripuit, legitque *se hostem a Senatu judicatum, & quæri; ut puniatur more majorum*. Interrogavitque quale id genus esset pœnæ. Et cum comperisset nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi: conterritus, duos pugiones, quos secum tulerat, arripuit: tentataque utriusque acie, rursus condidit, caussatus *nondum adesse fatalem horam*. Ac modo Sporum hortabatur, ut lamentari ac plangere inciperet,

mod

modo orabat, ut se aliquis ad mortem tapessendam exemplo juvaret, interdum segnitiem suam his verbis increpabat: *Vivo deformiter ac turpiter.* a Υ̓ πρέπει Νέρωνι, Υ̓ πρέπει, σὺ φρόνει δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις· ἄγε ἔγρεο σαυτόν. Jamque equites appropinquabant, quibus præceptum erat, ut vivum eum attraherent. Quod ut sensit, trepidanter effatus, b Ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος ὄατα βάλλει: ferrum jugulo adegit, juvante Epaphrodito, a libellis. Semianimisque adhuc interrumpenti centurioni, & pænula ad vulnus apposita, in auxilium se venisse simulanti, non aliud respondit, quam *Sero*, & *Hæc* 6 *est fides.* Atque in ea voce defecit, exstantibus rigentibusque oculis usque ad horrorem formidinemque visentium. Nihil prius ac magis a comitibus exegerat, quam ne potestas cuiquam capitis sui fieret: sed ut quoquo modo, totus cremaretur. Permisit hoc 7 Icelus Galbæ libertus, non multo ante vinculis exsolutus, in quæ primo tumultu conjectus fuerat.

INTERPRETATIO.

a *Non decet Neronem, non decet; expergisci oportet in talibus, age excita teipsum.*

b *Equorum velocium strepitus pulsat aures meas.*

NOTÆ.

1. *Scrobem*] Hoc est fossam, quod & de aliis vel sua vel carnificis manu perituris notare est. De Flauio Veiano Tribuno Neronis jussu occidendo, Tacitus Annal. 15. De Labeone sese post afflictas Cassii Brutique partes interfecturo, Appianus lib. 4. Bellorum civilium: quod Casaubonus ideo factum arbitratur, ne inhoneste caderent, ut in Julio cap 82.

2. *Aquam ac ligna*, &c.] Ex qua calefacta cadaver lavaretur, ex more de quo jam nonnulla in Julio ad cap. 84.

3. *Artifex*] Scenicorum scilicet operum & citharœdicæ artis.

4. *Codicillos*] Tabellas seu pugillares, de quibus plura in Tiberio ad cap. 51. & infra ad cap. 52.

5. *A libellis*] Supplicibus accipiendis, ut in Augusto ad cap. 50. Epaphroditi meminit adhuc infra in Domitiano cap. 14.

6. *Fides*] Jurabant enim cum militibus Imperatorem a se nunquam deserendum.

7. *Icelus*] Vulgati legebant *Sejus*, male; is enim omnino videtur esse de quo in Galba cap. 14. Sic & *promisit* pro *permisit.*

CAPUT L.

1 FUNERATUS est impensa ducentorum millium stragulis albis auro intextis, quibus usus Kalend Januarii fuerat. Reliquias Ecloge & Alexandra nutrices cum 2 Acte concubina 3 gentili Domitiorum monumento condiderunt: quod prospicitur e campo Martio impositum 4 colle hortorum. In eo monumento 5 solium 6 Porphyretici marmoris superstanti 7 Lunensi ara circumseptum est lapide 8 Thasio.

NOTÆ.

1. *Funeratus*] De his cæremoniis aliqua delibata sunt in Julio ad cap. 84 Ducenta millia, juxta institutam supputandi rationem, sunt 8750 lib.

2. *Acte concubina*] De qua jam supra cap. 28. & Tacitus sæpe.

3. *Gentili Domitiorum*] Erat enim e gente Domitia, ut cap. 1. hujus libri, &c.

Digitized by Google

4. *Colle hortorum*] Casaubonus in Viterbiensi legebat *erulorum* ab quæ aspiratione, qui archaismus est, ut & *colle* pro *colli*, ut Galb. cap. 4. Sic enim scribebant veteres. Collis ille versus Septemtrionem fuit, qua in regione visitur hodie Templum SS. Trinitatis.

5. *Solium*] Sic dicti sunt loculi quibus condita erant cadavera Regum præsertim, ac nobilium Plinius lib. 35. cap. 12. *Quin & defunctos sese multi fictilibus soliis condi malucrunt.* Et Florus lib. 4. cap. 11. ubi de Cleopatra.

6. *Porphyretici*] Marmor hoc ex Ægypto advehebatur. Plinius lib. 36. cap. 7. *Rubet*, inquit, *Porphyrites in eadem Ægypto ex candidis intervenientibus punctis leucoffitides vocatur*, hoc est *notis albis distinctus.*

7. *Lunensi ara*] Hoc est ara ex marmore Lunensi. Luna fuit Hetruriæ oppidum, sed hodie excisum, & portus qui vulgo *Golfo della Spezzia*, unde multum marmoris candidi Romam invehebatur. De quo Plinius ibid. cap. 6. &c.

8. *Thasio*] Thassus vel Thassos insula maris Ægæi; cujus marmor lividius paulo & versicoloribus maculis distinctum; illius tanta non erat fama quanta aliorum, ut ait Plinius ibidem. Insula etiam hodie *Thasso.*

CAPUT LI.

STATURA fuit [1] pene justa: corpore maculoso & fœdo: sufflavo capillo: vultu [2] pulcro magis quam venusto: oculis cæsiis & hebetioribus: cervice obesa, ventre projecto, [3] gracillimis cruribus, valetudine prospera. Nam qui luxuriæ immoderatissimæ esset, ter omnino per XIV. annos languit: atque ita, ut neque vino, neque consuetudine reliqua abstineret. Circa cultum habitumque adeo [4] pudendus, ut comam semper [5] in gradus formatam, [6] peregrinatione Achaica etiam pone verticem [7] summiserit: ac plerumque [8] syntheſinam indutus, ligato [9] circum collum sudario prodierit in publicum, [10] sine cinctu, & discalceatus.

NOTÆ.

1. *Pene justa*] Justa hominis statura sex circiter pedum, ut supra in Tiberio ad cap. 68. ex Gellio notatum.

2. *Pulchro magis quam venusto*] Cujus pulchritudo ejusmodi erat, quæ quamquam nullo insigni nævo obscurata, non tamen placebat.

3. *Gracillimis cruribus*] Gracilitatem perpetuo inter maxima corporis vitia posuerunt, ut & supra in Caligula cap. 3. & 50. & Domit. cap. 18. &c.

4. *Pudendus*] Hoc est verecundus, seu pudens, utpote quia talia sic negligeret, quasi eorum ipsum puduisset. Contra omnino Julius qui *circa curam corporis morosior*, in Julio cap. 45.

5. *In gradus formatam*] Cujus cincinni & annuli ordine quique, quasi per gradus ad verticem usque dispositi erant: de quibus Seneca libro de brevitate vitæ cap. 12. *Si quid extra ordinem jacuit, nisi omnia in annulos suos recidernnt*, &c.

6. *Peregrinatione Achaica*] De qua supra cap. 19. &c.

7. *Summiserit*] Cum alii hoc modo compti curarent impense, ne ullus quidem capillus suum ordinem egrederetur, qui, ut ait Seneca Epist. ultima, *malint Rempublicam turbari, quam comam suam.* Quem vide loco supra citato de Brevitate vitæ, ubi in nimiam hujus rei curam plura. Vide Juvenalem Sat. 6. ad vers. 488.

8. *Syntheſinam*] Ita scripsit Casaubonus, ita & tres MSS. Torrentii, qui tamen *ſyntheſin* retinuit cum vulgatis. Hæc vestis paulo brevior, & expedita ex diversis lanarum coloribus erat; hac utebantur in conviviis ac festis diebus, præsertim Saturnalibus, de quibus in Augusto ad cap. 75. posita toga, qua utebantur Romani in publico, ut ibid cap. 40. patet. Uide Martial. Apophoret. Epig. 1. & 41.

9. *Circum collum sudario*] Qui habitus est hominis in triclinio discumbentis, ut

Digitized by Google

innuit quoque Petronius, ubi de Trimalcione in convivium allato *cirraque onerata veſte cervices*, inquit, *laticlaviam immiſerat mappam* fimbriis hinc atque illinc pendentibus.

10. *Sine cinctu*] Quod molliorum erat, ut in Julio cap. 45.

CAPUT LII.

LIBERALES diſciplinas omnes fere puer attigit. Sed a philoſophia eum mater avertit: monens, [1] imperaturo contrariam eſſe: a cognitione veterum oratorum Seneca præceptor, quo diutius in admiratione ſui detineret. Itaque ad Poëticam pronus carmina libenter ac ſine labore compoſuit: nec, ut [2] quidam putant, aliena pro ſuis edidit. Venêre in manus meas [3] pugillares libellique cum quibuſdam notiſſimis verſibus ipſius chirographo ſcriptis: ut facile appareret, non tranſlatos, aut dictante aliquo exceptos: ſed plane quaſi a cogitante atque generante exaratos: ita multa & deleta & [4] inducta & ſuperſcripta inerant.

NOTÆ.

1. *Imperaturo contrariam*] Si contemplationibus philoſophicis, omne tempus inſumens rerum gerendarum vigorem pariter & induſtriam negligeret; ſed quis dicat præcepta philoſophica imperanti non neceſſaria? cum & Plato populorum beatitudinem philoſophia contineri dixerit, & de ea tam egregia & Cicero 1. Tuſcul. &c.

2. *Ut quidam putant*] Ex eorum numero videtur eſſe Tacitus Annal. 14. Plinius lib. 17. cap. 3. Meminit cujuſdam carminis quo videtur Nero Poppææ ſuæ capillos deſcripſiſſe. Meminit & Seneca lib. 1. Queſt natur. cap. 5. ubi unum refert. De his & Martialis lib. 8. & 9. &c.

3. *Pugillares libellique*] Salmaſius de modo Uſurarum cap. 10. hanc affert eorum differentiam. Libelli ſunt parva volumina, pugillares vero codices tam parvi, ut pugillo poſſent teneri. Codex ex multis tabulis compactus erat cujuſcumque materiæ. Qui ex duobus aut tribus a numero nomen inveniebant, & *duplices* aut *triplices* aut etiam *quincuplices* vocabantur. Qui parvi erant ut pugillo poſſent teneri, ut quibuſdam placet, pugillares inde appellati. Hac ſic a libellis differunt forma, ut codices a libris.

4. *Inducta*] Hoc eſt deleta, inverſo & ducto ſuper ceras ſtylo, cujus pars ſuperior plana ea complanabat, quæ acies ceris exaraverat. Hinc Horatius Sat. 10. lib. 1. v. 72.

Sæpe ſtylum vertas iterum quæ digna legi ſint
Scripturus.

CAPUT LIII.

HABUIT & [1] pingendi [2] fingendique maxime non mediocre ſtudium. Maxima autem popularitate efferebatur, omnium æmulus, qui quoquo modo animum vulgi moverent. Exiit opinio poſt ſcenicas coronas proximo luſtro deſcenſurum eum ad Olympia inter athletas. [3] Nam luctabatur aſſidue: nec aliter certamina gymnica Græcia tota ſpectaverat, quam [4] brabeutarum more in ſtadio humi aſſidens: ac ſi qua paria longius receſſiſſent, in medium manibus ſuis protrahens. Deſtinaverat etiam [5] qui Apollinem cantu, [6] Solem aurigando æquiparare exiſtimaretur, imitari & Herculis facta. Præparatumque leonem aiunt, quem vel clava vel brachiorum nexibus in Amphitheatri harena ſpectante populo [7] nudus elideret.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Pingendi*] Ita & Tacitus lib. 13. Annal. *Nero puerilibus statim annis vividum animum in alia* (quam eloquentiam) *detorsit. Celare, pingere, cantus, aut regimen equorum exercere, & aliquando carminibus pangendis*, &c. Fuit enim pictura magno quondam in honore, ut patet ex Plinio lib. 35 cap. 1. & aliis, ubi de hac fuse.

2. *Fingendi*] Ad Plasticen referendum, cujus *opera* est, ut ait Plinius lib. 35. cap. 12. *terra fingere & argilla similitudines*, &c. quæ ars statuaria scalptura & cælatura antiquior, ex eodem Plinio lib. 34. cap. 7. ubi harum matrem illam appellat.

3. *Nam luctabatur*] Quod confirmat sententiam super hac re ad cap. 45. allatam.

4. *Brabeutarum more*] Brabeutæ & Agonothetæ promiscue nonnumquam usurpantur, quamvis illi proprie gymnicis, hi scenicis ludis præsiderent, victoriæ arbitri præmiorumque dispensatores, ut patet ex Lege 4. ff. *De his qui notantur infamia.*

5. *Qui Apollinem cantu*] Alii legunt *quia*, paulo clarius. Nota est ex Martyæ certamine Apollinis in cantando, & citharæ pulsanda præcellentia.

6. *Solem aurigando*] Sol non semper idem est cum Apolline: sunt enim qui illum Hyperionis (qui unus e Titanibus fuit) filium finxerint, curru vectum, &c. ut patet ex 11. Metam.

7. *Nudus elideret*] Leonem enim Nemæum Hercules manibus strangulaverat, & ejus postea pelle vestitus est.

CAPUT LIV.

SUB exitu quidem vitæ palam voverat si sibi incolumis status permansisset, proditurum se partæ victoriæ ludis, etiam [1] hydraulam & choraulam, & utricularium, ac novissimo die histrionem, [2] saltaturumque Virgilii Turnum. Et sunt qui tradant [3] Paridem histrionem occisum ab eo, quasi gravem adversarium.

NOTÆ.

1. *Hydraulam*] Hydraula is dicitur, qui organorum hydraulicorum, de quibus supra cap 41. Choraula qui in choro canit tibia; αὐλὸς enim tibia est, & utricularius qui ex utre fistulam inflat, unde & Ascaules dicitur quoque, vocabulo Græco; ἀσκὸς enim utrem significat, quasi ex hœdi pelle tibicen.

2. *Saltaturum Turnum*] Sic & Macrobius dixit *canticum saltare.* Juven.

Chironomon Ledam molli saltante Batylle.

& Horat. Sat. 5. lib 1.

Pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat.

3. *Paridem histrionem*] Domitiæ Neronis amitæ libertum.

CAPUT LV.

ERAT illi æternitatis perpetuæque famæ cupido, sed inconsulta. Ideoque multis rebus ac locis vetere appellatione detracta, novam [1] induxit ex suo nomine. Mensem quoque Aprilem, [2] Neroneum appellavit. Destinaverat & Romam [3] Neropolim nuncupare.

NOTÆ.

1. *Induxit*] Torrentius in optimo legit *indixit.*

2. *Neroneum*] Senatus decreto ob detectam hoc mense Pisonis conjurationem, de qua supra cap. 36. Auctor Tacit. lib. 15.

3. *Neropolim*] Post incendium, supra ad cap. 38. ex Tacito quoque, &c.

Digitized by Google

CAPUT LVI.

RELIGIONUM usquequaque contemtor, præter unius [1] Deæ Syriæ. Hanc mox ita sprevit, ut urina contaminaret: alia superstitione captus in qua sola pertinacissime hæsit. Siquidem [2] icunculam puellarem, cum quasi remedium insidiarum a plebeio quodam & ignoto muneri accepisset, detecta confestim conjuratione pro summo numine trinisque in die sacrificiis colere perseveravit: volebatque credi monitione ejus futura prænoscere. Ante paucos quam periret menses, attendit exstispicio, nec unquam [3] litavit.

NOTÆ.

1. *Deæ Syriæ*] Hanc alii dicunt fuisse Atergatim Assyriorum dei conjugem, & Semiramidis matrem: verum quia semifœminam & semipiscem fuisse ferunt Atergatim, hanc autem Syriam deam fœminam totam, ut constat ex Luciano, qui peculiari de ea opere scripsit: ideo Semiramidem potius fuisse Vossius existimat, tum quia apud Syros ut nulla divinitas Syria dea potentior, ita & heroina nulla Semiramide celebratior extitit; tum quia a columbis educata & in columbam versa Semiramis, dea vero Syria ab ovo cui columba insederit prognata, prædicantur.

2. *Icunculam*] Parvam imaginem. Alii legebant *acunculam*, ab acu quæ pars est mundi muliebris: sed ex orationis serie patet de imagine potius intelligendum. His enim similia vendebant Marsi & Psylli præstigiatores; ut laminas, annulos, aliaque id genus, de quibus Arnobius lib. 2. quæ cum facile circumferri possent, & adversus morbos & inopinatos casus esse remedia jactitarentur, eo facilius decipiebant credulos.

3. *Litavit*] Hoc est, numquam perfecta & sine vitio immolata hostia, placati dei signum habere potuit, ut in Julio ad cap. 81.

CAPUT LVII.

OBIIT [1] secundo & trigesimo ætatis anno, die quo quondam [2] Octaviam interemerat. Tantumque gaudium publice præbuit, ut plebs pileata [3] tota urbe discurreret. Et tamen non defuerunt qui per longum tempus [4] vernis æstivisque floribus tumulum ejus ornarent: ac modo imagines [5] prætextatas in Rostris proferrent, modo edicta, quasi [6] viventis, & brevi magno inimicorum malo reversuri. Quinetiam [7] Vologesus Parthorum Rex, missis ad Senatum Legatis, de instauranda societate, hoc etiam magnopere oravit, ut Neronis memoria coleretur. Denique, cum [8] post viginti annos adolescente me exstitisset conditionis incertæ, qui se Neronem esse jactaret, tam favorabile nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus, & [9] vix redditus sit. A. U. C. DCCCXXI.

NOTÆ.

1. *Secundo & trigesimo*] Imperii annos retulit supra cap. 40. Unde minum non videtur si de his hic sileat.

2. *Octaviam*] Conjugem, supra cap. 7. ad 8. Idus Junii, auctore Dione

3. *Pileata*] Lætitiæ & receptæ libertatis signum. Vide in Tibetio ad cap. 4.

4. *Vernis æstivisque*] Ita & Aug. cap. 18.

5. *Prætextatas*] Magistratuum ornatus est. De prætexta supra in Julio ad cap. 1. &c.

6. *Viventis*] Tacitus 2. Histor fictum id a multis creditumque refert: quia nempe ei morienti adfuere pauciſſimi. Hinc

Digitized by Google

etiam D. Auguſtinus lib. 20 de Civitate Dei cap. 19. explicans hæc Apoſtoli verba, *jam enim myſterium iniquitatis operatur*, dicit creditum a multis ea de Nerone eſſe intelligenda, quem exiſtimabant eſſe Antichriſtum. Unde alii reſurrecturum Neronem, alii ne occiſum quidem, ſed ſubſtractum arbitrati ſunt, & vivum occultari in eo ætatis vigore, in quo putabatur extinctus, donec ſuo tempore reſtitueretur in regnum.

7. *Vologeſus*] De quo adhuc infra non ſemel. Veſpaſ. cap. 6. &c.

8. *Poſt viginti annos*] Elapſis poſt Neronis mortem viginti annis, quod contigiſſe oporteret ſeptimo Domitiani anno, unde colligere eſſet pſeudo-Nerones fuiſſe ut minimum tres, unum Othonis, & Vitellii temporibus, ex Tacito in Hiſtor. alterum Titi, ut ex Zonara in Tito: tertium de quo hîc ſermo eſt.

9. *Vix redditus*] Senſus eſt, ægre a Parthis redditum fuiſſe, ut puniretur.

Digitized by Google

C. SVETONII TRANQVILLI

DE XII. CÆSARIBVS.

LIBER SEPTIMUS.

SER. SULPITIUS GALBA.

CAPUT I.

[1] Rogenies Cæsarum in Nerone defecit: quod futurum compluribus quidem signis, sed evidentissimis duobus, apparuit. Liviæ olim post Augusti statim nuptias [2] Vejentanum suum revisenti, prætervolans aquila, gallinam albam, ramulum lauri rostro tenentem, ita ut rapuerat, demisit in gremium: cumque nutriri alitem, [3] pangique ramulum placuisset, tanta pullorum soboles provenit, ut hodie quoque ea villa *ad* [4] *Gallinas* vocetur: tale vero lauretum, ut triumphaturi Cæsares inde laureas decerperent: fuitque mos triumphantibus, alias confestim eodem loco pangere: & observatum est sub cujusque obitum, arborem ab ipso institutam, elanguisse. Ergo novissimo Neronis anno, & [5] silva omnis exaruit radicitus, & quidquid ibi gallinarum erat, interiit: ac subinde tacta de cælo [6] Cæsarum æde, [7] capita omnibus simul statuis deciderunt: [8] Augustique sceptrum e manibus excussum est.

Notæ.

1. *Progenies Cæsarum*] Idem alii quoque notavere, excepto Appiano qui lib. 4 Bellorum civilium relictam dicit ab Octavio prolem etiam tunc imperantem, Hadriani scilicet & Antonini Pii temporibus, quibus vixit ille Auctor. Plutarchus de uno Galba testatur illum Liviæ genus aliquatenus contigisse, & hoc videtur innui cap. 3. infra.

2. *Vejentanum*] Villam ejus nominis in agro Vejentano, quam Tiberi impositam nono ab urbe lapide fuisse dicit Plinius lib. 35. cap. ultimo, ubi hanc historiam fuse narrat.

3. *Pangique ramulum*] Plinius ibidem pro *pangi* utitur verbo *seri*. Festus, *Pangere*, inquit, *figere est, & planta pangi dicuntur, cum in terram demittuntur, & versus pangi, id est figi in cera.*

4. *Gallinas*] Quas omnes albas ex illa genitas fuisse auctor est Dio, unde genus

Digitized by Google

albarum gallinarum appellatum.

5. *Silva omnis exaruit*] Simile quid refert ex Joanne Tzetze Hiſtor Chiliade 4. Caſaubonus, ficum ſcilicet fuiſſe Logothetæ cuidam unice dilectam, (ſic ut alii nemini fructum ejus comedere liceret) quæ die mortis ejus exaruit, ac poſtero die a ſummo ad imum fidit ſe. Quam hiſtoriam Auctor ille ſancte jurat eſſe veram. Tacitus lib. 13. Annal. in fine ipſo tradit Ruminalem arborem, quæ in medio comitio erat, exaruiſſe circa hæc tempora, & oſtenti loco fuiſſe. Octingentos enim & amplius annos duraverat, utpote quæ Romulum Remumque infantes texerat.

6. *Cæſarum ade*] Torrentius intelligit Templum Veneris genitricis, de quo in Julio cap. 61 Quod videtur etiam intelligi poſſe de æde D Julii, Aug. cap. 101.

7. *Capita deciderunt*] Confirmat quod de amobilibus ſtatuarum capitibus ſupra notatum eſt in Tiberio cap. 58. & Caligula cap. 22.

8. *Auguſtique ſceptrum*] Illud nempe quod portabatur a triumphantibus, non vero quale Regibus erat Conſtat namque Principes Romanos hæc Regni inſignia diu non uſurpaſſe, ut infra in Caligula ad cap. 22. Torrentius in omnibus MSS. legit *Auguſti etiam ſceptrum*, &c.

CAPUT II.

NERONI GALBA ſucceſſit, nullo gradu contingens Cæſarum domum: ſed haud dubie nobiliſſimus, magnaque & vetere [1] proſapia: ut qui ſtatuarum titulis PRONEPOTEM [2] Q. CATULI CAPITOLINI ſemper adſcripſerit: Imperator vero etiam [3] ſtemma in atrio propoſuerit, quo paternam originem ad Jovem: maternam [4] ad Paſiphaën Minois uxorem referret. Imagines & elogia univerſi generis exſequi longum eſt: familiæ breviter attingam.

A. U. C. DCCCXXXI.

5

NOTÆ.

1. *Proſapia*] Hoc eſt genere ſeu ſtirpe. Qua voce Catonem & Plautum uſos reperias, ac Ciceronem ipſum, ſed adhibita cautione libro de Univerſitate, *& eorum (ut utamur veteri verbo) proſapiam.* Quod verosimiliter Quintilianum induxit, ut voce hac minime utendum eſſe cenſeret.

2. *Q. Catuli Capitolini*] Hoc cognomen ſortitus a reſtitutione & dedicatione Capitolii, de qua in Julio cap 15.

3. *Stemma in atrio*] Hoc eſt gentilium imaginum ſeriem & ordinem, quæ ſingulis armariis incluſæ diſponebantur in atrio, ut ſupra notatum eſt in Auguſto cap. 4.

4. *Paſiphaen*] Torrentius corruptum hunc locum arbitratus ſic reſtituit: *paternam originem ad Minoëm & Paſiphaen Minois uxorem referret.* Nec enim ſi de materna loqui voluiſſet, Paſiphaën mulierem tam fœda libidine infamem dicturum fuiſſe verosimiliter exiſtimat, ſed potius Solem qui Paſiphaës pater eſſe ferebatur. Certe Silius Italicus libro 8. indicat oriundam a Minoë Galbarum familiam,

Rectorem magno ſpectabat nomine Galbam,
Huic genus orditur Minos, inviſaque tauro
Paſiphaë, &c.

5. *Imagines & elogia*] De imaginibus in Auguſto ad cap. 4. Elogia ſunt tituli, qui in bonam pariter & in malam partem accipiuntur, ut Calig. ad cap. 24. &c.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT III.

QUI primus Sulpiciorum cognomen Galbæ tulit, cur, aut unde traxerit, ambigitur. Quidam putant, quod oppidum Hiſpaniæ fruſtra diu oppugnatum illitis demum [1] galbano facibus ſuccenderit: alii, quod in diuturna valitudine [2] galbeo, id eſt, remediis lana involutis affidue uteretur: nonnulli, quod præpinguis fuerit viſus, quem *galbam* Galli vocent: vel contra, quod tam exilis, quam ſunt animalia, quæ in [3] eſculis naſcuntur, appellanturque galbæ. Familiam illuſtravit [4] Ser. Galba conſularis, temporum ſuorum eloquentiſſimus: quem tradunt, DCI. Hiſpaniam ex Prætura obtinentem, XXX. Luſitanorum millibus [5] perfi- DCIII. dia trucidatis, [6] Viriatini belli cauſſam exſtitiſſe. Ejus nepos [7] ob DCCX. repulſam conſulatus infenſus Julio Cæſari, cujus Legatus in Gallia fuerat, conſpiravit cum [8] Caſſio & Bruto: propter quod [9] Pedia lege damnatus eſt. Ab hoc ſunt Imperatoris Galbæ avus & pater. Avus clarior ſtudiis quam dignitate: non enim egreſſus Præturæ gradum, multiplicem nec incurioſam hiſtoriam edidit. Pater conſulatu functus, [10] quam DCCLXXV. brevi corpore atque etiam gibber modicæque in dicendo facultatis, cauſſas induſtrie actitavit. Uxores habuit Mummiam Achaïcam, neptem Catuli, proneptem L. [11] Mummii, qui Corinthum excidit: item Liviam Ocellinam, ditem admodum & pulcram, a qua tamen nobilitatis cauſſa appetitus ultro exiſtimatur, & aliquanto enixius, poſtquam ſubinde inſtanti vitium corporis ſecreto poſita veſte detexit, ne quaſi ignaram fallere videretur. Ex Achaïca liberos, Caïum & Servium procreavit. Quorum major Caïus attritis facultatibus urbe ceſſit: prohibituſque a Tiberio [12] ſortiri anno ſuo proconſulatum, voluntaria morte obiit.

NOTÆ.

1. *Galbano*] Galbanum eſt ſuccus herbæ ferulaceæ reſinam referens, & flammæ nutriendæ conveniens; de quo Plinius lib. 12. cap. 25.

2. *Galbeo, id eſt remediis lana involutis*] Quæ per modum armillæ aut zonæ gerebantur; unde Feſtus annumerat Galbeos inter mundum muliebrem. Sed ortum inde nomen Galbæ Torrentius arbitrari nequit, unde tertiam etymologiam præfert, quod etiamnum *Calber* apud Belgas obeſum ſignificet. Et quia veterem Gallicam linguam eandem cum Germanica fuiſſe vulgo exiſtimant, omnium feliciſſima videtur Glareani conjectura, qui pinguem hominem *Kalb* aut *Kalf* a Germanis appellari annotavit. Erat & *Galbus* ſive *Galbeus* color, & *Galbineus* viridem inter & flavum, quem alii dixere lividum, quæ omnia vix quidquam huc faciant, niſi vel ad faciem, vel ad mores referas, aut etiam ad veſtimenta, quæ eo colore delicatiorum erant, ut patet ex Juven. Sat. 2. & *galbinos mores*. & *hominem galbanatum*, pro effœminato dixit Martialis lib. 1. epig. 97. & lib. 3. epig. 82.

3. *In eſculis naſcuntur*] Caſaubonus *teredines* in univerſum appellat ejuſmodi animalcula lignum rodentia, quas tamen Plinius lib. 16. cap. 42. in mari tantum ſentiri aſſeverat, nec aliam teredinem proprie dici Hujuſmodi animalculorum varia genera, ut *Coſſi* qui & Coſſutiorum familiæ auctori nomen dedere, & *Thripa*. *Bytanus*. *Galba*, &c. Apud Plinium æſculus arbor eſt glandifera; & ſic in pleriſque libris arboris nomen invenitur ſcriptum.

4. *Ser. Galba*] Idem & Cicero 1. de Oratore: *Equidem Sergium Galbam memoria teneo divinum hominem in dicendo*. Quod tamen intelligendum ut tunc erant tempo-

Digitized by Google

ra; cum enim *in Bruto* retulit eloquentia illum præstitisse, subjungit, *cujus tamen orationes exiles fuerunt & redolentes antiquitatem, atque ob id exaruerunt.*

5. *Perfidia trucidatis.*] Livius caussam refert, quod specie pacis castra sua adoriri paratos fuisse comperisset. Valerius Maximus lib. 9. cap. 6. factum narrat & damnat, sed nonnisi novem millia partim trucidata, partim vendita refert; unde constare potest quam corruptæ apud Auctores numerorum notæ: meminit & ejus facti Appianus in Iberiacis, & Cicero in Bruto, ubi hoc nomine accusatum fuisse refert, & absolutum commiseratione liberorum suorum, quos in concione produxit & suis ipse manibus circumtulit.

6. *Viriatini belli*] Ex illa clade Viriatus cum pauciſſimis ereptus, factusque Lusitanorum Imperator tantum negotii Romanis facessit postea, ut eorum fasces, trabeas, aliaque insignia dignitatum ablata in montibus & trophæis suis præfixerit, qui primum ex pastore venator, ex venatore latro, atque inde Imperator factus erat.

7. *Ob repulsam Consulatus*] Hujus honorifice meminit Cæsar variis in locis Commentariorum, ac præsertim libro 3. de Bello Gallico; & Hirtius in fine octavi quem supplevit, sed Cæsare invito, repulsam hanc passum Galbam refert; unde aliam ab ea de qua hîc agitur fuisse eo verosimilius est, quod Galba, ille lata jam semel repulsa existimaret Consulatum minime sibi recusandum a Cæsare omnia tunc ad arbitrium disponente. Videsis in Julio ad cap. 81. & 82. Hujus meminit & Cicero Philippic. 13.

8. *Cassio & Bruto*] In Julio cap. 82. & in Augusto cap. 13. &c.

9. *Pedia Lege*] Qua Julii interfectores damnati, de qua in Nerone cap. 3.

10. *Quam brevi corpore*] Torrentius in suis libris legit *quamquam*, ut & Beroaldus.

11. *L. Mummii*] Huic cognomen Achaïcus; fusis enim Achæis, Corinthum desertam incendit, tunecque facta est illa metallorum mixtura tam exquisita, ut Corinthia vasa, scilicet ex ea, omnium habita sint pretiosissima ut sæpe in Augusto notare est.

12. *Sortiri Proconsulatum*] Nam in Provincias, quas populo administrandas reliquerat, Proconsules sortito mittebantur, ut in Augusto ad cap. 47.

CAPUT IV.

DCCLI. SER. Galba Imperator, [1] M. Valerio Messalla, Cn. Lentulo Coss. natus est IX. Kal. Januarii, in villa [2] colli supposita, prope Terracinam sinistrorsum Fundos petentibus. Adoptatus a noverca sua, Livii nomen, & Ocellæ cognomen assumsit, mutato prænomine. Nam & Lucium mox pro Servio usque ad tempus imperii usurpavit. Constat Augustum puero adhuc salutanti se inter æquales apprehensa buccula dixisse, [a] καὶ σὺ τέκνον τῆς ὀχῆς [3] ἡμῶν παιγνιδέξη. Sed & Tiberius, cum comperisset imperaturum eum, verum in senecta: *Vivat sane*, ait, *quando id ad nos nihil pertinet.* Avo quoque ejus [4] fulgur procuranti, cum exsta de manibus aquila rapuisset, & in frugiferam quercum contulisset, summum sed serum imperium portendi familiæ responsum est. Et ille irridens: *Sane*, inquit, *cum mula pepererit.* Nihil æque postea Galbam tentantem res novas confirmavit, quam [6] mulæ partus, cæteriſque ut obscœnum ostentum abhorrentibus, solus pro lætissimo accepit, memor sacrificii, dictique avi. Sumta virili toga, somniavit fortunam dicentem, *stare se ante fores dissam: & nisi ocyus reciperetur, cuicumque obvio prædæ futuram.* Utque evigilavit aperto atrio, simulacrum æneum Deæ cubitali majus juxta limen invenit, idque gremio suo Tusculum, ubi æstivare consueverat, avexit: & [7] in parte ædium consecratum,

Digitized by Google

menstruis deinceps supplicationibus & [8] pervigilio anniversario coluit. Quamquam autem nondum ætate constanti, veterem civitatis, exoletumque morem, ac tantum in domo sua hærentem, obstinatissime retinuit: ut liberti servique bis die frequentes adessent, ac mane salvere, vesperi valere sibi singuli dicerent.

INTERPRETATIO

& tu, fili, de imperio nostro comederis.

NOTÆ.

1. *M. Valerio*] Si vera foret Glareani chronologia, eodem anno quo Christus Dominus, Urbis scilicet 751 & eodem fere die; nono enim Kalend. Januar. est vicesimus quartus Decembris dies.

2. *Colli suppositæ*] Multi in codicibus *superpositæ*. Terracina urbs est Latii quondam Anxur, nunc etiam *Terracina* vel *Tarracina*: Fundi vero in Latio quoque, hodieque *Fondi*, non procul a regno Neapolitano.

3. παραγεύσῃ] Sic Casaubonus ex MSS. Pulmannus auctore Dione & Turnebum secutus legit παραγεύσῃ, *degustaverit*. Dionis verba Tacitus Annal. 6. Latina fecit, *& tu, Galba, quandoque degustabis imperium*. Sed Tiberio præsagiente, non Augusto, a quo tamen potius, quam a Tiberio dictum hoc fuisse crediderim: quia puero Galbæ dictum videtur: & certe pueritiam egressus erat Galba tunc, cum Tiberius principatum adeptus est, & Tacitus Galbæ jam Consuli dictum notat, ubi eadem de eo narrat, quæ Suetonius hic & Dio.

4. *Fulgur procuranti*] Seneca libro 2. Quæst. natural. cap. 33. in fine: *Fulminum ars in tria dividitur: quemadmodum exploremus: quemadmodum interpretemur: quemadmodum exoremus: prima pars ad formulam spectat, secunda ad divinationem, tertia ad propitiandos deos, quos bona rogare oportet, mala deprecari: rogare ut promissa firment, deprecari ut remittant minas.* Quæ postrema verba procurationibus fiunt, has vero idem Seneca eodem libro cap 36. aquæ niveæ sacrificio fieri indicat, ubi de illis plura, ritu v.g. antiquo, & multis circa ipsum superstitionibus.

5. *Mula peperierit*] Idem eodem eventu Dario ac Persis Babylonem obsidentibus exprobratum refert Herodotus in Thalia, urbem scilicet ab iis expugnandam cum mulæ peperissent: enixa enim est tunc temporis mula quædam apud Zopirum Darii comitem.

6. *Mula partus*] Aristoteles libro 6 de Hist. Animal. cap. 24 tradit mulas in Syria vulgo parere, sed eas a nostratibus diversas. Idem & Plinius ex Theophrasto libro 8, cap 44. de mulis Cappadociæ refert.

7. *In parte altum*] Inde Torrentius existimat ortum esse morem ponendi semper Fortunam auream in Principum cubiculo: hinc & illa numismatum & marmorum inscriptio frequentissima FORT. AUG.

8. *Pervigilio*] Hoc est sacrificium quod anno vertente celebrabat jugi unius noctis vigilia. Vide in Caligula ad cap 54.

CAPUT V.

INTER liberales disciplinas attendit & juri: dedit & matrimonio operam: verum amissa uxore Lepida, duobusque ex ea filiis, remansit in cœlibatu, neque sollicitari ulla conditione amplius potuit, ne [1] Agrippinæ quidem viduatæ morte Domitii, quæ maritum quoque adhuc nec dum cœlibem Galbam, adeo omnibus sollicitaverat modis, ut inter conventum matronarum correpta jurgio, atque etiam manu pulsata sit [2] a matre Lepida. [3] Observavit ante omnes Liviam Augustam: cujus & vivæ gratia plurimum valuit, & mortuæ testamento pene ditatus est.

Digitized by Google

[4] HS. namque quingenties cum [5] præcipuum inter legatarios habuisset, quia [6] notata non perscripta erat summa, herede Tiberio legatum ad quingenta revocante, ne hæc quidem accepit.

NOTÆ.

1. *Agrippina*] Quæ Neronis mater, supra in Nerone cap. 5.

2. *A matre Lepida*] Alii legunt *Lepida*, quod idem est: loquitur enim de Galbæ socru, quæ filiæ suæ conjugem ægre ferebat ab Agrippina sollicitari.

3. *Observavit*] Testantur numni omnis generis ab eo Imperatore percussi cum imagine Liviæ, & inscriptione DIVÆ. AUGUS.

4. HS *quingenties*] Hoc est quingenties centena millia sestertiorum, ut patet ex cap. 26 Jul. 2187500 lib. quantam summam ut Galbæ legatam crederet Casaubonus adduci non potuit, cum ipsi populo Romano non nisi quadringenties legaverint Augustus & Tiberius, ut patet ex cap. 101. in Augusto, & cap. ultimo in Tiberio: unde legendum vult *quinquagies*, hoc est 175000 lib. quam summam Tiberius ad quingenta reduxerit, scilicet sestertia, seu sestertiorum millia, hoc est 21875 lib. quæ probabiliora videntur, quam quod vult Torrentius, si pro *quingenta* legatur *quinquagies*, ut summa quingenties intelligatur reducta ad summam quinquagies.

5. *Præcipuum*] Non patet qua de causa hoc dixerit Suetonius. Præcipuum enim apud Jurisconsultos heredi vulgo relinquitur, estque summa quam præter delatam hereditatis partem, peculiariter sibi sumere debet unus e coheredibus, nullibi vero legitur Galba inter heredes Liviæ. Hinc Torrentius præcipuum intelligit de primo ac veluti summo inter legatarios loco

6. *Notata non perscripta*] Hoc est numerorum figuris, non ipsis verborum literis expressa De notis legi potest inter alios Isidorus lib 1. Orig. cap. 21.

CAPUT VI.

DCCLXXVI. HONORIBUS ante legitimum tempus initis, Prætor [1] commissione ludorum [2] Floralium, novum spectaculi genus, [3] elephantos funambulos edidit: exin Provinciæ Aquitaniæ anno fere præfuit: mox Consulatum per sex menses [4] ordinarium gessit. Evenitque ut in eo ipse L. Domitio patri Neronis, ipsi Salvius Otho pater Othonis succederet, velut præsagium insequentis casus, quo medius inter utriusque filios extitit Imperator. A Caio Cæsare, [5] Gætulico substitutus, postridie quam ad legiones venit, solenni forte spectaculo plaudentes inhibuit, [6] data tessera, *ut manus* [7] *penulis continerent*. Statim per castra jactatum est,

Disce miles militare, Galba est, non Gætulicus.

Pari severitate interdixit [8] commeatus peti. Veteranum ac tironem militem opere assiduo corroboravit: matureque barbaris, qui jam in Galliam usque proruperant, coërcitis, præsenti quoque Caïo talem & se & exercitum approbavit, ut inter innumeras contractasque ex omnibus Provinciis copias, neque [9] testimonium neque præmia ampliora ulli perciperent. Ipse maxime insignis, quod [10] campestrem decursionem scuto moderatus, etiam ad essedum Imperatoris [11] per viginti passuum millia cucurrit.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Commissione ludorum*] Hos enim magistratus illi edebant & committebant, hoc est signum dabant incipiendi, ut supra in Nerone cap. 21. &c.

2. *Floralium*] Floralia sive florales ludos Lactantius refert institutos fuisse in honorem Floræ meretricis, quæ grandem pecuniam corpore quæsitam, hac conditione Populo Rom largita fuerat, ut ex ejus fœnore natalem suum hoc pacto celebraret, currentibus nempe, si populus peteret, nudis meretricibus, additaque omnimoda lascivia. Quod quia flagitiosum videbatur Senatui, a Flumine sumi placuit argumentum, ficta dea quæ floribus præesset, quamque ad vitium & agrorum ubertatem obtinendam placari oporteret.

3. *Elephantos*] De his supra in Nerone ad cap 11. & Plinius mira lib 8. ab initio.

4. *Ordinarium*] Hoc est quem iniisset Calendis Januariis, more ordinario destinatus, non vero in alterius locum suffectus.

5. *Gatuli o*] In omnibus vulgatis legebatur *ludis*. Turnebus Adverſ. 5. cap. 2. & 24. cap. 41 e vestigiis veteris libri in quo scriptum erat *Isci*, emendavit veritatem historiæ secutus, auctor enim est Tacitus lib. 5. Lentulum Gætulicum præfuisse Germaniæ per decennium, quo tempore jussu Caligulæ interfectus est, quod militum benevolentiam sibi conciliasset, nimia veresimiliter indulgentia, unde versus ille Trochaïcus qui hîc refertur.

6. *Data tessera*] Signo militari quo ducis mandatum indicabatur, idque vel vocale vel in pittacio descriptum Unde etiam paret edita in castris spectacula: de tesseris aliqua jam in Augusto ad cap. 40. & Caligula ad cap. 3.

7. *Pænulis*] Pænula vestimentum est militare, & itinerarium ad arcendam pluviam, parum discrepans a lacernis, ut in Augusto ad cap. 40. notatum est.

8. *Commeatu*] Veniam discedendi ad certum tempus Supra sæpe.

9. *Testimonium*] Intelligendum videtur de testimonio Caligulæ, & præmiis ab illo præstitis.

10. *Campestrem*] De hac exercitatione quæ fiebat in campo, jam supra in Nerone ad cap. 7. & Vegetius lib. 3. cap. 9 & 10.

11. *Per viginti millia cucurrit*] Vide in Caligula cap. 26.

CAPUT VII.

CÆDE Caii nuntiata, multis ad occasionem stimulantibus, quietem prætulit. Per hoc gratissimus Claudio, receptusque in [1] cohortem amicorum, tantæ dignationis est habitus, ut cum subita ei valitudo nec adeo gravis incidisset, dilatus sit [2] expeditionis Britannicæ dies. Africam pro Consule biennio obtinuit, [3] extra sortem electus ad [4] ordinandam provinciam, & intestina dissensione & barbarorum tumultu inquietam. Ordinavitque magna severitatis ac justitiæ cura, etiam in parvulis rebus. Militi, qui per expeditionem annona arctissima residuum cibariorum [5] tritici modium centum denariis vendidisse arguebatur, vetuit, simul atque indigere cibo cœpisset, a quoquam opem ferri: & is fame [6] extabuit. At in jure dicendo, cum de proprietate jumenti quæreretur, levibus utrimque argumentis, & testibus, ideoque difficili conjectura veritatis, ita decrevit, ut ad lacum, ubi adaquari solebat, duceretur capite involuto: atque ibidem revelato ejus esset ad quem sponte se a potu recepisset. DECXCIV.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Cohortem amicorum*] De variis amicorum ordinibus, ſupra in Nerone ad c. 5. & Tiberio ad cap. 42. & 46. &c.

2. *Expeditionis Britannicæ*] Quam Claudius ſuſcepit, ſupra in Claudio cap. 17.

3. *Extra ſortem*] Non ſortita Provincia, quod tamen fieri conſueverat, ut paulo ſupra ad cap. 3. notatum eſt.

4. *Ordinandam*] Componendam, in Julio ad cap. 18.

5. *Tritici modium*] Modius Romanus ſexdecim ſextarios Romanos capiebat, ſextarii autem ſinguli, tres ſemiſextariolos noſtrates, ut in Tiberio notatum eſt ad cap. 42. Qua ratione modius Romanus duodecim *pintas*, ut dicimus, continuerit: quod idem ferme eſt ac illa aridorum menſura, quam noſtrates quoque dicunt *baotum*. Unde patet quanta fuerit annonæ caritas; centum enim denarii, ſeptemdecim noſtratibus libris cum decem aſſibus æquivalent.

6. *Extabuit*] Notat Plinius lib. 8. cap. 57. Caſilini, dum ea civitas obſideretur ab Annibale, murem ducentis nummis venditum a milite, qui poſtmodum ipſe fame periit, emptore hac alimonia conſervato.

8. *De proprietate*] Caſaubonus in Viterbienſi, *propriatus*.

CAPUT VIII.

OB res, & tunc in Africa, & olim in Germania geſtas, [1] ornamenta triumphalia accepit, & Sacerdotium triplex, [2] inter xv. viros, [3] ſodaleſque Titios, item Auguſtales cooptatus: atque ex eo tempore prope ad medium Neronis principatum in ſeceſſu plurimum vixit: ne ad [4] geſtandum quidem umquam iter ingreſſus, quam ut ſecum vehiculo proximo [5] decies HS. in auro efferret, donec in oppido Fundis moranti [6] Hiſpania Tarraconenſis oblata eſt. Acciditque, ut cum Provinciam ingreſſus ſacrificaret intra ædem publicam, puero e miniſtris [7] acerram tenenti, capillus repente toto capite caneſceret. Nec defuerunt qui interpretarentur, ſignificari rerum mutationem, ſucceſſurumque juveni ſenem: hoc eſt, ipſum Neroni. Nec multo poſt in [8] Cantabriæ lacum fulmen decidit, repertæque ſunt [9] duodecim ſecures, haud ambiguum ſummi Imperii ſignum.

NOTÆ.

1. *Ornamenta*] De his ſupra in Claudio ad cap. 17. & Tiberio ad cap. 9. &c.

2. *Inter quindecim viros*] Horum origo jam inde a Tarquinio Priſco. Cum enim allati ſunt ad ipſum libri Sybillini duos ex nobiliſſimis quibuſque viros elegit, qui ab omni alio munere immunes, illis tantum juſſu Senatus inſpiciendis vacarent, & *Duumviri ſacris faciundis* appellati ſunt. poſtea aucto numero *Decemviri* uſque ad Sullæ tempora, a quo quinque additis, Quindecimviri inſtituti ad Theodoſii tempora permanſerunt, ut vulgo opinantur.

3. *Sodales Titios*] De his & Auguſtalibus, ſupra in Claudio ad cap. 6. ex Tacito.

4. *Geſtandum*] Animi & exercitii cauſſa, ut ſupra in Claudio ad cap. 33.

5. *Decies* HS.] Hoc eſt, decies centena millia ſeſtertiorum 437,0 lib.

6. *Hiſpania Tarraconenſis*] Una erat ex tribus Hiſpaniæ partibus, ſola major reliquis duabus ſimul ſumptis. Hodie nonniſi ea pars eſt quæ vulgo nuncupatur *Aragon*.

7. *Acerram*] Supra in Tib. ad cap. 44.

8. *Cantabriæ*] Hodie *Biſcaye*, quæ, ut patet, Tarraconenſi attribuebatur.

9. *Duodecim ſecures*] Numerus ille ſecurium ante Reges primum, deinde ante Conſules a totidem lictoribus ferebatur; unde non mirum quod ſummi imperii ſignum Galbæ fuerint. Quidam legunt *ſummæ imperii*, quod & poteſt: quo ſenſu ſæpe dicitur *ſummæ rerum*.

Digitized by Google

CAPUT IX.

PER octo annos varie & inæquabiliter Provinciam rexit. Primo acer, vehemens, & in coërcendis quidem delictis vel immodicus. Nam & [1] nummulario non ex fide versanti pecunias, manus amputavit, mensæque ejus affixit. Et tutorem, quod pupillum, cui substitutus heres erat, veneno necassset, cruce affecit: [2] implorantique leges, & civem Romanum se testificanti, quasi solatio & honore aliquo pœnam levaturus, mutari, multoque præter cæteras altiorem & dealbatam statui [3] crucem jussit. Paullatim in desidiam segnitiemque conversus est, ne quid materiæ præberet Neroni: &, ut dicere solebat, *quod nemo rationem otii sui reddere cogeretur*. Carthagine nova [4] conventum agens, DCCCXXI. tumultuari Gallias comperit. Legato Aquitaniæ auxilia implorante, supervenerunt [5] Vindicis literæ, hortantis, *ut humano generi assertorem ducemque se accommodaret*. [6] Nec diu cunctatus conditionem partim metu, partim spe recepit. Nam & mandata Neronis de nece sua ad [7] procuratores clam missa deprehenderat: & confirmabatur cum secundissimis auspiciis, & ominibus, tum virginis honestæ vaticinatione, tanto magis, quod eadem illa carmina Sacerdos [8] Jovis Clunjæ ex penetrali, somnio monitus eruerat, ante ducentos annos similiter a fatidica puella pronuntiata. Quorum carminum sententia erat, *Oriturum quandoque ex Hispania principem, dominumque rerum*.

NOTÆ.

1. *Nummulario*] Hoc est Mensario seu Trapezitæ, de quo in Augusto ad cap. 1. & 2. Casaubonus mallet hic *versanti in pecuniis*, hoc est administrandis; apud illos enim deponebantur, ut in Claudio ad c 5.

2. *Imploranti leges*] Portiam & Semproniam quibus cavebatur, ne quis de capite civium Romanorum injussu populi judicaret: qua de caussa Lex Portia dicebatur lata *pro scapulis, pro tergo*: ante illam enim virgis cæsi furcæ inserebantur, ut supra in Nerone cap. 9. Qua de re Livius libro 10. Decad 1 Cicero in Verrinis, præsertim in septima. Sallustius in Catilinario, &c.

3. *Crucem*] Quod supplicium Cicero ibidem appellat miserrimum teterrimumque: quo loco simile Verri factum vi summa insectatur.

4. *Conventum agens*] Conventum agere est convenire in aliquem locum ad jus dicendum. Supra in Julio ad cap 7. &c. Carthago nova, hodie *Carthagene*, in regno Murciæ.

5. *Vindicis literæ*] De quibus in Nerone ad cap. 40. ex Plutarcho.

6. *Nec diu cunctatus*] Cunctatus tamen, adhibitis in consilium amicis, quos inter Titus Ovinius apud Plutarchum in Galba ait, τὸ ζητεῖν Νέρωνι ἐπὶ πᾶσι μετοιφὴν, ἤδη μὴ βεβαίοις εἶναι: hoc est, inquirere utrum Neroni fideles maneamus, jam non est manentium: seu de defectione deliberare, jam defeciisse est.

7. *Procuratores*] Qui Cæsaris negotia in Provinciis administrabant. In Claudio ad cap. 12.

8. *Jovis Clunia*] Clunia urbs olim conspicua Hispaniæ, quæ & Sulpitia dicta est a Plinio lib. 3. cap. 3. & patet ex nummo, quem Torrentius protulit. Unde constat male in quibusdam legi *Cluria* Nunc pagus est ad Durium amnem, de cujus nomine alii aliter tradunt, vel *Corunna del Conde*, vel *Calahorra*, vel *Cividad de Castro*.

Digitized by Google

CAPUT X.

IGITUR cum quasi [1] manumissioni vacaturus conscendisset tribunal, propositis ante se damnatorum occisorumque a Nerone quam plurimis imaginibus, & adstante [2] nobili puero, quem exsulantem ex proxima Baleari insula, ob id ipsum acciverat, deploravit temporum statum, consalutatusque IMPERATOR, *Legatum se Senatus ac Populi Rom.* professus est. Deinde [3] justitio indicto, e plebe quidem Provinciæ legiones & auxilia conscripsit, super exercitum veterem legionis unius, [4] duatumque alarum, & cohortium trium. Ac e primoribus prudentia atque ætate præstantibus, velut instar Senatus, ad quos de majore re, quoties opus esset, referretur, instituit. Delegit & equestris ordinis juvenes, qui manente [5] anulorum aureorum usu, Evocati appellarentur, excubiasque circa [6] cubiculum suum vice militum agerent. Etiam per Provincias edicta dimisit, auctor singulis universisque conspirandi simul, & ut qua posset quisque opera, communem caussam juvarent. Per idem fere tempus in munitione oppidi, quod sedem bello delegerat, repertus est anulus opere antiquo scalptura gemmæ victoriam cum tropæo exprimente. Ac subinde Alexandrina navis [7] Dertosam appulit armis onusta, sine gubernatore, sine nauta ac vectore ullo: ut nemini dubium esset, justum piumque, & faventibus Diis, bellum suscipi. Cum repente ex inopinato prope cuncta turbata sunt: alarum altera castris appropinquantem, pœnitentia mutati sacramenti, destituere conata est, ægreque retenta in officio: & servi, quos a liberto Neronis ad fraudem præparatos muneri acceperat, per [8] angiportum in balineas transeuntem pene interemerunt: nisi cohortantibus invicem, ne occasionem omitterent, interrogatisque de qua occasione loquerentur, expressa cruciatu confessio esset.

NOTÆ.

1. *Manumissioni vacaturus*] Cum essent multi qui non nisi caussa cognita manumittere poterant, ideo Præsides Provinciæ manumissionibus vacabant, ultimo plerumque die conventus juridici.

2. *Nobili puero*] Ex eorum verosimiliter numero, qui post occisos propter conjurationem Pisonianam patres, pulsi sunt ex urbe quales etiam veneno vel fame necati. In Nerone cap. 36.

3. *Justitio indicto*] Negotiorum cessatione, supra in Tiberio ad cap. 52. &c.

4. *Duarum alarum*] Videntur alæ sumi tantum pro equitatu, quod eas a cohortibus manifeste distinguit, & sæpe sæpius factum, ut in Claudio ad cap. 25. Duæ igitur alæ fuerint octingenti circiter equites, tres vero cohortes circiter mille & ducenti pedites. Legio autem una quinque aut sex hominum millibus constabat. De quibus jam supra sæpe in Julio ad cap. 31. Aug. 38. & Claud. 25.

5. *Anulorum*] De jure anulorum, in Julio ad cap. 33. & 39. Quid autem in bellis essent Evocati, supra in Augusto ad cap. 56. Hi autem vice militum functi anulum aureum retinuere, cum milites nonnisi ferreum haberent.

6. *Cubiculum suum*] Alii enim ad fores, alii ad ipsum cubiculum excubabant, ut ex cap. 47. in Nerone colligere est.

7. *Dertosam appulit*] Alii *Dertosa*, alii *Derto*ſ*a*, male. Est enim civitas in Hispania Tarraconensi, hodie *Tortosa* in Catalania. Quid sint tropæa, dictum in Julio ad cap. 11.

8. *Angiportum*

Digitized by Google

8. *Angiportum*] Angiportum aliquando significat viam sine exitu, qualem vernacule dicunt *cul-de-sac*: aliquando angustam quidem, sed perviam.

CAPUT XI.

ACCESSIT ad tanta discrimina [1] mors Vindicis, qua maxime consternatus, destitutoque similis, non multum abfuit quin vitæ renunciaret. [2] Sed supervenientibus ab urbe nuntiis, ut occisum Neronem, cunctosque in verba sua jurasse cognovit: deposita, LEGATI, suscepit [3] CÆSARIS appellationem. Iterque ingressus est [4] paludatus, ac [5] dependente a cervicibus pugione ante pectus, nec prius usum togæ recuperavit, quam oppressis, qui novas res moliebantur, Præfecto Prætorii [6] Nymphidio Sabino, Romæ: in Germania, [7] Fontsio Capitone: in Africa, Clodio Macro, Legatis.

NOTÆ.

1. *Mors Vindicis*] Pugna cum Virginio inita volentibus exercitibus, Vindex victus ipse se interemit, ut in Nerone ad cap. 40.

2. *Supervenientibus*] Plutarchus auctor est Icelum libertum illum de quo in Nerone ad cap. 49. venisse in Hispaniam, ut infra cap. 22. septem diebus.

3. *Cæsaris appellationem*] Quæ ab eo tempore familiæ non fuit amplius, sed dignitatis; hujus enim se nominis majestate tutabantur: unde Tacitus Hist. 3. nominis superstitionem appellat.

4. *Paludatus*] Paludamentum, bellicum Imperatoris vestimentum. De quo in Augusto ad cap. 10. &c.

5. *Pugione dependente*] Sunt qui boni ominis gratia factum velint, & pugionem hunc eumdem fuisse credant quo Scevinus Neronem interimere voluerat; sed illum Jovi Vindici consecratum scribit Tacitus Annal. 15. sub finem. At certe nihil mysterii quidquam subesse, inde colligere est, quod Xiphilinus urbanæ ejus vitæ mentionem faciens notat ludibrio habitum Galbam, quod senex & imbecillus, pedibus manibusque distortis gladium in itinere semper accingeret. Quem morem suum, etiam dum ex Hispania Romam iter faceret, non remisit.

6. *Nymphidio*] Hic per amicos Senatoresque, quin & mulieres quasdam Imperatorem se declarandum curabat, sed in ipso conatu statim oppressus est.

7. *Fonticio Capitone*] Tacitus 1. Histor. ait hunc in Germania ab Aquino & Valente Legatis occisum, & Macrum in Africa a Trebonio Garucciano Procuratore.

CAPUT XII.

PRÆCESSERAT de eo fama sævitiæ simul atque avaritiæ: quod civitates Hispaniarum Galliarumque, quæ cunctantius sibi accesserant, gravioribus tributis, quasdam etiam [1] murorum destructione punisset: & præpositos procuratoresque supplicio capitis affecisset cum conjugibus ac liberis: quodque oblatam a Tarraconensibus e vetere Templo Jovis coronam auream librarum quindecim [2] conflasset ac tres uncias quæ ponderi deerant, jussisset exigi. Ea fama & confirmata & aucta est, ut primum urbem introiit. Nam cum [3] classiarios, quos Nero ex remigibus justos milites fecerat, redire ad pristinum statum cogeret: recusantes, atque insuper [4] aquilam, & signa pertinacius flagitantes, non modo immisso equite disjecit, sed [5] decimavit etiam.

Item [6] Germanorum cohortem a Cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam, multisque experimentis fidelissimam, dissolvit, ac sine ullo commodo remisit in patriam: quasi Cn. Dolabellæ, juxta cujus hortos [7] tendebat, proniorem. Illa quoque, verene an falso, per ludibrium jactabantur, apposita lautiore cœna ingemuisse eum. Et ordinario quidem [8] dispensatori breviarium rationum offerenti: paropsidem leguminis pro sedulitate ac diligentia porrexisse. Cano autem [9] choraulæ mire placenti, [10] denarios quinque donasse, prolatos manu sua [11] e peculiaribus loculis suis.

NOTÆ.

1. *Murorum destructione*] Hoc genere ignominiæ in alias quoque civitates multo ante animadversum colligas ex Livio lib. 8. Decad. 1. *In velsternos veteres cives Romanos quod toties rebellassent graviter sævitum, & muri dejecti, & Senatus inde abductus*, &c. Alia ejusmodi passim legere est.

2. *Conflasset*] Liquefeciset vel in massam, quod aiunt, redegisset, ut in Augusto ad cap. 52.

3. *Classiarios*] Rem paulo aliter narrat Plutarchus in Galba, eos nempe quod vehementius instarent, nec in aliud tempus differri postulata paterentur, immisso equite occisos. De his classicis legionibus etiam Tacitus 1. Hist. & nummi veteres, &c.

4. *Aquilam & signa*] Aquila totius legionis una; signa vero singularum cohortium, ut supra in Julio ad cap. 61.

5. *Decimavit*] Decimum quemque interfecit. In Augusto ad cap 24.

6. *Germanorum*] Aug. cap. 49. ac præsertim Calig. cap. 58.

7. *Tendebat*] Verbum castrense, pro tabernacula habere. Hinc colligere est in Prætoriis castris, de quibus in Tiberio ad cap. 37. locum non fuisse nisi militibus Romanis.

8. *Dispensatori*] Ministro cui familiæ totius & impensæ commissa cura.

9 *Choraulæ*] Choraules qui tibia canit, supra in Nerone ad cap. 54. Huic nomen *Canus* fuisse videtur, quia Martialis lib. 4. Epig. 5. ejus quoque meminit.

10. *Denarios quinque*] Hi septemdecim nostrates asses cum dimidio efficiunt, juxta Budæum, ut in Jul ad cap. 4. & 26. notatum est. Sunt autem qui multo pluris denarium æstiment, juxta quos effeceris hæc summa triginta & octo nostrates asses cum semisse.

11. *Peculiaribus loculis*] Quibus peculium suum servabat, de quo in Julio ad cap. 76. Plutarchus addit illum dixisse de suo se dare, non de publico.

CAPUT XIII.

QUARE adventus ejus non perinde gratus fuit: idque proximo spectaculo apparuit. Siquidem [1] Atellanis notissimum canticum exorsis, [2] *Venit io Simus a villa*: cuncti simul spectatores consentiente voce reliquam partem [3] retulerunt, ac sæpius versu repetito [4] egerunt.

NOTÆ.

1. *Atellanis*] Fabularum Atellanarum actoribus, de quibus in Tib. ad cap. 45.

2. *Venit io*] Io exultantis interjectio notissima. Vulgati legebant *Venitio*, *Venisti*, &c. Turnebus Adverf. 5. cap. 2. emendavit. *Simus* pro homine rustico & triparco apud Comicos accipitur: quod Galbæ populus, ut patet, objiciebat, eoque magis quod e villa venire dicatur propter diuturnum secessum in quo vixerat.

3. *Retulerunt*] Hoc est, Romani qui ludis aderant, sponte protulerunt reliquam partem versus illius, quem histriones pronuntiarant.

4. *Egerunt*] Verbum theatrale, unde actores propriæ.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

MAJORE adeo & favore & auctoritate adeptus est, quam gessit, Imperium: quamquam multa documenta egregii Principis daret: sed nequaquam tam grata erant quam invisa quæ secus fierent. Regebatur trium arbitrio, quos una & intra Palatium habitantes, nec umquam non adhærentes, [1] pædagogos vulgo vocabant. Hi erant T. Vinius legatus ejus in Hispania, cupiditatis immensæ: Cornelius Laco, ex [2] assessore Præfectus Prætorii, arrogantia socordiaque intolerabilis: libertus Icelus, paullo ante anulis aureis & Martiani cognomine ornatus, ac jam [3] summi equestris gradus [4] candidatus. His diverso vitiorum genere grassantibus, adeo se abutendum permisit & tradidit, ut vix sibi ipsi constaret: modo acerbior parciorque: modo remissior ac negligentior quam conveniret Principi [5] electo, atque illius ætatis. Quosdam claros ex utroque ordine viros suspicione minima, inauditos condemnavit. [6] Civitatem Romanam raro dedit. [7] Jura trium liberorum vix uni atque alteri: ac ne his quidem, nisi ad certum præfinitumque tempus. Judicibus [8] sextam decuriam adjici precantibus, non modo negavit: sed etiam concessum a Claudio [9] beneficium, ne hieme initioque anni ad judicandum evocarentur, eripuit.

NOTÆ.

1. *Pædagogos*] De illis eadem omnino Aurelius Victor, *adeo ut inter Palatinas ædes pariter habitarent & pædagogi vulgo dicerentur.* Et plura Plutarchus in Galba.

2. *Assessore*] Assessores ii erant quos Magistratus Romæ, in Provinciis vero Præsides illarum assidere sibi volebant jus dicentibus, ut eorum consilio uterentur in judicando; unde Tiberius dictus est aliquando assedisse Magistratibus, & in Tiberio cap. 33. plura suppetunt exempla Assessores ad Præfecturam illam evectos, ut refert Spartianus in Pescennino Nigro, de Paulo & Ulpiano Jureconsultis illustribus qui Papiniano assederant.

3. *Summi equestris gradus*] Hoc est Præfecturæ Prætorii, quæ dignitas est gradus omnium excelsissimus, ad quos Eques Romanus possit evehi. Ab Augusto enim ad Titum non nisi Equites Romani munus hoc gessere, ut patet in Tito cap. 6. & colligere est ex supradictis in Claudio ad cap. 12. Qua dignitate cum nulla ferme superior esset in Republica, ideo jure gradus equestris summa & fastigium appellatur.

4. *Candidatus*] Qui Præfecturam illam vel tunc ambiret, vel mortuo Lacone speraret.

5. *Electo*] Huc enim usque hereditario quasi jure successerant principes, ut etiam de Drusilla in Caligula cap. 24. dixit: accedebat tamen Senatus auctoritas duntaxat ad speciem servæ libertatis, unde Tacitus 1. Hist. notat Senatum variis motibus agitatum electo Galba, & *evulgato Imperii arcano posse Principem alibi quam Romæ fieri.*

6. *Civitatem*] Jus ad honores & suffragia. In Julio ad cap. 8.

7. *Jura trium liberorum*] De his in Claudio ad cap. 19.

8. *Sextam decuriam*] Quintam addiderat Caligula, supra in Caligula cap 16. De decuriis illis in Augusto ad cap. 29.

9. *Beneficium*] In Claudio cap. 22.

Digitized by Google

CAPUT XV.

EXISTIMABATUR etiam ſenatoria & equeſtria officia bienni ſpatio determinaturus, nec daturus niſi [1] invitis ac recuſantibus. Liberalitates Neronis non plus [2] decimis conceſſis, per [3] quinquaginta Equites Rom. ea conditione revocandas curavit exigendaſque: ut & ſi quid [4] ſcenici aut xyſtici donatum olim vendidiſſent, auferretur emtoribus, quando illi abſumto pretio ſolvere nequirent. At contra, nihil non [5] per comites atque libertos pretio [6] addici, aut donari gratia paſſus eſt, vectigalia, immunitates, pœnas innocentium, impunitates noxiorum. Quinetiam Pop. Rom. depoſcente ſupplicium [7] Haloti & [8] Tigillini, ſolos ex omnibus Neronis emiſſariis vel maleficentiſſimos incolumes præſtitit: atque inſuper Halotum procuratione ampliſſima ornavit. Pro Tigillino etiam ſævitiæ populum increpuit edicto.

Notæ.

1. *Invitis*] Ita ut ad Magiſtratus eveheret illos qui nollent vel non ambirent. Ita Livius Fabio recuſanti Conſulatum datum dicit. Contra vero Claudius Senatoriam dignitatem recuſantibus & equeſtrem ademit. In Claudio cap. 24.

2. *Decimis*] Hoc eſt, non reliquit habendam niſi decimam partem eorum, quæ Nero largitionibus profuderat. In Nerone cap. 30. & 31. Verum Tacitus air, ne ipſas quidem decimas ſuperfuiſſe, illis qui acceperant eadem profuſione utentibus.

3. *Quinquaginta equites*] Tacitus 1 Hiſtor. non niſi triginta recenſet, ſed viginti addi potuere poſtea propter negotii difficultatem: quod innuit Plutarchus in Galba.

4. *Scenici aut xyſtici*] Hiſtriones & athletæ. In Auguſto ad cap. 45.

5. *Per comites*] Amicos varii ordinis, de quibus vide in Tiberio ad cap. 46. & Julio cap. 4.

6. *Addici*] Multi optimæ notæ codices & Romana vetus editio *adipiſci*, bene; verbum enim hoc, auctore Priſciano, tam activa quam paſſiva ſignificatione veteres uſurparunt, ut Plautus in Trinummo:

Non ætate ſed ingenio adipiſcitur ſcientia.

7. *Haloti*] Præguſtatoris, qui Claudio venenum miſcuerat. In Claudio cap. 44.

8. *Tigillini*] Torrentius legit *Tigellini*. Sic & Tacitus 1. Hiſt. *Sophonius Tigellinus obſcuris parentibus, fœda pueritia, impudica ſenectâ, Præfecturam vigilum, & Prætorii & alia præmia virtutum, qui velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam & virilia ſcelera exercuit, corrupto ad omne facinus Nerone; quadam ignaro auſus ac poſtremo ejuſdem deſertor ac proditor. Unde non alium pertinacius ad pœnam flagitavere, &c. apud Galbam T. Vinii* (quem Junium dicit noſter capite ſuperiori) *gratia defenſus.* Notus de eo Juvenalis verſus Sat. 1. v. 155.

CAPUT XVI.

PER hæc prope univerſis ordinibus [1] offenſus, vel præcipua flagravit invidia apud milites. Nam cum in verba ejus abſentis jurantibus [2] donativum grandius ſolito præpoſiti [3] pronuntiaſſent: neque ratam rem habuit, & ſubinde jactavit, [4] *legere ſe militem non emere conſueſſe*. Atque eo quidem nomine omnes, qui ubique erant, exacerbavit. Cæterum prætorianos etiam metu & indignitate commovit, removens ſubinde pleroſque ut ſuſpectos, & [5] Nymphidii ſocios. Sed

Digitized by Google

maxime fremebat ſuperioris Germaniæ exercitus, fraudari ſe præmiis [6] navatæ adverſus Gallos & Vindicem operæ. Ergo primi obſequium rumpere auſi, Kalend. Januarii [7] adigi ſacramento niſi in nomen Senatus, recuſarunt: ſtatimque legationem ad Prætorianos cum mandatis deſtinaverunt, *diſplicere Imperatorem in Hiſpania factum, eligerent ipſi quem cuncti exercitus comprobarent.*

Notæ.

1. *Offenſus*] Sic Cicero pro Cluentio 158. *Etiamſi is invidioſus multiſque offenſus ſit.* Et lib. 1. Epiſt. 18. *ſi hominem mihi offenſum non ſublevaſſem.* Unde patet non ideo delendam hanc vocem, quod in MSS. quibuſdam legatur *offenſis.*

2. *Donativum*] Dona quæ militibus largiebantur, ut congiarium quæ plebi. Vide in Julio ad cap. 27.

3. *Pronuntiaſſent*] Publice promiſiſſent. Vide in Julio ad cap. 26.

4. *Legere militem*] Sic Tacitus 1. Hiſt. *Acceſſit Galbæ vox pro Republica honeſta, ipſi anceps legi a ſe, militem non emi.*

5. *Nymphidii*] Ipſorum Præfecti, ſupra cap. 11.

6. *Navatæ*] Duce Virginio Rufo, ut in Nerone ad cap. 40. Hic delatum ſibi ab exercitu ſuo Imperium recuſarat: quo nomine multis illum laudat Plinius Epiſtola 1. lib. 2. & tandem ait, *& quidem ille plenus annis obiit, plenus honoribus, etiam illis quos recuſavit.*

7. *Adigi*] Torrentius in duobus MSS. optimis legit *addici.* Loquitur de ſacramento militari quo ſuam fidem Principi aſtringebant.

CAPUT XVII.

QUOD ut nuntiatum eſt, deſpectui eſſe non tam ſenectam ſuam, quam [1] orbitatem ratus, [2] Piſonem frugi Licinianum, nobilem egregiumque juvenem, ac [3] ſibi olim probatiſſimum teſtamentoque [4] ſemper in bona & nomen adſcitum, repente e media ſalutantium turba apprehendit; filiumque appellans, perduxit in caſtra, ac pro concione adoptavit: ne tunc quidem donativi ulla mentione facta: quo faciliorem occaſionem M. Salvio Othoni præbuit perficiendi conata, intra ſextum adoptionis diem.

Notæ.

1. *Orbitatem*] Ita & Plutarchus: ſunt enim *liberi firma imperii munimenta, & ſubſidia dominationis*, ut ait Tacitus; ſive Aulæ ſubſidia, ut Suetonius in Caligula cap. 12.

2. *Piſonem frugi*] Hic *M. Craſſo & Scribonia genitus nobilis utrimque vultu habituque moris antiqui, æſtimatione recta ſeverus, deterius interpretantibus, triſtior habebatur. Ea pars morum, quo ſuſpectior ſollicitis, adoptanti placebat*, &c. Tacitus 1. Hiſtor. ubi habitam ſuper hac re a Galba orationem refert.

3. *Olim probatiſſimum*] Vel propria propenſione, vel, ut quidam tradiderunt, inſtante Lacone, cui vetus cum illo amicitia, *ſed callide ut ignotum fovebat, & proſpera de Piſone fama conſilio ejus fidem addiderat*, inquit ibidem Tacitus.

4. *Semper*] Alii *ſuper*, ſed melius *ſempers* Teſtamenta enim longe ante mortem condita ſervabant, ut in Julio ad cap. 83. aut ſervanda deponebant, ut in Auguſto ad cap. 17. &c.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

MAGNA & assidua monstra jam inde a principio exitum ei, qualis evenit, portenderant. Cum per omne iter dextra sinistraque oppidatim [1] victimæ cæderentur, [2] taurus securis ictu consternatus, [3] rupto vinculo, effedum ejus invasit: elatisque pedibus totum cruore perfudit, ac descendentem [4] spiculator impulsu turbæ lancea prope vulneravit. Urbem quoque, & deinde Palatium ingressum, excepit [5] terra tremore, & [6] assimilis quidam mugitui sonus. Secuta sunt aliquanto manifestiora. Monile margaritis gemmisque consertum ad ornandum [6] Fortunam suam Tusculanam, ex omni gaza secreverat: id repente quasi augustiore dignius loco, Capitolinæ Veneri dedicavit: ac proxima nocte somniavit speciem Fortunæ querentis fraudatam se dono destinato, minantisque erepturam & ipsam quæ dedisset. Cumque exterritus luce prima ad [8] expiandum somnium, præmissis qui rem divinam apparārent, Tusculum excucurrisset, nihil invenit præter [9] tepidam in ara favillam, [10] atratumque juxta senem in [11] catino vitreo [12] thus tenentem, & in calice fictili merum. Observatum etiam est [13] Kalend. Januariis sacrificanti coronam de capite excidisse: auspicanti pullos [14] evolasse: adoptionis die neque milites allocuturo [15] castrensem sellam de more positam pro Tribunali, oblitis ministris, & in Senatu [16] curulem perverse collocatam.

NOTÆ.

1. *Victimæ caderentur*] De hac pompa jam supra Neron. ad cap. 25. & Calig ad cap. 13.

2. *Taurus consternatus*] Multiplex hac in re signum infausti sacrificii, de quo jam supra in Julio ad cap. 59 in Tito cap. 10. ac denique Plinius lib. 8. cap 45. *Notatum est vitulos ad aras humeris hominis allatos non fere litare, nec claudicantes nec alienæ hostiæ deos placari, nec trahente se ab aris*, &c. De quo plura quoque Macrobius lib. 3. cap. 15.

3. *Rupto vinculo*] Servius lib. 2. Æneidos solutas ait fuisse hostias unde Torrentius miratur hîc vinculi mentionem fieri, & existimat ferociores hostias longo vinculo duci solitas, quo quasi liberæ videbantur, juxta hunc Juvenalis versum Sat. 12.

Sed procul extentum petulans quatit hostia funem.

Sed videtur Servius hostiam a victima distinxisse, ut re vera distinguebantur exacte loquentibus: Cornelius enim Fronto, cujus fragmenta quædam leguntur in libellis veterum Grammaticorum de proprietate & differentia Latini sermonis ait, *Victima major est, hostia minor.* Et certe, utut est de hostiis, victimas ligari solitas const. Videtur ex Festo: *Victimam Ælius Stilo ait esse vitulum ob ejus vigorem: alii autem quæ victa adducatur ad altare.* Et Isidorus lib. 6. Originum cap. 19. *Et erant victimæ majora sacrificia quam hostiæ: alii victimam dictam putaverunt quia ictu percussa cadebat, vel quia vincta ad aras ducebatur.* Certe absque eo parum securitatis fuisset sacrificantibus, nisi ita certus fuisset primus ictus, ut ad eum statim bestia concideret.

4. *Spiculator*] Satelles corpore custos, ut supra in Caligula ad cap. 42. Horum arma clypeus & lancea, unde videtur deductum nomen.

5. *Terra tremore*] Alii *terra tremor*, quod & potest. Neroni egredienti idem contigit. In Nerone cap. 48.

6. *Assimilis quidam mugitui sonus*] Naturalis ille effectus ante tremores terræ, auctore Seneca lib. 6. Quæst. natur. cap. 13. *Ideoque antequam terra moveatur, solet mugitus audiri ventis in abdito tumultuantibus;*

Digitized by Google

nec enim aliter posset, ut ait noster Virgilius lib. 6. Æneid.

Sub pedibus mugire solum & juga cælsa moveri.

nisi hoc esset ventorum opus, &c. ubi varias Philosophorum super hac re sententias refert. Idem & Plinius lib. 2.

7. *Fortunam suam*] Supra cap. 4.

8. *Expiandum somnium*] Hoc est procurandum, quomodo supra de fulgure ad cap. 4. ut dea malum averteret. Tibullus lib. 3. Eleg. 4.

At natum in curas hominum genus, omina noctis
Farre pio placant & saliente mica.

9. *Tepidam in ara favillam*] Quam fulgere oportuerat ad bonum omen, ut de flamma notatum est in Tiberio ad cap. 14. & 6.

10. *Atratum senem*] Utrumque infaustum; nam & lugubre vestimentum est, & tristis persona, quam non modo puerum ingenuum esse oportuit; sed & illum bene comptum, quales *Camilli* vocabantur.

11. *Catino vitreo*] Catinus vitreus & calix fictilis vasa sunt usus quotidiani escaria: quo dupliciter malum est omen: nam materiæ vilitas imperatoriam majestatem non decebat, nec vasa ista profana sacrificantem; vinum enim *simpulo*, thus autem *acerra* contineri debebant.

12. *Thus & merum*] His sacrificia incipiebantur. Ovidius 1. Fast.

Mox ego cur, quamvis aliorum numina placem
Jane, tibi primum thura merumque fero.

Vide & in Augusto ad cap. 35.

13. *Calendis Januariis*] Nero ad octavum Idus Junii perierat, auctore Dione. Coronam hîc intellige vel triumphalem, vel vittam capitis, qualem habebant sacrificantes, sed illam potius.

14. *Evolasse*] Atque ideo non comedisse, nec feciſse tripudium illud quod vocabant solistinum, eratque auspicium omnium optimum, ut in Tiberio ad cap. 2. Alii legunt *avolasse*, & bene.

15. *Castrensem sellam*] Sellam singulis locis accommodatam Imperatores habebant in castris, in curia, in theatro, in ipso cubiculo, in qua sedere nemini fas erat, ut & de Persarum Regibus in Nerone ad cap. 35. notatum est.

16. *Curulem*] De sella curuli, in Augusto ad cap. 43.

CAPUT XIX.

PRius vero quam occideretur, sacrificantem mane [1] haruspex idemtidem monuit, caveret periculum: non longe percussores abesse. Haud multo post cognoscit teneri [2] castra ab Othone: ac plerisque ut eodem quam primum pergeret suadentibus (posse enim auctoritate & præsentia prævalere) nihil amplius quam continere se statuit: & [3] legionariorum firmare præsidiis, qui multifariam diverseque tendebant. [4] Loricam tamen induit linteam, quamquam haud dissimulans parum adversus tot mucrones profuturam. Sed extractus rumoribus falsis, quos conspirati ut eum in publicum elicerent, de industria [5] dissiparant, paucis temere affirmantibus transactum negotium, oppressos qui tumultuarentur, advenire frequentes cæteros gratulabundos, & in omne obsequium paratos: his ut occurreret, prodiit tanta fiducia, ut militi cuidam occisum a se Othonem glorianti, [6] *Quo auctore* responderit, atque in Forum usque processit. Ibi equites, quibus mandata cædes erat: cum per publicum dimota [7] paganorum turba equos adegissent, viso procul eo, parumper restiterunt: deinde rursum incitati, [8] desertum a [8] suis contrucidarunt.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Aruſpex*] Umbritius juxta Plutarchum in Galba, & Tacitum, videtur & idem ille eſſe de quo Juvenalis Sat. 3. Plinius quoque lib. 10. cap. 6.

2. *Caſtra*] Prætoria ſcilicet de quibus in Tiberio ad cap 37.

3. *Legionariorum*] Electos ex Illyrico exercitu veroſimiliter intelligit: hos enim paullo ante a Nerone evocatos tradit Tacitus 1. Hiſtor.

4. *Lericam linteam*] Hujuſmodi loricas & apud Græcos in uſu fuiſſe conſtat ex Æmilio Probo in Iphicrate. Qua autem ratione fierent, collegit Caſaubonus ex Niceta Acomitano libro 1. rerum Iſaci Angeli. Hujus Auctoris teſtimonium Latine ſic legas: *Ipſe Conradus ſine ſcuto tunc dimicabat; ſed pro lorica textum quoddam geſtabat a lino factum, vino auſtero probe ſalito maceratum, ſæpius replicatum: quod quidem ſale ac vino coactum adeo firmum adverſus ictus erat, ut penetrari nullo telo poſſet: erant autem hujus texti plagellæ octodecim, & eo plures.*

5. *Diſſiparant*] Alii *diſperſerant*. Utrumque bene.

6. *Quo auctore*] De hoc Tacitus: *Julius Atticus ſpeculator cruentum gladium oſtentat, occiſum a ſe Othonem clamavit. Et Galba commilito inquit, Quis juſſit? Inſigni animo ad coercendam militarem licentiam, minantibus intrepidus, adverſus blandientes incorruptus.*

7. *Paganorum*] Hos opponit militibus, ut cæteri omnes qui non militarent intelligantur, ut in Auguſto ad cap. 27.

8. *Deſertum a ſuis*] Uno excepto de quo Tacitus 1. Hiſt. *Inſignem illa die virum Sempronium Denſum atas noſtra vidit. Centurio is Prætoriæ cohortis ad Galbæ cuſtodiam a Piſone additus ſtricto pugione occurrens armatis ac ſcelus exprobrans, modo voce, modo manu vertendo in ſe percuſſores quamquam vulnerato Piſoni effugium dedit.* Plutarchus addit hunc vitæ centurionali diu conatum fruſtra auctoritate retinere illos aut arceſſere, tandem ſtricto gladio, obſtitiſſe irrumpentibus, donec ſuccifis popliteis jacuit.

CAPUT XX.

SUNT qui tradant ad primum tumultum proclamaſſe eum, *Quid agitis, commilitones? ego veſter ſum, & vos mei:* donativum etiam pollicitum. Plures autem prodiderunt, obtuliſſe ultro jugulum: & *ut* [1] *hoc agerent ac ferirent, quando ita videretur,* hortatum. Illud mirum admodum fuerit, neque præſentium quempiam opem Imperatori ferre conatum: & omnes qui accerſirentur [2] ſpreviſſe nuntium, excepta [3] Germanicorum [4] vexillatione. Hi ob recens meritum, quod ſe ægros & invalidos magnopere foviſſet, in auxilium advolavere: ſed ſerius itinere devio per ignorantiam locorum retardati, jugulatus eſt ad [5] lacum Curtii, ac relictus ita uti erat, donec [6] gregarius miles a frumentatione rediens, abjecto onere caput ei amputavit. Et quoniam capillo præ calvitie arripere non poterat, in gremium abdidit. Mox inſerto per os pollice, ad Othonem detulit. Ille lixis calonibuſque donavit: qui [7] haſta ſuffixum, non ſine ludibrio circum caſtra portarunt, acclamantes identidem, *Galba* [8] *cupide fruaris ætate tua.* Maxime irritati ad talem jocorum petulantiam quod ante paucos dies exierat in vulgus, laudanti cuidam formam ſuam, ut adhuc floridam & vegetam, reſpondiſſe eum, [a] ἐγὼ μὲν μέντοι ἐφρόντιδι ἐσῶ. Ab his [9] Patrobii Neroniani libertus, centum aureis redemtum, eo [10] loco ubi juſſu Galbæ animadverſum in patronum fuerat, abjecit. Sero tandem diſpenſator Argius, & hoc & cæterum truncum in privatis ejus hortis [11] Aureliæ viæ ſepulturæ dedit.

INTER-

Digitized by Google

INTERPRETATIO.

a *Adhuc mihi robur firmum est.*

NOTÆ.

1. *Hoc agerent*] Ita & Tacitus & Plutarchus. De hac loquendi ratione in Caligula ad cap. 58.

2. *Prævisse nuntium*] Ut de Illyricis narrat Tacitus.

3. *Germanicorum*] Torrentius in duobus MSS. legit *Germaniciorum*. Eadem omnia Tacitus 1. Histor. Hi, ut ipse narrat, in atrio libertatis, Illyrici in porticu Vipsania tendebant. De quibus ædificiis supra in Augusto.

4. *Vexillatione*] Livius lib. 8. Decad. 1. vexillum habuisse 183 homines': cum vero eodem auctore quidam essent ordines tribus vexillis constantes, hos forte *vexillationis* nomine Suetonius expressit. Certe Torrentius vexillationem hîc sumit pro complexione quadam plurium vexillorum, ideo quod Tacitus *vexilla Germanica* dixerit. Turnebus tamen Adverſ. lib. 5. cap. 2. censet fuisse cohortem militum qui confectis stipendiis adhuc sub vexillis haberetur usque dum præmia forent assignata, juxta hunc Taciti locum: *ne dimissis quidem finem esse militiæ, sed apud vexillum retentos alio vocabulo eosdem labores perferre.*

5. *Lacum Curtii*] De eo urbis loco in Augusto ad cap. 57. Multis confossus est vulneribus, quæ a Tacito & Plutarcho fuse enumerantur.

6. *Gregarius miles*] Id de Fabulo quodam existimatum ait Tacitus, qui cum absconderet, jussus est ab aliis hastæ præfigere, & sic deferre.

7. *Hasta suffixum*] Galbæ & Pisonis capita hoc modo gestata sunt inter aquilas.

8. *Cupide*] Sic Torrentius in omnibus MSS. Turnebus tamen legit *Cupido*, ut sit jocus in Galbam, quasi jam factus senior videri voluisset vegetus & formosus.

9. *Patrobii*] Qui Neronis libertus fuerat, & jussu Galbæ interfectus. Paullo dissentit Plutarchus: nam Patrobii servis datum, non liberto ejus venditum narrat.

10. *Loco*] Hunc locum *Sessertium* vocari Tacitus ait, in quem nempe Cæsarum jussu condemnati abjiciebantur.

11. *Aurelia via dedit*] In optimo codice *tradidit*, utrobique bene. Erat & Aurelia porta una e tribus quæ erant in Janiculo, quam hodie a proximâ Divi Pancratii æde Pancratianam appellant.

CAPUT XXI.

[a] STATURA fuit justa, capite præcalvo, oculis cæruleis, adunco naso, manibus pedibusque [2] articulari morbo distortissimis: ut neque calceum perpeti, neque libellos evolvere aut tenere omnino valeret. Excreverat etiam in dexteriore latere ejus caro, propendebatque adeo, ut ægre fascia substringeretur.

NOTÆ.

1. *Statura fuit*] Sic legitur in uno eodemque optimo libro. In aliis *statura fuit justa, capite calvo*. De statura in Tiberio ad cap. 68. De calvitie in Julio ad cap. 45.

2. *Articulari morbo*] Podagra & Chiragra.

CAPUT XXII.

CUI plurimi traditur, quem tempore hiberno etiam ante lucem capere consueverat: inter cœnam vero usque eo [1] abundantem, ut congestas super manus reliquias circumferri juberet, spargique [2] ad pedes stantibus. Libidinis in mares pronior: & eos non nisi præduros, exoletosque. Ferebant in Hispania [3] Icelum e veteribus concubinis, de Neronis exitu nuntiantem, non modo arctissimis osculis palam exceptum ab eo, sed ut sine mora [4] velleretur oratum, atque seductum.

SSS

NOTÆ.

1. *Abundantem*] Alii *abundanti*: alii *abundans usque eo*.

2. *Ad pedes stantibus*] Lectorum scilicet, quales erant ministri, ut Calig. cap. 26. & Senec. 3. de Beneficiis: *servus qui cœnanti ad pedes erat*. Et Martial.

Misto lagenam replet ad pedes mero.

Quam distributionem etiam in more positam colligere est ex Senecæ Epist. 77. *Prænior*. Casaubonus mavult *prontoris*.

3. *Icelum*] De quo jam supra ad cap. 40. in Nerone.

4. *Velleretur*] Inde patet quanto jure vulsa illa corpora pro delicatis & effœminatis habita sint, & fœdissima a Quintiliano dicantur.

CAPUT XXIII.

A. U C. DCCCXXII.

PERIIT [1] tertio & septuagesimo ætatis anno, Imperii mense septimo. Senatus ut primum licitum fuit, statuam ei decreverat [2] rostratæ columnæ superstantem in parte Fori, qua trucidatus est. Sed decretum Vespasianus abolevit, percussores sibi ex Hispania in Judæam submissse opinatus.

NOTÆ.

1. *Tertio & septuagesimo*] Dio non septuaginta duos assignat: sed conciliat utrumque Zonaras qui obiisse Galbam dicit natum annos septuaginta duos, dies vero viginti tres; sed Imperio menses novem assignat, qui re ipsa videntur assignandi juxta Dionem qui, ut supra ad cap. 18. notatum est, periisse Neronem ait ad 8. Idus Junii: nam ab eo tempore vixit ad minimum ultra Calendas Januarias, ut ex eodem capite constat.

2. *Rostrata columna*] Duilius ille qui cum triumphum navalem primus egisset, id honoris a Senatu consecutus est, ut ei a cœna revertenti in perpetuum tibicines præcinerent, & funale præferretur, talem columnam erexit in Capitolio, Martique cum spoliis navalibus dicavit. Silius Italicus de eo lib. 6.

Rostra gerens nivea surgebat mole columna
Exuvias Marti donum quæ Duilius alto
Ante omnes mersa Pœnorum classe dicabat,
Cui nocturnus honos funalia clara, facesque
Post epulas tibicen adest. &c

Huic ergo similem Senatus Galbæ erigendam in Foro: qui mos nec etiam novus statuas columnis superstantes dedicare, Plinius lib. 34.

Digitized by Google

C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CÆSARIBVS. LIBER VII.

M. SALVIUS OTHO.

CAPUT I.

MAjores Othonis orti sunt oppido [1] Ferentino, familia vetere & honorata, atque ex principibus Etruriæ. Avus M. Salvius Otho, patre equite Rom. matre humili, incertum an ingenua, per gratiam Liviæ Augustæ, in cujus domo creverat, Senator est factus, nec Prætura gradum excessit. Pater L. Otho materno genere præclaro, multarum & magnarum propinquitatum, tam charus, tamque non absimilis facie Tiberio Principi fuit, ut plerique procreatum ex eo crederent. [2] Urbanos honores, Proconsulatum Africæ, & extraordinaria imperia, severissime administravit. Ausus etiam est in Illyrico milites quosdam, quod [3] motu Camilli ex pœnitentia præpositos suos, quasi defectionis adversus Claudium auctores, occiderant, capite punire: & quidem [4] ante principia [5] se coram: quamvis ob id ipsum promotos in ampliorem gradum a Claudio sciret. Quo facto, sicut gloriam auxit, ita gratiam minuit: quam tamen mature recuperavit, detecta [6] equitis Rom. fraude, quem prodentibus servis necem Claudio parare compererat. Namque & Senatus honore rarissimo, statua in Palatio posita, prosecutus est eum: & Claudius [7] allectum inter patricios collaudans amplissimis verbis, hoc quoque adjecit: [8] *Vir, quo meliores liberos habere ne opto quidem.* Ex Albia Terentia [9] splendida fœmina duos tulit filios, L. Titianum, & minorem Marcum [10] cognominem sibi Tulit & filiam, quam nondum nubilem [11] Druso Germanici filio despondit.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Ferentino*] Ferentia vel Ferentium, oppidum Hetruriæ: hodie *Ferento* est & urbs Latii: *Ferentino* & Apuliæ oppidum, cujus meminit Horatius Ode 4. lib. 3. non procul a Venusia ejus patria. De Hetrusca civitate videtur hîc loqui

2. *Urbanos honores*] Quæsturam, Ædilitatem, Præturam, &c. De singulis in Julio.

3. *Motu Camilli*] In aliquibus MSS. legitur *metu*, male, ut patet ex cap. 13. in Claudio.

4. *Ante principia*] Locus erat in fronte castrorum magna ab ipsis religione cultus, quod in eo aquilæ & signa, quæ dii sunt militares, unde Tacitus 1. Histor. *Cujus uxor mala cupidine visendi situm castrorum per noctem militari habitu ingressa, cum vigilias & cætera militiæ munia eadem lascivia tentasset, in ipsis principiis stuprum ausa.* &c. In eo loco omnes primi tendebant, primi hastati, primi principes, primipili, primi manipuli, primæ decuriæ.

5. *Se coram*] Quod fiebat tantum præsente Centurione, nec in castris ipsis, sed extra vallum, ut patet ex hoc loco Senecæ lib. 1. de Ira cap. 16. *Damnatus extra vallum deductus est, & jam cervicem porrigebat*, &c. *Tum Centurio supplicio præpositus condere gladium speculatorem jubet*, &c.

6. *Equitis Romani fraude*] Ejus verosimiliter de quo in Claudio cap. 13.

7. *Allectum inter patricios*] De patriciis in Augusto ad cap. 2.

8. *Vir quo meliores*, &c.] Tale quid in Claudio ad cap. 2.

9. *Splendida*] Vulgati legebant *splendidissima* minus bene. Tacitus enim lectionem nostram adjuvat, Hist. 2. *Othonis pater consularis, avus prætorius, maternum genus impar nec tamen indecorum.*

10. *Cognominem*] Torrentius in duobus MSS. legit *cognomine* absque *sibi*, male: constat enim ex Galbæ cap. 6. Othonis Imperatoris patrem, Othonem quoque cognominatum fuisse. Titiani autem filius Cocceianus a Domitiano occisus est, infra in Domitiano cap. 10.

11. *Druso*] Qui fame periit. In Tiberio cap. 54.

CAPUT II.

A. U. C. DCCXXCV. OTHO Imperator IV. Kalend. Maii natus est, [1] Camillo Arruntio, Domitio Ænobarbo Coss. A prima adolescentia prodigus, ac procax, adeo ut sæpe flagris objurgaretur a patre. Ferebatur & [2] vagari noctibus solitus: atque invalidum quemque obviorum vel potulentum corripere: ac [3] distento sago impositum in sublime jactare. Post patris deinde mortem, libertinam aulicam gratiosam, quo [4] efficacius coleret, etiam diligere simulavit, quamvis anum, ac pene decrepitam. Per hanc insinuatus Neroni, facile summum inter amicos locum tenuit congruentia morum: ut vero quidam tradunt, & consuetudine mutui stupri: ac tantum potentia valuit, ut damnatum [5] repetundis consularem virum, ingens præmium pactus, prius quam plane [6] restitutionem ei impetrasset, non dubitaret in Senatum ad agendas gratias introducere.

NOTÆ.

1. *Camillo*] Qui annus Urbis fuit 784. vel 785. Christi vero circiter 34. Ænobarbus ille Neronis Principis pater fuit, de quo in Nerone cap. 6.

2. *Vagari*] Ita & Nero, in Ner. cap. 26. Quidam legebant *solus*, male: quî enim solus id faciat?

3. *Distento sago*] Hæc est quæ proprie dicitur *sagatio*, ut post Petrum Pithœum ex Glossario Casaub. annotavit, lasciviæ nempe & ludicri genus, quo obvium hominem, vel canem, &c. culcitra aut sago, aliove simili stragulo exceptum jactabant in sublime. Martialis:

Digitized by Google

Ibis ab excusso missus in astra sago.

4. *Efficacius coleret*] Ad fortunam scilicet promovendam. Huc respexisse videtur Juvenalis:

optima summi
Nunc via processus vetulæ vesica beatæ.

5. *Repetundis*] Ursinus in veteri codice legit *de repetundis*, bene: sic enim semper loquuntur Jurisconsulti: aut *repetundarum*: sed præpositionum omissio huic Auctori familiaris est, ut jam supra notatum de crimine illo supra in Julio ad cap. 43.

6. *Restitutionem*] In Senatum scilicet, quo motus fuerat Lege Julia propter condemnationem illam; talem enim pœnam Julius isti crimini statuerat, ut in Julio cap. 43. & Tacitus confirmat Histor. 1. *Redditus Cadio Rufo Padio Blæso Senatorius locus, qui repetundarum criminibus sub Claudio & Nerone ceciderant.*

CAPUT III.

OMNIUM autem consiliorum secretorumque particeps, die quem Nero necandæ matri destinaverat, ad avertendas suspiciones cœnam utrique exquisitissimæ comitatis dedit. Item [1] Poppæam Sabinam, tunc adhuc amicam ejus, abductam marito, demandatamque interim sibi, nuptiarum specie recepit. Nec [2] corrupisse contentus, adeo dilexit, ut ne rivalem quidem Neronem æquo tulerit animo. Creditur certe non modo missos ad arcessendam non recepisse, sed ipsum etiam excluisse quondam pro foribus adstantem, miscentemque frustra minas & preces, ac depositum reposcentem. Quare [3] diducto matrimonio, sepositus est per caussam Legationis in Lusitaniam. Id satis visum, ne pœna acrior mimum omnem divulgaret: qui tamen sic quoque hoc disticho enotuit:

Cur Otho mentito sit queritis exsul honore?
Uxoris mœchus cœperat esse suæ.

Provinciam administravit quæstorius per decem annos, moderatione atque abstinentia singulari.

Notæ.

1. *Poppæam Sabinam*] De hac jam supra quædam in Nerone ad cap. 15. Suetonio Plutarchus assentitur in hac historia referenda, quam Tacitus Annal. 13. narrat paulo aliter.

2. *Corrupisse*] Alii legunt *corripuisse*, quasi *arripuisse*. Melius videtur *corrupisse*, hoc est ab amando Nerone alienasse: nec enim stuprum dici potest, si Tacitum audias, qui ejus uxorem tunc fuisse refert.

3. *Diducto*] Torrentius *deducto* legit, nec probat; *diducere* enim *dirimere* est, ut & Horatius lib. 3. Od. 9.

Quid si prisca redit Venus
Diducteque jugo cogit aheneo, &c.

4. *Sepositus est*] Aliam caussam affert Tacitus lib. 13. Quo tamen loco admodum corrupte legitur. *Otho sive amore incautus laudare formam uxoris* (Poppeæ) *apud Principem, sive ut accenderet, ac si eadem fœmina potirentur, id quoque vinculum potentiam ei adjiceret, &c.* Paulo infra: *Deficitur familiaritate sueta, post congressu & comitatu Otho, & postremo ne in urbe æmulatus ageret Provincia Lusitaniæ præficitur.*

Digitized by Google

CAPUT IV.

A. U. C. DCCCXXI.

UT tandem ultionis occasio data est, conatibus Galbæ primus accessit: eodemque momento & ipse spem Imperii cepit: magnam quidem & ex conditione temporum, sed aliquanto majorem ex affirmatione [1] Seleuci mathematici. Qui cum eum olim superstitem Neroni fore spopondisset, tunc ultro inopinatus advenerat, imperaturum quoque brevi repromittens. Nullo igitur officii aut ambitionis in quemquam genere omisso quoties cœnâ principem acciperet, [2] aureos excubanti cohorti viritim dividebat: nec eo minus alium alia via militum demerebatur. [3] Cuidam etiam de parte finium cum vicino litiganti, adhibitus arbiter, totum agrum redemit, [4] emancipavitque: ut jam vix ullus esset, qui non & sentiret & prædicaret solum successione Imperii dignum.

Notæ.

1. *Seleuci*] Ptolemæum vocant Tacitus & Plutarchus, unde utroque nomine appellatum colligere est, ut de Harpocra Claudii liberto, in Claudio ad cap. 28.

2. *Aureos*] Plutarchus in Othone aureum quoque divisum dixit, Tacitus 1 Hist. *Cohorti excubias agenti viritim centenos nummos dividebat.* Dio vero libro 55. aureum unum viginti quinque drachmis æstimat. Cum igitur drachma eadem sit cum denario, ut in Julio ad cap. 4. centeni nummi & viginti quinque drachmæ unam & eandem summam efficiunt: denarius enim quatuor sestertiis nummis æquivalet, ut ibidem probatum est; unde patet aureum unum, quem Auctores isti viginti quinque drachmis aut centenis sestertiis æstimant, viginti quinque denarios valere, nostrates vero libras quatuor, additis septem assibus itidem nostratibus cum semisse. Quod juxta Budæum semper intelligendum est: nam secundum alios, qui sestertium duplo pluris & amplius æstimant, hac proportione summa crescet. Qui tamen aurei valor paullo immutatus est sub recentioribus Imperatoribus.

3. *Cuidam*] Coccio Proculo speculatori, ut refert Tacitus 2 Hist.

4. *Emancipavitque*] Hoc est ab omni onere & servitute immunem præstitit: quod *dono dare* simpliciter dixit Tacitus 2. Hist. ubi rem narrat.

CAPUT V.

SPERAVERAT autem fore ut adoptaretur a Galba; idque in dies expectabat. Sed postquam, Pisone prælato, spe decidit, ad vim conversus est: instigante super animi dolorem etiam magnitudine æris alieni. Neque enim dissimulabat, *nisi principem, se stare non posse: nihilque referre, & hoste in acie, an in foro sub creditoribus, caderet.* Ante paucos dies servo Cæsaris [1] pro impetrata dispensatione [2] decies sestertium expresserat. Hoc subsidium tanti cœpti fuit: ac primo [3] quinque speculatoribus commissa est res, deinde decem aliis; quos singuli binos produxerant: omnibus [4] dena sestertia repræsentata, & quinquagena promissa. Per hos sollicitati reliqui, nec adeo multi, haud dubia fiducia in ipso negotio pluribus [5] affuturis.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Pro impetrata dispensatione*] Quod id illi muneris impetrasset a principe.

2. *Decies* HS.] Hoc est 43750 lib. Quantam summam a servo Galbæ Principis tam avari potuisse conferri Torrentius admiratur, utpote cum Galba dispensatori suo ordinario paropsidem leguminis mercedem dedisset, ut in Galba cap. 13. Sed fuit forte dispensatio quædam extraordinaria, quales erant illæ de quibus Plinius lib. 33. cap. 11. ubi de citerioris Hispaniæ dispensatore, & lib. 7. cap 39. ubi de quodam Neronis servo, qui cum Armeniaci belli dispensator esset, libertatem redemit centies vicies, hoc est 524000 lib.

3. *Quinque speculatoribus*] Aliter Tacitus 1. Hist. *Suscepere duo manipulares imperium populi Romani transferendum, & transtulerunt*, &c. De speculatoribus jam supra non semel.

4. *Dena sestertia*] Hoc est 437 lib. 10 s. quinquagena vero 2187 lib. 10 s. ubi notandum sestertios a Suetonio notis suis exprimi, sestertia vero ipsa voce proferri, ut ea distinguat. Ut distinguenda esse probatum est ad cap. 4 in Julio & cap. 6.

5. *Affuturis*] Sic Torrentius & Casaubonus in suis libris, præterquam in Vitterbiensi, in quo *plures affuturi*. Beroaldus & Sabellicus *plures affuturos*, clarius.

CAPUT VI.

[1] ERAT animus post adoptionem statim Castra occupare, cœnantemque in Palatio Galbam aggredi: sed obstitit respectus cohortis, quæ tunc excubabat, ne oneraretur invidia, quod ejusdem [2] statione & Caïus fuerat occisus, & desertus Nero. Medium quoque tempus [3] religio & [4] Seleucus exemit. Ergo destinata die, præmonitis conscriis, ut se in Foro sub æde Saturni ad [5] Milliarium aureum opperirentur, mane Galbam salutavit: utque consueverat, [6] osculo exceptus, etiam sacrificanti interfuit, audivitque [7] prædicta haruspicis. [8] Deinde liberto adesse architectos nuntiante, quod signum convenerat, quasi vænalem domum inspecturus abscessit: proripuitque se [9] postica parte Palatii ad [10] constitutum. Alii febrem simulasse aiunt, eamque excusationem proximis mandasse, si quæreretur. Tunc [11] abditus propere muliebri sella in castra contendit: ac deficientibus [12] lecticariis, cum descendisset, cursumque cepisset, laxato calceo restitit, donec omissa mora [13] succollatus, & a præsente comitatu IMPERATOR consalutatus, inter faustas acclamationes strictosque gladios [14] ad principia devenit, obvio quoque non aliter ac si conscius & particeps foret, adhærente. Ibi missis qui Galbam & Pisonem trucidarent, ad conciliandos pollicitationibus militum animos nihil magis pro concione testatus est, quam [15] *id demum se habiturum quod sibi illi reliquissent.* A. U. C. DCCCXXI.

NOTÆ.

1. *Erat*] Alii *tulerat*. De castris prætoriis, in Tiberio ad cap. 37.

2. *Statione*] Dum staret in excubiis; alio enim sensu hic sumi videtur quam supra in Nerone cap. 34 & 47.

3. *Religio*] Vel quod non faverent haruspicum responsa, vel quod fausta auspicanti non fuissent auguria, ut Ner. cap. 8. vel quod infelices sibi dies quosdam crederet, sicut Augustus omnes Nonas, ut in Augusto cap. 92. vel quod illi dies intermedii ex iis essent, qui publice religiosi, aut quibus tradita quadam a majoribus superstitione magni momenti, negotia inchoare

Digitized by Google

non audebant. Juven. Sat. 6. v. 570.

Qui menſis damnis, qua dentur tempora lucro.

4. *Seleucus*] Mathematicus ille, de quo paulo ſupra: hujuſmodi hominibus inconſultis nil quicquam tunc temporis aggredi mos erat. Juven. ibid. v. 552.

quidquid
Dixerit aſtrologus credens a fonte relatum
Ammonis, &c.

De hoc Seleuco idem Juvenalis ibid. verosimiliter agit:

Cujus amicitia conducendaque tabella
Magnus civis obit, & formidatus Othoni.

5. *Milliarium aureum*] Sic dicebatur Columna in capite Fori Romani erecta ex metallo, ut ait Plutarchus in Galba, quod ab ea viæ omnes Italiæ inciperent, & in eam quoque definerent, inſcripta locorum omnium diſtantia: quam diſtantiam quia milliariis definiebant, inde nomen ei fecerunt. Sed veroſimillimum eſt non intelligi niſi de conſularibus viis, per quas exercitus educerentur. Dio lib. 54. hujus auctorem facit Auguſtum cum viarum curam ageret. De quo etiam Plinius lib. 3. cap. 5.

6. *Oſculo exceptus*] De illa conſuetudine in Tiberio ad cap. 34.

7. *Prædicta haruſpicis*] Tacitus ſic narrat: 18. *Kalend. Febr. ſacrificanti pro ædi Apollinis Galbæ haruſpex Umbricius triſtia exta & inſtantes inſidias, ac domeſticum hoſtem pradicit, audiente Othone (nam proximus aſtiterat) idque ut latum e contrario & cogitationibus ſuis proſperum interpretante.*

8. *Liberto architecto*] Idem Tacitus: *Cauſſam digreſſus requirentibus finxit emi ſibi prædia vetuſtate ſuſpecta, idcoque prius exploranda.*

9. *Poſtica parte*] Vide in Claudio ad cap. 18. Tacitus per Tiberianam domum & liberto innixum abiiſſe dicit, non ſe propulſiſſe.

10. *Conſtitutum*] Tempus ſcilicet & locum.

11. *Abditus mulicbri ſella*] Hinc patet mulierum ſellas quibus in publicum prodibant, opertas fuiſſe.

12. *Lecticariis*] Qui ſellam ferebant præ nimia feſtinatione defatigatis. Id quoque Tacitus aliter, nec a pluribus quam viginti & tribus conſalutatum affirmat tanta paucitate trepido Galba, *ſed is habitus animorum fuit ut peſſimum facinus auderent pauci, plures vellent, omnes paterentur.*

13. *Succollatus*] Ita & in Claudio c. 10.

14. *Ad principia*, &c.] Vide ſupra ad cap. 1.

15. *Id ſe habiturum*] Tacitus 1. Hiſtor. *Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgus, jacere oſcula, & omnia ſervilitèr pro dominatione facere.*

CAPUT VII.

DEINDE [1] vergente jam die ingreſſus Senatum, [2] poſitaque brevi ratione, quaſi raptus de publico, & ſuſcipere Imperium vi coactus, geſturuſque communi omnium arbitrio, Palatium petit. Ac ſuper cæteras gratulantium adulantiumque blanditias, ab infima plebe appellatus NERO, [3] nullum indicium recuſantis dedit: immo ut quidam tradiderunt, etiam [4] diplomatibus primiſque epiſtolis ſuis ad quoſdam Provinciarum Præſides, Neronis cognomen adjecit. Certe & imagines ſtatuaſque ejus reponi paſſus eſt, & [5] procuratores atque libertos ad eadem officia revocavit. Nec quidquam prius pro poteſtate [6] ſubſcripſit, quam quingenties HS. ad peragendam [7] Auream domum. Dicitur ea nocte per quietem pavefactus gemitus maximos edidiſſe: repertuſque a concurſantibus humi ante lectum jacens per omnia piaculorum genera manes Galbæ, a quo deturbari expellique ſe viderat, propitiare tentaſſe: poſtridie quoque in augurando tempeſtate orta graviter prolapſum, identidem obmurmuraſſe: [8] Τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς.

NOTÆ.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Vergente jam die*] Tacitus 1 Histor. *Exacto per scelera die, novissimum malorum fuit lætitia. Vocat Senatum Prætor urbanus, certant adulationibus cæteri Magistratus*, &c.

2. *Posita brevi ratione*] Sic legitur in libris omnibus, excepto Vitterbiensi in quo *oratione*. Simplex hîc pro compositio *posita* pro *exposita*.

3. *Nullum*] Forte quod apud nonnullos Romanos favorabile Neronis nomen esset, ut fuisse constat ex cap. 57. in Nerone, quos inter annumerari potuerit *miles urbanus longo Cæsarum sacramento imbutus, & ad occidendum Neronem arte magis & impulsu, quam proprio ingenio traductus*, ut ait Tacitus.

4. *Diplomatibus*] Hoc est mandatis: in Nerone ad cap. 12. &c.

5. *Procuratores*] Qui res ejus curabant. De quibus in Claudio ad cap. 12.

6. *Subscripsit*] Ad solvendum scripsit. Vide in Tiberio ad cap. 32. *Quingenties*, hoc est nostro ritu 1187500 lib.

7. *Aurea domum*] De qua plura in Nerone cap. 31. &c.

8. Τί γὰρ μοι, &c.] Quid mihi cum longis tibiis. In re divina facienda tibias adhibebant; unde cum sibi non profutura videret ea sacrificia, dicebat, Quid me sacris operam dare & piaculis pacem deûm quærere juvat? Paulo aliter leguntur hæc verba apud Xiphilinum, τί γὰρ με ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν, *Quid me oportebat magnis tibiis canere*? quasi ipsum impensæ pœnituisset factæ ad sacrificium nil profuturum. Nisi ad susceptum imperium referatur, quod nempe onus fuisset suis viribus impar. Juvenalis Sat. 11. v. 55.

bucca
Noscenda est mensura tuæ.

Nam quemadmodum buccis omnibus non conveniunt grandiores tibiæ, ita, &c. Vide Turneb. lib. 5. cap. 1. & lib. 17. cap. 20.

CAPUT VIII.

SUB idem vero tempus Germaniciani exercitus in Vitellii verba juraverant. Quod ut comperit, auctor Senatui fuit mittendæ Legationis, quæ doceret, electum jam Principem: quietem & concordiam suaderet. Et tamen per internuncios ac literas, consortem Imperii, generumque se Vitellio obtulit. Verum haud dubio bello jam ducibus & copiis quas Vitellius præmiserat, appropinquantibus, animum fidemque prætorianorum erga se pene internecione amplissimi ordinis expertus est: & [1] placuerat per classiarios arma transferri, remittique navibus. Ea cum in castris sub noctem promerentur, insidias quidam suspicati, tumultum excitaverunt: ac repente omnes, nullo certo duce, in Palatium cucurrerunt, cædem Senatus flagitantes: repulsisque [2] Tribunorum, qui inhibere tentabant, nonnullis & occisis, sicut erant cruenti, ubinam Imperator esset requirentes, perruperunt [3] in triclinium usque, nec nisi viso destiterunt. Expeditionem autem impigre atque etiam præpropere inchoavit: nulla ne religionum quidem cura, sed & motis necdum conditis [4] ancilibus, quod antiquitus infaustum haberetur: & die, [5] quo cultores Deûm matris lamentari & plangere incipiunt: præterea [6] adversissimis auspiciis. Nam & victimas Diti patri cæsas [7] litavit; cum tali sacrificio contraria exsta potiora sint. Et primo egressu inundationibus [8] Tiberis retardatus ad xx. etiam lapidem ruina ædificiorum præclusam viam offendit.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Placuerat*] Casaubonus delet conjunctionem *&*, finita ante verbum periodo, bene; incipit enim narratio eorum quæ secuta sunt. De classiariis illis, in Galba cap. 12. Rem illam fuse & paulo aliter narrat Plutarchus.

2. *Tribunorum*] *Resistentem seditioni Tribunum & severissimum Centurionum obtruncant*, &c. Tacitus.

3. *In triclinium usque*] Idem Tacitus: *Erat Othoni celebre convivium primoribus fœminis virisque, qui trepidi fortuitusne militum furor, an dolus Imperatoris, modo constantiam simulare*, &c Quid sit triclinium, in Julio ad cap. 43. &c. Hic sumi videtur pro ipsa cœnatione.

4. *Ancilibus*] Ancile scutum quoddam breve sic dictum, quia ex utroque latere erat recisum, ut summum imumque latus esset medio, quale Numæ temporibus e cœlo cecidisse narraverunt, vocemque auditam, potentissimam Urbem fore quamdiu in ea mansisset. Ne igitur illud internosci posset, & furto surripi, facta sunt ejusdem generis plura alia quæ Romani quotannis statо tempore, mense scilicet Martio, per urbem circumferebant, ac trigesimo demum die recondebant. Toto autem illo spatio aut saltem diebus quibus movebantur, tanta superstitione tenebantur homines, nihil ut quidquam nisi infaustum publice geri posse crederent. Hinc Livius lib. 7. Decad. 4. *Stativa deinde ad Hell spontum aliquandiu habuerunt, quia dies forte quibus ancilia moventur religiosi. ad iter inciderant*, &c. Suetonius hic & Tacitus 1. Hist. in fine: quin & privata hoc tempore negotia differrent, ut de matrimonio indicat Ovidius 3. Fast.

Arma movent pugnam, pugna est aliena maritis,
Condita cum fuerint aptius omen erit.

Turnebus Adverss. lib. 5. cap. 1. assentitur Servio qui ad hunc 8. Æneid. versum,

vique impulit arma,

Qui belli susceperat curam, inquit, *sacrarium Martis ingressus primo ancilia commovebat, post hostiam simulacri ipsius dicens*, MARS VIGILA. Sed ibi nulla condendorum mentio, nulla necessitas

5. *Cultores Deûm matris*] Cybeles scilicet, cujus Sacerdotes Galli dicebantur, de quibus in Augusto ad cap. 68. Servius ad 9. Æneid. *Mater magna instituit ut quotannis in sacris suis plangeretur*, &c in solatium scilicet amissi Athys adolescentuli, quem deperibat, cujus nota fabula.

6. *Adversissimis auspiciis*] Enumerat ea Tacitus 1. Histor. in fine.

7. *Litavit*] Hoc est placavit, quod signum erat accepti sacrificii, & Othonem brevi ad illum Deum migraturum, cui gratum obtulerat sacrificium Hinc dicit contraria exta in his sacris esse potiora: quo confirmatur quod super hac re notatum est in Julio ad cap. 81.

8. *Tiberis*] Hic auctore Plinio lib 3. cap. 5. *Vates quodammodo intelligitur ac monitor auctu semper religiosus.* Plutarchus in Othone scribit Tiberim ita numquam excrevisse, nec eluvione sua tantum intulisse damni.

CAPUT IX.

SIMILI temeritate quamvis nemini dubium esset quin trahi bellum oporteret, quando & fame & angustiis locorum urgeretur hostis, quam primum tamen decertare statuit: sive impatiens longioris sollicitudinis, speransque ante Vitellii adventum profligari [1] plurimum posse: sive impar militum ardori, pugnam deposcentium. Nec illi pugnæ affuit, substitituque [2] Brixilli. Et tribus quidem, verum mediocribus præliis, apud Alpes, circaque Placentiam, & [3] ad Castoris, quod loco nomen est, vicit, novissimo maximoque apud [4] Bebriacum fraude superatus est: cum spe colloquii facta, quasi ad conditionem pacis militibus eductis, ex improviso, atque in ipsa [5] consalutatione, dimicandum fuisset: ac statim moriendi impetum cepit: ut multi, nec frustra, opinantur,

Digitized by Google

magis pudore, ne tanto rerum hominumque periculo dominationem sibi asserere perseveraret, quam desperatione ulla, aut diffidentia copiarum: quippe residuis, integrisque etiam nunc, quas secum ad secundos casus detinuerat, & supervenientibus aliis e Dalmatia, [6] Pannoniaque & Mœsia: ne victis quidem adeo afflictis, ut non in ultionem ignominiæ quidvis discriminis ultro, & vel solæ subirent.

Notæ.

1. *Profligari plurimum*] Alii legunt *prælium* quod esset clarius; nam profligare est prorsus confiteere & absolvere, ut apud Ciceronem Epist. 29. lib. 12. ad Famil. *Profligato bello & pene sublato renovatum bellum gerere conamur.* Et Tacitus eodem sensu usus est hoc verbo: de cujus tamen significatione aliter Gellius lib. 15. cap. 5.

2. *Brixilli*] *Brixillum* sive *Brixellum*, Galliæ togatæ Cispadanæ civitas ad ipsum Padum, hodieque *Brissello*, in Ducatu Mutinensi.

3. *Ad Castoris*] Locus est ad duodecimum a Cremona lapidem, cujus meminit quoque Tacitus juxta emendationem Lipsii, cum ante legeretur *castrorum*.

4. *Bebriacum*] Dissentiunt ferme omnes tam Græci quam Latini in scribenda hac voce. Vitterbiensis & Lisiæi codices *Bretiacum*, quidam apud Eutropium *Betriacum*, ut & Plutarchus. Alii *Bedriacum*, &c. Juven. Sat 2.

Bebriaci in campo spolium affectare Palati.

oppidum olim, nunc pagus est quem dicunt *Labina*, Cremonam inter & Veronam.

5. *Consalutatione*] Torrentius in duobus codicibus legit *consultatione*, male, ut colligere est ex Tacito rem narrante fusius.

6. *Pannonia*] De hac in Tiberio ad cap. 17. Mœsia dividitur in superiorem & inferiorem: illa hodie *Bosnia* & *Servia*; hæc *Bulgaria* nuncupantur. Harum regionum exercitus in Othonis verba juraverant, ut auctor Tacitus.

CAPUT X.

INTERFUIT huic bello pater meus Suetonius [1] Lenis, tertiæ decimæ legionis Tribunus [2] angusticlavius. Is mox referre crebro solebat, Othonem etiam privatum usque adeo detestatum civilia arma, ut memorante quodam inter epulas de Cassii Brutique exitu, cohorruerit: nec concursurum cum Galba fuisse, nisi confideret sine bello rem transigi posse. Tunc ad despiciendam vitam exemplo manipularis militis concitatum: qui cum cladem exercitus nuntiaret, nec cuiquam fidem faceret, ac nunc mendacii, nunc timoris, quasi fugisset ex acie, argueretur, gladio ante pedes ejus incubuerit: hoc viso proclamasse eum aiebat: *non amplius se in periculum tales tamque benemeritos conjecturum.* [3] Fratrem igitur fratrisque filium, & singulos amicorum cohortatus, ut sibi quisque pro facultate consuleret, ab amplexu & osculo suo dimisit omnes, secretoque captato, binos [4] codicillos exaravit ad sororem consolatorios. Sed & ad [5] Messallinam Neronis, quam matrimonio destinaverat, commendans reliquias suas & memoriam. Quidquid deinde epistolarum erat, ne cui periculo aut noxæ apud victorem forent, concremavit. Divisit & [6] pecunias domesticis ex copia præsenti.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Lenis*] Auctor vero hic noster *Tranquillus*, quod idem sonat. Tacitus inter Othonianos duces meminit Paulini cujusdam Suetonii, qui nescio an istos aliqua propinquitate contingeret.

2. *Angusticlavius*] Ut latus clavus Senatorum, sic angustus clavus Equitum Romanorum insigne fuit. Ab hac clavorum differentia, discrimen etiam ortum est inter Tribunos militum, quorum alii Laticlavii, alii Angusticlavii dicebantur: Senatorum quippe & Equitum filiis fas fuit uti lato clavo statim a sumpta virili toga usque ad ætatem Senatoriam: quo tempore si non legerentur, in Senatum tunc ad angustum clavum redibant, ut probat Aldus Manutius lib. 2. de quæstiis per epistolam epist. 2. & supra in Augusto notatum est ad cap 38. quanquam contra sentit Theodorus Marcilius in Vesp. cap. 2.

3. *Fratrem*] De illo dissentiunt a Suetonio Tacitus & Plutarchus; nam & evasisse tradunt & dedidisse se. De ejus filio supra ad cap. 1. apud Plutarchum in Othone, & Tacitum 2. Hist. extant illæ cohortationes, quibus tandem Cocceianum fratris filium erecto animo jubet esse ad capescendam vitam, *neu patruum sibi Othonem fuisse aut oblivisceretur unquam, aut nimium meminisset.*

4. *Codicillos*] Epistolas. Vide supra in Nerone ad cap. 52. & Tib ad cap. 51.

5. *Messallinam*] De Statilia Messallina, in Nerone cap. 35.

6. *Pecunias*] Tacitus lib. 2. Hist. ubi idem de libellis & epistolis retulit, *pecunias distribuit parce nec ut perituras.*

CAPUT XI.

ATQUE ita paratus, intentusque jam morti, tumultu inter moras exorto, ut eos qui discedere & abire cœptabant, corripi quasi desertores, detinerique sensit: *Adjiciamus*, inquit, *vitæ & hanc noctem*, [1] his ipsis, totidemque verbis, vetuitque vim cuiquam fieri: & in serum usque patente cubiculo, si quis adire vellet, potestatem sui præbuit. Post hæc sedata siti gelidæ aquæ potione, arripuit duos pugiones, & explorata utriusque acie, cum alterum pulvino subdidisset, foribus adopertis arctissimo somno quievit. Et circa lucem demum expergefactus, uno se trajecit ictu infra lævam papillam: irrumpentibusque ad primum gemitum, modo celans, modo detegens plagam, exanimatus est: & celeriter (nam ita præceperat) [2] funeratus, [3] XXXVIII. ætatis anno, & XCV. Imperii die.

A. U. C. DCCCXXIII.

NOTÆ.

1. *His ipsis*] Tacitus hæc verba non refert, reliquas omnes circumstantias eodem prorsus modo, nisi quod *nectem quietam usque affirmatur*, inquit, *non insomnem* egisse refert.

2. *Funeratus*] Brixil. ubi sepulcrum ejus vidisse se testatur Plutarchus, non *Veliternæ*, ut legebant vulgati codices: ideo autem *funus maturatum*, quia *ambitiosis id precibus petierat ne amputaretur caput ludibrio futurum, tulere corpus prætoriæ cohortes cum laudibus, & lacrymis vulnus manusque ejus exosculantes, quidam militum juxta rogum interfecere se, non noxa neque metu, sed amulatione decoris & caritate Principis.*

3. *Trigesimo octavo*] Tacitus non nisi triginta septem assignat, verum Suetonius more suo annum inceptum pro completo numeravit. Discrepant alii complures in trium horum imperio computando, sed Xiphilinus annum unum & viginti duos dies illis assignandos monet, nempe a morte Neronis ad initium Vespasiani, quæ certissima Josepho Scaligero ad Chronologiam illam ratio videtur; quia non illi successive, sed duo simul Imperatores fuere.

Digitized by Google

CAPUT XII.

TANTO Othonis animo nequaquam corpus aut habitus competiit. Fuisse enim traditur & modicæ staturæ, & male pedatus, [1] scambusque. Munditiarum vero pene muliebrium: vulso corpore: [2] galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo, ut nemo dignosceret. Quin & faciem quotidie rasitare, ac [3] pane madido linere consuetum: idque instituisse a prima lanugine, ne barbatus umquam esset. [4] Sacra etiam Isidis sæpe in [5] lintea religiosaque veste propalam celebrasse. Per quæ factum putem ut mors ejus minime congruens vitæ, [6] majori miraculo fuerit. Multi præsentium militum cum plurimo fletu manus ac pedes jacentis exosculati, *fortissimum virum, unicum Imperatorem* prædicantes, ibidem statim nec procul a rogo vim suæ vitæ attulerunt. Multi & absentium accepto nuntio præ dolore armis inter se ad internecionem concurrerunt. Denique magna pars hominum, incolumem gravissime detestata, mortuum laudibus tulit: ut vulgo jactatum sit etiam, *Galbam ab eo non tam dominandi quam Reip. ac libertatis restituendæ caussa interemtum.*

NOTÆ.

1. *Scambusque*] Vulgati codices legunt *calvusque*, sed superfluum videretur, paulo enim post de capillorum raritate loquitur. Alii *campus*, alii *cambus*: unde tandem Turnebus Adverss. 5. cap. 1. fecit *scambus*. Σκαμβὸς Græcis dicitur *curvus & oblique ingrediens*. Salmasius pro *Vatia* seu *Valgo* scambum intelligit, eum nempe qui pedes introrsum convertit, Varum eum appellans qui exteriorem in partem eos flectat.

2. *Galericulo*] Capillamento, quale in Caligula ad cap. 11. & Nerone ad cap. 26. descriptum est, quibus adde locum hunc Tertulliani de fœminarum cultu, *Affigitis præterea nescio quas enormitates futilium, atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quasi vaginam capitis*, &c. Cum enim antiqui nudo capite essent, ut in Julio ad cap. 57. & Augusto ad cap. 82. notatum est, sic parare quasdam pelles instituerunt, & appositis crinibus humanis ita capiti aptare, ut vera cutis non ascititia coma videretur.

3. *Pane madido*] Hoc insectatur Juvenalis Sat. 2. v. 104.

Nimirum summi ducis est occidere Galbam,
Et curare cutem summi constantia civis,
Et presſum in facie digitis extendere panem.

Medicamina illa faciei omnia sic explicat Salmasius. Facies linebatur vel ut candor conciliaretur, ac rubor etiam aliquando: vel ut cutis tenderetur. Medicamina quibus nitor aut candor parabatur, προσώπου ἐπίχρισις λαμπτωτικὴ dicebantur (hoc est unguenta faciei splendorem afferentia) atque etiam προσώπου καταπλάσματα λαμπτωτικά, quod idem est, &c Illa vero quibus cutis tendebatur, τενταύρια, & τεντωμάτια Latini veteres *tentipellia* dixere. Juven.

Inter fœda aspectu ridendaque, multo
Pane tumet facies.

ubi vetus Interpres: *Medicamen ad tendendam faciem vel cutem magis.* Alia autem erant καταπλάσματα, alia ζμήγματα quibus utebantur ad cutem poliendam: sublatis enim cataplasmatis, τὸ ζμήγμα adhibebant, idque etiam observavit Juvenalis in illa divina Satyra adversus segniorem & nequiorem sexum,

Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit,
Incipit agnosci.

Tectoria vocat panem illum quo madido faciem linebant, ac veluti tectorio quodam inducebant: quod tectorium seu καταπλασμα

abſtergebant ſmegmate ex lacte aſinino cum ad mœchos irent.

4. *Sacra Iſidis*] Iſis Ægyptiorum dea, quorum ſacra Tiberius ex urbe ſuſtulerat, ſupra in Tiberio cap. 36. Sed repetita conſtat ex hoc loco, & Domit. cap. 1.

5. *Linnea*] Quales erant Sacerdotibus in ſacris illis Iſiacis. Ovidius:

Non fuge linigera Memphitica turba juvenca.

& Martialis,

Linigeri fugiunt calvi, ſiſtrataque turba, &c.

6. *Miraculo fuit*] Tacitus 2. Hiſtor ubi eadem narravit, tandem *duobus*, inquit, *facinoribus altero flagitioſiſſimo, altero egregio tantumdem meruit bona fama, quantum mala.*

Digitized by Google

C. SVETONII TRANQVILLI

DE XII. CÆSARIBVS.

LIBER VII.

A. VITELLIUS.

CAPUT I.

ITELLIORUM originem alii aliam, & quidem diverſiſſimam tradunt: partim veterem & nobilem: partim vero novam & obſcuram, atque etiam ſordidam. Quod ego per adulatores obtrectatoreſque Imperatoris Vitellii eveniſſe opinarer: niſi aliquanto prius de familiæ conditione variatum eſſet. Exſtat [1] Q. Eulogii ad Q. Vitellium, divi Auguſti [2] Quæſtorem, libellus, quo continetur, Vitellios [3] Fauno, Aboriginum Rege, & [4] Vitellia, quæ multis locis pro numine coleretur, ortos, toto Latio imperaſſe. Horum reſiduam ſtirpem ex Sabinis tranſiſſe Romam, atque inter patritios [5] allectam. indicia ſtirpis diu manſiſſe, [6] viam Vitelliam ab Janiculo ad mare uſque: item coloniam ejuſdem nominis, quam [7] gentili copia adverſus Æquiculos tutandam olim depopoſciſſent: tempore deinde [8] Samnitici belli præſidio in Apuliam miſſo, quoſdam ex Vitelliis ſubſediſſe [9] Nuceriæ: eorumque progeniem longo poſt intervallo repetiſſe urbem, atque ordinem Senatorium. Contra, plures auctorem generis libertinum prodiderunt.

NOTÆ.

1. *Q. Eulogii*] Vulgati ſimpliciter legunt *Elogii*, quaſi teſtificationis & monumenti cujuſdam. Caſaubonus veteres codices non nihil adjuvans ſic emendavit, ut ſenſus eſſet, Quintum Eulogium, Quinti Vitellii libertum fuiſſe, (moris enim erat ut liberti patronorum nominibus appellarentur) qui gentis Vitelliæ ſtemma deſcripſerit. Quod ut patronorum ſuorum gratiam demererentur, fecerunt & alii complures liberti, ut de Julio Maratho Auguſti liberto conſtat lib. 2. cap. 79. & 94. Quin & ſcriptos de vita ſua libros Hadrianus libertis ſuis dedit proprio ipſorum nomine publicandos, ut tradit in ejus vita Spartianus.

2. *Quæſtorem*] Vel eum qui candidatus

Digitized by Google

Principis dicebatur, de quo ſupra ſæpe in Nerone ad cap. 15. &c. vel eum qui Magiſtratum gerenti Auguſto aderat, qualis in Julio cap. 23. vel Claudio cap. 24.

3. *Fauno Aboriginum Rege*] Horum populorum origo vetuſtiſſima, unde etiam ſic dictos quidam exiſtimant, quaſi ſine origine. Hanc Italiæ oram tenuiſſe vulgo creduntur, quæ hodie *Campagna di Roma*. Faunus illorum Rex fuit conjunctus Faunæ ſorori, quam ſic dilexit, ut mortuam honoribus divinis affecerit: hæc *Bona* nomine a Romanis culta creditur. Quibus tamen de rebus varie omnino varii. Halicarnaſſeus lib. 1. Pomponius Sabinus lib. 1. & Servius in 7. Æneid. &c.

4. *Vitelliam*] Alteram quidem a ſorore uxorem Fauno tribuit Virgilius, ſed & alio nomine, 7. Æneid.

Hunc Fauno & Nympha genitum Laurente Marica
Accipimus.

Sed ea duplici nomine appellari potuit, vel poſtquam honore divino culta eſt, *Vitellia* vel *bona Vitellia* nuncupari, vel denique Faunus plures dux ſſe. Quæ omnia antiquitas remotior reddit obſcuriſſima. Macrobius lib. 3. cap. 1. meminit Deæ *Vitulæ*, quæ lætitiæ præſit & a vita tuenda nuncupetur. Hanc Torrentius exiſtimat dicendam potius *Vitelliam*, quanquam certe fateatur melius *Vitunam*, propter *Vitunum* deum qui vitam tueatur. De Vitellia dea nil quidquam alibi legi.

5. *Allectam*] Inſtar Claudiæ gentis & Octaviæ. Vide in Auguſto ad cap. 1. & Tiberio ad cap. 1.

6. *Viam Vitelliam*] De illa quoque nihil apud alios Auctores legitur; at Vitelliæ coloniæ meminit Livius libro 5. Decad. 1. Janiculum vero unus eſt e ſeptem Urbis montibus, qui hodie propter flavam arenam *Monterius* quaſi aureus mons appellatur.

7. *Gentili copia*] Solius gentis Vitellianæ viribus, ut de Fabia gente tradit Livius, qui & Vitelliorum meminit libro 2. tanquam gentis jam inde a Tarquinio Superbo conſpicuæ: *Vitelliorum ſoror Conſuli nupta Bruto erat*: quod mirum eſt omitti hîc a Suetonio. Ita & de colonia lib. 5. *Vitelliam coloniam Romanam in agro ſuo Æqui expugnant.*

8. *Samnitici belli*] Incepit hoc bellum anno ab U. C. 412. & per centum prope annos duravit, auctore Livio lib. 71. & 33. & ita demum deleti Samnites ut hodie, inquit, Samnium in ipſo Samnio requiratur. Pars eſt regni Neapolitani, ſcilicet *Abruzzo*, & quædam circa regiones.

9. *Nuceria*] Alii ſcribunt *Luceria* Apulorum civitas. Eſt hodie *Nocera* viginti millibus a Neapoli diſſita.

CAPUT II.

[1] CAssius Severus, nec minus alii, eundem & ſutorem veramentarium: cujus filius [2] ſectionibus & cognituris uberius compendium nactus, ex [3] muliere vulgari, Antiochi cujuſdam [4] furnariam exercentis filia, [5] Equitem Rom. genuerit. Sed quod diſcrepat, ſit in medio. Cæterum, P. Vitellius [6] domo Nuceria, ſive illeſtirpis antiquæ, ſive pudendis parentibus atque avis, Eques certe Romanus & rerum Auguſti [7] procurator, quatuor filios ampliſſimæ dignitatis cognomines, ac tantum prænominibus diſtinctos, reliquit Auſum, Quintum, Publium, & Lucium. AULUS [8] in Conſulatu obiit, quem cum Domitio Neronis Cæſaris patre inierat: prælautus alioqui, [9] famoſuſque cœnarum magnificentia. QUINTUS [10] caruit ordine, cum auctore Tiberio ſecerni minus idoneos Senatores, removerique placuiſſet. PUBLIUS [11] Germanici comes Cn. Piſonem inimicum, & interfectorem ejus accuſavit condemnavitque, ac poſt Præturæ honorem inter [12] Sejani conſcios arreptus, & in cuſtodiam [13] fratri datus, ſcalpro

A. U. C. DCCCLXXXV

DCCLXXXIII.

Digitized by Google

scalpro librario venas sibi incidit, nec tam mortis pœnitentia quam suorum obtestatione obligari, curatique se passus, in eadem custodia morbo periit. Lucius ex Consulatu [14] Syriæ præpositus, Artabanum Parthorum Regem summis artibus, non modo ad colloquium suum, sed etiam ad veneranda legionum [15] signa pellexit. Mox cum Claudio principe, duos insuper [16] ordinarios * Consulatus, † Censuramque gessit. ¶ Curam quoque imperii sustinuit, absente eo, expeditione [17] Britannica: vir innocens & industrius, sed amore libertinæ perinfamis, cujus etiam [18] salivis melle commistis, nec clam quidem aut raro, sed quotidie ac palam arterias & fauces pro remedio fovebat. Idem miri in adulando ingenii, primus C. Cæsarem [19] adorari ut Deum instituit: cum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset quam [20] capite velato, [21] circumvertensque se, deinde procumbens. Claudium uxoribus libertisque addictum ne qua non arte demereretur, pro maximo munere à Messallina petiit, ut sibi pedes præberet excalceandos: detractumque socculum dextrum, inter togam tunicasque gestavit assidue, nonnumquam osculabundus. Narcissi quoque & Pallantis imagines aureas inter Lares coluit. Hujus & illa vox est, *Sæpe facias*, cum seculares ludos edenti Claudio gratularetur.

A. U. C. DCCXCVIII *DCCXCVII DCCXCVI. † DCCC. ¶ DCCCVII

Notæ.

1. *Cassius Severus*] De quo Aug. c. 56. Calig. cap. 11. &c.

2. *Sectionibus & cognituris*] Vulgati codices, aliique *consuturis*. Vitterbiensis *futuris*: quod Beroald. & Sabellicus de corii sectione & futura explicant, ut filius ille non jam, patris instar, veteribus calceis resarciendis victum quæritaret, sed secandis pellibus, & suendis prorsus novis ditatus esset. Longe melius optimi codices quos secuti sumus. *Sectores*, ex Cicerone & Asconio, *dicti sunt qui spem lucri sui sectati bona condemnatorum auctionabantur, proque his pecunias pensitabant singulis* Quo sensu Cæsar in Comment. *Sectionem ejus oppidi Cæsar universam vendidit*. Quæ bona secto es confuse sic & universaliter empta singulis per partes vendendo quæstum faciebant. Cognitor autem ex Festo is est *qui litem alterius suscipit coram eo cui datus est, Procurator autem absentis negotia gerit*. Cicero pro Roscio Comœdo, *in hanc rem me cognitorem dedisti*. Horatius Sat. 5. lib. 2. v. 38. &c.

3. *Vulgari muliere*] Quæ corpus vulgasset. Ovidius 4. Fast.

Numina vulgares Veneris celebrate puellæ.

infra Domit. cap. 22. Sic & à Jure consultis meretrices dicuntur, Ulpiano l. 13. de Adulteriis, *sed & in ea muliere potest maritus adulterium vindicare qua vulgaris fuerit*. Hæ famosæ dicuntur supra in Tiberio cap. 37.

4. *Furnariam*] Casaubonus in Viterbiensi codice legit *funariam*, quod esset restionis, de quo in Augusto ad cap. 2. Furnariam autem exercebant qui hyeme aut frigido aëre furnos conducebant in id calefactos, ut pro constituto pretio in illis calefacerent sese tenuiores, de quibus Juvenalis Sat. 7. v. 3.

cum jam celebres notique Poëta
Baluculum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent, nec fœdum alis nec turpe putarent
Præcones fieri.

& Horat Sat 4. lib. 1. v. 37. &c.

5. *Equi eum Romanum genuerit*] Qui scilicet equestrem censum, hoc est quadringenties in bonis haberet, de quo supra in Julio ad cap. 13 &c.

6. *Domo Nuceria*] Domus pro patria etiam ab aliquibus usurpata. Virgilius 8. Æneid. v. 114.

Qui genus unde domo pacem nobis fertis an arma.

Digitized by Google

& Horat. Epist. 7. Lb. 1. v. 53. &c.

7. *Procurator*] De ejusmodi Procuratoribus, qui res fisci administrarent, supra in Claudio ad cap. 12. &c.

8. *In Consulatu obiit*] Eodem anno quo natus Otho fuerat, Consulem Ænobarbum fuisse dixit, in Othone cap. 2. unde Aulo illi Vitellio suffectum oportuit Aruntium illum de quo ibidem.

9. *Famosus*] Infamis propter hanc luxuriam. Horatius,

grandes rhombi, patinæque,
Grande ferunt una cum damno dedecus.

& supra in Tiberio cap. 35. *fœminæ famosæ.*

10. *Caruit ordine*] Hoc est privatus est. De quo & Tacitus 2. Annal.

11. *Germanici comes*] De comitibus supra in Julio ad cap. 4. & 42. ac Tiberio ad cap 46. De illa Germanici in Orientem expeditione, & morte ejusdem, supra in Caligula cap. 1. Tacitus Annal. 3. & Plinius lib. 11. cap. 37.

12. *Sejani conscios*] In Tiberio ad cap. 55. &c.

13. *Fratri*] Aulo Vitellio consulari viro, de quo & Pomponio Sabino Tacitus Annal. 5. *neque aliud periclitantibus auxilii quam in fratrum constantia fuit, qui vades extitere*: ac denique, *mox crebris pollicitationibus spem ac metum juxta gravatus Vitellius petito per speciem studiorum scalpro, levem illum venis intulit, vitamque segritudine animi finivit.* Literatum illum fuisse colligere est ex Tertulliani libro de Anima, ubi ejus Commentarios citat.

14. *Syriæ*] Ac propter suam in Judæos benignitatem non uno in loco laudatus a Josepho, maxime lib. 18. Antiquit.

15. *Signa*] De his & Artabano, supra in Caligula ad cap. 14.

16. *Ordinarios*] Ii dicuntur ordinarii qui electi, non suffecti in alterius locum, ut jam supra.

17. *Britannica*] De qua in Claudio cap. 28.

18. *Salivis mella*] Sic & de quodam homine Beroaldus notat ex Seneca, qui si prodiret in publicum fascia uxoris pectus religabat, horæ spatio sine ipso esse non poterat, nullamque potionem sumeret nisi alternis tactam labris. Et ineptum quemdam ejusmodi amatorem Martialis ridet lib. 1. Epig 69. facete prorsus & salse.

19. *Adorari ut Deus*] In Caligula cap. 22. Mos hic a Diocletiano relatus mansit ex parte sub Principibus aliis etiam Christianis.

20. *Capite velato*] Qui habitus est adorantium deos Jam inde ab Ænea, ut ait Servius ad 3. Æneid.

Et positis aris, jam vota in litore solves,
Purpureo velare comas adopertus amictu
Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat, & omina turbet.

Plaur. Amphitryon. Act. 5. Scen. 1. & Curcul. Act 1. Scen. 1. &c. Saturno tamen, aperto capite sacrum fiebat, quod Saturno lucem facere dicebant, ita & Herculi. De quibus Festus in voce *Saturnius* & *Saturnus*, ac Macrobius lib. 3. cap. 6. & 1. cap. 8. Plutarchus in Quæst. Rom.

21. *Circumvertens se*] Qui deos salutabant aut adorabant, ii corpus circumagebant, manus osculabantur, in terram procumbebant, adhuc infra in Vesp. cap. 7. Livius lib 5. Decad. 1 ubi de Camillo sacrificante, Ovidius 3. Fast. Propertius lib. 1. Elegia 16. & lib. 3. Elegia 7. Dextram in partem circumvertebantur, ut patet ex Valerio Flacco lib. 8. Argonaut. & Plin. lib. 28. cap. 2. Et facete innuit Plautus in Curcul. Act. 1. Scen. 1. ubi Palinuro servo dicenti, *quo me vertam nescio*, respondet Phædromus: *Si deos salutas, dextrovorsum censeo.* De osculis manuum Apuleius in Apologia, *Si fanum aliquod præterea, nefas habet adorandi gratia manum labris admovere.* Et lib. 4. de Asino. De toto ritu Lucretius lib. 5.

Nec pietas ulla est, velatum sæpe videri
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras
Nec procumbere humi prostratum, & pandere palmas
Ante deûm delubra, &c.

Digitized by Google

CAPUT III.

DECESSIT paralysi altero die quam correptus est, duobus filiis superstitibus, quos ex Sextilia probatissima, nec ignobili fœmina, editos Consules vidit: & quidem eodem ambos totoque anno, cum majori minor in VII. menses successisset. Defunctum Senatus publico funere honoravit: item statua pro Rostris, cum hac inscriptione: PIETATIS. IMMOBILIS. ERGA PRINCIPEM. Aulus Vitellius L. filius IMP. natus est VIII. Kalend Octobris, vel, ut quidam, VII Idus Septembris, [1] Druso Cæsare, Norbano Flacco Coss. Genituram ejus prædictam à Mathematicis, ita parentes exhorruerunt, ut magno opere semper contenderit pater, ne qua ei provincia vivo se committeretur: & mater missum [2] ad legiones, & [3] appellatum Imperatorem pro afflicto statim lamentata sit. Pueritiam primamque adolescentiam Capreis egit, inter Tiberiana scorta, & ipse perpetuo [4] spintriæ cognomine notatus: existimatusque corporis gratia initium & caussa incrementorum patri fuisse. A. U. C. DCCLXVIII.

NOTÆ.

1. *Druso Cæsare*] Anno 767. ab U. C. primo post Augusti mortem, ut in Augusto ad cap 100. quo patet septemdecim annis majorem Othone fuisse Vitellium. Vide in Othone ad cap. 2.

2. *Ad legiones*] In Germaniam a Galba, infra cap. 7.

3. *Appellatum Imperatorem*] Tacitus 2. Histor. *& pari probitate mater Vitelliorum Sextilia antiqui moris dixisse, quin etiam ad primas filii sui epistolas ferebatur, non Germanicum a se, sed Vitellium genitum, nec ullis postea fortuna illecebris, aut ambitu civitatis in gaudium evicta domus sua tantum adversa sensit.*

4. *Spintria*] In Tiberio ad cap. 43.

CAPUT IV.

SEQUENTI quoque ætate omnibus probris contaminatus, præcipuum in aula locum tenuit: Caio per [1] aurigandi, Claudio per [2] aleæ studium familiaris. Sed aliquanto Neroni acceptior cum propter [3] eadem hæc, tum peculiari merito: quod præsidens certamini [4] Neroneo, [5] cupientem inter citharœdos contendere, nec quamvis flagitantibus cunctis promittere audentem, ideoque egressum theatro, revocaverat quasi perseverantis populi legatione suscepta, exorandumque [6] præbuerat.

NOTÆ.

1. *Aurigandi*] Calig. cap. 18. & 19. & 54.

2. *Aleæ*] Claud. cap. 33.

3. *Eadem hæc*] Nero enim aurigationis ad amentiam studiosus, Ner. cap. 22. & 24.

4. *Neroneo*] In Ner. cap. 12. & 21.

5. *Cupientem*] Nero cupiebat certare inter citharœdos: quia tamen hoc Romano Principe indignum, polliceri non audebat populo idipsum per adulationem flagitanti, atque hac de caussa egressus erat theatro. Vitellius ut Principi magis ac magis blandiretur, finxit sibi delatam a populo Legationem, qua instanter rogaretur, ut rediret, & certaret, ut hoc pacto pudori & decori ejus consultum esset, tanquam victi instantibus populi precibus, non studio cantandi reversus fuisset. Quod Neroni ipsi admodum placuit, & Vitellium reddidit acceptissimum.

6. *Præbuerat*] Vulgati *præbuerit*, male.

Digitized by Google

CAPUT V.

TRIUM itaquè principum indulgentia, non ſolum honoribus, verum & ſacerdotiis ampliſſimis auctus, Proconſulatum Africæ poſthæc, [2] curamque operum publicorum adminiſtravit: & voluntate diſpari, & exiſtimatione. In Provincia ſingularem innocentiam præſtitit biennio continuato, cum ſuccedenti fratri legatus [3] ſubſtitutus eſſet. At [4] in urbano officio dona atque ornamenta Templorum ſurripuiſſe, & commutaſſe quædam, ferebatur: proque auro & argento, [5] ſtannum & [6] aurichalcum ſuppoſuiſſe.

NOTÆ.

1. *Trium principum*] Caligulæ, Claudii, & Neronis.

2. *Curam operum*] Unum hoc fuit ex iis quæ Auguſtus excogitavit officiis In Auguſto cap. 37.

3. *Subſtitutus eſſet*] Torrentius legit *ſubſtitiſſet* in pluribus MSS. Vulgati tamen habebant *ſubſtitutus eſſet*, quod videtur male; ſubſtituuntur enim, qui aliorum occupant locum, quod hîc Vitellio non convenit; cum enim ſucceſſor frater ei miſſus eſſet, ipſe non rediit, ut mos erat aliis; ſed ſubſtitit in Provincia Legati titulo.

4. *Urbano officio*] Cura operum publicorum.

5. *Stannum*] Sxildius in codice Salmaſiano legit *ſtagnum*, quod & dici potuerit more veterum qui *g* pro *n* non ſemel poſuere, ut *aegulus*, *aggens*, *aggula*, & *vaſa ſtagnea* apud Plautum.

6. *Aurichalcum*] Idem fecit Julius, ſupra in Julio cap. 54.

CAPUT VI.

UXOREM habuit Petroniam, conſularis viri filiam, & ex ea filium [1] Petronianum, captum altero oculo. Hunc heredem a matre ſub conditione inſtitutum, ſi de poteſtate patris exiſſet, [2] manu emiſit: brevique, ut creditum eſt, interemit, inſimulatum inſuper parricidii, & quaſi paratum ad ſcelus venenum ex conſcientia hauſiſſet. Duxit mox Galeriam Fundanam prætorio patre. Ac de hac quoque liberos utriuſque ſexus tulit: ſed marem, titubantia oris prope mutum, & elinguem.

NOTÆ.

1. *Petronianum*] Sic legitur in pluribus libris: vulgati tamen *Petronium*, minus bene.

2. *Manu emiſit*] Hoc eſt e poteſtate ſua dimiſit. Ita ſæpe Jureconſulti in manu eſſe, pro in poteſtate eſſe. Teſtata autem ſub hac conditione Petronia videtur, ne ſi filius remaneret in ſacris patris, ab eo bona juro patriæ poteſtatis adquiſita dilapidarentur.

CAPUT VII.

A. U. C. DCCCXXI.

AGALBA in inferiorem Germaniam contra opinionem miſſus eſt. Adjutum putant [1] T. Vinnii ſuffragio, tunc potentiſſimi & cui jam pridem per communem [2] factionis ſuæ favorem conciliatus eſſet: niſi quod Galba præ ſe tulit, nullos minus metuendos quam qui de ſolo victu cogitarent: ac poſſe provincialibus copiis profundam ejus expleri gulam, ut cuivis evidens ſit, contemtu magis quam gratia electum. Satis

Digitized by Google

conſtat exituro [3] viaticum defuiſſe, tanta egeſtate rei familiaris, ut uxore & liberis, quos Romæ relinquebat, [4] meritorio cœnaculo abditis, domum in reliquam partem anni ablocaret: atque ex aure matris detractum [5] unionem pigneraverit ad itineris impenſas. Creditorum quidem præſtolantium ac [6] detinentium turbam, & in iis [7] Sinueſſanos Formianoſque, quorum [8] publica vectigalia interverterat, nonniſi terrore calumniæ amovit: cum libertino cuidam acerbius debitum repoſcenti, [9] injuriarum formulam, quaſi calce ab eo percuſſus, intendiſſet, nec aliter quam extortis [10] quinquaginta HS. remiſiſſet. Advenientem male animatus erga principem exercitus, pronuſque ad res novas, libens ac ſupinis manibus excepit, velut dono Deûm oblatum [11] ter Conſulis filium ætate in egra, facili ac prodigo animo. Quam veterem de ſe perſuaſionem Vitellius recentibus etiam experimentis auxerat, tota via [12] caligatorum quoſque militum obvios exoſculans: perque [13] ſtabula ac diverſoria, mulionibus ac viatoribus præter modum comis: ut mane ſingulos jamne [14] jentaſſent ſciſcitaretur, ſeque feciſſe ructu quoque oſtenderet.

NOTÆ.

1. *T. Vinnii*] De hoc in Galba cap. 14.

2. *Factionis ſuæ*] Caſaubonus & Torrentius in quibuſdam libris legunt *Veneta*, non *ſuæ*, & de Veneta factione intelliguot; huic enim ad o favebat, ut veneto indutus ſuam in abſtergendis equis operam in circo præſtiterit. Hinc Vinii & Vitellii concordia. De factionum numero & coloribus ſupra in Nerone ad cap. 22. &c

3. *Viaticum*] Pecunias ad itineris impenſam.

4. *Meritorio cœnaculo*] Qualia inquilini conducebant. Vide in Auguſto ad cap. 45.

5. *Unionem*] Sextilia tamen moris antiqui fœmina, ut cap. 3. notatum eſt ex Tacito: ſed *hos digitis ſuſpendere & binos ac ternos auribus fœminarum gloria eſt*, ut ait Plinius lib. 9. cap. 35. & ibidem paulo ſupra *procerioribus gratia eſt, elenchos appellant, fuſtigata longitudine, alabaſtrorum figura in plenorem orbem deſinentes*. Et lib. 11. cap. 37. &c.

6. *Detinentium*] Eadem prorſus via Julius in Hiſpaniam profecturus quondam evaſerat, in Julio cap. 18.

7. *Sinueſſanos Formianoſque*] Sinueſſa & Formia, oppida Campaniæ quondam, ſed nunc exciſa.

8. *Publica vectigalia*] Sua enim erant civitatibus vectigalia, ut jam ſupra in Caligula cap. 16. Tib. cap. 49. & maxime in Auguſto ad cap. 46. & 92.

9. *Injuriarum formulam*] Hoc eſt, ſolennia verba movendæ actionis ſeu litis injuriarum cauſſa. De formulis in Claudio ad cap. 14.

10. *Quinquaginta* HS] Seſterria veroſimillime intelligit, hoc eſt 218, lib.

11. *Ter Conſulis filium*] Supra cap. 2. & Tacitus 2. Hiſt. *Aderat Vitellius Vitellii Conſortis ac ter Conſulis filius, id ſatis videbatur.*

12. *Caligatorum*] De hoc calceamenti genere vide ſupra in Caligula ad cap. 9. & 52.

13. *Stabula*] Quandoque ſumitur iſta vox pro ipſa caupona, ſive hoſpitio mulionum & agaſonum, unde ſtabularii a Juriconſultis dicuntur, qui vitam hoc lucri genere ſuſtentabant.

14. *Jentaſſent*] In aliis codicibus Caſaubonus legit *jantaſſint*, & in Gloſſario *jantare, jantaculum.*

Digitized by Google

CAPUT VIII.

CASTRA vero ingressus nihil cuiquam poscenti negavit: atque etiam ultro ignominiosis [1] notas, [2] reis sordes, damnatis supplicia demsit. Quare vixdum mense transacto, [3] neque diei, neque temporis habita ratione, ac jam vespere, subito a militibus e cubiculo raptus, ita ut erat [4] in veste domestica, IMPERATOR est consalutatus: circumlatusque [5] per celeberrimos vicos, strictum divi Julii gladium tenens, detractum [6] delubro Martis, atque in prima gratulatione porrectum sibi a quodam: nec ante in Prætorium rediit quam flagrante triclinio ex [7] conceptu camini, tum quidem consternatis, & quasi omine adverso anxiis omnibus, inquit: *Bono animo estote, nobis allusit* nullo sermone alio apud milites usus. Consentiente deinde etiam [8] superioris Provinciæ exercitu, qui prius a Galba ad Senatum defecerat cognomen GERMANICI delatum ab universis cupide recepit: Augusti, distulit: CÆSARIS in perpetuum recusavit.

A. U. C. DCCCXXII.

NOTÆ.

1. *Notas*] Hoc est iis qui notati fuerant ignominia, vel per Censorem, vel per subsequens judicium. *Nota* enim plerumque ignominiam significat.

2. *Reis sordes*] Hoc est sordidas vestes, atrati enim & sordidati incedebant barbam capillumque summittentes, ut supra in Nerone cap. 47. Tiberio ad cap. 2. &c. Torrentius nove dictum notat *sordes* pro *sordida veste*.

3. *Neque diei*] Ut Ner. cap. 8. & Othon. cap. 6. &c.

4. *Veste domestica*] Alia enim domi, alia foris utebantur. Vide in Augusto ad cap. 63.

5. *Celeberrimos vicos*] Coloniam Agrippinam, de qua supra, hoc habitu ingressus est, ut Galba Romam. In Galba cap. 11.

6. *Delubro Martis*] Strabo lib. 4. meminit cujusdam gladii, quem Galli de raptum Cæsari, suspenderant in Templo. Hoc ipsum de Arvernis narrat Plutarchus in Cæsare, qui idemne an alius fuerit, non paret, nisi forte & Coloniæ fuisse conjicias ex cap. 10. infra. Signa & arma hostibus erepta delubris affixa fuisse notum est Horat. Od. 5. lib. 3.

signa ego Punicis
Affixa delubris, & arma
Militibus sine cade, dixit
Directa vidi, &c.

Conceptu camini] Paulus Manutius in Ciceronis Epistolam 10. lib. 7. ad Familiares dicit caminum apud Romanos usurpatum, modo pro fornace, modo pro hypocausto, interdum pro ipso igne: numquam vero pro ejusmodi canali seu gula illa quæ hodie in omnibus ædibus ascendentem e foco ignem excipit & extra tectum educit innocenter, quale domus membrum antiquis prorsus inusitatum asseverat Idem & Philander censet in cap. 3. lib. 7. Vitruvii, ubi id ipsum fuse disputat, & cubicula non calefacta nisi vel amurcato ligno, quod fumum non gignit, vel incenso fornace in subterranea domus parte unde calor quaqua versum diffunderetur. Per structiles canales in intimi, parietibus de industria relictos. Idem censet & Vossius in lib. de Etymolog. & Blondus lib. 9. triumphantis Romæ Contrarium aliqui colligunt ex Sidonio Apollinari Carmine 22. ubi hæc leguntur.

Qua dominis hyberna domus. Strepit hic bona flamma
Appositus depasta trabes. Sinuata camino
Ardentis perit unda globi, fractoque flagello
Spargit lentatum per culmina tota vaporem.

Quæ tamen & de structilibus Philandri canalibus intelligi posse alii forte crediderint ut ut est certe parum credibile sit in tenuiorum domibus, & ditiorum culinis exitum fumo alia via non patuisse, quam per fenestras. Quod & innuit Cœlius Rhodoginus lib. 26 lectionum Antiquarum. cap. 22.

Digitized by Google

8. *Superioris provinciæ*] Germaniæ scilicet, nam ea in superiorem & inferiorem divisa, has ab sese invicem Mosella, Rhenus vero a magna Germania dividebat.

9. *Augusti distulit*] Postea tamen recepit, ut constat ex marmoribus & nummis. Cæsaris vero afflictis jam rebus suis metu, & ut ait Tacitus 1. histor. *superstitione nominis* ductus, *unde* factum videtur ut in nummis non reperiatur.

CAPUT IX.

AC subinde cæde Galbæ annuntiata, compositis Germanicis rebus, [1] partitus est copias, quas adversus Othonem præmitteret, quasque ipse perduceret. Præmisso agmini lætum evenit auspicium: siquidem [2] à parte dextra repente aquila advolavit: [3] lustratisque signis, ingressos viam sensim antecessit. At contra ipso movente, [4] statuæ equestres cum plurifariam ei ponerentur, fractis repente cruribus pariter corruerunt: & laurea quam religiosissime circumdederat, in profluentem excidit. Mox, Viennæ pro tribunali jura reddenti, gallinaceus supra humerum: ac deinde in capite adstitit. Quibus ostentis par respondit exitus: nam confirmatum per legatos suos imperium, per se retinere non potuit.

Notæ.

1. *Partitus est copias*] Fabio Valenti & Aulo Cæcinæ de quibus fuse Tacit. 2. hist.

2. *Aquila à parte dextra*] Abhac parte faustum est aquilæ, corvi &c. auspicium aliarum avium a sinistra, ut cornicis, *&c.* Quibus de rebus seneca lib. 2. quæst. natural. *&c.* Tacitus *longumque per spatium is gaudentium militum clamor, ea quies adeo interrita avis fuit, ut haud dubium magni & prosperi rei omen acciperent.*

3. *Lustratis signis*] H. e volatu circuitis quasi dux viæ. *Lustrare* alias *expiare* est.

4. *Equestres statuæ*] Non nisi, illustrissimis & raro decretæ ut supra notatum est, nisallor de quo & infra in Tito cap 9.

5. *Viennæ*] Galliæ Narbonensis erat, hodie Delphinatus, *Vienne* hujus auspicij explicationem affert infra. cap. ult.

CAPUT X.

DE [1] Bebriacensi victoria, & Othonis exitu, cum adhuc in Gallia esset, audiit: nihilque cunctatus, quidquid prætorianarum cohortium fuit, ut [2] pessimi exempli, uno [3] exauctoravit edicto, jussas Tribunis tradere arma: Centum autem atque viginti, quorum [4] libellos Othoni datos invenerat, exposcentium præmia, ob editam in cæde Galbæ operam, conquiri, & supplicio affici imperavit: egregie prorsus, atque magnifice, & ut summi principis spem ostenderet, nisi cæteta magis ex natura, & priore vita sua, quam ex Imperij majestate gessisset. Namque itinere inchoato, per medias civitates ritu triumphantium vectus est: perque flumina delicatissimis navigiis, & variarum coronarum genere redimitis inter profusissimos opsoniorum apparatus, nulla familiæ, aut militis disciplina, rapinas ac petulantiam omnium in jocum vertens, qui non contenti epulo ubique publice præbito, quoscumque libuisset, in libertatem asserebant, verbera & plagas, sæpe vulnera, nonnumquam nec em [6] repræsentantes adversantibus. Utque campos, in quibus pugnatum est, adiit, abhorrentes quosdam cadaverum tabem, [7] detestabili voce

confirmare ausus est: *Optime olere occisum hostem, & melius civem.* Nec eo secius ad leniendam gravitatem odoris plurimum meri propalam hausit passimque dvisit pari vanitate, atque insolentia. Lapidem memoriæ Othonis inscriptum intuens, dignum eo Mausoleo ait: pugionemque quo se is occiderat, in [8] Agrippinensem coloniam misit, [9] Marti dedicandum. In Apennini quidem jugis etiam pervigilium egit.

NOTÆ.

1. *Bebriacensi victoria*] In Othone cap. 9. sunt qui legant hîc quoque *Betriacensi.*

2. *Pessimis exemplis*] Quippe qui præcedentes Imperatores detestabantur.

3. *Exauctoravit*] Dimisit supra in Tib. ad cap. 30. & Aug. 24. &c.

4. *Libellos*] Supplices, Gallice *des placets*; quos tamen Otho habebat, & ante cremasse colligere est ex cap. 10. supra in Oth &c.

5. *Delicatissimis navigiis*] Qualia forte Caligula, ut supra in ejus vita cap. 37. aut Julius cap. 52.

6. *Repræsentantes*] Claud. 24. tormenta repræsentare.

7. *Detestabili voce*] Ita & Annibal visa fossa humano sanguine plena, dixisse fertur *ô formosum spectaculum!* Tacitus 2. Hist. *erant quos varia fors rerum lachrymaque & misericordia jubaret, at non Vitellius flexit oculos, nec tot millia insepultorum civium exhorruit, latus ultro & tam propinquæ sortis ignarus instaurabat sacrum diis loci.*

8. *Agrippinensem coloniam*] Agrippina Germanici filia Neronis principis mater in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, coloniam deduci imperaverat, cui nomen inde inditum, auctore Tacito lib 12. annal. & lib. de morib Germ. Hæc hodieque Colonia civitas nobilissima.

9. *Marti dedicandum*] Tacitus lib. de moribus Germanorum narrat hunc præcipuè cultum a Germanis.

CAPUT XI.

URBEM denique [1] ad classicum introiit [2] paludatus, ferroque succinctus, inter signa atque vexilla, [3] sagulatis comitibus, ac derectis commilitonum armis. Magis deinde ac magis, omni divino humanoque jure neglecto, [4] Allienſi die pontificatum maximum cepit: comitia [5] in decem annos ordinavit, seque perpetuum Consulem. Et ne cui dubium foret, quod exemplar regendæ Reip. eligeret, medio Martio campo adhibita publicorum sacerdotum frequentia, [6] inferias Neroni dedit: ac solenni convivio citharœdum placentem palam admonuit, ut & aliquid [7] de Domitio diceret, inchoantique Neroniana cantica, primus exsultans etiam plausit.

NOTÆ.

1. *Ad classicum*] Hoc unum est ex imperii insignibus: de quo Vegetius lib. 2 cap. 22. *Classicum appellatur quod buccinatores per cornu dicunt, hoc insigne videtur imperii, quia classicum canitur imperatore præsente, vel cum in militem capitaliter animadvertitur, quia hoc ex imperatoris legibus fieri necesse est.* Sed non modo cum in militem, sed & cum in paganum animadvertitur ut de quodam mathematico paret apud Tacitum 2. annal. Idem ex Seneca lib. 1. de ira cap. 16 & Epist. 17.

2. *Paludatus*] Paludamentum est consulis ad bellum profecturi vestimentum, de quo in Jul. ad cap. 64. &c quod tamen paullo antequam introiret, amicorum consilio excusisse refert Tacit. 2. Hist. ne quasi captam urbem ingredi videretur.

3. *Sagulatis comitibus*] Sagulo quod militare vestimentum est de quo Aug. ad cap. 26.

Digitized by Google

cap. 16. & Jul. ad cap. 48. &c. ſupra ad cap. 2. num. 11. &c

4. *Allienſi die*] Livius lib. 6. decad. 1. initio *tum de diebus religioſis agi cœptum diemque ad decimum ſextum calendas ſextiles, quo die ad Cremeram fabij caſi, quo deinde ad Alliam cum exitio urbis fide pugnatum*; (contra Gallos cum urbem ceperunt) *a poſteriore clade Allienſem appellarunt, inſignemque nulli rei publicè privatimque agendæ fecerunt.* Tacitus idipſum omen ut peſſimum Vitellio fuſſe narrat lib. 2. Hiſtor. hinc Lucanus lib. 7.

Et damnata diu Romanis Alliа faſtis.

Cremera Tuſciæ fluvius non alia re quam cladē illa notus ut ait Livius lib. 5. decade 1. Allia vero Sabinorum in Tiberim influens hodie *caminata* vel *Rio de Moſſo*.

5. *In decem annos*] Per quos iidem eſſent magiſtratus cum ante vix proferrentur ultra annum. De perpetuo ejus conſulatu profert Caſaub. inſcriptionem.

A. VITELLIUS L. F.
IMPERATOR
COS. PERPET.

6. *Inferias Neronis dedit*] Quid hoc ſit ſupra in Cal. ad cap. 15. & cap. 3. &c

7. *De Domitio*] Caſaubonus in Ptolemæi cod. legit *dominico* nec improbat hoc ſenſu ut ſic appellatus fuerit liber canticorum Neronianorum, qua voce Vitellius de induſtria tunc uteretur, ut alluderet ad ejus tempora. Sed & potuit liber ille canticorum inſcriptus eſſe *cantica Domitij*; vel Vitellius poſtulare, ut caneret canticum aliquod in Domitij patris laudes a Nerone forte compoſitum, aut Neronem ipſum gentili non adoptivo nomine ſic appellare quod ipſe Nero quondam facturum ſe dixerat ut in Ner. cap. 41. certe hoc poſtremum Vitellij ingenio videatur convenientius, quippe qui Cæſaris nomen recuſaſſet, & Auguſti diſtuliſſet &c. ſupra cap. 8.

CAPUT XII.

TALIBUS principiis magnam Imperij partem, non niſi conſilio & arbitrio viliſſimi cujuſque hiſtrionum & aurigarum adminiſtravit, & maxime Aſiatici liberti. Hunc adoleſcentulum mutua libidine conſtupratum, mox tædio profugum, cum Puteolis [1] poſcam vendentem [2] reprehendiſſet, conjecit in compedes, ſtatimque [3] ſolvit, & rurſus in deliciis habuit: iterum deinde ob nimiam contumaciam & [4] ferocitatem gravatus, circumforaneo [5] laniſtæ vendidit, dilatumque ad finem [6] muneris repente ſurripuit, & [7] provincia demum accepta manumiſit: ac primo Imperij die [8] aureis donavit anulis [9] ſuper cœnam, cum mane rogantibus pro eo cunctis, deteſtatus eſſet ſeveriſſime talem equeſtris ordinis maculam.

NOTÆ.

1. *Poſcam vendentem*] Brodeus lib. 4. Miſcellaneorum cap. 11. ex Plinio contendit poſcam eſſe acetum aqua mixtum, quod vulgò dicunt *oxicratum*. Alij poſcam idem eſſe exiſtimant ac loram: eſt autem lora ſive lorea potionis genus quam Græci δευτρίαν appellant quaſi ſecundariam, ſic dicta a lotis acinis, fitque ex maceratis aqua vinaceis poſt muſtum acinis expreſſum, eſt que operariorum & plebeculæ vinum. De lora Varro lib. 1. de re ruſt. cap. 54. Columella lib. 12. cap. 40. &c. Poſteriore ſenſu poſcam hîc accipi probabilius videtur.

2. *Reprehendiſſet*] Alij *deprehendiſſet*. Torrentius in tribus MSS. legit *reprehendiſſet* bene reprehenduntur enim profugi, ut Calig. cap. 45. & Livius lib. 4. decad. 4. *Adeo turbata erant aladextra equites, peditesque ut quoſdam conſul manu ipſe reprehenderet.*

3. *Solvit*] Vulgati legebant *coluit* Caſaub. emendavit librorum auctoritate.

4. *Ferocitatem*] Complures codices, furacitatem.

5. *Laniſtæ*] Gladiatorum mercatores laniſtæ de quibus in Jul. ad cap. 26. &c.

Digitized by Google

circumforaneus ille est, qui fora & nundinas circumit vilis cujusdam lucri caussa.

6. *Muneris*] Gladiatorij de quo tam sæpe supra. Sensus est subtractum a Vitellio Asiaticum, quo tempore ingressurus erat in arenam ad digladiandum. Cum à lanista servatus esset in finem spectaculi.

7. *Provincia accepta*] Cum ipse Vitellius in Germaniam a Galba missus est. supra cap. 7.

8. *Aureis anulis*] Erant equitum insignia ut in Jul. ad cap. 39. ita & Galba Icelum suum honore auxit in Galb. cap. 14.

9. *Super cœnam*] In Aug. ad cap. 77. & Jul. 87.

10 *Cunctis*] Militibus quos id a Vitellio petiisse auctor est Tacitus. 2. Histor.

CAPUT XIII.

SED vel præcipue luxuriæ sævitiæque ditatus, epulas trifariam semper interdum quadrifariam dispertiebat: in jentacula & prandia & cœnas, [1] commissationesque: facile omnibus sufficiens, [2] vomitandi consuetudine. [3] Indicebat autem aliud alij eadem die: nec cuiquam minus singuli apparatus [4] quadringenis millibus nummûm constiterunt. Famosissima super cæteras fuit cœna ei data [5] adventitia à fratre: in qua duo millia lectissimorum piscium, septem avium apposita traduntur. Hanc quoque exsuperavit ipse [6] dedicatione patinæ, quam ob immensam magnitudinem [7] *Clypeum Minervæ*, [8] *aigídla pallídos* dictitabat. In hac [9] scarorum jocinora, phasianorum & pavonum cerebella, linguas [10] phœnicopterûm, [11] murænarum lactes, [12] à Caparthio usque, fretoque Hispaniæ, per navarchos ac triremes petitarum, commiscuit. Ut autem homo [13] non profundæ modo, sed intempestivæ quoque ac sordidæ gulæ, ne in sacrificio quidem umquam, aut itinere ullo temperavit, quin inter altaria ibidem statim [14] viscus & [15] farra pene rapta è foco manderet, circaque viarum popinas fumantia opsonia, vel [16] pridiana atque semesa.

NOTÆ.

1. *Commissationesque*] In Calig. ad cap. 32. & sæpe sumitur ista vox pro nocturnis, intempestivisque conviviis.

2. *Vomitandi consuetudine*] Hæc fuit apud Romanos receptissima, & medicorum, jam inde ab Hippocrate probata sententiis, hinc Cicero lib. 13. Epist ultim ad Atticum ἐμεῖσθαι agere dicit pro juxta consuetudinem vomere. Hanc damnavit postea Plinius lib. 26. cap. 3. vide in Claud. ad cap. 33.

3. *Indicebat*] Ut Nero supra in ejus vita cap. 27. *aliud alij* h. e. alij commessationem, alij prandium &c.

4. *Quadringenis*] 17500. l.

5. *Adventitia*] Amicis Peregre advenientibus lautissima cœna parabatur, quam ideo adventitiam dixere: Plautus viaticam vocat Bacchid. act. 1. sc. 2.

ego sorori meæ cœnam hodie dare volo viaticam.

6. *Dedicatione patinæ*] De dedicationum ceremoniis in Tib ad cap. 20. Plinius lib 35. cap. 12. fictilem fuisse dicit & huic faciendæ, fornacem in campis exædificatam, unde Mutianus de quo infra in Vespas. cap. 6. & 13. *altero consulatu suo in conquisitione exprobravit patinarum paludes Vitellij memoria.* inquit ibid. Plinius. de qua & Juvenal Satyr 11 v. 19. & sat 4. v. 133. &c. meminit & Plinius ibid. & lib. 10. cap. 1. alterius patinæ in quam Æsopus histrio aves cantu aliquo, & humano sermone vocales posuerat.

7. *Clypeum minervæ*] Quia scilcet maxima erat, quæ enim honori deorum destinabant, ea magna semper facienda curavere. Unde architecti tradunt Diis maximas

Digitized by Google

convenire ſtatuas, his proximis heroibus, tum regibus, quæque aliis deinceps majores, & minores. Quare Torrentius contra Turnebum exiſtimat non intelligendum de clypeo unius Minervæ Athenienſis, quam 26. cubitos altam fecerat Phidias, ſed de quocumque alio, cum ad ejus magnitudinem indicandam Minervæ clypeum dixiſſe ſufficiat. Ideo autem a limilata clypeo patina; quia eadem utriuſque forma, rotunda ſcilicet.

8. Αἰχίδα πολιοῦχον] Horatius teſtatur in optimo libro non extare unde ab aliquo adjectas fuiſſe ſuſpicatur veroſimillime, Aegis enim non clypeus, ſed pectoris tegmen eſt, & Palladis, non Poliuchi armatura cujus in medio Gorgonis effictum caput, Ovid. 6. metamorph.

at ſibi dat clypeum, dat acuta cuſpidis haſtam,
Dat capiti galeam, defenditur Aegide pectus.

πολιοῦχον H. e. *civitatis cuſtos*, quod & Palladi, quæ ſapientiæ ſymbolum eſt apprime, convenerit. De Aegide plura Herodot. lib. 4. Hiſt. Martial. epig. 1. lib. 7.

7. *Scarorum jocinora*] Martial. lib. xeniorum epig. 83.

Hic ſcarus æquoreis qui venit obeſus ab undis
Viſceribus bonus eſt, cætera vileſapit.

qui tamen cum teſte Plinio lib. 9. cap. 17. ſolus piſcium ruminare dicatur herbiſque veſci hoc quoque (herbas ſcilicet in ejus ſtomacho repertas) exquiſitiſſimum habere dicitur: ſcauri eorum ferme magnitudine, quos dicimus *des rougets*, amplo jecinore quod ſale & aceto contritum toti piſci condimentum eſt, huic piſci principatus menſarum dabatur Plinij temporibus.

10. *Phœnicopterûm*] De his in Colig. ad cap. 17. & 22. &c. De phaſianis & pavonibus Martial. in Xeniis Epig. 71. & 69. &c.

11. *Murænarum lactes*] His paſtos quoque ab Heliogabalo ruſticos auctor eſt Lampridius apud quem eadem ferme quæ hic de immodico iſto luxu.

12. *A Carpathio*] Huic mari nomen dedit inſula Carpathus una Sporadum hodie *ſcarpanto* Cretam inter & Rhodum. Inde etiam ſcari laudatiſſimi, ut patet ex Plinio lib. 9. cap. 17. Hic in omnibus libris legebatur *à Parthia* quod emendavit Sabellicus, cui Torrentius adſtipulatus eſt. Et veroſimillime; nec enim Romæ ſat diu fuit Vitellius, ut piſces ab Hircano mari petitos tam exiguo tempore credibile ſit, niſi eos jam ante advectos & ſervatos, ut de avibus indicis & Aegyptiacis teſtantur Plinius & Columella.

13. *Non profunda*] Sic & alij quoque multi locuti ſunt. Seneca epiſt. 89. *ad vos deinde tranſeo, quorum profunda & inſatiabilis gula, hinc maria ſcrutatur, hinc terras,* Plinius lib. 10. cap. 49. *Apicius nepotum omnium altiſſimus gurges.* Salluſtius in Jugurthino *Romanos injuſtos profunda avaritia, omnium communes hoſtes eſſe*, &c.

14. *Viſcus*] Hac voce quidquid cutem inter & oſſa continetur, ſignificari ſupra notatum eſt in Jul ad cap. 38.

15. *Farra*] Similiter de *patella edere* dixit Cicero 2. *de finibus* ut aſoti & irreligioſi ſolent: De hoc torrendi farris more Plinius lib. 18 cap 2. *Numa Pompilius inſtituit deos fruge colere, & mola ſalſa ſupplicare, atque ut auctor eſt, hemina far torrere, quoniam toſtum libo ſalubrius eſſet, id uno modo conſecutum ſtatuendo non eſſe purum ad rem divinam niſi toſtum; is & fornacalia inſtituit, farris torrendi ferias.*

16. *Pridiana*] Pridie cocta & appoſita ut in Tib. ad cap. 34.

CAPUT XIV.

PRONUS vero ad cujuſque & quacumque de cauſſa, necem atque ſupplicium: nobiles viros, condiſcipulos & æquales ſuos, omnibus blanditiis tantum non ad ſocietatem imperii allicefactos, vario genere fraudis occidit: etiam unum veneno manu ſua porrecto in [1] aquæ frigidæ potione, quam is affectus febre popoſcerat. Tum fœneratorum & [2] ſtipulatorum publicanorumque qui umquam ſe aut Romæ debitum, aut in via [3] portorium flagitaſſent, vix ulli pepercit. Ex quibus quendam in ipſa

Digitized by Google

salutatione supplicio traditum, statimque revocatum, cunctis clementiam laudantibus, coram interfici jussit, *velle se* dicens *pascere oculos*: alterius pœnæ duos filios adjecit, deprecari pro patre conatos. Sed & equitem Romanum proclamantem, cum, raperetur ad pœnam, *Heres meus es*, exhibere testamenti tabulas coëgit: utque legit coheredem sibi libertum ejus adscriptum, jugulari cum liberto imperavit. Quosdam & de plebe ob id ipsum, quod [4] Venetæ factioni clare maledixerant, interemit: contemtu sui & nova spe id ausos opinatus. Nullis tamen offensior quam [5] vernaculis & mathematicis, ut quisque deferretur, inauditum capite puniebat: exacerbatus, quod post edictum suum, quo jubebat intra Kalend. Octobris urbe Italiaque mathematici excederent, statim libellus est propositus, *& Chaldæos* [6] *dicere, Bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem usquam esset.* Suspectus & in morte matris fuit, quasi ægræ præberi cibum prohibuisset, vaticinante [7] Catta muliere, cui velut oraculo acquiescebat, *ita demum firmiter ac diutissime imperaturum, si superstes parenti exstitisset.* Alij tradunt ipsam tœdio præsentium, & imminentium metu, venenum à filio impetrasse haud sane difficulter.

NOTÆ.

1. *Aqua frigida*] Plinius lib. 26. cap. 3. auctor est hanc remedij loco præbitam ab Asclepiade, qui Pompeij temporibus totam fere medendi rationem immutarat.

2. *Stipulatorum*] Qui mutuas alicui pecunias præbebat, is ab accipiente stipulabatur conditiones, quibus illam sibi reddendam aut solvendas usuras volebat; stipulatio igitur est interrogatio qua promissore fenerator interrogat num tali conditione pecunias accipiat; quod quia conceptis verbis fiebat (erant enim stipulationum formulæ ut & actionum de quibus in Claud. ad cap 14.) Ideo majorem ad cautionem fæneratores adhibebant plerumque contractui suo formularum ejusmodi peritos de quibus etiam in Nerone ad cap. 32. ne sibi fraus fieret & ut mutuæ pecuniæ tutius præstarentur. Hujusmodi stipulatores hîc distinguit à fœneratoribus.

3. *Portorium*] Ad publicanos refert quia ij portorij conductores; in Jul. ad cap. 43.

4. *Venetæ factioni*] Cui favebat ut supra cap. 7.

5. *Vernaculis*] Quidam rejiciunt conjunctionem & ut intelligantur Mathematici Romæ nati, nam ij fere omnes Græci. Josephus Scaliger legit *veraculis* aut *vericolis*: nam & oracula quandoque simpliciter vera dicuntur. Turnebus *divinaculis*, quod & videtur optimum si phrasis absque mutatione stare non posset, verum *vernaculi* intelligi possunt circulatores illi, & de circo prætigiatores, ac scurræ forte quales ij de quibus Aug. cap. 74. vel Tib 57. aut Ner. 27. &c. quo sensu videtur Martialis lib. 10. epig. 3. vernaculi voce usus videtur & Seneca lib. 6. de beneficiis cap. 11 sic dicti vel quod vili plebeculæ aggregarentur, ut illuderent, vel quod vernulis & erronibus

6. *Dicere*] Inveteri codice legit Ursinus *edicere*, quod & ipse Torrentius monebat emendandum, & longè plus habet salis, quasi divinatores, qui vulgò Chaldæi quoque dicuntur, vicissim edicerent ne Vitellius ipse viveret; quod & probant verbà *bonum factum* quæ solennia sunt & omnibus edictis præponenda ut in Jul. ad cap. 80. notatum est.

7. *Catta muliere*] De gente Cattorum quæ Germanica est ex eorum regione, qui hodie *Hessi* ut Ortelius & Janus Fabricius volunt, vel *Badenses* ut Vilichius. Fuit etiam in Batavis Cattorum vicus qui hodie

Digitized by Google

Catvvik non longè a Lugduno. De quo hîc agi perſuaſerit Vitellij provincia, quæ erat inferior Germania, ut ſupra cap. 7. In libris aliis legitur *Cata* Chatam & *Charam*, noſtram omnium veriſſimum eſſe ex eo colligas, quod Germani mulierum vaticiniis ut plurimum uterentur. Ut narrat Tacit. in lib. de moribus German.

CAPUT XV.

OCTAVO imperij menſe deſciverunt ab eo exercitus [1] Mœſiarum, atque Pannoniæ: item ex tranſmarinis, [2] Judaïcus & Syriacus: ac pars [3] in abſentis, pars in præſentis Veſpaſiani verba jurarunt. Ad retinendum ergo cæterorum hominum ſtudium ac favorem, nihil non publice privatimque, nullo adhibito modo, largitus eſt. Delectum quoque ea conditione in urbe egit ut voluntariis non modo [4] miſſionem poſt victoriam, ſed etiam [5] veteranorum juſtæque militiæ commoda polliceretur. Urgenti deinde terra marique hoſti, hinc fratrem cum claſſe, ac tironibus & gladiatorum manu oppoſuit: hinc [6] Bebriacenſes copias & duces. Atque ubique aut [7] ſuperatus aut proditus, ſalutem ſibi & millies HS. [8] à Flavio Sabino Veſpaſiani fratre pepigit: ſtatimque pro gradibus Palatii apud frequentes milites *cedere ſe imperio, quod invitus recepiſſet*, profeſſus, cunctis reclamantibus rem diſtulit: ac nocte interpoſita, primo diluculo [9] ſordidatus deſcendit ad Roſtra: multiſque cum lacrymis eadem verba verum e [10] libello teſtatus eſt. Rurſus interpellante milite, ac populo, & ne deficeret hortante, omnemque operam ſuam pollicente, animum reſumſit: Sabinumque & reliquos Flavianos, nihil jam metuentes, vi ſubita in Capitolium compulit, [11] ſuccenſoque templo Jovis Opt. Max. oppreſſit: cum & prælium & incendium è Tiberiana proſpiceret domo inter epulas. Non multo poſt pœnitens facti, & in alios culpam conferens, vocata concione juravit, coëgitque jurare cæteros, *nihil ſibi antiquius quiete publica fore*. Tunc [12] ſolutum á atere pugionem, conſuli primum, deinde illo recuſante, magiſtratibus, ac mox ſenatoribus ſingulis porrigens: nullo recipiente, quaſi in æde Concordiæ poſiturus, abceſſit. Sed quibuſdam acclamantibus *ipſum eſſe Concordiam*, rediit: nec ſolum retinere ſe ferrum affirmavit verum etiam [13] CONCORDIÆ recipere cognomen.

NOTÆ.

1. *Mœſiarum*] Superioris & inferioris de quibus in Othone ad cap 9. De Pannonia in Tib ad cap 9. Aug. cap 2. &c.

2. *Judaicus, & Syriacus*] Illi Mucianus, huic præerat Veſpaſianus, de quorum conſiliis & prudentia fuſe Tacitus lib. 2. hiſt.

3. *In abſentis*] Mœſiacus nempe & Pannonicus exercitus, quippe tanto diſtitus intervallo.

4. *Miſſionem*] Quid & quotuplex ſit in Jul ad cap. 7 & 70.

5. *Commoda veteranorum*] De iis ſupra in Aug. ad cap. 24 Cal. 44. Ner. 32 &c.

6. *Bebriacenſes copias*] Quas *urbanæ deliciæ ſubenervaverant, quantumque hebes ad ſuſtinendum laborem mollis, tanto ad diſcordias promptior*, ut ait Tacitus lib. 2. hiſt. ſub fine.

Digitized by Google

Superatus] Ab Antonio illo Primo de quo supra, & infra cap. ultimo.

7. *Proditus*] A Cæcina, qui cum Valente Bebriacensibus copiis præerat fuse Tacit. 3. hist.

8. *Flavio Sabino*] Qui urbis præfectus erat Vespas. cap. 1. sed senecta invalidus. Millies h. e. 4375000. l.

9 *Sordidatus*] Lugentium aut reorum habitus In Tib. ad cap. 2.

10. *Libello*] E quo recitabat, quod dicitur de scripto verba facere.

11. *Succensoque templo*] Quod facinus omnium post conditam urbem luctuosissimum fuisse Tacitus auctor est; quanquam semel attigisset per bella civilia.

12. *Solutumque*] Imperij symbolum ut jam supra, & Galbæ cap. 11.

13. *Concordiæ cognomen*] Ut L. Antonius Triumviri frater de quo in Aug cap. 9. & 68. cognominatus est *Pietas*, de æde concordiæ in Tib. cap. 20.

CAPUT XVI.

SUASITQUE senatui ut legatos cum virginibus 1 Vestalibus mitterent pacem, aut certe tempus ad consultandum, petituros. Postridie responsa operienti nuntiatum est per exploratorem, hostem appropinquare. Continuo igitur abstrusus [2] gestatoria sella duobus solis comitibus, pistore & coquo, [3] Aventinum & paternam domum clam petiit, ut inde in Campaniam fugeret. Mox levi rumore & incerto tanquam pax impetrata esset, referri se in palatium passus est: ubi cum deserta omnia reperisset, dilabentibus etiam qui simul erant: zona se aureorum plena circumdedit: confugitque in [4] cellulam janitoris, religato pro foribus cane, lectoque & culcita objectis.

NOTÆ.

1. *Vestalibus*] Harum magna erat in perturbationibus tum publicè tum privatim componendis auctoritas ut jam supra in Jul. ad cap. 1. Hæ ab Antonio Primo honore multo acceptæ & remissæ sunt: legati ab altero exercitu jam enim duo exercitus ad urbem accedebant, violati.

2. *Gestoria sella*] Tacitus lib. 3. hist. *sellulam* dicit quam hic *gestatoriam sellam*, unde videtur hæc fuisse minor quædam sella, qua etiam in theatrum quandoque deferebantur. Ut Ner cap. 26.

3. *Aventinum*] Hic unus est e septem urbis montibus.

4. *Cellulam janitoris*] Paulo aliter Dio qui occultatum illum dicit in obscuro quodam loco, ubi canes alebantur: quod de Janitoris ipsa cellula non videtur intelligendum, quamvis enim Romano & Græco more ibi canes essent, unde inscriptio hæc apud Petronium, *cave cave*, apposita cani pro foribus picto, non tamen alendis canibus locus ille destinatus.

CAPUT XVII.

IRRUPERANT jam agminis antecessores: ac nemine obvio rimabantur ut fit, singula. Ab iis extractus è latebra, sciscitantes *quisnam esset* (nam ignorabatur) & *ubi esse Vitellium sciret*, mendacio elusit, deinde agnitus rogare non destitit, quasi quædam de salute Vespasiani dicturus, ut custodiretur interim vel in carcere: donec religatis post terga manibus, injecto cervibus laqueo, veste dessissa seminudus in Forum tractus est, inter magna rerum verborumque ludibria, per totum [1] viæ Sacræ spatium, [2] reducto coma capite, [3] ceu noxij solent, atque etiam

Digitized by Google

mento mucrone gladij [4] ſubjecto ut viſendam præberet faciem, neve ſummitteret: quibuſdam ſtercore & cæno inceſſantibus, aliis [5] *incendiarum & patinarium* vociferantibus, parte vulgi etiam corporis vitia exprobrante (erat enim in eo enormis proceritas, facies rubida plerumque ex
§ vinolentia, venter obeſus, alterum femur ſubdebile, impulſu olim quadrigæ, cum auriganti Cajo miniſtratorem exhibetet) tandem apud [6] Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificatus atque confectus eſt, & inde uncо tractus in Tiberim.

NOTÆ.

1. *Via ſacra*] Frequentiſſimus fuit urbis vicus in quo Julius Cæſar habitaverat ut in Jul. cap. 45.

2. *Reducto coma capite*] Senſus eſt milites, qui Vitellium ſequebantur appehenſis a tergo crinibus caput ejus retraxiſſe ut erigeretur, nec ſubductum & depreſſum, minus poſſet agnoſci, quo ſenſu Virgil. lib. 10.

reflexa
Cervice erantis capulo tenus abdidit enſem.

3. *Ceu noxii ſolent*] Malit Caſaubon. legere *ut noxii ſolent* Ita enim fiebat illuſtribus reis ſupplicio afficiendis, ut nudo & elato capite traherentur, ut de Sejano refert Dio; ac Danaë illuſtri fœmina Polybius De delatoribus innuit Plinius in Panegyrico *contigit deſuper innueri delatorum ſupina ora, retortaſque cervices.*

4. *Subjecto*] Turnebus ex veteri codice legere mavult *ſubrecto*, & ex Pithoei Cujaciique codicibus probat Caſaubonus. Tacitus 3. hiſt. extremo *Vitellium infeſtis mucronibus coactum modo erigere os, & offerre contumeliis, nunc cadentes ſtatuas ſuas: plerumque roſtra & Galbæ occiſi locum contueri, poſtremo ad Gemonias ubi corpus Flavij Sabini jacuerat, propulere: vox una non degeneris animi excepta, cum tribuno inſultanti, ſe tamen imperatorem ejus fuiſſe reſpondit, ac deinde ingeſtis vulneribus concidit.*

5 *Incendiarium*] Capitolij, cap. 15.
Patinarium] Propter patinam illam de qua ſupra ad cap. 13.

6. *Gemonias*] De his in Tib. ad cap. 75. &c.

CAPUT XVIII.

PERIIT cum fratre & filio, anno vitæ [1] VII. & quinquageſimo nec fefellit conjecturam eorum qui augurio, quod [2] factum ei Viennæ oſtendimus, non aliud portendi prædixerant, quam venturum in alicujus Gallicani hominis poteſtatem: ſiquidem ab Antonio Primo adverſarum partium duce oppreſſus eſt: cui Toloſæ nato cognome in pueritia [3] *Becco* fuerat. Id valet, gallinacei roſtrum. A. U. C. DCCCXXII.

NOTÆ.

1. *Septimo & quinquageſimo*] Quem explebat, ut ait Tacitus 3. hiſt. Alii aliter; ſunt enim qui tres annos detrahant de quibus ij legendi qui Faſtos concinarunt.

2. *Factum Vienna*] Supra cap. 9.

3. *Becco*] Non gallinacei, tantum ſed & alterius cujuſcumque avis roſtrum ſignificat etiamnum hodie Gallis *bec*. Italis *becco* ut Beoraldus, Germanis & Gallis *bek* ut Torrentius & Glareanus teſtantur. De hoc Antonio Primo multa apud Tacitum & varia: homo fuit manu ſtrenuus, ſermone promptus, diſcordiis potens, raptor, largitor, pace peſſimus, bello non ſpernendus, ut Vitelliano illo multis apparuit. Illius Antonij meminit Martialis lib. 9. epig. 101. lib. 10 epig. 23. & 32.

Digitized by Google

C. SVETONII TRANQVILLI

DE XII. CÆSARIBVS.

LIBER VIII.

T. FLAVIUS VESPASIANUS AUGUSTUS.

CAPUT I.

REBELLIONE trium principium, & cæde incertum diu, & quasi vagum imperium, suscepit firmavit que tandem gens FLAVIA: obscura illa quidem, ac sine ullis majorum [2] imaginibus: sed tamen Reip. nequaquam pœnitenda, constet licet Domitianum cupiditatis ac sævitiæ merito pœnas luisse. Titus Flavius [3] Petro municeps [4] Reatinus, bello civili Pompeianarum partium centurio, [5], an evocatus, profugit ex Pharsalica acie, domumque se contulit. Ubi deinde venia & missione impetrata, [6] coactiones argentarias factavit. Hujus filius cognomine Sabinus, expere militiæ (etsi quidam sum primipilarem: nonnulli, cum adhuc [7] ordines duceret, sacramento solutum [8] per caussam valitudinis tradunt) [9] publicum quadragesimæ in Asia egit. Manebantque imagines à civitatibus ei positæ sub hoc titulo, [10] ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ. Postea fœnus apud [11] Helvetios exercuit ibique diem obiit, superstitibus uxore Vespasia Polla, & duobus ex ea liberis: quorum major [12] Sabinus ad præfecturam urbis, minor Vespasianus ad principatum usque processit. Polla [13] Nursiæ honesto genere orta, patrem habuit [14] Vespasianum Pollionem, ter Tribunum militum, [15] præfectumque castrorum, fratremque senatorem prætoriæ dignitatis. Locus etiam nunc ad sextum milliarum à Nursia Spoletum euntibus in monte summo appellatur

latur Veſpaſiæ: ubi Veſpaſiorum complura monumenta exſtant, magnum indicium ſplendoris familiæ & veruſtatis. Non negaverim jactatum a quibuſdam Petronis patrem e regione Tranſpadana fuiſſe [16] mancipem operarum, quæ [17] ex Umbria in Sabinos ad culturam agrorum, quotannis commeare ſolerent: ſubſediſſe autem in oppido Reatino, uxore ibidem ducta. Ipſe ne veſtigium quidem de hoc, quamvis ſatis curioſe inquirerem, inveni.

NOTÆ.

1. *Rebellione trium principum*] Galbæ, Othonis, & Vitellij, quorum quia incertum diu fuit imperium, ideo Cæſaribus illos quidam nolunt annumerandos; quod tyranni potius quam veri principes fuerint: ſic enim rebelles appellandos hîc probat Theodorus Marcilius.

2. *Imaginibus*] Nobilitatis inſignibus de quibus in Aug. ad cap. 4.

3. *Petro*] Torrentius in omnibus Mſſ. ſuis legit *Petronius*. Sed Glareanus hîc & ex Birthoei codice Caſaubonus emendarunt. *Petrones fere ruſtici dicuntur*, inquit Feſtus, *propter veruſtatem quod deterrima quaque ac praeruptus.... jam agri petri vocantur ut rupices ijdem ſive a Petrarum aſperitate, & duritia dicti*, ut ait idem Feſtus.

4. *Reatinus*] Reate Sabinorum oppidum, hodie *Rieti*.

5. *An evocatus*] Vulgati omnes legebant *incertum ſponte, an evocatus*. Caſaubonus ex aliis manuſcriptis emendavit. ſic enim ſæpe loquitur Suetonius brevitatis amans, ut & ſupra Galbæ cap. 12. Claud. cap. 13. & infra cap. 6. quæ ἔλλειψις Tacito quoque familiaris & ipſi Livio, qui lib. 8. Dec. 3. *ea ſuſpitio vitio orationis an rei haud ſane purgata eſt*. Quanquam certe in Aug. cap. 19. aliter locutus eſt Suetonius. Quod autem addit hîc de miſſione, innuere videtur centurionem illum fuiſſe, non ex veteranis evocatum: hi ſi quidem tunc voluntariam obibant militiam (ut in Aug ad cap. 56. ubi debis paulo plura) niſi veniam illi a dicas à Cæſare conceſſam, nec enim a Pompeio conceſſi potuit, ut pote qui paulo poſt occiſus eſt, ut in Jul. cap. 35.

6. *Coactiones argentarias*] Argentarij auctionibus præerant ut ex Ner. cap 5. colligas, iis aderant miniſtri, qui certa mercede pretia rerum venditarum illorum nomine colligerent: qualis fuit Horatij pater, ut teſtatur ipſe Satyr. 6. lib. 1. quem ad locum Acro: *Coactores autem mercenarij eorum qui habebant argentariam: ſunt autem argentarij qui habent ſummam rerum venalium* &c. qui & coactores auctionales & argentarij nuncupantur. Budæus prioribus in pandectas annotationibus, pecuniis publicis præpoſitos ſic diſtinguit. Præfectos autem ærarii hodie, ut arbitror, vocare poſſumus *generales finantiarum*, qui etiam quæſtores vocitari poſſunt, quod munus olim prætores prætoriique viri obibant (ut ex Suet. in Claud. cap. 29.) tribunos verò ærarij, quos receptores generales vocant; coactores dicebantur, qui nunc receptores particulares, ut apud Tranquillum in Veſpaſ. quo loco non videntur coactores argentarij iidem eſſe cum iis de quibus Bud. varii enim generis coactores fuere ut auctionales, luſtrales, &c.

7. *Ordines duceret*] Legionis partes dicebantur ordines & numeri, qui varii pro variis Reip. temporibus. His qui præerant centuriones, atque etiam ordinum ductores appellati. De centurionibus ſupra in Jul. ad cap. 68. de primipilaribus in Tiber. ad cap. 37.

8. *Per Cauſſam valitudinis*] Quæ miſſio cauſſaria dicebatur, ut ſupra in Jul. ad cap. 7.

9. *Publicum quadrageſimæ*] Ber. & Sab. legunt *publicanum*, ut ſit ſenſus Publicanum in Aſia fuiſſe Sabinum hunc: quod & innuere videtur inſcriptio, ſed deeſt codicum auctoritas. Publicum agere h. e. vectigal colligere, ut Vitel. cap. 7. *publica invertere*, *ſupple vectigalia* &c. quadrageſima hæc eſt rerum venalium, quam ſibi Princeps arrogabat, ut ſupra in Calig. cap 16. &c.

10. *Καλὸς Τελωνήσας.*] H.e. ei qui bene tributum exegit, poteſt etiam intelligi, qui bene publicanum egit.

11. *Helvetios*] In uno libro Torrentius legit *Helveticos* in altero *Illuricos*. Sed quid ſi

Helvetiços retinuerint ut de exercitibus in Helvetia degentibus, intelligant.

12. *Sabinus ad Præfecturam*] Ad hanc evectus fuerat a Nerone. de hoc Sabino paulo supra in Vitel. cap. 15.

13. *Nursiæ*] In Umbria, quæ hodie Ducatus Spoletinus civitas, hodieque *Norciæ*.

14. *Vespasium Pollionem*] Plutarchus in Othone sub finem, inter Othonianos duces Pollionem quemdam annumerat.

15. *Præfectus Castrorum*] De hoc munere Vegetius lib. 2. cap. 10. *Erat castrorum præfectus licet inferior dignitate; occupatus tamen non mediocribus caussis, ad quem castrorum positio, valli & fossæ destinatio pertinebat, tabernacula vel casæ militum cum impedimentis omnibus metu ignis curabantur. Præterea agri, contubernales medici*, &c. omnia denique ad Castrorum tutamen & necessitates pertinentia, ne quid in illis deesset; denique concludit, *Hic post longam probatamque militiam peritissimus omnium legebatur*, quid etiam colligas ex hoc loco, Pollio, siquidem ille tribunus militum ter fuerat, ut rectè doceret alios, quod ipse cum laude fecisset.

16. *Mancipem operarum*] Qui mercenariorum operas redemptas aliis elocabat, lucri sui caussa. Cicero in prætura urbana *si res abiret ab eo mancipe quem ipse oppossuisset* mancipem illum dicit, qui tecta reparanda redemerat. Sensus igitur est conductos a Petrone operarios in Umbria, quos postea majore mercede in Sabinis elocabat. Mancipes quoque dicebantur, qui a publicanis decumas aut pascua publica redimebant ad quæstum suum, quales dicuntur nobis *soúfermiers*.

17. *Ex Umbria in Sabinos*] Quales etiamnum hodie videmus Lemovices & Sabaudos alioque benemultos certis anni tempestatibus in vicinas regiones commigrare & lucri caussa suam operam elocare.

CAPUT II.

A. U. C. DCCLXII.

VESPASIANUS natus est in Sabinis [1] ultra Reate, vico modico, cui nomen est Phalacrine, xv. Kalend. Decemb. vesperi [2] Q. Sulpicio Camerino, C. Poppæo Sabino Coss. quinquennio antequam Augustus excederet: educatus sub paterna avia Tertulla in prædiis [3] Cosanis. Quare princeps quoque & locum incunabulorum assidue frequentavit: manente villa, qualis fuerat olim: ne quid scilicet oculorum consuetudini deperiret. Et aviæ memoriam tantopere dilexit, ut sollennibus ac festis diebus [4] pocillo quoque ejus argenteo potare perseveraverit. Sumta [5] toga virili, latum clavum, quamquam fratre adepto, diu aversatus est: nec ut tandem appeteret, compelli nisi a matre potuit. Ea demum extudit, magis convicio quam precibus vel auctoritate, dum eum idemtidem per contumeliam [6] anteambulonem fratris appellat. [7] Tribunatu militum in Thracia meruit. Quæstor Cretam & Cyrenas [8] provinciam sorte cepit: ædilitatis ac mox præturæ candidatus, [9] illam non sine repulsa, [10] sextoque loco vix adeptus est: ac primo statim petitione, & in primis prætor, infensus senatui, [11] Cajum ne quo non genere demereretur, ludos [12] extraordinarios pro victoria ejus [13] Germanica depoposcit, pœnæque [14] conjuratorum addendum censuit ut insepulti projicerentur. Egit & gratias ei apud amplissimum ordinem, quod se [15] honore cœnæ dignatus esset.

NOTÆ.

1. *In Sabinis*] Libri Mss. *Samniis* & *Samnis* hinc Turnebi conjectura, *Sevinis* pro *Sabinis* scriptum fuisse, atque ita legi debere. Quam sententiam firmat Eutropius,

Digitized by Google

sic Torrentius.

2. *Q. Sulpicio &c.*] Qui annus urbis fuit 761. Christi 10.

3. *Cosanis*] Alij *Consanis* malè: Consa enim in Hirpinis longè a Cosa, quæ quondam in Hetruria, hodie excisa: non procul ab *Alsidonia* est & *Cosas* Hernicorum in Latio, hodieque *Cosa*.

4. *Pocilo*] Vulgati *poculo*.

5. *Toga virili*] Vide in Claud. ad cap. 2. &c. & in Aug. ad cap. 38.

6. *Anteambulonem*] Is est propriè, qui officij sui gratia principem ambulando præcedit, quod iis quoque tribuitur per contemptum, qui potentioribus adulantes, id illis officij serviliter exhibebant. Martial. epig. 18. lib. 2.

Sum comes ipse tuus, tumidique anteambule regis.

beatos enim illos reges quoque suos vocabant de quibus plura apud Martial. epig. 74. lib. 10. Juven. Satyr. 7. & 10. &c.

7. *Tribunatu militum*] Torrentius scripsit *tribunatum*, ut intelligatur virtute sua dignitatem illam adeptus, alij aliter, quæ lectionum varietas inde orta videtur quod cum Suetonius scripsisset *trib. mil.* alij *tribunatum* alij *tribunatu* alij *tribunus* descripserunt; de hoc munere in Jul. ad cap. 5. ut de quæstura ad cap. 6. ibid. & Claud. ad cap. 24.

8. *Provinciam*] Torrentius in optimo lib. legit *Provincias*, quod videtur melius: magno enim intervallo dissitæ sunt quanquam & uni jam ante commissam utramque dicat Appianus. De Cyrene quæ & Pentapolis supra in Claud. ad cap. 42.

9. *Illam non sine repulsa*] Hoc est ædilitatem, vulgati omiserant *illam*.

10. *Sextoque loco*] Sex erant Ædiles ut supra in Jul. ad cap. 10 notatum est.

11. *Cajum*] Caligulam.

12. *Extraordinarios*] Aedilium & prætorum impensa fiebant ordinarij ludi, ut lib. 1. cap 19. est notatum. Sed initio vel in fine magistratus quod si medio tempore aut aliam ob causam quam ob magistratum suum ij tunc extraordinarij.

13. *Germanica*] In Calig. cap. 42.

14. *Conjuratorum*] De conjuratione Lepidi in Calig. cap. 24. horum corpora projiciebantur, vel unco trahebantur in Gemonias ut supra in Ner. cap. 53. in Tib. 61. & 75. &c. hinc etiam in Tiberim ut supra ibid. & infra cap. 19.

15. *Honore cœnæ*] In Calig. cap. 39. qui honos eo major quod alio tempore nullo, sedenti fas sit alloqui Principem, quæ pluribus prosequitur Statius Silv. 2. lib 4. divinæ quandoque dicuntur ejusmodi epulæ Martial. epig. 39. lib. 8. & epig. 93. lib. 9. &c.

CAPUT III.

INTER hæc Flaviam Domitillam duxit uxorem, Statilii Capellæ equitis Rom. [1] Sabratensis ex Africa [2] delegatam olim, Latinæque conditionis, sed mox ingenuam & civem Romanam [3] recuperatorio judicio pronuntiatam: patre asserente Flavio Liberale Ferenti genito, nec quidquam amplius quam [4] quæstorio scriba. Ex hac liberos tulit, Titum & Domitianum, & Domitillam. Uxori ac filiæ superstes fuit: atque utramque adhuc privatus amisit. Post uxoris excessum, Cænidem [5] Antoniæ libertam, & [6] a manu dilectam quondam sibi, revocavit in [7] contubernium: habuitque etiam Imperator pene justæ uxoris loco.

NOTÆ.

1. *Sabratensis*] Vulgati varie legebant *Sabraceni. Tabraceni. Sabracensis* Torrentij Mss. *Scabratensis* & *Subratensis*, qui tamen secutus est emendationem Pulmanni ex Turnebo. Sabrata est Africæ colonia, & oppidum hodie *Rakkanabes*, vel *Saxambis*, ut aliis placet. Ut sua Coloniis & municipiis respublica, quæ Romanam quodam modo referebat, ut supra in Aug. ad cap. 46. ita & sui in illis ordines, senatorius nempe, equestris, plebeius. Sed illi equites dicti sunt Municipales, non Romani, nisi & Romanum

Digitized by Google

equestrem gradum adepti forent, qualis ille de quo hîc sermo est.

2. *Delegatam*] Sic vulgati ac Viterbiensis & Lissæi codices. Petrus Pithoeus in suis adversariis lib. 2. cap. 9. legit *deligatam* ut scilicet ea non ancillamodo, sed ex iis etiam fuerit, quæ vinciuntur, quales Columellæ lib. 1. cap. ultimo, dicuntur *alligati*, *vineæ ut plurimum per alligatos excoli*. De hujusmodi servis in Ner. ad cap. 31. ubi de custodiis. Ex qua miseria postmodum emersisset ad latinitatem, quod Turnebo adversar. lib 22. cap. 15. ubi substituit *delicatam* quo sensu dicenda foret in delicii fuisse Statilio illi. In Tit. enim cap. 7. *delicati* simpliciter dicuntur pueri infames, verum quis credat talem uxorem a Vespasiano ductam? Optime legisse videtur Theodorus Marcilius *libertam olim Latinaque conditionis, sed mox ingenuam & civem Romanam*. Libertæ opponit ingenuam, Latinæ conditioni civem Romanam. Aurelius Victor libertam tantum dicit. Quia tamen plures vulgatam retinuere, sensus hic erui posse videtur, ut Statilio illi clam delegata, hoc est, ejus curæ vel custodiæ demandata quondam intelligatur, ut Othoni Poppæa Sabina in Oth. cap. 3. quasi fuisset latinæ conditionis, quo accepto, illius pater eam asseruerit in ingenuitatem, de qua in Aug. ad cap. 74. tali cum prærogativa natam probando apud judices. Quo posito jura ingenuitatis illi manebant inconcussa, *sapissime enim constitutum est natalibus non officere manumissionem*, ut ait Imperator *inst. de ingenuis §. cum autem*, unde legendum esset *Statilio*, quia rarò cæteræ voces scribuntur integræ sic *Statilio eq. Rom. fabrat.* ut ait Torrentius.

3. *Recuperatoria judicio*] Dato a Recuperatoribus de quibus in Ner. ad cap. 17.

4. *Quæstorio scriba*] De scribarum decuriis in Claud. cap. 1. singulis enim magistratibus sui scribæ, ut Ædilitij, Quæstorij, Prætorij, &c.

5. *Antoniæ*] An majoris, an minoris, de quibus in Calig. cap. 1. & 10. & Ner. cap. 5. non distinguit: fuit etiam tertia Antonia Claudij principis filia de qua in Claud. cap. 27.

6. *A manu*] Hinc patet feminis ut nomenculatores servos de quibus in Aug. ad cap. 19. ita & amanuenses ancillas fuisse, quemadmodum viris in Ner. cap. 44. & Jul. cap. 74. &c.

7. *Contubernium*] Hanc vocem Jureconsulti opponunt matrimonio ad l. 11. §. 1. ff. ad l. Jul. de adult. diciturque proprie de servi cum serva cohabitatione, cum apud Romanos nulla servis essent jura connubiorum, ideo sic appellari placuit illorum conjunctionem, ad similitudinem militum, quorum qui simul habitant, conturbernales dicuntur, ut in Jul. ad cap. 2. & 42. quanquam & de quavis cohabitatione contubernium dixit Calig. cap. 10. & Ner. cap. 34.

CAPUT IV.

CLAUDIO principe [1] Narcissi gratia legatus legionis in Germaniam missus est: inde in Britanniam translatus tricies cum hoste conflixit. Duas validissimas gentes, superque XX. oppida, & [2] insulam Vectem Britanniæ proximam in deditionem redegit: partim [3] Auli Plautii consularis legati, partim Claudii ipsius ductu. Quare [4] triumphalia ornamenta, & in spatio brevi duplex sacerdotium accepit. Præterea consulatum, quem gessit per duos novissimos anni menses: medium tempus ad Proconsulatum usque in otio secessuque egit: [5] Agrippinam timens potentem adhuc apud filium, & defuncti quoque Narcissi amicos perosam. Exin sortitus Africam, integerrime, nec sine magna [6] dignatione administravit: nisi quod Adrumeti seditione quadam, [7] rapa in eum jacta sunt. Rediit certe nihilo opulentior, ut qui prope labefactata jam fide, omnia prædia fratri obligarit: necessarioque ad [8] mangonicos quæstus sustinendæ dignitatis caussa descen-

A. U. C. DCCC IV.

derit, propter quod vulgo Mulio vocabatur. Convictus quoque dicitur [9] ducenta HS. expressisse juveni, cui [10] latum clavum adversus patris voluntatem impetrarat, eoque nomine graviter increpitus. [11] Peregrinatione Achaïca inter [12] comites Neronis, cum cantante eo, aut discederet sæpius, aut præsens [13] obdormisceret, gravissimam contraxit offensam: prohibitusque non contubernio modo, sed etiam publica salutatione, secessit in parvam ac deviam civitatem, quoad latenti, etiamque extrema metuenti, provincia cum exercitu oblata est. Percrebuerat Oriente toto vetus & constans opinio: esse in fatis ut eo tempore [14] Judæa profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Rom. quantum eventu postea [15] patuit, prædictum Judæi ad se trahentes, rebellarunt: cæsoque præposito, legatum insuper Syriæ consularem suppetias ferentem, rapta aquila fugaverunt. Ad hunc motum comprimendum cum exercitu ampliore, & non instrenuo duce, cui tamen tuto tanta res committeretur, opus esset, ipse potissimum delectus est: ut & industriæ expertus, nec metuendus ullo modo ob humilitatem generis & nominis. Additis igitur ad copias duabus legionibus, [16] octo alis, cohortibus decem, atque inter legatos majore filio assumto, ut primum provinciam attigit, [17] proximas quoque convertit in se: correcta statim castrorum disciplina, uno quoque & altero prælio tam constanter inito, ut in oppugnatione [18] castelli lapidis ictum genu, scuto sagittas aliquot exceperit.

NOTÆ.

1. *Narcissi*] Gratiosi liberti de quo in Claud. cap. 28 & 37.

2. *Insulam Vectem*] Vectis seu Vecta est insula oræ Australi Angliæ proxima, hodie *Vuight*.

3. *Auli Plautii*] Supra in Claud. cap. 24. de consularium & proconsularium provinciarum ab Augusti temporibus discrimine supra in Aug. ad cap 47.

4. *Triumphalia*] Quid ea sint, in Tib. ad cap. 9. & 20.

5. *Agrippinam*] Neronis matrem.

6. *Dignatione*] H. e. honore quo confirmari posset eadem lectio in Jul ad cap. 4. Tacitus annal. 2. invidiosum ejus in Africa proconsulatum fuisse dicit; sed occasione forte illius contumeliæ qua affectus est Adrumeti, quæ civitas hodie *Tunolba*, sive *Mahometta*; Cui accedit etiam quod amorem semper non conciliat integritas; cum & a Vitellio favorabilem ibidem proconsulatum gestum referat idem Tacitus.

7. *Rapa*] Simile quid in Claud. cap. 18. Quemadmodum igitur flores omnis generis & fructus in eos mittebant, quos honore volebant affectos, ita e contrario, simum, lapides, lutum &c. Cujus moris indicium extat l. 1. ff. de extraord. crimin. *fit injuria contra bonos mores, si quis simo corrupto aliquem perfuderit, cœno, luto oblinuerit, aqua spurcaverit, &c.* quod & patet cap. sequenti.

8. *Mangonicos quæstus*] Qui parantur vendendis servis. de mangonibus in Aug. ad cap. 69 & 42. &c.

9. *Ducenta sestertia*] 8750. l.

10. *Latum clavum*] Dignitatem senatoriam, vide in Aug. ad cap. 34. & 38. & Jul. ad cap. 45. sive equestrem laticlaviam, ut aliis placet.

11. *Peregrinatione Achaïca*] In Ner. cap. 19. & 51.

12. *Comites Neronis*] De comitibus in Tib. ad cap. 46.

13. *Obdormisceret*] Quod multis exitio fuit. Ner. cap. 23.

14. *Judæa profecti*] Ejusdem oraculi meminere Tacitus lib. 5. hist & Josephus lib. 6. cap. 31. quod de Christo Domino intelligendum & a Prophetis Judaïcis pro-

Digitized by Google

fectum refert Hegesippus lib. 5. cap. 44. Non vero ex Carmeli montis sortibus, de quibus cap seq ut dicit Orosius lib. 7. c 9.

15. *ratuit*] Ex MSS. Casaubonus emendat *Paruit*.

16. *Octo alis*] Equitum de quibus in Claud ad cap. 25. Tib cap. 30. & Aug. cap. 38. de cohortibus in Jul. ad cap. 31.

17. *Proximas quoque*] Provincias scilicet. Vulgati addebant *civitates*, sed Josephus auctor est Orientem totum ejus admiratione commotum.

18. *Castell.*] *Jotapate*, ut ait Josephus lib. 3 cap. 16. & Hegesippus lib. 3. cap. 12. hodie dicitur *Syria*.

CAPUT V.

POST Neronem Galbamque, Othone atque Vitellio de principatu certantibus, in spem imperii venit, jam pridem sibi per hæc ostenta conceptam. In suburbano Flaviorum quercus antiqua quæ erat [1] Marti sacrata, per tres [2] Vespasiæ partus, singulos repente ramos [3] a frutice dedit, haud dubia signa futuri cujusque fati. Primum, exilem, & cito arefactum: ideoque puella nata non perannavit. Secundum, prævalidum ac prolixum, & qui magnam felicitatem portenderet. Tertium vero, [4] instar arboris. Quare patrem [5] Sabinum ferunt haruspicio insuper confirmatum renuntiasse [6] matri, *nepotem ei Cæsarem genitum*: nec illam quidquam [7] aliud quam cachinnasse, mirantem, *quod adhuc sementis compote deliraret jam filius suus*. Mox cum ædilem eum C. Cæsar, succensens curam [8] verrendis viis non adhibitam, luto jussisset oppleri, congesto per milites in [9] prætextæ sinum: non defuerunt qui interpretarentur, quandoque proculcatam desertamque Remp. civili aliqua perturbatione in tutelam ejus, ac velut in gremium, deventuram. Prandente eo quondam, canis [10] extrarius e trivio manum humanam intulit, mensæque subjecit. Cœnante rursus, bos arator decusso jugo, triclinium irrupit: ac fugatis ministris, quasi repente defessus, procidit ad ipsos accumbentis pedes, cervicemque summisit. Arbor quoque cupressus in agro avito sine ulla vi tempestatis radicitus [11] evulsa atque prostrata, insequenti die viridior ac firmior resurrexit. At in Achaia somniavit, initium tibi suisque felicitatis futurum, simul ac dens Neroni exemtus esset, evenitque ut sequenti die progressus in atrium medicus dentem ei ostenderet [12] tantum quod exemtum. Apud Judæam [13] Carmeli Dei oraculum consulentem, ita [14] confirmavere sortes: ut quidquid cogitaret volveretque animo, quantumlibet magnum, id esse proventurum pollicerentur. Et unus ex nobilibus captivis [15] Josephus, cum conjiceretur in vincula, constantissime [16] asseveravit fore, ut ab eodem brevi solveretur, verum jam Imperatore. Nuntiabantur & ex urbe præsagia, Neronem diebus ultimis monitum per quietem, ut [17] thensam Jovis opt. max e sacrario in domum Vespasiani, & [18] in Circum deduceret. Ac non multo post, comitia secundi consulatus ineunte Galba, [19] statua Divi Julij ad Orientem sponte conversa: acieque [20] Bebriacensi, prius quam committeretur, duas aquilas in conspectu omnium conflixisse: victaque altera, supervenisse tertiam [21] a solis ortu, ac victricem abegisse.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Marti sacrata*] Quercus hæc, ut & aliæ bene multæ arbores apud antiquos, videtur peculiari religione culta fuisse, nec enim vulgò Marti sacrata quercus est, sed Jovi, ut Myrtus Veneri, Laurus Appollini, &c.

2. *Vespasiæ*] Quæ Vespasiani imperatoris mater de qua cap. 1.

3. *A frutice*] Lipsius legit *aut fruticem*, quod Casaubono placuit, librariorum imperitia corruptum existimante, quid enim illud est *ramos dare à frutice?* nisi fruticem pro ipso stipite accipias.

4. *Instar arboris*] Cum tamen frutex vulgo minor sit arbore ex Columella, & Plinio passim.

5. *Sabinum*] Patrem Vespasiani, qui in Helvetia mortuus est cap. 1.

6. *Matri*] Tertullæ, quæ Sabini mater erat, atque ejus ideo liberorum avia.

7. *Aliud*] In uno libro deest illa vox.

8. *Verrendis viis*] Id enim inter alia, quæ ad urbis ornatum spectant, ædilium muneris est.

9 *Prætexta*] Quæ magistratuum toga est, & puerorum in Jul cap. 1. &c.

10. *Extrarius*] In Viterb. Casaub. legit *exterritus e trivio.* Extrarius ex Festo ille est *qui extra focum, jusque nostrum ac sacramentum est*, quod & indicat Terentius in Phorm.

Hanc conditionem si cui tulero extrario.

11. *Evulsa radicitus*] In uno lib. Torr. legit *prostrata* longe verosimilius. De hac eadem arbore Tacit. 2. histor. *cupressus arbor repente procideral.* In Domit. cap. 15. ait Sueton. *arbor quæ everſa surrexerat*, ne nimium mentiretur, inquit Torr.

12. *Tantum quod*] Sic unus e Torr. codicibus, sic & Turneb. in cæteris vero: *recenter quidem exemptum*, sic de hac loquendi ratione in Aug. cap. 63. & 98.

13. *Carmeli Dei*] Tacitus 2. hist. *est Judæam inter Syriamque Carmelus, ita vocant montem, deumque nec simulacrum Deo, aut templum (sic tradidere majores) aram tantum, & reverentiam*, huic factam credunt reverentiam ab Elia Thisbite, qui & illic habitaverit, & scholam habuerit, ut prodidit Joannes Hierosolymitanus patriarcha. Vide & 1. seu 3. reg. 18. item 4. reg cap. 2. & 4. unde gratiorem in eo loco fore numini cultum existimabant ut ait Vossius &c. Idem ferme de Herculeo fano Silius lib. 3.

Sed nulla effigies, simulacraque nota deorum,
Majestate locum, & sacro implevere timore.

Carmelus autem mons Palæstinæ hodie *Carmene*, alter de quo hic.

14. *Confirmavere sortes*] Sacrificio, & extis, id prædictum a Basilide, de quo cap. 7. infra Tacitus iisdem verbis hoc narrat.

15. *Iosephus*] Nobilis ille antiquitatum Judaïcarum Scriptor, qui, ut ipse refert lib. 3 belli Judaici in expugnatione Jotapatæ, in cavernam se receperat, unde a Nicanore Vespasiani tribuno extractus est.

16. *Asseveravit*] Oratione, quæ habetur in eod. lib. cap 26.

17 *Thensam*] In Julio cap. 76. de hoc sacro curru dictum.

18. *Et in circum*] In duobus libris Torr. *& inde in circum*, ita & Casaub. qui idem de Cujacij codice testatur, & melius: Nam illuc sacri per pompam currus circumducti in Jul. cap. 76.

19. *Statua divi Julij*] Ad cap. 8. in Othon.

20. *Bebriacensi*] Sæpe supra in Oth. cap. 9. & Vitell. cap. 10.

21. *A solis ortu*] In oriente nempe militabat Vespas.

CAPUT VI.

NEc tamen quidquam ante tentavit, promtissimis atque etiam instantibus suis, quam solicitatus quorumdam & ignotorum & absentium fortuito favore. [1] Mœsiaci exercitus bina e tribus legionibus millia missa auxilio Othoni: postquam iter ingressis nuntiatum est, victum eum, ac
5 vim vitæ suæ attulisse: nihilo secius [2] Aquileiam usque perseveraverunt, quasi rumori minus crederent. Ibi per occasionem ac licentiam, omni rapinarum genere grassati, cum timerent ne sibi reversis reddenda ratio ac

Digitized by Google

subeunda pœna esset, consilium inierunt eligendi creandique Imperatoris. *Neque enim deteriores esse, aut* [3] *Hispanienſi exercitu qui Galbam, aut* [4] *prætoriano qui Othonem, aut* [5] *Germaniciano qui Vitellium feciſſent.* Propositis itaque nominibus legatorum consularium, quot ubique tunc erant, cum cæteros alium alia de causſa improbarent: & quidam e legione tertia, quæ sub exitu Neronis transiata ex Syria in Mœsiam fuerat, Vespasianum laudibus ferrent: assensere cuncti nomenque ejus vexillis omnibus sine mora inscripserunt. Et tunc quidem compressa res est revocatis, ad officium [6] numeris parumper. Cæterum divulgato facto, [7] Tiberius Alexander præfectus Ægypti primus in verba Vespasiani legiones adegit Calend. Julij: qui Principatus dies in posterum observatus est. Iudaïcus deinde exercitus, [8] v. Idus Iulij, apud ipsum juravit. Plurimum cœptis contulerunt, jactatum exemplar epistolæ, veræ sive falsæ, defuncti Othonis ad Vespasianum, extrema obtestatione ultionem mandantis, & ut Reip. subveniret, optantis: simul rumor dissipatus, destinasse Vitellium victorem permutare hiberna legionum, & Germanicas transferre in Orientem ad securiorem [9] mollioremque militiam: præterea ex præsidibus provinciarum [10] Licinius Mucianus, & e regibus [11] Vologesus Parthus: ille [12] deposita simultate, quam in id tempus ex æmulatione non obscure gerebat, Syriacum promisit exercitum: hic quadraginta millia [13] sagittariorum.

NOTÆ.

1. *Mœsiaci exercitus*] In Othon. cap. 9.

2. *Aquileiam*] In Aug. cap. 20.

3. *Hispanienſi exercitu*] In Galb. cap. 9. 10. & 16.

4. *Prætoriano*] In Othon. cap. 6. & 7.

5. *Germaniciano*] In Vitell. cap. 8. &c. in Viterb. legit Gasaub. *Germanico*, nec probat. Germanicianus enim qui in Germania, nec ex Germania; sicut Hispanienſis, qui in Hispania, licet inde non sit exercitus, appellatur.

6. *Numeris*] H. e. ordinibus, ut supra ad cap. 1. notatum est. Sed posteriori tempore videntur numeri pro legionariis duntaxat, qui in castris per provincias dispositi degebant, accepti, quo distinguebantur a limitaneis, qui per cuneos, & auxilia limites imperij custodiebant, qui & *ripenſes* appellati, ut Vopiscus in Probo.

7. *Tiberius Alexander*] De hoc etiam Tacitus 2. histor.

8. *Quinto Idus*] Tacitus quinto nonas factum dicit: quod probabilius forte fecerit Judaïci exercitus ardor, ut nempe tertio post alios die, non nono; id suo duci præstiterit fidei suæ monimentum, quo etiam aliis debebat exemplo præfuisse. Quod & factum ex Joseph. lib. 4. cap. 37. colligas.

9. *Mollioremque militiam*] Quo sensu Lucanus.

Quicquid ad Eoos tractus, mundique teporem
Labitur: emollit gentis clementia cœli.

10. *Licinius Mucianus*] De quo in Vitell ad cap. 15. & apud Tacit. lib. 2 hist. extat oratio unde pateat illum rebellandi auctorem Vespsiano fuisse præcipuum, qui eo maxime accendit milites, quod decreverat Vitelllius eos transferre in Germaniam.

11. *Vologesus*] De quo jam in Nerone cap. 57.

12. *Depoſita ſimultate*] Mucianus scilicet, qui æmulationis studio depositio tandem cum Vespasiano consilia communicavit, & ei imperio cessit.

13. *Sagittariorum*] Quibus maxime pollent Parthi. Tacitus quadraginta Parthorum equitum millia dicit: quod in idem recidit. Equis enim pugnant, &c.

CAPUT.

Digitized by Google

CAPUT VII.

SUSCEPTO igitur civili bello, ac ducibus copiisque in Italiam præmissis, interim Alexandriam transiit, ut [1] clausira Ægypti obtineret. Hic cum de firmitate imperij capturus auspicium, [2] ædem Serapidis, summotis omnibus, solus intrasset: ac propitiato multum Deo, tandem, [3] se convertisset, verbenas, coronasque, [4] & panificia, ut illic assolet, [5] Basilides libertus obtulisse ei visus est: quem neque admissum à quoquam, & jampridem propter nervorum valitudinem vix ingredi [6] longeque abesse constabat. Ac statim advenere literæ, [7] fusas apud Cremonam Vitellij copias, ipsum in urbe interemtum nuntiantes. Auctoritas & quasi majestas quædam, [8] ut scilicet inopinato & adhuc novo principi deerat: hæc quoque accessit. E plebe quidam [9] luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali, pariter adierunt, orantes opem valitudinis, demonstratam [10] à Serapide per quietem: restituturum oculos, [11] si inspuisset: confirmaturum crus si dignaretur calce contingere. Cum vix fides esset rem ullo modo successuram, ideoque ne experiri quidem auderet, extremo hortantibus amicis, palam [12] pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit. Per idem tempus [13] Tegeæ in Arcadia, instinctu vaticinantium, effossa sunt sacrato loco [14] vasa operis antiqui, atque in iis assimilis Vespasiano imago.

NOTÆ.

1. *Clausira Ægypti*] Ad coërcendam, ni faveret, annonæ caritate Romam. Vide in Jul. cap. 35 & Aug. cap. 18. alias item tradit hujus consilii causas Josephus lib. 4. cap. 37. ut nempe duarum, quæ ibi tunc erant, legionum viribus augeretur.

2. *Ædem Serapidis*] Hanc tanta magnificentia constructam fuisse testatur Ammianus, ut præter capitolium nihil ambitiosius orbe toto videri, diserte multaque pompa verborum asseveret.

3. *Se convertisset*] Adorantium ritu, de quo in Vitell. cap. 2.

4. *Et panificia*] Dictum a Judeis, imitatione panum propositionis morem hunc Ægyptium notant interpretes: quod si ita est, factum oportuit post liberatos Ægyptia ser vitute Israëlitas.

5. *Basilides libertus*] Vocem *libertus* amovendam censet Torr. quod & probat Casaub. quanquam nullum vidisse se fateatur librum, in quo non extaret, & certe quoquo modo irrepserit, perperam adhibita videtur. Quid enim, ait idem Torr. Romani hominis liberto cum Judæorum, aut Ægyptiorum sacris. Quod de Basilide dici non potest, modo intelligatur idem ille Sacerdos, qui consulenti Carmelum Vespasiano adfuerat: cui favet, quod longe tunc abfuisse dicit hîc Suetonius, idem nomen etiam ei tribuit loco ad cap. 5. supra citato Tacitus.

6. *Longe abesse*] Erat si quidem in Judæa Alexandriam tenente Vespasiano.

7. *Fusas*] Ab Antonio Primo, & Mœsiacis legionibus in Vitell. cap. 15.

8. *Ut scilicet*] In uno libro legit Torr. *ut solet*, nec malè.

9. *Luminibus orbatus*] Eadem Hadrianum Principem operatum esse miracula Spartianus auctor est.

10. *A Serapide*] Hunc Apis nomine Argivorum Regem fuisse tradit Apollodorus; eique mortuo divinos honores cum nomine Serapidis indictos: alii relicto fratri regno in Ægyptum cum populi sui parte profectum, & conditam ab eo Memphim tradunt, ac eodem Serapidis

Digitized by Google

nomine cultum ab Ægyptiis; quod & innuere videtur Plinius lib. 8. c 46. Quin Strabo illum Osiridem fuisse affirmat. Vide caput 12. Oth. de bove fatidico, plura passim apud auctores, & præsertim Plinium loco citato; forte quod agriculturam Ægyptios docuisset. Hunc Josephum fuisse inde colligit Vossius; quod apud Rufinum lib. Hist. Eccl. 2. cap. 23. modius capiti ejus impositus legatur; quod & legere est apud Suidam, in voce Σάραπις. Et certe Ægypti indigenam non fuisse colligas etiam ex eo quod de ejus in Ægyptum transmigratione modo relatum est. Quamquam & Serapin Ægyptium sæculis multis antiquiorem Argivo contendat Vossius. Consule Reinecium de Argivorum origine, & nomine.

Quæ tametsi probabilia sunt, longe tamen verisimilior est conjectura Petri Danielis Huetii viri nobilissimi, atque omni doctrina & virtute ornatissimi, qui Serapidem esse Mosem clarissimis rationibus approbavit: tum quod idem sit Serapis ac Osiris sive Bacchus, quem Mosem esse certo constat inter eruditos; tum quod radiatus, & cornutus, virgam angue circumplicatam gestans pingi soleat, quæ mera Mosis symbola sunt. Quod si nihil aliud præclaro hoc opere consecutus esset præstantissimus ille Auctor, quam recondita hæc priscæ veritatis arcana ad religionis nostræ veritatem demonstrandam revelasse, optime sane de piis ac literatis hominibus meritus esset: Verum tot alia ad idem argumentum contulit, ut mirari satis non possim extitisse aliquem, qui librum, & libri auctorem per summam vecordiam maledictis configere auderet. Claudium Frassenium dico, instituto Franciscanum: qui cum nuper Disquisitionum suarum Biblicarum centones ex Demonstrationis Evangelicæ laciniis pene totos contexuerit; non rebus solum ipsis, rerum dispositione ac probationibus usurpatis; sed verbis etiam ac locutionibus palam suppilatis; plagia sua egregie dissimulatum iri ratus est, si interpolatione aliqua adhibita, in eum præterea per quem profecerat, maledici stili, & impuri animi intemperias ac livorem depromeret: murium illorum similis, qui postquam ligurierunt butyrum, involucrum etiam dentibus arrodunt. Hæccine vero est, Frasseni, a sanctissimo viro Francisco ordinis tui hominibus tradita modestiæ, simplicitatis, ac humanitatis disciplina? hoccine exemplo præluces cucullato tuo Fraterculorum gregi? Eximium Christianæ doctrinæ vindicem proscindens; ipsiusque lucubrationem, oppositum videlicet impietati aggerem oppugnans, tam illustribus religiosæ mentis & singularis eruditionis notis distinctam, tanto Doctorum omnium per Europam hominum applausu exceptam, tot Episcoporum suffragiis munitam, atque eorum ipsorum qui fœneas tuas Disquisitiones, vere cacatam chartam comprobarunt; parum utique hoc facto pudori suo consulentes: cum enim laudatæ a se Demonstrationis Evangelicæ vituperatorem tam effusis, atque hoc ipso tam ineptis præconiis laudarunt, non declararunt solum, parum intelligere se, quid vere laudabile esset; sed jacta etiam in Demonstrationem maledicta ipsi sibi conscriverunt. Atque utinam tuam hanc obtectandi pruriginem ac perulantiam, & inolitas animo tuo lepras acri aliquo cutifricio sanare, teque ad saniora consilia, & sedatiorem mentem revocare Evangelicus ipse Demonstrator institueret: Verum, si bene hominem novi, non facile a stomacho suo impetraturum puto, ut ulcera tua tangere, sordesque tuas converrere, & lutum manibus subigere velit. Sed hæc obiter.

11. *Si inspuisset*] Agnoscis, pie Lector, falsam imitationem miraculorum Christi. sic solitus illudere hominibus ὁ ἀλάστωρ, Casaub.

12. *Palam pro concione utrumque tentavit*] Quid appellat *concionem*? an convocatum in eam rem populum, sive in theatrum, sive in forum? an potius coronam forte adstantis multitudinis? hoc puto verius: & suadent Taciti verba. *Igitur Vespasianus cuncta fortunæ suæ patere ratus, nec quidquam ultra incredibile: erecta, quæ adstabat, multitudine, jussa exequitur* Notemus ergo vocis *concio* hunc usum, pro multitudine ἁπλῶς.

13. *Tegeæ in Arcadiæ*] Hæc civitas non longe à Mantinea, hodie *Muchli*. Arcadia vero Mediterranea Regio Peloponnesi, qui hodie *Morea*.

14. *Vasa*] De his quædam, Aug. c. 75.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

A. U. C. DCCCXXIII. DCCCXXIV. DCCCXXV. DCCCXXVII. DCCCXXVIII DCCCXXIX. DCCCXXX. DCCCXXXII.

TALIS, tantaque cum fama in urbem reversus, [1] acto de Judæis triumpho, consulatus octo [2] veteri addidit. Suscepit & censuram, ac per totum Imperii tempus nihil habuit antiquius, quam prope afflictam, nutantemque Rempublicam stabilire primo; deinde & ornare. Milites, [3] pars victoriæ fiducia, pars ignominiæ dolore, ad omnem licentiam, audaciamque processerant. Sed & Provinciæ, civitatesque liberæ, necnon & regna quædam tumultuosius inter se agebant. Quare Vitellianorum quidem & [4] exauctoravit plurimos, & coërcuit. Participibus autem victoriæ adeo nihil extra ordinem indulsit, ut etiam legitima præmia nonnisi sero persolverit. Ac ne quam occasionem corrigendi disciplinam prætermitteret, adolescentulum fragrantem unguento, cum sibi pro impetrata [5] Præfectura gratias ageret, nutu aspernatus, voce etiam gravissima increpuit: *Maluissem allium oboluisses*: literasque revocavit. [6] Classiarios vero, qui ab Ostia & Puteolis Romam pedibus [7] per vices commeant, petentes, *constitui aliquid sibi* [8] *calcearii nomine*: quasi aprum esset, sine responso abegisse, jussit post hæc [9] excalceatos cursitare: & ex eo ita cursitant. [10] Achaiam, [11] Lyciam, Rodum, Byzantium, Samum, libertate ademta, item [12] Thraciam, Ciliciam, & [13] Comagenen ditionis regiæ usque ad id tempus in provinciarum formam redegit. [14] Cappadociæ propter assiduos barbarorum incursus legiones addidit: consularemque rectorem imposuit, [15] pro equite Rom. Deformis urbs veteribus incendiis ac ruinis erat: vacuas areas occupare & ædificare, si possessores cessarent, cuicumque permisit. Ipse [16] restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit: [17] ærearumque tabularum tria millia, quæ simul conflagraverant, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus, instrumentum imperii pulcherrimum ac vetustissimum: quo continebantur pene ab exordio urbis [18] senatusconsulta, plebiscita de societate & fœdere ac privilegio cuicumque concessit.

NOTÆ.

1. *Acto de Judæis*] Non statim, sed postquam Titus filius, quem ad confi ciendum bellum in Judæa reliquerat, capta & incensa Hierosolyma reversus est. Illius triumphi pompa delata sunt tabula illa aurea multorum talentorum, candelabrorum similiter illud aureum tanta fabricatum arte, atque quod præcipuum apud Judæos ipsæ legis tabulæ; quas cum purpureis Templi velis magna cura asservandas jussit in Palatio: Tabula autem & candelabro conditum à se quanta fieri potuit magnificentia, Templum Pacis adornavit, ut auctor est Joseph. lib. 7. de bello Judaïco.

2. *Veteri addidit*] De quo sup. cap. 4.

3. *Pars victoriæ*] Hanc partem ad Vitellii, illam ad Vespasiani refero milites.

Digitized by Google

4. *Exauctoravit*] De hoc verbo in Tib. c. 7. & 30. & Aug. c. 24.

5. *Præfectura*] Non quidem urbis aut provinciæ cujusdam; nec enim id onus par adolescentuli viribus; sed alæ unius, ut in Aug. cap. 38.

6. *Classiarios*] De Classiariis passim loquuntur Tac. & Suet. item Plinius in epist. de morte avunculi, ac cæteri quoque Historici meminerunt, & veteres inscriptiones: sed de hac eorum cursitatione nihil legi apud alios. Similes, at non iidem tamen, Dromonarii, de quibus Cassiodorus lib. 2. & 4. Casaub. *Classiarios* remiges, seu navales socios fuisse jam ante didicimus, Galb. c. 12. Ex eorum igitur corpore quidam ultro citroque Ostia Romam pedibus commeabant. De quibus hîc Suetonius. Torrentius.

7. *Per vices*] Sic ex Pithœi, aliorumque libris Casaub. ut & Torrent. ex suis In Viterbiensi tamen & vulgatis legitur *per vicos*, quod & potest: Nec enim dubium quin Ostia præsertim Romam usque plenæ forent ripæ ædificiis.

8. *Calcearii nomine*] Hoc est, pro Donativo, quod in calceos impenderetur. Quomodo & Vasarium & Palmarium.

9. *Excalceatos*] In Salmasiano codice legit Schildius *Excalceatos*.

10. *Achaiam*] De ea, quantum pateret, in Tiberio cap. 4. Hanc Senatui tradidit administrandam Claudius in Claud. cap. 25. Quam libertate a Nerone donatam in Ner. cap. 24. in provinciæ formam iterum redegit Vespasianus.

11. *Lyciam*] Hodie *Aldinelli*, velut alii, *Briequia*, nemo non novit, quæ sequuntur, regiones.

12 *Thraciam*, *Ciliciam*] Turnebus adversar. 24. cap. 36. legendum censet *Trachiam*: pars enim, inquit, Ciliciæ propter asperitatem montium, ut ex Geographis constat, Trachia dicebatur. Quod ex Strabonis lib. 14. constare potuerit: & diserte ab Aurelio Victore verbis res explicatur in Vespasiano. *Syria seu Palæstina, necnon Cilicia Trachea, & Commagene, quam hodie Augustophratensem nominamus, provinciis accessere.*

Eutropius quoque in ejus rei enarratione Ciliciæ Tracheæ meminit. Atque adeo recta videtur emendatio Turnebi, nec dissentiunt interpretes. Verum quia Thraciam quoque accenset Eutropius; sed iis duntaxat, quæ sub regibus amicis erant; ideo maxime arridet Casauboni conjectura de aliqua Thraciæ parte, ubi regnum antea fuerit, Thraciæ, inquit, provinciæ a Vespasiano dispositæ fuerunt. Vide Eutratium in Dionysium. Ex Thraciis sex provincias fecit, Thraciam, Hæmimontum, Mœsiam inferiorem, Scythiam, Rodopen, Europam, in qua secundæ arces Orbis Rom. sunt positæ.

13. *Comagenen*] Syriæ Regio est hodie *Azar* ad Euphratem; unde Procopio Euphratasia dicitur. Hanc Tiberius in Provinciæ formam redegerat Tacit Ann. 2. ann. V. C. 771. *Comagenis & Servatus proponitur tum primum ad jus Prætoris translatis.* Sed eam Caligula iterum tradiderat Regibus, ut patet ex Dione lib 59 Antiocho scilicet Antiochi Regis filio, ut paternum regnum cui & Ciliciæ maritima adjecit, quæ Ciliciæ pars, cum ea ipsa sit, in qua montes, & quæ Trachea: hinc Turnebi sententiæ probabilitatis non parum accedit.

14. *Cappadocia*] Ampla est Asiæ Regio, quæ Armenia claudebatur ad Ortum; unde Barbarorum frequentiores in eam incursus; propter exortos Armeniæ causa Parthos inter & Romam tot motus. Non uno hodie nomine appellatur ad Ortum enim *Genech*, ad Occasum a præcipua quondam ejus Urbe *Amasia*. Media inter utramque *Toccate* nuncupatur.

15. *Pro Equite Romano*] Ita factum a Tiberio narrat Dio lib. 57. ad ann. V. C. 770. Quod in actis anni posterioris scilicet 771. Tacitus narrat Annal. lib. 2.

16. *Restitutionem Capitolii*] Tacit. lib. 4. Histor. undecimo, Calend Julias, *serena luce, spatium omne, quod templo dicebatur, evinctum vittis, coronisque. Ingressi milites, quibus fausta nomina, felicibus ramis, dein virgines vestales, cum pueris, puellisque patrimis, matrimisque, aqua rivis & fontibus, amnibusque hausta perluere, &c.*

17. *Æreorumque*] In uno lib. Torrent. legit Ænearum: quæ sequuntur, diversi erant vulgatæ editiones addito puncto post vocem *exemplaribus*. Male ut vel sola vox vetustissimum indicat, &c.

18. *Senatusconsulta*] Quæ omnia in Ca-

Digitized by Google

olini Jovis Templo magna cura Ædiles asservabant.

CAPUT IX.

FECIT & nova opera, [1] templum Pacis Foro proximum: [2] divique Claudii in Cœlio monte, cœptum quidem ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus destructum. Item [3] Amphitheatrum urbe media, ut destinasse compererat Augustum. [4] Amplissimos ordines, & exhaustos cæde varia, & contaminatos veteri negligentia, [5] purgavit: supplevitque recensito Senatu & Equite: submotis indignissimis, & honestissimo quoque Italicorum [6] ac Provincialium allecto. Atque uti notum esset, utrumque ordinem non tam libertate inter se, quam dignitate differre, de jurgio quodam senatoris, equitisque Rom. ita pronuntiavit: *Non oportere maledici senatoribus:* [7] *remaledicicivile fasque esse.*

NOTÆ.

1. *Templum Pacis*] Hoc omnium tota Urbe maximum & pulcherrimum, utpote in quod totius ferme Orbis divitiæ congestæ, auctor est Herodianus in Commodo, cujus tempore nocturni casu fulminis deflagrasse dicit. Quam magnificentiam mirum in modum extollit Josephus lib. 7. c. 24.

2. *Divique Claudii*] In Claud. c. 45.

3. *Amphitheatrum*] Hujus etiam hodie magnam partem videre est, & Coliseum vulgo vocant: hoc a Vespasiano extructum, Titus filius dedicavit in Tito c. 7. De quo Martialis in lib. *Spectaculorum.*

4. *Amplissimos ordines*] Lipsius emendat *amplissimum*, ut sit periodi finis, non initium hoc modo: *Ut destinasse compererat Augustum amplissimum.* probat Casaubon. uterque quod senatorium duntaxat, non vero equestrem ordinem amplissimi velint appellatione decoratum. Contra Gronovius allatis variis Ciceronis locis, ubi de senatoribus & equitibus quoque nempe Judicibus agit. verbi gratia, Pro Sulla, *ut inimicus esse amplissimis ordinibus, infestus bonis omnibus, hostis patriæ videretur,* De Haruspicum responsis: *Petita est auctoritas vestra, gravitas amplissimorum ordinum*, &c.

5. *Purgavit*] Quod idem præstiterat August. in Aug. cap. 35.

6. *Ac Provincialium allecto*] De jure provinciarum quædam dicta sunt in Jul. c. 8 in Aug. c. 40.

7. *Remaledici*] Glossarium Græco latinum. ἀνταλοιδορῶ *Remaledico.* Gron. Nempe licet injuriam injuria repellere.

CAPUT X.

LITIUM series ubique majorem in modum excreverant, manentibus antiquis, [1] intercapedine jurisdictionis, accedentibus, novis, ex conditione tumultuque temporum. Sorte elegit per quos rapta bello restituerentur: quique [2] judicia centumviralia, quibus peragendis [3] vix sufficiura litigatorum ætas videbatur, extra ordinem dijudicarent, redigerentque ad brevissimum numerum.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Intercapedine jurisdictionis*] Turbata enim tot bellis Republica nulli certi Magistratus facti Jus nulli aut paucis dictum, quasi suspensa omn Jurisdictione.

2. *Judicia centumvirali.*] In quibus de qua re ageretur Cicero 1. de Orat. *In quibus usucaptionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, fluminum, stillicidiorum, testamentorum, ruptorum aut ratorum, ceterarumque rerum immutabilium, cum omnino quid suum, quid alienum; quare denique civis, aut peregrinus, servus aut liber quispiam sit*, &c. His Prætor præerat, ut patet ex Plinii lib. 5. epist. ultima; quæ omnia cum peragere nequirent, præ rerum multitudine Centumviri; aliis etiam extra ordinem commisit judicanda.

3. *Vix suffectura*] Servius ad hunc Versum lib. 2. Æneid.

Si omnes uno ordine habetis Achivos,

Ait id ex antiqua tractum Juris scientia: quia in ordinem dicebantur causæ propter multitudinem vel tumultum festinantium, cum erat annus litium. Juvenal.

Expectandus erit, qui lites inchoet annus.

CAPUT XI.

LIBIDO atque luxuria, coërcente nullo, invaluerat. [1] Auctor senatui fuit decernendi, [2] ut quæ se alieno servo junxisset, ancilla haberetur. Neve filiorum familias [3] fœneratoribus exigendi crediti jus umquam esset, hoc est, ne post patrum quidem mortem.

NOTÆ.

1. *Auctor senatui*] Sic enim optimi quique Principes sententiam suam senatorum instar proferebant, libera senatui super proposita re suffragia relinquentes Unde contigit ut quamquam factum posteaSenatusconsultum eorum vulgo sententiam sequeretur; non tamen semper ab ipsis nomen habebat, sed vel a Consulibus vel etiam ab ipsa persona, quæ ei causam dederat. Torrentius de his fuse.

2. *Quæ se alieno*] Hoc & aliud, de quo hîc agitur, Senatusconsultum Vespasianus non jussit fieri, sed licentia temporum, & non usu abolitum revocavit. Patet ex Tacito lib. 12. Annal. *Inter quæ refertur ad Patres de pœna fœminarum, quæ servis conjungerentur, statuiturque ut ignaro domino ad id prolapsa in servitutem sui consensisset, & qui nati essent, pro liberis haberentur.* Emendat hunc locum Lipsius. *Ad id prolapsa in servitute: si consensisset, pro liberta haberetur.* Unde & a Jureconsultis Claudianum Senatusconsultum appellatum ab ejus Auctore Claudio Imperatore Quod enim aliqui existimant illud a Vespasiano jam tunc Consule c 4. supra, perperam esse videtur. Ex hoc enim loco satis colligere est id a Vespasiano jam principe constitutum. Tandem illud sustulit postea Justinianus l. unic. cod. de Senatusconsulto Claudiano tollendo.

3. *Fœneratoribus*] Qui nempe filiis fam. pecunias credebant, & quidem sub usuris gravissimis, ut sui juris, vel morte parentum, vel sua emancipatione facti eas redderent. Horatius Sat. 2. lib. 1. de Fusidio fœneratore improbissimo,

Quinas hic capiti mercedes exsecat, &c.
Nomina sectatur modo sumpta veste virili
Sub patribus duris tironum.

Quod & a principe Claudio vetitum jam fuerat, Tacit. lib. 11. Annal. *Et lege lata sævitiam creditorum coërcuit, ne in mortem parentum pecunias fœnori darent.* Quibus verbis indicatur Senatusconsultum illud, quod in odium Macedonis fœneratoris, non vero filiifamilias, ut opinor, Macedonianum appellatum est, factumque anno V. C. 799. Coss. Claudio quartum, & Vitellio tertium, ut tradit Petrus Faber 1. Semestrium capite ultimo. Quod & jam antea vetitum fuerat lege Lætoria; sed qua cavebatur in genere duntaxat, ne minor 25. annis quidquam stipularetur; hujus meminit Cicero 3. de natura Deorum numero 107. Et alibi meminit & Plautus, & ab ætate quinam Vicenariam appellat in Pseudolo act. 1. sc. 3.

Peris, an tum lex me perdit quina Vicenaria

Digitized by Google

Metuunt credere omnes.
Quo fiebat, ut perditi illi patrum mortem promitterent. Juvenal. Sat. 3.
——— *Funus promittere patris*
Nec vole, nec possum.

Et Ovid.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Ex quo loco colligit Torrent. eam diu post Vespasianum non obtinuisse.

CAPUT XII.

CÆTERIS in rebus statim ab initio principatus usque ad exitum civilis & clemens. Mediocritatem pristinam neque dissimulavit umquam, ac frequenter etiam præ se tulit. Quin & conantes quosdam originem Flavii generis ad conditores Reatinos, [1] comitemque Herculis, cujus monumentum exstat via [2] Salaria, referre, irrisit ultro. Adeoque nihil ornamentorum extrinsecus cupide appetiuit, ut triumphi die fatigatus tarditate & tœdio pompæ non reticuerit: *merito se plecti, qui triumphum, quasi aut debitum majoribus suis, aut speratum unquam sibi, tam inepte senex concupisset.* Ac ne [3] TRIBUNITIAM quidem POTESTATEM & PATRIS PATRIÆ appellationem nisi sero recepit. Nam consuetudinem [4] salutantes scrutandi, manente adhuc bello civili, omiserat.

NOTÆ.

1. *Comitemque Herculis*] Fato functum tum, cum Hercules debellato Geryone reversus ex Hispania has Italiæ oras lustraret. De quo plura apud Virgilium.

2. *Salaria*] In Nerone c. 48.

3. *Tribunitiam potestatem*] Qua Principes insigniri mos erat. In Aug. c. 27.

4. *Salutantes scrutandi*] De hac consuetudine in Claud. c. 35. Inde admissionis officium & Magister admissionum De quibus in Tiberio c. 46. & Calig. c. 19. Et Lampridius in Alexand. Admissionales appellat, qui admittendi jus habebant. Plinius lib. 33. cap. 3. Fuit & alia Claudii principatu differentia in solis his quibus admissionem liberti ejus dedissent, imaginem principis in annulo ex auro gerendi magna criminum occasione. Quæ omnia salutaris exortus Vespasiani Principis abolevit æqualiter publicando Principem. Qua de re Seneca lib. 6. de benefic. cap. 33. & 34. Unde Scrutatores dicti.

CAPUT XIII.

AMICORUM libertatem, [1] caussidicorum figuras, ac Philosophorum contumaciam leniissime tulit. [2] Licinium Mucianum notæ impudicitiæ, sed [3] meritorum fiducia minus sui reverentem, numquam nisi clam, & hactenus retaxare sustinuit, ut apud communem aliquem amicum querens, adderet clausulæ, *Ego tamen vir sum.* Salvium Liberalem in defensione divitis rei ausum dicere, *Quid ad Cæsarem, si Hipparchus [4] HS. millies habet?* & ipse laudavit. [5] Demetrium Cynicum in itinere obvium sibi post [6] damnationem, ac neque assurgere, neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis habuit *Canem* appellare.

NOTÆ.

1. *Caussidicorum figuras*] Sic vocat Scommata, quibus illum in caussarum actione taxabant. Macrob. lib. 7. c. 3. *Scomma enim pene dixerim morsum figuratum, quia sæpe fraude, vel urbanitate tegitur, ut aliud dicas, aliud intelligas; nec tamen semper ad*

amaritudinem pergit, sed nonnunquam iis in quos jaciuntur & dulce est, quod genus maxime sapiens, vel alias urbanus exercet. Quint. lib. 9. c. 2. controversiis figuratas appellat. Aurelius Victor in Vespas. *obliqua dicta.* Et Eutropius in Vesp convicia *Figura* hac notione vocabulum eo seculo natum, inquit Cas.

2. *Lucinium Mucianum*] Tacit. lib. 1. Histor. de eo. *In secretum Asiæ repositus, tam prope ab exule fuit, quam postea a Principe, luxuria, industria, comitate, arrogantia, malis, bonisque artibus mixtus, nimis voluptates cum vacaret: quoties expedierat, magna virtutes, palam laudares, secreta male audiebant*, quibus postremis verbis idem judicat quæ hîc. Impudicitia namque præsertim in masculos.

3. *Meritorum fiducia*] Hinc Tacito lib. 3. Histor. dicitur & *specimen partium Mucianus.* Et lib. 4. circa initium *quod in manu sua fuisse Imperium, donatumque Vespasiano jactabat.* Et lib. 3. initio de eodem. *Sed gloria avidus, atque omne belli decus sibi retinens.*

4. *Sestertium millies*] 4375000. lib. in Nerone cap. 30.

5. *Demetrium Cynicum*] Philosophum scilicet, qualis Diogenes; & prior Anthisthenes. Quorum secta carpendis, & mordendis aliorum vitiis, ac Philosophico præsertim fastu commendata. Hic ille, opinor, Demetrius. De quo sæpe Philostratus in vita Apollonii, & Tacit. extremo lib. 16. Annal.

6. *Damnationem*] Vulgati *deminationem* Libri manuscripti tres *post damnationem* quod sequor, inquit Torrent. & recte. Muciano enim suadente Roma Philosophos expulit Vespasianus relegato Demetrio, ut auctor est Xiphilinus.

CAPUT XIV.

OFFENSARUM, inimicitiarumque minime memor, executorve, Vitellii hostis sui filiam splendidissime maritavit, dotavit etiam & instruxit. Trepidum eum interdicta aula sub Nerone, quærentemque quidnam ageret, aut quo abiret, [1] quidam ex officio admissionis simul expellens, *abire* [2] *Morboniam* jusserat. In hunc postea deprecantem haud ultra verba excanduit & quidem totidem fere, atque eadem. Nam ut suspicione aliqua, vel metu ad perniciem cujusquam compelleretur tantum abfuit, ut monentibus amicis cavendum esse Metium Pomposianum, quod vulgo crederetur [3] genesim habere imperatoriam, insuper Cos. fecerit: spondens, quandoque beneficii memorem futurum.

NOTÆ.

1. *Quidam ex officio*] Ex ils nempe clientibus, qui hoc erga ipsum officio fungebantur; unde colligere est & apud privatos, nedum apud Principem, receptam hanc admissionum consuetudinem, ut Gracchi & Drusi exemplis patet in Tiber. c. 46. &c. ubi de admissionibus.

2. *Morboniam*] Legit Torrent. *Morboviam* & probat: Videtur quasi nomen Oppidi fictum a morbo: quo forsan ex more populi quasi in malam crucem amandabatur. Quomodo hodieque ei morbum imprecantur Itali, quem oderunt, Xiphilinus εἰς κόρακας ad Corvos.

3. *Genesim*] Hoc est, nativitate a Mathematicis inspecta imperium promitti. Vide in Aug. c. 94.

Pomposianus postmodum periit jussu Domitiani in Domit. c. 10.

CAPUT XV.

NON temere quis punitus insons reperitur: nisi absente eo & ignaro, aut certe invito atque decepto. [1] Helvidio Prisco, qui reversum ex Syria, solus, privato nomine *Vespasianum* salutaverat, & in Prætura omnibus edictis sine honore ac mentione ulla transmiserat, non ante succensuit

Digitized by Google

censuit quam [2] altercationibus insolentissimis pene in ordinem redactus. Hunc quoque, quamvis relegatum primo, deinde & interfici jussum, magni æstimavit servare quoquo modo, missis qui percussores revocarent: & servasset, nisi jam periisse falso nuntiatum esset. Cæterum neque cæde cujusquam umquam lætatus, justis suppliciis illacrymavit etiam & ingemuit.

NOTÆ.

1. *Helvidio*] Hîc ut Tacit lib. 4. Histor. circa initium, ubi ejus origo & vita paucis attingitur. *Quæstorius adhuc a Peto Thraseæ*, de quo lib. 6. c. 37. *Gener dilectus e moribus soceri nihil aque ac libertatem hausit. civis, senator, maritus, gener, amicus cunctis vitæ officiis æquabilis, opum contemptor, recti pervicax, constans adversus metus*, &c. Meminit & hujus familiæ ut sibi conjunctissimæ Plinius lib. 4. epist. 21.

2. *Altercationibus*] Meminit & Tacitus loco citato; cum de Imperio Vespasiani, & mittendis ad ipsum Legatis ageretur in Senatu. *Isque præcipuus ille dies, magnæ offensæ initium, & magnæ gloriæ fuit.* Namque inter illum & Marcellum Eprium, quem ut soceri sui Thraseæ delatorem quondam accusaverat, acre super ea re jurgium fuit.

CAPUT XVI.

SOLA est, in qua merito culpetur, pecuniæ cupiditas. Non enim contentus [1] omissa sub Galba vectigalia revocasse: nova & gravia addidisse: auxisse tributa provinciis nonnullis & duplicasse: [2] negotiationes quoque vel privato pudendas propalam exercuit, coëmendo quædam tantum ut pluris postea distraheret. Nec candidatis quidem honores, reisve tam innoxiis quam nocentibus absolutiones venditare cunctatus est. Creditur etiam [3] procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promovere, quo locupletiores mox condemnaret: quibus quidem vulgo [4] *pro spongiis* dicebatur *uti*, quod quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes. Quidam natura cupidissimum tradunt, idque exprobratum ei a sene bubulco: qui negata sibi gratuita libertate, quam imperium adeptum suppliciter orabat, proclamaverit, *Vulpem pilum mutare, non mores.* Sunt contra qui opinentur ad [5] manubias & rapinas necessitate [6] compulsum, summa [7] ærarii fiscique inopia: de qua testificatus sit initio statim principatus: [8] professus *quadringenties millies opus esse, ut Resp. stare posset.* Quod & verisimilius videtur, quando & male partis optime usus est.

NOTÆ.

1. *Omissa.* [In Galba c. 15.

2. *Negotiationes*] Ulpianus l. 52. ff. pro socio. *Negotiationem sagariam* dixit a Sagis. Et Cicero lib. 16. Epist. *Negotiationem Asiaticam.* Gallice dicimus *Négoce. Distrahere* autem verbum Jureconsultis usitatissimum pro figillatim vendere.

3. *Procuratorum*] De Procuratoribus Cæsaris. In Claud. c. 12. & 24. in Oth. c. 7.

4. *Pro spongiis*] Simile quid de Dionysio collegit Beroald. Dionysium amicis uti pro vasculis, quæ dum plena sunt, evacuat, & abjicit vacua.

5. *Manubias* [De his in Jul. c. 26.

6. *Compulsum*] A Mucsano. fi Xiphilum audias: Dicit enim Mucianum tantæ undique corradendæ non auctorem modo, sed & adjutorem derivata etiam in semet in-

Digitized by Google

vidia. Cum in ore semper haberet pecuniam esse nervum Principatus.

7. *Ærarii fiscique*] Quomodo differant. In Aug. c. 40.

8. *Quadringenties millies*] Budæus lib. 3. de asse, hoc supra fidem esse existimat, legitque quadragies millies: quæ summa circiter decuplo minor esset, quam *quadringenties millies*, hoc est, 175000000. lib.

CAPUT XVII.

IN omne hominum genus liberalissimus, [1] explevit censum senatorium: consulares inopes [2] quingenis sestertiis annuis sustentavit, plurimas per totum orbem [3] civitates terræ motu aut incendio afflictas, restituit in melius.

NOTÆ.

1. *Explevit censum*] De censu senatorum, In Aug. c. 41.

2. *Quingenis sestertiis*] 21875. lib. Neron c. 10. Vitell c. 7. in Tiber. c. 47. Et Adrianus apud Spartianum senatoribus, qui non vitio suo decoxerant patrimonium, subvenit.

3. *Civitates*] Tres Cypri civitates, Vespasiano imperante terræ motu concidisse scribit Eusebius, &c.

CAPUT XVIII.

5. INGENIA & artes vel maxime fovit: primus e fisco Latinis Græcisque rhetoribus [1] annua centena constituit. Præstantes poëtas, necnon & artifices, [2] coëmit: item [3] colossi refectorem insigni [4] congiario magnaque mercede donavit: [5] mechanico quoque grandes columnas exigua impensa perducturum in Capitolium pollicenti, præmisit,
10 præfatus *sineret se* [6] *plebeculam pascere.*

NOTÆ.

1 *Annua centena*] Hoc est, 4375. lib. amplissimum ut nunc vivitur honorarium; sed pro ratione temporum illorum judicio Casauboni tenue Nonne enim pudendum, inquit, Terpno, Diodoroque Citharoedis (infra c. 19.) pro una productione data ducenta; istis vero annua centena tantum statui? &c.

2. *Coëmit*] In Cujacii codice legit Casaub. *artifices camentarios* nec probat verbum enim *coëmere* pro mercede conducere etiam alibi reperire est ut *Emptitius miles* apud Festum, & *emere auxilia* apud Capitolinum. Legit Grævius cum Gronovio *Coæ Veneris*. Notissima est Venus Coa. De qua Plin. lib. 35. c. 10.

3. *Colossi*] Is ille est Colossus, quem Zenodorus Neroni fecerat in Neron. c. 31. *qui dicatus Solis veneration esset damnatis sceleribus illius Principis, ut ait plinius* lib. 34. c. 7. Dempto scilicet Neronis capite, & Solis substituto cum radiis. Martialis lib. Spectacul. Epig. 2. Iterum Commodus demi jussit caput Solis, ut suum reponeret.

Exemptilia quippe statuarum apud Priscos capita. In Calig. c. 22. notatum.

4. *Congiario*] Pro mercede quam privato dederit, quo sensu etiam in Julio. c. 17.

5. *Mechanico*] Machinarum ad libranda, & movenda ponderosissima perito: qualis fuit celeberrimus ille Archimedes, qui gloriatus fertur, tum se terrarum orbem translaturum, si daretur alter, quo posset tormenta collocare.

6. *Plebeculam*] Quæ scilicet illis occupata laboribus lucrum quærebat, quo vitam sustentaret. Vulgati Codices addunt *pau-*

Digitized by Google

CAPUT XIX.

LUDIS per quos scena [1] Marcelliani theatri restituta dedicabatur, vetera quoque [2] acroamata revocaverat. [3] Apollinari tragœdo [4] quadringenta: [5] Terpno Diodoroque citharœdis [6] ducena, nonnullis centena: quibus minimum quadragenis sestertia super plurimas coronas aureas dedit. Sed & convivabatur assidue: ac sæpius recte, ac [8] dapsile, [9] ut macellarios adjuvaret. Dabat sicut [10] Saturnalibus viris apophoreta, ita & per [11] Kalend. Martii fœminis: & tamen ne sic quidem pristinæ cupiditatis infamia caruit. Alexandrini [12] *Cybiosacten* eum vocare perseveraverunt, cognomine unius e regibus suis turpissimarum sordium. Sed & in funere [13] Favo [14] archimimus personam ejus ferens, imitansque, ut est mos facta & dicta vivi, interrogatis palam procuratoribus *quanti funus & pompa constaret*: ut audiit [16] HS. *centies*, exclamavit [17] *Centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim projicerent.*

NOTÆ.

1. *Marcelliani theatri*] Ab Augusto extructi. In Aug. c. 29.

2. *Acroamata*] De his in Aug. cap. 74. notat Beroaldus ex Lampridio, non solum ipsas voces & verba *acroamata* dici, sed & ipsos Acroamatum histriones, enarratoresque: Ait enim Lampridius, quod Alexander Romanus Imperator nanos, & nanas, & mociones, & vocales exoletos, & omnia Acroamata, & Pantomimos populo donaverit.

3. *Apollinari*] Torrent. legit in tribus libris *appellari*, ut forte] *Apelli* legendum sit Quo sane nomine sive eundem, sive alium memorat Sueton in Calig. c. 33.

4. *Quadringenta* [17100. lib.

5. *Terpno*] De quo jam in Ner. c. 20.

6. *Ducena*] 8750. lib.

7. *Recte*] In Frobenii codice legitur *recta*. & in uno Manuscripto Torrentii cod. Salmas. *recta*. Domit. c. 7. *revocata cœnarum rectarum consuetudine*. Sed geminus huic loco est alter Aug. c. 74. *Convivabatur & assidue; nec unquam nisi recta*. Græv.

8. *Dapsile*] Hoc est, abundanter. δαψίλεια. Abundantia est, Unde vox Latina Dapsilis jam dudum in usu. Plautus siquidem in Aululari Act. 1. sc. 3.

Istas magnas factiones animos, dotes, dapsiles,
Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas,
purpuram,
Nil moror; quæ in servitutem sumptibus
redigunt viros.

9. *Macellarios adjuvaret*] Quibus nempe lucrandi occasionem præbebat; lautioribus enim conviviis augetur opsoniorum pretium, atque ideo juvantur macellarii lucrum inde captantes.

10. *Saturnalibus*] De hoc more in Aug. c. 75. & Claud. c. 5. De Apophoretis in Calig. c. 55. Vide & Martialem lib. 14. *Cui Apophoreta inditum nomen.*

11 *Kalendas Martii*] Temporibus Porphyrionis matronarum dies ille festus erat, ut ipse testatur ad Horat. Od. 8. lib. 3.

Martiis cælebs quid agam Calendis &c.

Quo loco Acron hunc diem *Matronalia* dictum scribit. Martial. Epig. 85. lib. 5.

Scis certe, puto, vestra jam venire
Saturnalia Martias Kalendas.
Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

Et Ovid. 3. Fastorum, Ait Festus. *Martias Kalendas matrona celebrant, quod eo die Junonis Lucinæ ædes cœpta sit.*

12 *Cybiosacten*] Ita Casaubonus scripsit. Vulgati codices *Cibiotatem*, ut & Torrent. qui tamen in suis *cibiotantem* reperit. Sed ex historiæ fide emendatum est. Nam ex Strab. lib. 17. cum Ptolemæum Auletam, de quo in Jul. c. 11. e regno pepulissent Alexandrini; filiam ejus natu grandiorem, ex Dione dictam Berenicen Reginam constituerunt. Ei maritus ex Syria accersitus est quidam ex Syriacorum regum stirpe oriundum se simulans. Hunc Dio Seleucum vocat; Strabo vero simpliciter Cybiosacten appellat, quem regina ob ignobilitatem,

Digitized by Google

morumque sordes, & avaritiam ejecit, si Straboni fides; necavit vero, si Dionem audias. Inde factum verosimillime cognomen ab Alexandrinis natura sua dicacissimis. Cybia enim sunt Salsamenta ex Tritonibus, qui sunt pisces e magno Pelamidum genere ex Plinio lib. 32. c. 11. Cybium quoque ibidem dicitur concisa pelamis, quæ eadem si pusilla est cordyla nuncupatur.

13. *Favo*] Torrent. cum Pulmanno & Turnebo legit. *Favor*, quasi desumpto nomine ex omine popularis studii; quanquam in pluribus & melioribus libris legerit *Favo*.

14. *Archimimus*] Vocabulum hoc nescio an alibi legatur; principem vero histrionem significat, nec a pantomimo differre Casaub. arbitratur.

15. *Personam ejus*] Hujus etiam mortis exemplum in divitum funeribus apud Halicarnass. lib. 7. Huc quoque trahit Casaub. quod Tiber. c. 57.

16. *Sestertium centies*] 437500. lib.

17. *Centum sibi sestertia*] 4337. lib. Verba sunt Archimimi Favonis mores, avaritiamque Vespasiani imitantis; sic enim loquebatur ex Vespasiani persona tanquam vixisset, & procuratores suos, de sui funeris impensa interrogans ubi audivisset tanti constiturum *HS*. nempe *centies*, exclamasset. O mihi vel centesimam tantæ summæ partem date, & cadaver, quo volueritis, projicite! Qua in lectione longe plus salis esse videtur, quam in emendatione Skildii ex Gronovio legentis. *Centies sibi sestertium darent & se*, &c. Quo tanto inquit dono putaret quamlibet ignominiam cadaveri suo oblatam abunde compensari, unde satis apparet amplam fuisse summam. Judicet Lector.

CAPUT XX.

STATURA fuit [1] quadrata, compactis firmisque membris, [2] vultu veluti nitentis. Unde [3] quidam urbanorum non infacete: siquidem petenti, *ut & in se aliquid diceret: Dicam*, inquit, *cum ventrem exonerare desieris*. Valetudine prosperrima usus est: quamvis ad tuendam eam nihil amplius quam fauces cæteraque membra sibimet [4] ad numerum, in sphæristerio defricaret, inediamque unius diei per singulos menses interponeret.

Notæ.

1. *Quadrata*] Optima neque gracili, neque obesa. Corpus enim gracile infirmum, obesum, hebes est, inquit Celsus lib. 2.

2. *Vultu nitentis*] Id est, contracto, qualis esse solet vel sub aliquo ponderе nitentium, aut laborioso ventrem exonerantium. Vide Martial. Epig. 87. lib. 9. de Phœbo.

3. *Quidam urbanorum*] Eorum qui festiviter jocantur. In Jul. c. 20. & 51.

4. *Ad numerum*] Frictionem inter præcipua Medicinæ auxilia retulit Asclepiades, auctore Plinio; sed eam pro cujusque viribus, non autem ullo numero definivit Cornelius Celsus lib. 2. ubi reprehendit eos, qui ad numerum fricabantur, & quinquagies per infirmum corpus; robustum vero ducenties fricari posse contendit. Cum tamen aliter Vespasianus sentiret, forte quod numerum æquabilem crederet magis sanitati conducere.

5. *In sphæristerio*] Thermarum membrum est, quo exercebantur pila. Erant enim in magnificis illis thermarum ædificiis cujusvis exercitationis loca. Plin. lib. 5. epist. 6. *Apodytherio suppositum est sphæristerium, quod plura genera exercitationis pluresque circulos capit.*

CAPUT XXI.

ORDINEM vitæ fere hunc tenuit. In principatu maturus semper ac de [1] nocte evigilabat deinde perlectis epistolis, officiorumque omnium [2] breviaris, [3] amicos admittebat: ac dum salutabatur, & cal-

Digitized by Google

ceabat ipse sese & amiciebat. Post decisa quæcumque obvenissent negotia, gestationi, & inde quieti vacabat : accubante aliqua [4] pallacarum quas in defunctæ locum [5] Cænidis plurimas constituerat : [6] ac secreto in balneum tricliniumque transibat. Nec ullo tempore, facilior, aut indulgentior traditur : [7] eaque momenta domestici ad aliquid petendum magnopere captabant.

NOTÆ.

1. *De nocte evigilabat*] Idem omnino Aurelius in Vespas. *Institutum uniforme omni imperio tenuit vigilare de nocte, publicisque actibus absolutis cæros admittere.*

2. *Breviariis*] Hoc est, libellis. De quibus in Ner. c. 52. notat Beroald. *brevem & breve* masculino, & neutro genere, dici quoque Latine in eadem significatione, quam *brevem Apostolicum* vulgo nominant; sed hoc nonnisi posteriorum auctoritate Latinorum. Vopiscus in Aureliano. *Breve nominum conscripsit.*, Item *breve legit singulis, quorum nomina continebat.* Et Lampridius in Alexandro. Milites suos sic ubique scivit, ut in cubiculo haberet breves, & numerum, & tempora militantium.

3. *Amicos admittebat*] De admissionibus, Supra ad c. 14. Martial. Epig. 8 lib 4.

Prima salutantes, atque altera continet, hora,
Exercet raucos tertia Causidicos.

Quo loco Poëta integram diei dispositionem refert. Quod & Epig. 90. ejusdem libri, sed de Rusticatione loquitur.

4. *Pallacarum*] Hoc est, Pellicum, Gellius lib. 4. c. 3. *Pellicem autem appellatam, probrosamque habitam, quæ juncta, consuetaque esset cum eo in cujus manu, mancipioque alia matrimonii causa foret*, &c. Et infra, *Pellex autem quasi* Παλλαξ, *id est quasi* παλλακὶς, *ut pleraque alia, ita hoc quoque vocabulum de Græco flexum est.* Attamen Marcellus Donatus pallacam a pellice distinguit, quod hæc marito uxorem habenti, illa cum cœlibe consuesceret. Qua tamen voce pro concubina simpliciter usus est Plinius lib. 3. c. 10. de Campaspe Alexandri concubina Apelli donata. Vide & legem 144. ff. *De verborum significatione.*

5. *Cænidis*] Libertæ illius. De qua c. 3.

6. *Ac secreto*] In Tornacensi codice legit Torrentius *a secreto*, & magis probat.

7. *Momenta*] Molles nempe fuere aditus tunc temporis.

CAPUT XXII.

ET super cœnam autem, & semper alias [1] comissimus, multa joco transigebat. Erat enim dicacitatis plurimæ : & sic scurrilis ac sordidæ, ut ne [2] prætexatis quidem verbis abstineret. Et tamen nonnulla ejus facetissima exstant, in quibus & hoc : Menstrium Florum, consulárem, admonitus ab eo [3] *plaustra* potius quam *plostra* dicenda, die postero [4] *Flaurum* salutavit. Expugnatus autem à quadam, quasi amore sui deperiret, [5] cum productæ pro concubitu sestertia [6] quadraginta donasset : admonente dispensatore quemadmodum summam rationibus vellet [7] referri, *Vespasiano*, inquit, *adamato.*

NOTÆ.

1. *Comissimus*] Beroaldus notat in aliis legi *cum amicis*, quod & agnoscit Pulmannus, nec displicet Torrentio. Casaub. in Vitterbiensi legit. *Super cœnam*, & *super aleas comunissimus*, quod inter cœnandum alea plurimum uterentur. In Aug. c. 77. de hac loquendi ratione *super cœnam* In Jul. c. 87. de voce vero *communissimus*, qua idem ferme significat, atque *comissimus*. In Claud. cap. 21.

2. *Prætextatis*] Hoc est, obscœnis, & impudicis. Macrobius lib. 2. c. 1. *Exco-*

Digitized by Google

gitamus alacritatem lascivia carentem, &c. *& hac nobis sit literata Latitia, & docta cavillatio vicem planipedis impudica & pratextata verba jacientis.* Gellius lib. 9. c. 10. Eodem sensu Juvenal. Sat. 2.

Sic pratextatos referunt Antaxata mores.

Festus vero aliter, *Pratextatis*, inquit, *nefas erat obscœno verbouti, ideoque pratextatum appellabant sermonem, qui nihil obscœnitatis haberet.* Deinde addit. *Pratextatum sermonem quidam putant dici, quod pratextatis nefas sit obscœno verbo uti; alii quod nubentibus depositis prætextis a multitudine puerorum obscœna clamentur.* Priorem Festi sententiam, inquit doctissimus Dacerius, muti latorineptus amplexus, quia scilicet falsa est.

3. *Plaustra*] Unde *Plostello adjungere mures* apud Horatium. Magnam syllabarum *au* & *o* affinitatem exemplis multis probat Casaub. Sic *Claudius* aliis, qui Ciceroni semper *Clodius*. Quod & Juvenalis Scholiastes ad Sat. 6. observat. *Cetes* pro *cautes*, *origa* pro *auriga*, &c.

4. *Flaurum*] Vox Græca φλαῦρος vilem ac frivolum significat, unde lepos & jocus in Elorum illum, qui Grammatica hac observatiuncula Imperatorem argueret.

5. *Cimproducti*] Sic, & Pithoei codicis emendatum. In optimis Torrentius, & in Virterb. Casaub. legunt *perducta*. Quod ille probat, eo sensu quo in Julio c. 49. ubi de Perductoribus. Hic vero *perducta* legendum censet, ut intelligatur ipsa mulier donasse Vespasiano, non contra; quo tantam summam a Principe ultra modum parco in ejusmodi voluptates effundendam non existimet. Id probare videtur titulus ille, sub quo rationibus pro more voluit summam hanc referri *Vespasiano* scilicet *adamato*. Nam de tabulis accepti intelligendum est, in quibus, ut ait Asconius, & jam in Jul. c. 47. notatum est. *Unusquisque domesticam rationem sibi totius vitæ suaper dies singulos scribebat, ex quo appareret, quid quisque de reditibus suis, quid vel de arte, fœnore, lucrove sepositisset quoque die*, &c.

6. *Quadringenta*] 17500. l. Sic Torrentii codices, sic Tornacensis & Patavinus. Vulgati *quadraginta* nempe 1750. lib.

7. *Referri*] In duobus Manuscriptis legit Torrent. *inferri* & præfert; idem ex Salmasiano Skildius. Suis enim singula titulis in rationes referebant, ut quo nomine impensæ factæ fuissent, scirent. Titulum illum *adamato Vespasiano* caute jubet Princeps apponendum, ne forte contingeret, ut Neptina ejusmodi impensa ex tabulis aliquando vulgaretur.

CAPUT XXIII.

UTEBATUR & versibus Græcis tempestive satis: ut de quodam proceræ staturæ, [2] improbiusque nato:

a Μακρὸς βίος, κακῶν δὲ μηχανὴ ἔχει.

[2] Et maxime de Cerylo liberto, qui dives admodum ob subterfugiendum quandoque [3] jus fisci, ingenuum se & Lachetem mutato nomine cœperat [4] ferre,

b ὦ Λάχης Λάχης, ἐ πὶ σοὶ κἀπὶ σοῖς.
Αὖθις ἐξ ὑπαρχῆς σὺ πρῶτος Κήρυλος.

Maxime tamen dicacitatem in deformibus lucris affectabat: ut invidiam aliqua cavillatione [6] dilueret, transferretque ad sales. Quendam e [7] caris ministris [8] dispensationem cuidam [9] quasi fratri, petentem cum distulisset; [10] ipsum candidatum ad se vocavit: exactaque pecunia, quantum is [11] cum suffragatore suo pepigerat, sine mora ordinavit. [12] Interpellanti mox ministro. [13] *Alium tibi* ait, *quære fratrem*: hic, *quem tuum putas, Meus est.* Mulionem in itinere quodam suspicatus [14] ad calceandas mulas desiliisse, ut adeunti litigatori spatium moramque præberet: interrogavit, [15] quanti calceasset, pactusque est lucri partem.

Digitized by Google

Reprehendenti filio Tito, quod etiam [16] urinæ vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admovit ad nares, sciscitans num [17] odore offenderetur, & illo negante, *atqui*, inquit, *e lotio est*. Nuntiantibus legatis, *decretam ei publice non mediocris summæ* [18] *statuam colosseam*: jussit ut continuo ponerent, [19] cavam manum ostentans, & *paratam basim* dicens. Ac ne in metu quidem ac periculo mortis extremo abstinuit jocis. Nam cum inter prodigia cætera [20] Mausoleum Cæsarum derepente patuisset, & stella in cœlo crinita apparuisset: alterum [21] ad Juliam Calvinam e gente Augusti pertinere dicebat: alterum ad Parthorum regem, [22] qui capillatus esset. Prima quoque morbi accessione, *ut*, inquit, *puto, Deus fio.*

INTERPRETATIO.

a *Longe vadens, longioriſque umbra haſtam vibrans.*

b O *Laches, Laches ubi mortuus fueris, ſtatim ut ab initio diceris Cerylus.*

NOTÆ.

1. *Improbiuſque nato*] Non video, inquit Torrentius, quo hæc verba ſpectent. Lego itaque, *improbiuſque irato*, quod optime huic loco convenit. Verſus enim eſt ex lib. 7. Iliad. de Ajace adverſus Hectorem in pugnam procedente. Caſaub. quoque legit *irato* in Vitt. ſed ex correctione ipſius qui ſcripſerat: prius enim aliter exaraverat, & ut puto, *nato*: quæ vera lectio eſt, conſentientibus Memm. Pithœi & Liſſæi codd. ſignificatque hominem male compoſitis inter ſe membris procerum, atque ideo deformem, cujus corpus quaſi pertica umbram in longum projiceret. Aliis vox ἔγχος, id eſt haſta, anſam præbuit ſuſpicandi ſubeſſe obſcœnitatem, & legendum *vaſate*. Vide hunc locum fuſe hoc ſenſu explicatum in editione Grævii.

2. *Et maxime*] Hanc in Vitterb. vocem non legit Caſaub & ex ſequenti loco huc inſtruſam arbitratur. Torrent. quoque a tribus codd. abeſſe teſtatur, in quibus etiam *Cerulo* legit, non *Cerylo*.

3. *Ius fiſci*] De quo in Ner c. 32.

4. *Ferre*] Sic in omnibus Manuſcriptis Torrent. in Vulgatis *afferre*.

5. ὦ λάχης] Hæc verba, ἐπὰν λαθῇς τεθνηκὼς αὐτὸς ἐξ ἀρχῆς ἔσῃ Menardi verſum eſſe teſtatur Caſaub. Reliqua vero quæ ſcripta ſunt nomina a Veſpaſiano fuiſſe addita. Quod vero ſpectat ad hujus loci ſenſum, patet libertum illum Ceryli nomine pro liberto habitum, & notum omnibus, voluiſſe dici Lachetem, fore arbitraturum, ut mutato nomine notitia quoque conditionis occultaretur, ſicque ejus heredes vitarent jura, quæ in libertinorum bonis fiſco debentur. In Nerone c. 32. &c.

6. *Dilueret*] In optimo libro legit Torrent. *deflueret*, quod & in Vitterb. notavit Caſaub viderint acutiores, ait, nam in hoc genere, ſæpe veritas latet ſub aliqua in ſpeciem abſurda ſcriptura.

7. *Caris miniſtris*] Caſaub. in Vitterb. legit *e Cæſaris miniſtris*.

8. *Diſpenſationem*] Quanti fuerint emolumenti hujuſmodi diſpenſationes. Vide in Oth. c. 5. & Aug. c. 66.

9. *Quaſi fratri*] Ut res foret impetrabilior.

10. *Ipſum candidatum*] Hoc eſt, petitorem diſpenſationis: ſimilitudine ducta a candidatis magiſtratuum petitoribus.

11. *Cum ſuffragatore*] Hoc eſt, opitulatore ſuo, qui pro diſpenſatione, quam petebat, obtinenda illi ſuffragabatur apud principem, ſuoque illum favore pacta mercede adjuvabat. Per Veſpaſianum igitur, inquit Caſaub. licitum fuit ſuffragiorum commercium: quod jus in imperio Romano non ſemper obtinuit. Julianus imp. l. 1. *Si certum petatur de ſuffragiis.* lib. 3. codic.

Digitized by Google

Theod. leges Romanas hujusmodi contractus penitus ignorare affirmat. Extant & leges duæ imp. Constantini codice eod. de honorariis codicillis, quo omnis pecuniæ exactio pro suffragiis vetatur per dictam Juliani legem, neque soluti fuit repetitio, neque non soluti petitio. Contrarium plane jus introducit Justinianus lib. 4. cod. titulo de suffragio, ea lex & stipulationem pecuniæ pro suffragio facit licitam, & promissæ petitionem concedit. Id vero jus postea Tiberius Aug. sustulit Nov. 161.

12. *Interpellanti*] In memoriam forte revocanti promissam, aut saltem non negatam, dispensationem.

13. *Alium tibi*] Juv. Sat. 5.

——vis, frater, ab ipsis
Ilibus? e nummi, vobis hunc præstat honorem
Vos estis fratres.

14. *Calceandas mulas*] Soleis muniendas ferreis. Unde *calceatus camelorum* apud Plinium lib. 11. c. 45.

15. *Quanti calcea esset*] Hoc est, quantam pecuniam ei dedisset litigator, ut hoc prætextu principis adeundi tempus haberet.

16. *Urina vectigal*] Quod forte penderent fullones, qui ea in tingendis pannis plurimum utebantur, ut sibi emissam in amphoras, quæ in angiportis, & vicorum angulis erant ad hunc usum collocatas sumere liceret. Has amphoras Lucretius lib. 4. *Dolia* curta appellat.

Fusi sæpe locum propter se ac Dolia curta
Somno devincti credunt.

Reperio, inquit Casaubonus, etiam simile huic aliud vectigal a Vespasiano eodem excogitatum e fimo equino impositum. Tzetzes narrat Chiliade prima. Haud scio qua fide quove auctore. Tandem vero & urina & fimus, & omnes sordes factæ in imperio Romano vectigales. Lege Cedrenum in Anastasio tributum Chrysargyrum describentem.

17. *Odore offenderetur*] Inde Juven. Satyr. 14.

——lucri bonus est odor ex re
Qualibet

Ad judicium de metallis faciendum etiam olfactus adhibetur interdum, ut de poculis Darii notat Aristoteles, quæ solo narium judicio cognoscebantur ænea essent, an ferrea. Ergo etiam trapezitæ, & nummularii in æstimanda pecunia hac ratione inter alios plures usi. Arrian. dissertation. Epicteti lib. 1. c. 20. ad hunc morem videtur Vespasianus respexisse. Casaubon.

18. *Statuam colossæam*] Ad c. 35. in Cal.

19. *Cavam manum*] Quod avaritiæ signum duntaxat videtur fuisse, non vero ullatenus respexisse, quod de manu sic formata notatum est in Aug. c. 91. Sic enim formatam manum porrigebat, ut inveniret sibi dandam esse summam, qua constitura erat statua; manumque pecuniæ accipiendæ patatam basim esse. Quapropter continuo ponerent imperabat, pro statua summam, probasi manum cavam fore innuens.

20. *Mausoleum Cæsarum*] In optimo libro non extat vox *Cæsarum*, quam necessarium esse non vult Torrentius, utpote cum unius Augusti Mausoleum esset in Aug. Plin. lib. 36. c. 5. Idem prodigium in Ner. c. 46.

21. *Iuniam Calvinam*] Sic in Manuscriptis omnibus legit Torrent. Vulgati habent *Iuliam*. Tacit. lib. 13. initio prima novo principatu (Neronis scilicet) mors Julii Silani, proconsulis Asiæ, quippe & Silanus D. Augusti abnepos erat. De quo in Claud. c. 4. Cum autem hic per Juliam Augusti filiam Agrippæ conjugem, genus ab Augusto duceret, inde videtur quoque *Iulii* nomen ductum nisi codicum repugnaret auctoritas, & ratio ipsa. Quasi vero fœminæ gentis nomen servent, & non in aliam familiam transeant.

22. *Succapillatus*] Barbam & capillum nutrivisse barbaros notatum ad c. 5. in Calig.

23. *Deus fio*] Jocus ex Apotheosi imperatorum. Eodem sensu Nero c. 33. boletum Deorum appellavit cibum, ut pote quo necatus est Claudius.

CAPUT XXIV.

CONSULATU suo nono tentatus est in Campania motiunculis levibus, ac protinus urbe repetita, [1] Cutylias, ac [2] Reatina rura, ubi æstivare quotannis solebat, petiit. Heic, cum super urgentem valitudinem creberrimo frigidæ aquæ usu & intestina vitiasset: nec eo minus muneribus

Digitized by Google

neribus imperatoriis ex consuetudine fungeretur, ut etiam legationes audiret cubans, alvo repente usque ad defectionem soluta, *Imperatorem, ait,* [3] *stantem mori oportere.* Dumque consurgit, ac nititur, inter manus sublevantium exstinctus est, VIII. Kal Jul. [4] annum agens ætatis sexagesimum ac nonum, superque mensem ac diem septimum. A. V. C. DCCCXXXII.

NOTÆ.

1. *Cutylias*] Sabinorum aquas fuisse notat Xiphilinus, & hodie dicitur *Lago di contigliano.* In quo fluctuantem insulam testatur Plinius lib. 2. c. 95. *& ad cutylias aquas opaca silva, quà nunquam die ac nocte eod-m loco visitur.* De earum aquarum usu Plinius lib. 31. c. 3. & Strabo frigidas, & medicinales testatur, meminit & Macrob. lib. 1. c. 7.

2. *Reatina rura*] Reate urbs Sabinorum, hodie *Rieti.*

3. *Stantem*] Ex Stoïcorum disciplina, qui sic de sapiente suo. Senec. Epist. 81. O *efficacem concionem! quis post hanc dubitet, se infestis ingerere mucronibus, & stans mori.* Et Epistol 37. *Recto tibi invictoque moriendum est.*

4. *Annum agens*] Intellige mensem septimum ac diem septimum Imperasse autem scribit Dio annos decem, sex diebus minus. At Clemens annos undecim, menses totidem, dies 22. Causam tantæ diversitatis discas ex iis quæ notat Xiphilinus extremo Vespasiano. Mitto Theophilum, Epiphanium, alios. Casaub. vide & cap. 12. in Othon. & Vitell. c. 18.

CAPUT XXV.

CONVENIT inter omnes, tam certum eum de sua suorumque [1] genitura semper fuisse: ut post assiduas in se conjurationes ausus sit affirmare senatui, *aut filios sibi successuros, aut neminem.* Dicitur etiam vidisse quondam per quietem stateram in media parte vestibuli Palatinæ domus positam examine æquo: cum in altera lance Claudius & Nero starent: in altera ipse ac filii. Nec res fefellit, quando [2] totidem annis parique temporis spatio utrique imperaverunt.

NOTÆ.

1. *Genitura*] Hoc est genesi, seu themate nativitatis. De quo in Aug. c. 94.

2. *Totidem annis*] Viginti scilicet octo. Nam Claudius 14. In Claud. c. 45. Totidemque Nero in Neron. c. 40. & cap. ult. notatum est. Vespas. vero 10. Titus 3. Domitianus 15. ut infra patebit. Statera enim illa significabat trium Flaviorum annos pares fore Claudii & Neronis annis in imperio.

Digitized by Google

C. SVETONII TRANQVILLI

DE XII. CÆSARIBVS.

LIBER VIII.

T. FLAVIUS VESPASIANUS AUGUSTUS.

CAPUT I.

TITUS, cognomine paterno,[1] amor ac deliciæ generis humani (tantum illi ad promerendam omnium voluntatem vel ingenii vel artis, vel fortunæ[3] ſuperfuit: & quod difficillimum eſt, in imperio, quando privatus atque etiam ſub patre principe,[4] ne odio quidem, nedum vituperatione publica caruit)

NOTÆ.

1. *Titus*] Cognomine paterno. Aurelius Victor. *Titus vocabulo patris Veſpaſianus dictus.* Eutropius. *Huic filius ſucceſſit, qui & ipſe Veſpaſianus eſt dictus.* Quod hîc a Suetonio notatum eſt, ut fratres inter diſcrimen aſſignaret, alter enim a Domitilla matre. De qua in Veſpaſ. c. 3. Domitianus appellatus eſt.

2. *Amor ac*] Idem Victor & Eutropius tradunt. Atque Auguſti quidem & Galbæ nummis inſcriptum legimus. *Salus generis humani.* Alii quoque Conſervatores, Reſtitutoreſque ſe ſe *orbis* terrarum vocant, ſed omnes omnium titulos Titus ſuperat, qui, omni virtutum genere admirabilis, gentium conſenſu ſic appellatus ſit. Torrentius.

3. *Superfuit*] Sabellicus notat verbum hoc circa Plinii & Suetonii tempora in hunc ſenſum uſurpari ſcilicet pro affluere, & abundare. Vide Gellium lib. 1. capite 22.

4. *Ne odio*] Non caruit *odio* ob cædes quas præfectus prætorio perpetravit; *vituperatione* ob amores & libidinem. Torr. c. 6. infra.

Digitized by Google

CAPUT II.

NATUS [1] est III. Kalend. Januar. insigni anno [2] Cajana nece [3] prope Septizonium, sordidis ædibus: cubiculo vero perparvo, & obscuro: nam manet adhuc, & ostenditur. Educatus in aula cum Britannico simul, ac paribus disciplinis: & apud eosdem magistros institutus. Quo quidem tempore, ajunt, [4] metoposcopum a Narcisso Claudii liberto adhibitum ut Britannicum inspiceret, constantissime affirmasse illum quidem nullo modo, cæterum Titum, qui tunc prope adstabat, utique imperaturum. Erant autem adeo familiares, ut de potione, qua Britannicus hausta [5] periit, Titus quoque juxta [6] cubans gustasse credatur, gravique morbo [7] afflictatus diu. Quorum omnium mox memor, statuam ei auream in Palatio posuit, & alteram ex ebore [8] equestrem, quæ [9] Circensi pompa [10] hodieque præfertur, dedicavit, [11] prosecutusque est. A. U. C. DCCXCIV.

NOTÆ.

1. *Natus est*] Hinc patet Suetonii capita non accurate satis esse digesta. Vox enim *Titus* hujus verbi nominativus est. Quæ sequuntur a voce *tantum* per parentheſim scripta sunt.

2. *Cajana cade.*] In Cal. c. 58. qui annus urbis fuit 794. Christi vero circiter 49.

3. *Prope Septizonium*] Si Septizonium tanto ante Vespasiani imperium Romæ fuit, quomodo Spartianum intelligimus, qui Severi imperatoris opus fuisse scribit, ad caput Appiæ viæ, non procul a Circo maximo, sub Palatio, region. 10, urbis autigitur collapsum restituit Severus, aut locum ea urbis regione fuisse dicemus hoc nomine ubi postea Septizonium Severus extruxerit. Quod si ita est, nominis etiam ratio in dubium veniet. Siquidem sic appellatum volunt, quod septem sive zonis, sive cingulis (sic enim columnarum ordines vocant) opus illud assurrexerit. Sunt qui Septisolium vocare malint. Meminit ejus etiam Ammianus. Torr.

4. *Metoposcopum*] Sic dicitur, qui ex facie divinationibus attendit. Hujusmodi hominum meminit & Plinius lib. 35. c. 10. Et Juven. Sat. 6.

Et sortes ducet, frontemque, manumque
Præbebit Vati crebrum popysma roganti

Qui etiam physiognomi. Hi enim profitebantur se ex facie hominum ac fronte non mores tantum, sed futuros quoque eventus prævidere.

5. *Periit*] In Nerone c. 33.

6. *Cubans*] Sedens potius sed generaliori verbo usus est in Claud. 32. & Aug. c. 64.

7. *Afflictatus*] In duobus codd. legit Torrent. *afflictus.* Quomodo Horat. lib. 1. Sat. 1.

Aut aliquis casus lecto te afflixit.

8. *Statuam equestrem*] Qua videbatur equo vectus Britannicus, de quarum honore statuarum in Vitell. c. 9.

9. *Circensi pompa*] In Jul ad c. 76.

10. *Hodieque*] Sic Torrentius in tribus suis Manuscriptis in Vulgatis *hodie quoque.*

11. *Prosecutus est*] Secutus, sive comitatus est in ea pompa.

CAPUT III.

IN puero statim corporis animique dotes exsplenduerunt: [1] magis ac magis deinceps per ætatis gradus: forma egregia, & cui non minus auctoritatis inesset quam gratiæ: præcipuum robur, quam neque procera statura, & ventre paulo projectiore: [2] memoria singularis, docilitas ad

Digitized by Google

omnes fere tum belli tum pacis artes. Armorum & equitandi peritissimus, Latinæ Græcæque linguæ, vel in orando, vel in [3] fingendis poëmatibus promptus, & facilis ad extemporalitatem usque: sed ne musicæ quidem rudis, ut qui cantaret & psalleret jucunde, scienterque. E pluribus comperi [4] notis quoque excipere velocissime solitum, cum [5] amanuensibus suis per ludum jocumque certantem imitari [6] chirographa quæcumque vidisset: ac sæpe profiteri *se maximum* [7] *falsarium esse potuisse.*

NOTÆ.

1. *Magis ac magis*] Torrent. in duobus libris *magisque ac magis*, & mox *statura procera.*

2. *Memoria singularis*] In optimo lib. legitur *memoriæ.*

3. *Fingendis poëmatibus*] Ad eum Plinius in præfatione naturalis historiæ *Quanto tu ore patris laudes tonas? quanto fratris amas? quantus in poetica es? O magna fœcunditas.* De Domitiano idem studium in Dom. c. 2. & 20.

4. *Notis*] De his jam in Galb. c. 5.

5. *Amanuensibus*] Servis a manu quales dicimus *Secretaires* Gallice. In Jul. c. 74. in Ner. c. 44.

6. *Chirographa*] In Jul. c. 17. & 24. & in Aug. c. 64.

7. *Falsarium*] De falsariis in Claud. c. 15. notatum.

CAPUT IV.

TI RIBUNUS militum & in Germania & in Britannia meruit, summa industriæ nec minore modestiæ fama: sicut apparet statuarum & imaginum ejus multitudine, ac titulis per utramque provinciam. Post stipendia, foro operam dedit, honestam magis quam assiduam. Eodemque tempore Arricidiam Tertullam patre equite Rom. Sed [2] præfecto quondam prætorianarum cohortium, duxit uxorem & in defunctæ locum Marciam Furnillam [3] splendidi generis, cum qua, sublata filia, A. U. C. DCCCXX. divortium fecit. Ex quæsturæ deinde honore legioni præpositus, [4] Tarichæam & Gamalam urbes validissimas Judææ in potestatem redegit: equo quadam acie sub feminibus amisso, alteroque insceuso, cujus rector contra se dimicans occubuerat.

NOTÆ.

1. *Tribunus militum*] De ejus munere. In Jul. c. 5.

2. *Præfecto quondam*] Quæ dignitas equestris ordinis summa erat, ut in Galb. c. 14. notatum.

3. *Splendidi generis*] Furnilla enim gens consularis, Marcia autem longe ad huc illustrior, ut ex ipsa Cæsaris oratione. In Jul. c. 6.

4. *Tarichæam & Gamalam*] Illam suo ipse ductu cepit, hanc patre obsidente primus ingressus est. Vide Joseph. lib. 3. c. 34. & lib. 4. c. 7.

CAPUT V.

DCCCXXI. GALBA mox tenente Rempubl. missus ad gratulandum, quaqua iret, convertit homines, quasi adoptionis gratia arcesseretur. Sed ubi turbari rursus cuncta sensit, [1] rediit ex itinere: aditoque Paphiæ

Digitized by Google

Veneris oraculo, dum de navigatione consulit, etiam de [2] imperii spe confirmatus est. Cujus brevi compos, & ad perdomandam Iudæam relictus, novissima Hierosolymorum oppugnatione XII. propugnatores totidem sagittarum confecit ictibus: cepitque eam [3] natali filiæ suæ, tanto militum gaudio ac favore, ut in gratulatione [4] IMPERATOREM cum consalutaverint: & subinde decedentem provincia detinuerint, suppliciter nec non & minaciter efflagitantes, *ut remaneret, aut secum omnes pariter abduceret.* Unde nata suspicio est, quasi descisceret a patre, Orientisque regnum sibi vindicare tentasset. Quam suspicionem auxit, postquam Alexandriam petens, in consecrando apud Memphim bove Apide diadema gestavit: de more id quidem rituque priscæ religionis: sed non deerant qui secius interpretarentur. Quare festinans in Italiam, cum Rhegium, deinde Puteolos oneraria nave appulisset, Romam inde contendit expeditissimus, inopinantique patri, velut arguens rumorum de se temeritatem, *Veni*, inquit, *pater, veni.*

NOTÆ.

1. *Rediit*] Jam Corinthum in Achaia venerat auctore Tacito lib. 2. histor. qui inter alias redeundi causas, hanc quoque affert. Fuere qui accensum desiderio *Berenices reginæ veritisse ter crederent.* Plin lib. 5. c. 21. de insula Cypro loquens ait. Oppida in ea quindecim Vide de hoc oraculo Tacit. 2. histor.

2. *De imperii spe*] Tacit. ibidem de navigatione primum consuluit, &c.

3. *Natali filiæ*] Qui fuit octavus Septembris, ut Joseph. lib. 6. c. 42. in ipso fine.

4. *Imperatorem*] Non quidem patris instar, eodem scilicet modo, quo Cæsares, sed juxta veterem Reipubl. consuetudinem de qua in Jul. c 76. Sic enim re bene gesta, duces exercituum imperatores dicti sunt.

CAPUT VI.

NEQUE ex eo destitit participem, atque etiam tutorem imperii agere. * Triumphavit [1] cum patre, † [2] censuramque gessit una. Eidem collega & in ¶ tribunitia potestate, & in septem § consulatibus fuit. Receptaque ad se prope omnium officiorum cura, cum patris nomine & epistolas ipse dictaret, & edicta conscriberet, orationesque in senatu recitaret etiam [3] quæstoris vice, præfecturam quoque prætorii suscepit, num quam ad id tempus, nisi ab [4] equite Rom. administratam. Egitque aliquanto [5] incivilius & violentius: siquidem suspectissimum quemque sibi, submissis qui per theatra & castra, quasi consensu ad pœnam deposcerent, haud cunctanter oppressit. In his A. [6] Cæcinam consularem virum vocavit ad cœnam, ac vix dum triclinio egressum confodi jussit: sane urgente discrimine: cum etiam chirographum ejus præparatæ apud milites [7] conjurationis deprehendisset. Quibus rebus sicut in posterum securitatis satis cavit, ita ad præsens plurimum contraxit invidiæ: ut non temere quis, tam adverso rumore, magisque invitis omnibus transierit ad principatum.

A. U. C.
* DCCCXXIV.
† DCCCXXV. &c.
¶ DCCCXXIV &c.
§ DCCCXXIII DCCCXXV. DCCCXXVII. DCCCXXVIII. DCCCXXIX. DCCCXXX. DCCCXXXII.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Cum patre*] In Vespas. c. 8.

2. *Censuramque*] Plin. lib. 7. c. 49. Cujus testimonium certissimum est. Hoc siquidem ipso tempore vivebat, & libros naturalis historiæ Tito dedicavit, de censuræ magistratu jam supra.

3. *Quæstoris vice*] Ejus qui candidatus principis dicebatur. De quo in August. c. 65.

4. *Nisi ab equite*] In Claud. c. 12. jam innuerat, & Galb. c. 14.

5. *Incivilius*] Arrogantius quam civem deceret. De civilitate in Tiber. c. 11.

6. *Cacinam*] Qui Vitellianarum dux partium ad Vespasianum defecit apud Cremonam in Vesp. c. 7. caussam Aurelius Victor dicit fuisse suspicionem stupratæ ab eo reginæ Berenices.

7. *Conjurationis*] Casaub ex melioribus libris emendat *concionis* quomodo & in Salmasiano scriptum testatur Skildius.

CAPUT VII.

PRÆTER sævitiam, suspecta in eo etiam luxuria erat, quod ad mediam noctem [1] comissationes cum profusissimo quoque familiarium extenderet. Nec minus libido, propter exoletorum & spadonum greges, propterque insignem reginæ [2] Beronices amorem, cui etiam nuptias pollicitus ferebatur. Suspecta & rapacitas: quod constabat in [3] cognitionibus patris nundinari [4] præmiarique solitum. Denique propalam alium Neronem & opinabantur & prædicabant. At illi ea fama pro bono cessit, conversaque est in maximas laudes: neque ullo vitio reperto, & contra virtutibus summis. Convivia instituit jucunda magis quam profusa. Amicos elegit, quibus etiam post eum principes ut & sibi & Reipubl. necessariis, [5] acquieverunt, præcipueque sunt usi. Beronicen statim ab urbe dimisit invitus invitam. Quosdam e gratissimis [6] delicatorum, quamquam tam artifices saltationis, ut mox [7] scenam tenuerint, non modo fovere prolixius, sed spectare omnino in publico cœtu supersedit. Nulli civium quidquam ademit: abstinuit alieno, ut si quis umquam: ac ne concessas quidem ac solitas [8] collationes recepit. Et tamen nemine ante se munificentia minor, Amphitheatro dedicato, thermisque juxta [9] celeriter extructis, [10] munus edidit apparatissimum largissimumque. Dedit & navale prælium in veteri naumachia: ibidem & gladiatores: atque uno die [11] quinque millia omne genus ferarum.

NOTÆ.

1. *Comissationes*] De his jam in Vitell. c. 13.

2. *Berenices*] Scribe *Beronices* & mox *Beronicen*, sic scripti cum Græcis consentientes Dione, Josepho, aliis. Casaubon. Hæc filia fuit Agrippæ magni, qui ex Aristobulo nepos Herodis magni. Desponderatur Marco, Alexandri, Lysimachi filio: quo ante nuptias defuncto, collocatur Herodi patruo regi Chalcidis. Neque diu hujus quoque conjugii felicitate salva usa, & apud fratrem commorata, Cæsareæ cum eo Paulum Apostolum audit, & ob familiaritatem niniam cum fratre incesti suspicionem incurrit; quam a se depulsura nubit Polemoni Ciliciæ regulo: cum circumcisionem ei & religionem patriam persuasisset: & offensa iterum hominis temulentia, ad Agrippam redit. In quo tempore Florum pro gente sua frustra deprecata, post cum eodem Agrippa in vitæ discrimen venit: ac magnificentia munerum Vespasiano patri, forma Tito commendata, hunc auxiliis bello Judaico juvat. & Romam secuta, palam cum eo in Palatio habitat: cumque jam in conjugii erecta spem, populi indignatione, ea excidisset,

Digitized by Google

post imperio potitum frustra tentat. Lucæ Act. c. 25. Joseph. Tacit. lib. 2. hist. Quintil. lib. 4. Inst. orat. c. 1. ubi causam pro ea se dixisse ait. Et Juven. Sat. 6. Reinecc.

3. *Cognitionibus*] Omnes libri hac parte corrupti. In vulgatis *concionibus* verum quæ ex illis rapina colligatur? Victor scribit jurgia sub parte venundata. Unde affirmare non dubitem, inquit Torrent. *cognitionibus* esse legendum Fulvius Ursinus legit in vetere codice *quod constabat in negotiationibus patris nundinari prædarique solitum.*

4. *Præmiari*] Quæstum facere. Præmia enim dicebant utilitates quascunque & ipsa vitæ commoda. Lucret. lib. 5.

——— *Qui talia nobis*
Pectore parta suo quæsitaque præmia liquit.

Et Tibull lib. 1. Eleg. 2.

Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta præmia vestis petat.

5. *Acquieverunt*] Eodem sensu verbum hoc in Tiber. c. 56.

6. *Delicatorum*] *Enervatos greges* vocat Victor. De iis in Vespas. ad c. 3.

7. *Scenam tenuerint*] Hoc est, principem in saltando locum occuparint. Quo sensu Virgil.

——— *templumque tenebis.*

Et Cicero tenere Remp. 1. de orat. &c.

8. *Collationes*] De his in Calig. c. 42. & Aug. c. 57.

9. *Celeriter*] Torrent. in tribus manuscriptis legit *celebriter*, quam lectionem tamen non sequitur lib. spect. epig. 2. Mart.

Hic ubi miramur velocia munera thermes.

Idem in suis omnibus Casaub.

10. *Munus*] Id est, spectaculum in Jul. c. 10. De apparatu quoque ibidem.

11. *Quinque millia*] Sic & Eutropius, sed numerum auget Xiphilinus ad novem millia, inter quæ feras & pecudes annumerat, & Grues ad pugnam productas narrat. Quod quia nemo alius, ut inauditum emendavit Casaub. & pro *gruibus* substituit *Germanos* quod Græca lingua fit unius adjectione literulæ pro γέρανοι γέρμανοι. Quod de captivis factitatum etiam constat. Sed quemadmodum & gallorum gallinaceorum, quin & coturnicum inter spectacula commissiones, fortassis & gruum tunc fuerunt.

CAPUT VIII.

NATURA autem benevolentissimus, cum ex instituto Tiberii omnes dehinc Cæsares beneficia a superioribus concessa principibus aliter rata non haberent, quam si eadem iisdem & ipsi dedissent: [1] primus præterita omnia uno confirmavit edicto: nec a se peti passus est. In cæteris vero desideriis omnium hominum obstinatissime tenuit ne quem sine spe dimitteret. Quin & admonentibus domesticis, *quasi plura pollicerentur quam præstare posset: Non oportere*, ait, *quemquam a sermone principis tristem discedere.* Atque etiam recordatus quondam super cænam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidit: [2] AMICI, DIEM PERDIDI. Populum in primis universum tanta per omnes occasiones comitate tractavit: ut [3] proposito gladiatorio munere, *non ad suum, sed spectantium arbitrium editurum se* professus sit. Et plane ita fecit. Nam neque negavit quidquam petentibus: & ut quæ vellent, peterent, ultro adhortatus est. Quin & studium [4] armaturæ Threcum præ se ferens, sæpe cum populo, & voce, & gestu, ut fautor, cavillatus est: verum majestate salva, nec minus æquitate. Ne quid popularitatis prætermitteret, nonnumquam in thermis suis, admissa plebe, lavit. Quædam sub eo fortuita ac tristia acciderunt: ut conflagratio [6] Vesevi montis, in Campania: & incendium Romæ, per triduum, totidemque noctes, item pestilentia quanta non te-

Digitized by Google

mere alias. In his tot adversis, ac talibus, non modo principis sollicitudinem, sed & parentis affectum unicum præstitit: nunc consolando, per edicta: nunc opitulando, quatenus supperetet facultas. Curatores [7] restituendæ Campaniæ e consularium numero sorte duxit. Bona oppressorum in Vesevo, quorum heredes non exstabant, restitutioni afflictarum civitatum attribuit. Urbis incendio nihil [8] nisi sibi publice periisse testatus, cuncta [9] prætoriorum suorum ornamenta operibus ac templis destinavit: præposuitque complures ex equestri ordine, quo quæque maturius peragerentur. Medendæ valitudini leniendisque morbis, nullam divinam humanamque opem non adhibuit, inquisito [10] omnium sacrificiorum remediorumque genere. Inter adversa temporum, & [11] delatores [12] mandatoresque erant ex licentia veteri. Hos assidue in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac novissime [13] traductos per Amphitheatri harenam, partim [14] subjici in servos, ac vænire, imperavit: partim in [15] asperrimas insularum avehi. Utque etiam similia quandoque ausuros perpetuo coërceret, vetuit inter cætera, de eadem re [16] pluribus legibus agi: quærive de cujusdam defunctorum [17] statu, ultra certos annos.

Nota.

1. *Primus præterita*] Titum in multis imitati sunt optimi plerique principes, ut de Nerva Plinius lib. 10. epist.

2. *Amici*] Casaub. historicorum aliorum auctoritate addit *hodie*, quod tamen omisit Aurelius Victor. *Amici*, ait, *perdidimus diem.* Quidam intelligunt *amici* in genitivo casu ut sit sensus novæ amicitiæ conciliandæ diem perdidisse. Quo sensu Scipio ex Polybii præcepto id præsertim attendebat, ut e foro nunquam discederet nisi amicum sibi aliquem effecisset. Sed in vocandi casu sumptum verosimilius est, tum ex Victore, qui *perdidimus* habet, tum ex Eutropio, apud quem *dixit amicis: hodie diem perdidi.*

3. *Proposito*] Per edictum promisso, ut etiam alias.

4. *Armaturæ Threcum*] Ii dicebantur parmularii: parma enim Threcibus armatura, & quemadmodum in Circo Venetum alii, Prasinum alii pannum præferebant, ut in Calig. c. 55. & Neron. cap. 22. notatum est, ita in amphitheatro secutoribus alii, Threcibusve favebant. De quibus in Calig. c. 30. 32. 35. & 55.

5. *Cavillatus est*] Hoc est jocosa quadam vituperatione prosecutus est, sive jocose derisit. Festus enim *cavillationem jocosam* appellat *calumniationem.* Et Nonius *cavillatur* pro *jocatur* exponit. Quæ verba conjungit Cicero: Unde proba omnino Glareani emendatio addentis particulam *non*; *ut non fautor cavillatus est.* Hoc sensu Titus licet faveret ipse Threcibus tamen si quando non præstitissent cæteris, ut non fautor, hoc est, quasi ipse iis non favisset cavillabatur.

6. *Vesevi*] In duobus libris *Vesebii*, & paulo post *Vesebio* legit Torrentius, & ad literarum *b* & *u* cognationem refert. Virgil. 2. Georg.

Vicina Vesevo .... Ora jugo

Alii Vesuvium, alii Vesbium appellant. Notus mons Campaniæ ignivomus oræ litoreæ vicinus. Hujus incendii meminit Plin. junior Epistola ad Tacitum, qua totam ejus narrat historiam. Et Plinii historici mortem ob ejus propius visendi curiositatem

7. *Restituendæ Campaniæ*] Conflagratione Vesevi afflictæ; ignis enim late grassatus fuerat.

8. *Nihil nisi sibi publice*] Transponit membranarum auctoritate Casaub. vocem *publice*, & jungit eam cum verbo *testatus.* Torrent. inquit, variant codices manuscripti. Unus sic habet. *Urbis incendio nihil periisse testatus est publice.* Alter sic, *Nihil nisi sibi periisse testatus est publice.* Optimus sic. *urbis incendio nihil publice periisse testatus, &c.*

9. *Prætorium*

Digitized by Google

9. *Praetoriorum*] Villæ sunt magnificæ. De quibus in Aug. c 72.

10. *Omnium sacrificiorum*] Torrentius præfert Tornacensis codicis lectionem *Omni sacrificiorum genere.*

11. *Delatores*] De his jam supra sæpe.

12. *Mandatores*] Hi sunt, qui delatores subornant ad accusandum, sic Callistratus l. 2. ff. *de jure fisci. Divus Pius Caelio Maximo rescripsit, constitutionem patris sui: quae compelleretur delator edere mandatores, ac nisi edidisset, ut in vincula deduceretur: eo pertinere, non ut delator poena subduceretur, si mandatorem haberet, sed ut mandator quoque, perinde atque si ipse detulisset, puniretur.*

13. *Traductos*] Ignominiose circumductos. De hoc verbo vide Martialem Epigr. 4. lib. spect. & Epig. 77. lib. 6.

14. *Subjici in servos*] Sub hasta venire. Quo sensu Juven. Sat. 3.

Et prabere caput domina venale sub hasta.

15. *Asperrimas insularum*] In quas rei mittebantur. Qua de re in Aug. c. 65. ubi de Juliis

16. *Pluribus legibus*] Si enim unius legis formula non succederet, aliam adhibebant, nec vitari vix poterat illorum vafrities. Quod ne fieret, vetuit. De formulis in Claud. c. 14. & Vitell. c. 7.

17. *Statu*] Hoc est, liber an servus, ingenuus an libertus extitisset. Hinc enim frequenter delatorum calumniæ propter jura dominorum & patronorum. Vide tit. ff. & cod. *Ne de statu defunctorum post quinquennium quaratur.*

CAPUT IX.

PONTIFICATUM maximum ideo se professus accipere ut [1] puras servaret manus, fidem præstitit: nec auctor posthac cujusdam necis, nec conscius, quamvis interdum ulciscendi caussa non deesset: sed *periturum se potius, quam perditurum* adjurans. Duos patricii generis convictos in affectatione imperii, nihil amplius quam ut desisterent monuit, dicens *principatum fato dari*: si quid præterea desiderent, promittens se tributurum: & confestim quidem ad alterius matrem, quæ procul aberat, cursores suos misit, qui anxiæ filium salvum nuntiarent. Cæterum ipsos non solum familiari cœnæ adhibuit, sed & insequenti die gladiatorum spectaculo circa se ex industria collocatis, oblata sibi [2] ornamenta pugnantium inspicienda porrexit. Dicitur etiam cognita utriusque genitura, *imminere ambobus periculum* affirmasse, verum *quandoque* [3] *& ab alio*: sicut evenit. Fratrem insidiari sibi non desinentem, sed pene ex professo sollicitantem exercitus, meditantem fugam, nec occidere, neque seponere, ac ne in minore quidem honore habere sustinuit: sed ut a primo imperii die, consortem successoremque testari perseveravit, nonnum quam secreto lacrymis & precibus orans *ut tandem mutuo erga se animo vellet esse.*

NOTÆ.

1. *Puras servaret*] A sanguine & cæde, quomodo Pontificem decet, ut M Anton. petiisse fertur, ne quis principatus sui tempore senator occideretur. Eodem sensu Horat. lib. 1. Sat.

——*At bene si quis*
Et vixit puris manibus,

Et Ode 23 lib. 3.

Immunis aram si tetigit manus.

Et Ovid.

Non bene cœlestes impia dextra colit.

2. *Ornamenta pugnantium*] Aurelius Victor. *petitoque ex industria mirmillonum, quorum pugnae visebantur, gladio quasi ad explorandam aciem uni atque alteri commiserit.* &c. Unde patet ornamenta pugnantium fuisse arma, & quidquid ad personam, quam gerebant, conveniebat. Sen. epist.

Digitized by Google

42. *quo porrigant tela quemadmodum illos suborneni.* Hoc est, instruant omnibus necessariis. In codice tamen Vitterb. & Cujaciano *ferramenta* scriptum non *ornamenta* inquit Casaub.

3. *Et ab alio*] Imperatore scilicet.

CAPUT X.

INTER hæc morte præventus est, majore hominum damno quam suo spectaculis absolutis, in quorum fine populo coram ubertim fleverat, Sabinos petit aliquanto tristior quod sacrificanti [1] hostia aufugerat, quodque [2] tempestate serena tonuerat. Deinde ad primam statim [3] mansionem febrim nactus, cum inde lectica transferretur, suspexisse dicitur [4] dimotis plagulis cœlum multumque conquestus, *Eripi sibi vitam immerenti: neque enim exstare ullum suum factum pœnitendum, excepto duntaxat uno*: id quale fuerit, neque ipse tunc prodidit, neque cuiquam facile succurrit. [5] Quidam opinantur, consuetudinem recordatum quam cum fratris uxore habuerit. Sed nullam habuisse pertsan & Domitia jurabat: haud negatura, si qua omnino fuisset, immo etiam gloriatura: quod illi promtissimum erat in omnibus probris.

Notæ.

1. *Hostia aufugerat*] De tali omine in Jul. c. 59. & Galb. c. 18.

2. *Tempestate serena*] Idem in Aug c. 95. apud Virgilium 8. Æneid.

Iterum, atque iterum fragor intonat ingens

Quod tamen mali ominis non semper fuit, si verbi gratia a parte sinistra tonaret, Virg. 9. Æneid.

Audiit, & cœlo genitor de parte serena
Intonuit lævum.

Sive quod, ut ait in hunc locum Servius, quæ nobis a parte sinistra sunt intuentibus cœlum, ab ipsius cœli parte dextra sint, ac ideo fausta; sive quod alii aliter observarent signa, ut de Græcis ac barbaris Cicero testatur lib. de divinatione, ut ut est, nunquam id sine prodigio, cum naturaliter ne fieri quidem posse crederent.

—— *Nam cœlo nulla sereno*
Nec leviter densis mittuntur nubibus unquam

Lucretius lib. 6. ac paulo post.

Denique cur nunquam cœlo jacit undique puro
Jupiter in terras fulmina?

Cujus rei causam tamen reddit Seneca in quæst. naturalibus.

3. *Mansionem*] Quo primum loco standum fuit sive pernoctandum.

4. *Dimotis plagulis*] Lisiæi codic. pars *pellibus* pars *paludibus* Pithœi *palliis*, Vitterb. *paludamentis*. Omnia mendosa Casaub. Sunt enim ex Nonio *plagæ*, unde plagulæ, *grande tegmen linteum, quam lecticariam stadonem dicimus.*

5. *Quidam opinantur*] Dio vero id quosdam existimasse refert, quod fratrem sibi tam manifesto insidiantem non interemisset, quibus accedere se affirmat.

CAPUT XI.

A. V. C. DCCCXXXIV.

EXCESSIT in eadem, qua pater, villa Idib. Septembris, post biennium, ac menses duos, diesque XX. quam successerat patri, altero & quadragesimo ætatis anno. Quod ut palam factum est, non secus atque in domestico luctu mœrentibus publice cunctis senatus prius quam edicto convocaretur, ad curiam cucurrit: obseratisque adhuc foribus, deinde apertis, tantas mortuo gratias egit, laudesque congessit, quantas ne vivo quidem unquam, atque præsenti.

Digitized by Google

Notæ.

1. *Excessit*] Philostratus in vita Apollonii tradit monitum ab Apollonio, ut ab his sibi caveret, qui essent sibi proximiores. Extinctum veneno leporis marini, sunt qui narrent. Dio autem periisse, ait, conjectum in arcam ligneam nive oppletam. Plutarchus in balneo extinctum.

2. *Cucurrit*] Manuscripti duo Torrent. *concurrit*, ut in Oth. c. 8. quod haud dubie rectius est, inquit Berneggerus; nam cucurrisse senatores quis credat? *concurrere* autem, ut & *confluere* Romane loquentes de iis usurpant, qui *ἐπὶ τὸν* eundo, conveniunt frequentes. Sed qua ratione Eutropium explicuerit? qui lib. 7. ait; *Senatus obitu ipsius circa vesperam nuntiato nocte irrupit in curiam, & tantas ei mortuo gratias, laudesque congessit*, &c.

Digitized by Google

C. SVETONII TRANQVILLI DE XII. CÆSARIBVS.

LIBER VIII.

TITUS FLAVIUS DOMITIANUS.

CAPUT I.

A. V. C. DCCCIV.

DOMITIANUS natus est IX. Kalend. Novembris, patre Cos. designato, inituroque mense insequenti honorem, regione urbis sexta, [2] ad Malum Punicum, domo, quam postea in templum gentis Flaviæ convertit. Pubertatis ac primæ adolescentiæ tempus, tanta inopia tantaque infamia gessisse fertur, ut nullum vas argenteum in usu haberet. Satisque constat, Clodium Pollionem prætorium virum, in quem est Poëma Neronis, quod inscribitur [3] *Luscio*, chirographum ejus conservasse, & nonnumquam protulisse, noctem sibi [4] pollicentis: nec defuerunt qui affirmarent corruptum Domitianum a Nerva successore mox suo. Bello Vitelliano confugit in Capitolium [5] cum patruo Sabino, ac parte præsentium copiarum: sed interrumpentibus adversariis, & ardente templo, apud ædituum clam pernoctavit: ac mane [6] Isiaci celatus habitu: inter sacrificulos vanæ superstitionis, cum se [7] trans Tiberim ad condiscipuli sui matrem comite uno contulisset, ita latuit, ut scrutantibus qui vestigia subsecuti erant, deprehendi non potuerit. [8] Post victoriam demum progressus, & CÆSAR consalutatus, honorem [9] prætoræ urbanæ cum con-

DCCCXXII.

sulari potestate susceptit titulo tenus: quam jurisdictionem ad collegam proximum transtulit. Cæterum omnem vim dominationis tam licenter exercuit; ut jam tum qualis futurus esset ostenderet. Ne exsequar singula, contrectatis multorum uxoribus, Domitiam Longinam [10] Ælio Lamiæ nuptam, etiam in matrimonium abduxit: atque uno die [11] super viginti urbana officia atque peregrina distribuit: mirari se Vespasiano dilatante, [12] *quod successurem non & sibi mitteret.*

NOTÆ.

1. *Patre consule*] Illum consulatum intellige, quem per duos novissimos anni menses gessit in Vesp. c. 4. anno ab V. C. 824. Christi 54. circiter. De Domitiani moribus agit Martialis pluribus in locis.

2. *Ad Maium*] Id vico nomen, qui in urbis regione sexta. De quo præfatione operis sui Valerius Flaccus.

Ille tibi cultusque Deum, delubraque genti
Instituet.

Loquitur enim de Domitiano, non de Tito, ut quidam viri docti credidere; quamvis enim Titus patrem Vespasianum consecravit, non idcirco Domitianus excluditur, qui & ipse templi, de quo agimus dedicatione divinos parenti suo honores instituit. Quo referendum etiam illud Martialis lib. 9.

Addita quid Latio Flavia templa polo?

Nam *Latium polum* appellat eam veluti poli partem, cui Latinorum, Romanorumque Dii transcripti fuerant, eosque inter Vespasianus. At Beroald. *foro* pro *polo* legit Torrent.

3. *Luscio*] Luscioси sunt, qui propter vitium oculorum parum vident. In alios quosdam instar Pollionis illius molles scripserat Nero, ut de Afranio & Quintiano auctor est etiam Tacitus lib. 15. ann. & innuit Sat. 4. Juvenalis,

Improbior Satyram scribente cinædo.

Quod molles ipse mollior exagitaret.

4. *Pollicentis*] Sic omnino scribendum. *Policenti* tamen habent manuscripti nostri omnes. Ut *policiti* legendum esse merito quis suspicetur.

5. *Cum patruo Sabino*] Vide cap. 15. in Vitell.

6. *Isiaci*] Tacit. lib. 3. histor. *Domitianus prima irruptione apud Ædituum occultatus, solertia liberti lineo amictu turba sacricolarum immixtus ignarusque apud Cornelium primum clientem paternum apud Velabrum delituit.* Lineum dicit habitum, quem Suetonius Isiacum. Inde illi sacrificuli linigeri dicti ut in lib. 36. & Oth. c. 12. notatum. Eodem modo evasisse quondam M. Volusium ædilem plebis testatur Appianus lib. 4. bell. civil.

7. *Trans Tiberim*] Dissentit Suetonius a Tacito, qui apud Velabrum delituisse dicit, nisi inde Transtiberinam regionem petiisse suspiceris.

8 *Post victoriam*] Tacit. in fine lib. 3. histor. *Domitianum postquam nihil hostile metuebatur ad duces partium progressum, & Cæsarem consalutatum miles frequens, utque erat in armis in paternos penates deduxit.* Imperatoris filius, aut imperii successor, seu imperator designatus Cæsar dicitur.

9. *Prætura urbana*] De prætore Urbano, & Peregrino in Jul. c. 14.

10. *Ælio Lamiæ*] Quem postea interfecit inf. c. 10. De quo Juven. Sat. 4.

—— *Hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.*

11. *Supervigenti*] Hoc est munera, quæ vel in urbe, vel in provinciis exercerentur.

12.] *Quod successorem*] Xiphilinus ex Dione Vespasianum gratias egisse scribit Domitiano filio per literas, quod se adhuc sineret imperare. De Domitiani vero ambitione Tacit. extremo lib. 4. historiar. Torrent.

CAPUT II.

EXPEDITIONEM quoque in Galliam, Germaniasque, neque necessariam, & [2] dissuadentibus paternis amicis, inchoavit: tantum [3] ut fratri se & operibus & dignatione adæquaret. Ob hæc correptus, quo magis ætatis & [4] conditionis admoneretur, habitabat cum patre una:

Digitized by Google

sellamque ejus ac fratris, quoties prodirent, [7] lectica sequebatur: ac triumphum utriusque Judaïcum [6] equo albo comitatus est. In sex consulatibus, nonnisi unum [7] ordinarium gessit: eumque cedente & suffragante fratre. [8] Simulavit & ipse mire modestiam: in primisque poëticæ studium, tam insuetum antea sibi, quam postea spretum & abjectum: recitavitque etiam publice. Nec tamen eo secius, cum [9] Vologesus Parthorum rex auxilia adversus [10] Alanos, ducemque alterum ex Vespasiani liberis depopoposcisset, omni ope contendit ut ipse potissimum mitteretur. Et quia discussa res est, alios Orientis reges, ut idem postularent, donis ac pollicitationibus sollicitare tentavit. Patre defuncto, diu cunctatus, an [11] duplum donativum militi offerret, nunquam jactare dubitavit, *relictum se* [12] *participem imperii, sed fraudem testamento adhibitam.* Neque cessavit ex eo insidias struere fratri clam, palamque: quoad correptum gravi valitudine, prius quam plane efflaret animam, pro mortuo deseri jussit: defunctumque nullo præterquam consecrationis honore dignatus, sæpe etiam carpsit [13] obliquis orationibus & edictis.

NOTÆ.

1. *Expeditionem*] Quam fuse describit Jos. lib. 7. de bell. jud. c. 3. Ducibus Classico & Civili rebellaverant Germani, quos subegit Domitianus admodum adolescens. Vide & Tacitum lib. 4. histor.

2. *Dissuadentibus*] Muciano præsertim & dissuadendi rationes refert Tacitus lib. 4. histor. circa finem.

3. *Ut frater*] Tradit ibidem Tacitus venisse Domitianum in suspicionem missi ad Cerealem ducem Romanum, cujus virtute fusi hostes fuerant, nuntii, qui fidem ejus tentaret, an præsenti sibi exercitus, imperiumque traditurus foret.

4. *Conditionis*] Adhuc privatæ.

5. *Lectica sequebatur*] Singularis est hic locus, unde colligitur lectica digniorem fuisse sella. Vide Lipsium elect. lib. 1. c. 19.

6. *Equo albo*] Qualem dixit equum funalem in Tib. c. 6.

7. *Ordinarium*] Hoc est, non suffectum in alterius locum per anni decursum: plures enim ab imperatoribus Consules eodem anno creati, quod nisi mortis causa stante republica non fiebat in Jul. c. 76.

8. *Simulavit*] Tacitus ibidem, *Simul simplicitatis imagine in altitudinem conditus, studiumque literarum, & amorem carminum simulans*, &c.

9. *Vologesus*] De quo in Vespas. c. 6.

10. *Alanos*] Populi sunt Sarmatiæ Europeæ haud procul a Mœotica palude incolentes Roxolanis finitimi qui nunc *Lithuani* dici putantur, &c. Ferrarius.

11. *Duplum donativum*] Ejus scilicet quod frater dederat. De donativis supra sæpe in Jul. c. 27. Malim, inquit Torrent. ut in uno cod. *offerret.*

12. *Participem*] Sic Torrentii duo codices: Vulgati habebant *Principem.*

13. *Obliquis orationibus*] Hoc est ambiguis.

CAPUT III.

A. V. C. DCCCXXXIV.

INTER initia principatus, quotidie [2] secretum sibi horarium sumere solebat: nec quidquam amplius quam muscas captare, ac stylo pæacuto configere: ut cuidam interroganti, *esset ne quis intus cum Cæsare*, non absurde responsum sit [3] a Vibio Crispo, *ne musca quidem.* Deinde uxorem Domitiam, ex qua in secundo suo consulatu [4] filium tulerat, alteroque anno consalutaverat ut [5] AUGUSTAM, eandem Paridis histrionis amore deperditam, repudiavit: intraque breve tempus impatiens dissidii, quasi efflagitante populo, [6] reduxit. Circa administrationem

Digitized by Google

imperii aliquandiu se varium præstitit: mistura quoque æquabili vitiorum atque virtutum, donec virtutes quoque in vitia deflexit: quantum conjectare, licet, [7] super ingenii naturam, inopia rapax, metu sævus.

NOTÆ.

1. *Inter initia*] In Salmasiano codice legit Schildius *vitia* longe propius ad Aurelii Victoris mentem, qui definitum illis nugis imperii tempus nullum ascribit. Et Xiphil. non tantum post sed & ante adeptum imperium id in Albano factitasse auctor est.

2. *Secretum horarium*] Casaub. in Vitt. & Pithœi codd. legit *horarum* unde suspicatur deesse numeri notam, & plures horas ridiculæ huic impendisse voluptati Qua admissa lectione simul cum Salmasiana potuerit hic locus intelligi de eadem illa solitudine, quam illi in Paneg. exprobrat Plinius. Alii *solarium* legunt, partem domus intellige, de qua in Claud. c. 10. & in Ner c. 16 Hoc scilicet hominis atra bile vexati indicium esse longe ante Domitiani vitam dixerat Hippocrates.

3. *Vibio Crispo*] De hoc sic Quintilianus lib 10. *Vibius Crispus compositus, & jucundus, & delectationi natus, privatis tamen caussis, quam publicis melior.* Similem ejus jocum de Vitellio refert Xiphil. Cum enim contracto in Vitellii conviviis morbo per plures dies ea intermisisset, ac nonnulli interea comessando periissent se quoque nisi ægrotasset, omnino periturum fuisse dixit. Pulchre igitur Juvenalis Sat. 4.

——— *Venit & Crispi jucunda senectus,*
Cujus erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium

Tacitus tamen lib. 2. & 4. ut delatorem notat. Torrent.

4. *Filium tulerat*] Hunc consecratum probat nummus hic a Torrentio prolatus. In quo videtur infans nudus inter astra collocatus cum inscriptione, &c. Martial. lib. 4. epig. 3.

5. *Augustam*] Quo titulo non imperatorum duntaxat uxores a Livia, sed & eorumdem filiæ, sorores, nurus, ipsæ quoque socrus appellatæ, ut probant inscriptiones.

6. *Reduxit*] Id quoque probant nummi tum imperatoris, tum Domitiæ nomine signati cum inscriptione, *Concordia Augusti.* Patidem, teste Xiphilino, occidit Domitianus Celebris fuit histrio. De quo Juven.

Utque magis stupeas Paridem, ludosque reliquit. Item.
Quod non dant proceres, dabit histrio.

7. *Super*] Hoc est, præter morum indolem. Nempe ingenitam Domit rapacitatem, & crudelitatem augebant egestas, & timor

CAPUT IV.

SPECTACULA magnifica assidue & sumtuosa edidit: non in Amphitheatro modo, verum & in Circo: ubi præter [1] sollennes bigarum quadrigarumque cursus, prælium duplex etiam equestre ac pedestre commisit, atque in Amphitheatro [2] navale quoque. Nam venationes, gladiatoresque & noctibus ad [3] lychnuchos: nec virorum modo pugnas, sed & [4] fœminarum. Præterea [5] quæstoriis muneribus, quæ olim omissa revocaverat, ita semper interfuit, ut populo potestatem faceret, bina paria [6] e suo ludo [7] postulandi, quæ novissima [8] aulico apparatu induceret. At per omne gladiatorum spectaculum ante pedes ejus stabat puerulus coccinatus, parvo portentosoque capite, cum quo plurimum fabulabatur, nonnunquam serio. Auditus est certe, dum ex eo quærit, *ecquid sciret cur sibi visum esset ordinatione proxima Ægypto præficere Metium Rufum.* Edidit navales pugnas pene [9] justarum classium, effosso, & [10] circumstructo juxta Tiberim lacu: atque [11] inter maximos imbres perspectavit: fecit & ludos [12] sæculares: [13] computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus edide- A. V. C. DCCCXLI.

Digitized by Google

rat. In his, Circensium die, quo facilius [14] centum missus peragerentur, singulos a septenis spatiis ad quina [15] corripuit. Instituit & [16] quinquennale certamen, Capitolino Jovi triplex, musicum, equestre, gymnicum, & aliquanto plurium quam nunc est, [17] coronarum. Certabant etiam & prosa oratione Græce Latineque: ac præter citharœdos [18] Chorocitharistæ quoque, & [19] psilocitharistæ: in stadio vero cursu [20] etiam virgines. Certamini [21] præsedit crepidatus, purpureaque amictus toga [22] Germanica, capite gestans coronam auream [23] cum effigie Jovis, ac Junonis, Minervæque assidentibus Dialis [24] sacerdote & collegio [25] Flavialium pari habitu, nisi quod illorum coronis inerat & ipsius imago. Celebrabat & in Albano quotannis [6] Quinquatria [7] Minervæ, cui collegium instituerat: ex quo sorte ducti [8] magisterio fungerentur, ederentque eximias venationes & scenicos ludos, superque oratorum ac poëtarum certamina. Congiarium populo nummorum [29] trecenorum ter dedit: atque inter spectacula [30] muneris, largissimum epulum [31] Septimontiali sacro quidem senatui, equitique, panaritis, plebi sportellis cum opsonio distributis, initium vescendi primus fecit: dieque proximo omne genus missilia sparsit: & quia pars major [32] intra popularia deciderat, quinquagenas [33] in singulos cuneos equestris ac senatorii ordinis pronuntiavit.

Notæ.

1. *Solennes*] Quales omnino Circenses. Vide Martial. lib spect & alibi passim.

2. *Navale*] Auctor est Xiphilinus in Tito in amphitheatrum aqua repentina repletum inductos, equos, tauros, aliaque animalia, &c. Mart. epig. 26. & 28. lib spect

3. *Lychnuchos*] Torrentius in duobus libris legit *lychnos*. In Jul c. 24. nocturnos ejusmodi ludos in Calig. c. 18.

4. *Fœminarum*] Martial. epig. 6. lib. spect.

Belliger invictis quod Mars tibi savit in armis,
Non satis, est Cæsar, savit & ipsa Venus.

5. *Quæstoriis*] Spectaculis quæ impensa quæstorum ederentur in Claud. c. 24.

6. *E suo ludo*] Hoc est, e sua gladiatorum familia.

7. *Postulandi*] Martial epig 20. ibid.

Dum peteret pars hæc Myrinam, pars illa Triumphum
Promisit pariter Cæsar utraque manu.

8. *Aulico apparatu*] Non qualis præbetur a lanistis, sed qualis aulam decebat.

9. *Fucinarum*] Quales etiam Claudius in Claud. c. 21. in Fucino lacu; quas, Domitiani naumachiæ postponit Martial epig. 28. ibid.

Fucinus, & pigri taceantur stagna Neronis
Hanc norint unam sæcula naumachiam.

10. *Circumstructo*] Sic ex Viterb. codic. Casaub. sic in suis omnibus Torrent. Alii habent *circumducto* male. Tacit enim Annal. 12. *Structo eis Tiberim stagno*. De sedilibus nempe in ambitum ad spectandi commoditatem extructis intelligitur. In Aug. c. 43.

11. *Inter Maximos*] Martial. lib. 4. epig. 3.

Adspice quam densum tacitarum vellus aquarum
Defluat in vultus Cæsaris, inque sinus.
Indulget tamen ille Jovi, nec vertice moto
Concretas pigro frigore ridet aquas

12. *Sæculares*] De quibus in Aug. c. 31.

13. *Computatæ*] Hos ludos sæculares exhibuit Domitianus anno 14. sui consulatus,

Digitized by Google

rus, cum ejus collega esset L. Minutius Rufus, testantibus pluribus nummis antiquis, & Censorino de die natali c. 17. ex emendatione virorum doctorum, vulgo enim male legebatur consulatu 15. hos ludos fuisse celebratos: fuit is annus V.C. secundum Censorinum 841. Augustus vero ludos sæculares celebravit A.V.C. 737. Ut interceserint anni centum & quatuor. Deerant quidem justo sæculo sex anni: singulis enim decem centum annis hi ludi instaurabantur, auctore Horatio in carmine sæculari & commentariis xv. virorum, nec non edictis Augusti: Domitianus tamen magis ingenio suo obsequens & libidini hos sæculares ludos edendi, quam accuratum calculum Chronologorum sequens, quia centesimum annum excesserat intervallum illud temporis quo Augustus eos celebraverat, ad illum Augusti annum temporum rationem computavit. Inter ludos vero quos Claudius ediderat, & hos a Domitiano datos interjecti erant anni quadraginta. Græv.

14. *Centum missus*] Cum 25. tantum peragi solerent, & septenis quidem singuli spatiis, Domitianus centum, sed quinis tantum spatiis exhibuit, ut egregie explicat Beroaldus: adde (si lubet) Servium in illud Virgilii lib. 3. Georgic.

Centum quadrijuges agitabo ad flumina currus.

De septenis spatiis noti Propertii versus lib. 2. eleg. 25.

Aut prius infecto depescit præmia cursu
Septima quam metam triverit arte rota.

De missibus in Claud. c. 21.

15. *Corripuit*] Hoc est, contraxit, seu reduxit, quo sensu etiam alibi hoc verbo utitur.

16. *Quinquennale*] Uti & Nero c. 12. sed Domitiani certamen, quod ab eo annus magnus, seu lustrum (ut Censorin. tradit) observari cœperit, usque ad Constantini tempora duravit. Adde Plinium lib. 4. epistol 22. quæque ad Aug. notavimus cap 98. ad Claud. c. 12. ad Calig. c. 20. Torrent. Vide in Aug. c. 59. & 98. in Neron. c. 12. Calig. 20.

17. *Coronarum*] Sic scribo, inquit Torrentius, etiam adversus libros omnes quos viderim. Sic *ampliare numerum palmarum*-Ner. c. 22. Alii *Coronatorum*.

18. *Chorocitharistæ*] Citharistæ plures citharam simul in choro pulsantes.

19. *Psilocitharistæ*] Turnebus lib. 20. advers. c. 16 sed quinam sunt, inquit, eo in loco apud Tranquillum *psallocitharistæ*, quæri video. Ego vero locum esse corruptum audacter affirmare ausim, legendumque *psilocitharistæ* Sic autem vocantur qui solo nudoque citharæ cantu psallunt, sua ipsi voce non accinentes, nec in choro canentes. Nam citharœdi etiam ad fides canunt: *Chorocitharistæ* plures una fidibus modulate concinunt. Atque horum verborum discrimina esse arbitror. De Psilocitharistis, & arte Psilocitharistica Athenæus lib 14.

20. *Etiam virgines*] Puellæ nempe certaverunt quoque cursu 915 juxta Lipsium ad 16. Ann. Taciti numer. 6. Vulgati legebant *virginis* facili ut patet & obvio errore.

21. *Præsedit*] Hoc est, toti quinquennali huic agoni præfuit ritu Græco, quod ejusmodi certamina Græcæ forent inventionis.

22. *Germanica*] Sic in omnibus codicibus legunt Torrent. & Casaub. sed Beroaldus legi *Græcanica* in quibusdam testatur. Et ita scribit Sabellicus, quod probant omnes quanquam ægre: Lipsius enim ait malle se *chlamyde* quam *toga*, cujus nullus apud Græcos usus: & certe Neronis Græco habitu vestiti *chlamydem* dixit Suetonius in Ner c. 25 Salmasius existimat *togam Græcanicam* dici, quo sensu *pallium Romanum* diceretur. Id enim discriminis est, quod *toga* rotunda; quadratum vero foret *pallium*. Hoc Græcorum, illa vero Romanorum, ut in Julio notatum est; Casaub. *hermionica* proponit propter purpuram hermionicam præstantissimam, cujus meminit in Alexandro Plutarchus. Verum quia Domitianus Germanici nomine tantopere delectatus fertur, nescio an *Germanica* germana sit lectio, aut saltem *Germanicam* interposita ante virgula, ut ad coronam de Germanis relatam referas.

23. *Cum effigie*] His sunt Dii Capitolini, quorum in honorem ludi celebrabantur.

24. *Sacerdote*] Jovis scilicet, seu Flamine Diali. Omnes assidebant eodem quo ipse princeps habitu exceptis coronarum imaginibus.

25. *Flavialium*] Sacerdotum scilicet

Digitized by Google

Flaviæ genti institutorum, quemadmodum Augustæ Augustales. In Aug. Martial. lib. 9, epig. 4. & 35.

Iuppiter Idæis risit mendacia bustis
Dum videt Augusti Flavia templa poli

26. *Quinquatria*] De hoc in honorem Minervæ festo supra dictum est

27. *Minerva*] Cujus filius dici & haberi volebat. Mart. lib 9. epig. 4.

Pallada prætereo res agit illa tuas.

Epig. 10. lib. 6.

Dic precor, o nostri, dic conscia virgo tonantis.

Similem Caligulæ insaniam notare est in Calig. ubi dicitur lunam in amplexus invitasse.

28. *Magisterio*]. Vel Collegii, vel festivitatis.

29. *Trecenorum*] 13. l. a. 6. d.

30. *Muneris* [Gladiatorii scilicet, dedit epulum populo sedenti.

31. *Septimontiali*] Dictio *die* abest ab omnibus nostris manuscriptis, ex quibus etiam unus *sacro* non *sacrorum* habet, lego igitur *septimontiali sacro quidem.* Nisi quis *quondam* pro *quidem* malit. Nam hæ dictiones & cognatæ sunt & una atque altera sæpe litera notabantur. Varro autem lib. 5. de Lingua Latin. *septimontium* diem ipsum vocat, quo id sacrum celebrabatur, dictum (ut inquit) *ab hos septem montibus in quos sita urbs est.* Idem ferme Festus Turneb. vero adverss. 5. totum hunc locum sic restituit. *Septimontiali die senatui, & equitum panaria, plebi sportellas cum opsoniis discribuit,* Verum Turneb. (quod pace tanti viri dixerim) illi excellenti suo ingenio nimium indulsit. Nostra emendatio securior, ac modestior est; & quæ sequuntur melius cohærent. *Panaria* autem, tanquam capaciora, atque honestiora, equiti, & senatui data, ut *sportella* plebi. Similis locus Calig. c. 18. *panaria cum opsonio virilim dirisit* Torrent. Vide & Festum in verbo *Septimontio.* Romani autem ob inclusum pomœriis septimum collem primum celebravere septimontium.

32. *Intra populoria*] Liber unus *Inter.* Vide quæ notavi Ner. c. 11. & Calig. c. 16. Observandum vero obiter, quod & senatorum loca cuneis distinguebantur. Quod etiam ex Virgilio animadvertere est. 1. Georg.

——Hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatur enim) plebisque patrumque
Corripuit. Torrent

34. *Tesseras*] Quibus varia inscripta erant præmia, ei tradi solita, qui sparsas rapere poterat. In Aug. c. 41.

CAPUT V.

PLURIMA & amplissima [1] opera incendio absumta restituit: in queis & [2] Capitolium, quod rursus arserat: sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria. [3] Novam autem excitavit ædem in Capitolio Custodi Iovi, & [4] *forum* quod nunc *Nervæ* vocatur. Item Flaviæ templum gentis, & stadium, & [5] odeum, & [6] naumachiam: [7] e cujus postea lapide [8] maximus Circus, deustis utrimque lateribus, exstructus est.

NOTA.

1. *Opera*] De his Martialis epig. 4. lib. 9.

Quantum jam superis, Cæsar, cœloque dedisti,
Si repetas, & si creditor esse velis.
Grandis in ætherio licet auctio fiat Olympo
Coganturque Dei vendere quidquid habent,

Et cæt. ubi ædificia illa enumerat poëta.

2. *Capitolium*] Capitolium ter arsisse apud historicos observavimus. semel Scipione & Norbano consulibus per bella civ. Mariana: iterum Vitelliano bello: tertio una cum Vespasiani interitu inflammatum, incensumque est: & tunc a Domitiano refectum fuit magnificentius, elegantiusque, quam antea fuisset; cujus impensam duodecim millia ta-

Digitized by Google

lencorum exceſſiſſe autumat Plutarchus Beroald Noſtræ monetæ foret hæc ſumma juxta computationem c. 4. in Jul. 1300000. lib.

3. *Novam*] Quo loco apud Ædituum, de quo ſupra c. 1. occultatus fuerat. Tacit. 3. hiſtor. *ac potente rerum patre dejecto aditus contubernio modicum ſacellum* Jovi conſervatori, *aramque poſuit, caſuſque ſuos in marmore expreſſit: mox imperium adeptus* Jovi cuſtodi *templum ingens ſeque in ſinu Dei ſacravit.*

4. *Forum quod*] Tranſitorium primo vocatum fuiſſe patet ex ædificiorum illorum enumeratione apud Eutropium, *Roma quoque multa opera fecit, in his Capitolium & forum tranſitorium, odeum, porticus, Iſeum, ſerapeum ac ſtadium.* Ubi hodie ſancti Adriani templum; non omnino abſolutum a Domitiano Spartianus, ni fallor, auctor eſt, unde exeſo & deleto ejus nomine Optimo imperatori Nervæ inſcriptum eſt, cujus poſtea columnas ad extruendum D. Petri templum adhibitas a Conſtant. fuiſſe autumant. Vide Jacobum Laurum in antiquæ urbis ſplendore.

5. *Odeum*] Eſt locus in theatro, atque etiam extra theatrum muſicorum choris, & poëtarum recitationibus ſervions ad imitationem Græcorum. Athenis enim theatri inſtar odeum fuiſſe Pauſanias in Atticis, & Plutarchus in Pericle tradunt. Vide Heſychium in hac voci ᾠδεῖον. Locus, inquit, in quo rapſodorum comiſſiones fiebant, priuſquam theatrum eſſet conſtructum.

6. *Naumachiam*] Locum navali pugnæ accommodatum.

7. *E cujus poſtea*] Dirutum funditus illud ædificium non fuiſſe ex eo probabile videtur, quod Jacobus Laurus nonnulla ejus ſupereſſe veſtigia referat, ex quibus etiam colligatur quantæ fuerit, amplitudinis hæc naumachia, quam ad Tiberim uſque excurriſſe arbitratur.

8. *Maximus Circus*] Erat inter Aventinum, & Palatinum montes, de eo in Aug. tandem ex parte collapſum utpote antiquiſſimum, & jam inde a Romulo deſtinatum, & a Tarquinio Priſco extructum reſtituit & ampliavit Trajanus: de quo multa Plinius in Panegyrico.

CAPUT VI.

EXPEDITIONES partim ſponte ſuſcepit, partim neceſſario. Sponte in Cattos: neceſſario unam in Sarmatas, legione cum Legato ſimul cæſa. In Dacos duas, primam Appio Sabino conſulari oppreſſo: ſecundam, [1] Cornelio Fuſco præfecto cohortium prætorianarum, cui belli ſummam commiſerat. [2] De Cattis Daciſque poſt varia prælia, duplicem triumphum egit. De Sarmatis [3] lauream modo Capitolino Jovi retulit. Bellum civile motum a L. Antonio ſuperioris Germaniæ Præſide confecit abſens, felicitate mira: cum ipſa dimicationis hora reſolutus repente Rhenus, tranſituras ad Antonium copias Barbarorum inhibuiſſet. De qua victoria [4] præſagiis priuſquam nuntiis comperit. Siquidem ipſo, quo decimatum erat, die, ſtatuam ejus Romæ inſignis aquila circumplexa pennis, clangores lætiſſimos edidit: paulloque poſt, occiſum Antonium adeo vulgatum eſt, ut caput quoque ejus apportatum vidiſſe ſe plerique contenderent.

NOTÆ.

1. *Cornelio fuſco*] Juvenal. Sat. 4.

Et qui Vulteribus ſervabat viſcera Dacis
Fuſcus marmorea meditatus prælia villa

Inſigne ejus Epitaphium apud Martial. lib. 6 epig. 76.

Ille ſacri lateris cuſtos, Martiſque togati
Credita cui ſummi caſtra fuere ducis.
Hic ſitus eſt Fuſcus, &c.

Digitized by Google

1. *De Cattis Dacisque*] DACICUM & GERMANICUM cognomina ex devictis gentibus reportasse testis Juvenal.

Cum lance beata
Dacicus, & lato splendet Germanicus auro.

Et tamen nullus nummus exstat, nullum monimentum, in quo Dacici cognomen sit. At GERMANICUS sæpissime in ejus nummis legitur, quod cognomen non habet nisi jam consul decies: sane in XI. & XIV. consulatu nummi habent tropæum cum inscriptione GERMANIA CAPTA Joseph Scaliger.

3. *Lauream*] Quæ minor est triumpho in Nerone c. 13. Idem de Nerva post devictas a Trajano Pannonias Plinius in panegyrico & Plinius alter lib. 15. cap. ultim. de lauro loquens. Fasces, inquit, imperatorum decorat, ex hinc in gremio Jovis Capitolini deponitur, quoties lætitiam nova victoria attulit.

4. *Præsagiis*] Hujus celeritatis, quæ fama prærernotat aliud exemplum in Nerone c. 1 & Plutarc. in Æmilio plura hinc & propter victos Cattos GERMANICUS dici tantopere amavit. Statius

Quæque tuas laurus volueri Germanice cursu
Fama vehit præcessa diem, tardumque sub astris
Arcada, & in medio linquit Thaumantida cœlo.

5. *Occisum Antonium*] Lucius Antonius Saturninus dicebatur, in quem invehitur Martial. lib. 4. epig. 11.

Dum nimium vano tumefactus nomine gaudes
Et Saturninum te pudet esse miser.
&c.

CAPUT VII.

MULTA etiam in communi rerum usu notavit. [1] Sportulas publicas sustulit, revocata cœnarum rectarum consuetudine. Duas Circensibus gregum factiones aurati purpureique panni ad quatuor pristinas addidit. Interdixit histrionibus [2] scenam, intra domum quidem exercendi artem jure concesso. [3] Castrari mares vetuit. Spadonum, qui resi lui apud [4] mangones erant, pretia moderatus est. Ad summam quondam ubertatem vini, frumenti vero inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arva, edixit ne quis in Italia [5] novellaret: utque in provinciis vineta succiderentur, relicta, ubi plurimum, dimidia parte: nec exsequirem [6] perseveravit. Quædam ex maximis officiis inter libertinos equitesque Roman. communicavit. [7] Geminari legionum castra prohibuit: nec plusquam [8] mille nummos a quoquam [9] ad signa deponi: quod L. Antonius apud duarum legionum hiberna, res novas moliens, fiduciam cepisse etiam ex depositorum summa videbatur. [10] Addidit & quartum stipendium militi, aureos ternos.

NOTÆ.

1. *Sportulas publicas*] Sub Nerone (ut Suetonii verbis utar cap. 15.) *publicæ cœnæ ad sportulas redactæ. Publicas* igitur hîc *sportulas* intelligo, quæ loco publicæ cœnæ dabantur. Quas Domitianus sustulit, revocata cœnarum rectarum consuetudine. *Sporta* autem unde *sportula* & *sportella*: Calathi erant viminei, quibus ad rem frumentariam utebantur. Ulpianus l. 3. de penu legata hinc dicta sportulæ quæ pro salutationis officio clientibus erogabantur, sive id opsonii aliquid, sive stipes, aut quadrantes essent, ut facete Martialis lib. 3. epig. 7.

Centum miselli jam valete quadrantes
Anteambulonis congiarium lassi.

Ac sæpe alias & Papinius Silv. libris. Se & Cyprian. epist. 34. *sportulas* vocat quæ Christianorum consuetudine sacerdotibus

Digitized by Google

distribuebantur, &c. Torr.

2. *Scenam*] In Ner. c. 16.

3. *Castrari mares*] Hoc nomine laudatus est ab Ammiano, aliisque, quamvis id in fratris potius, qui exsectos amaverat, contumeliam, quam veræ gloriæ prohibitum diserte habeatur in Dionis epitome. Martialis & Statius suo more hoc edictum multis laudibus extollunt. Vide Martial. epig 60. lib. 2. epig. 2. lib. 6. epig. 7. lib. 9 & l. 27. §. 28. ff. ad legem Aquiliam.

4. *Mangones*] Qui negotiationem servorum exercent. Martial. epig 7. lib. 9.

Nonpuer avari fectus arte mangonis.

5. *Novellaret*] Hoc est, novellas vites pangeret. Virgil. eclog. 3. vers. 11.

Atque mala vites incidere falce novellas

Novellum palinum dicit Columella Inde factum videtur ut ab aliis quoque imperatoribus promiscue concessum non fuerit jus vitis instituendæ ut Vopiscus in Probo innuit cum Gallis omnibus & Hispanis, id permissum notat. Quod prohibitum forte etiam propter seditiones e temulentia ortas, ut de Asiaticis l. 6 in vita Apollonii auctor est Philostratus, qui audito Domitiani de vitibus edicto. *At hic*, inquit, *præclarus imperator, qui mares castrari vetuit, terram Eunuchum fecit.*

6. *Perseveravit*] Legis enim immunitatem pro Asiaticis obtinuit Scopelianus Sophista, qui hac de causa totius Asiæ nomine legationem obierat. Philostratus.

7. *Geminari*] Puto, inquit Casaubonus, geminari castra dici, non ut censent interpretes, cum ex veteri more pro occasione fierent majora & minora: sed cum duæ legiones coëunt in unum locum, & castra una: quod semper experientia docuit esse periculosum, fere enim *secuta exercitus seditio, qui plerumque contemplatus frequentiam suam a disciplina desciscit* ait Velleius verissime: & Dio lib. 49. Ideo seditionem parantes, aquilas, signa, castra jungebant, ut de legionibus Germanicis narrat Tacit. lib. 1. confirmant hanc interpretationem quæ statim sequuntur de occasione legis hujus ferendæ.

8. *Mille nummos*] 43. l. 15. s.

9. *Ad signa deponi*] Morem hunc dilucide exponit Vegetius lib. 2. c. 20. *Divinitus institutum est, cum milites publice sustinerentur annona, ex donativo quod consequebantur, pars dimidia ipsis servaretur, ne inutiliter se absumerent, & depositi memores signa non desererent.*

10. *Addidit & quartum*] Prorsus mendosa lectio, etsi ita habetur in omnibus manuscriptis, sed scribendum *ad aureos ternos*, vel *aureis ternis* ut docuit pridem Lipsius in electis suis, ubi de stipendii militaris modo disputat docte, & acute. Extitit tamen nuper vir eruditus, qui Lipsii sententiam labefactare conaretur, & quidem rationibus non sane levibus, itaque de tota re ad sextum Polibii, Deo propitio, accurate sumus dicturi. Casaub. fuse etiam de hoc loco Salmasius *addidit & quartum*, &c. Hos tres annuos aureos addidit veteri stipendio Domitian. Ac Julii Cæsaris temporibus, qui stipendium duplicaverat, quot annis acceperant novem aureos. Domitianus autem tres addidit aureos, ut duodecim annuos acciperent. Stipendium est hoc loco una annui stipendii pensio; sive quarta pars stipendii annui, sive tres aurei, sive aurei novem erant tria stipendia. Sic hunc locum recte exposuerunt duo viri excellentes Hermannus Rhabodus Schelius, in dissertationibus pulcherrimis, quas addidit Polybio, & Hygino de castrametatione Romanorum cap. 3. de stipendio militari, & J. F. Gronov. lib. 3. de pecunia veteri c. 2. ubi doctissime refutarunt aliorum de hoc loco vexatissimo sententiam, suamque multis certisque rationibus firmarunt. Grævius.

CAPUT VIII.

JUs diligenter & industrie dixit. Plerumque & in foro pro tribunali extra ordinem [1] ambitiosas Centumvirorum sententias rescidit. [2] Recuperatores, ne se persuasoriis [3] assertionibus accommodarent, idem tidem admonuit. [4] Nummarios judices cum suo quemque, consilio notavit. Auctor & tribunis pleb. fuit, [6] ædilem sordidum repetundarum accusandi, judicesque in eum a senatu petendi, Magistratibus quoque ur-

bicis, provinciarumque præsidibus coërcendis, tantum curæ adhibuit, ut neque modestiores umquam, neque justiores exstiterint: e quibus plerosque post illum reos omnium criminum vidimus. Suscepta morum [7] correctione, licentiam theatralem [8] promiscue in equite spectandi inhibuit. [9] Scripta famosa, vulgoque edita, quibus primares viri ac fœminæ notabantur, abolevit non sine auctorum ignominia. Quæstorium virum, quod [10] gesticulandi saltandique studio teneretur, movit senatu. [11] Probrosis fœminis lecticæ usum ademit: [12] jusque capiendi legata hæreditatesque. Equitem Roman. ob reductam in matrimonium uxorem, [13] cui demissæ adulterii crimen intenderat, erasit judicum albo. Quosdam ex utroque ordine [14] lege Scatinia condemnavit. Incesta Vestalium virginum a patre suo quoque & fratre neglecta, varie ac severe coërcuit: priora capitali supplicio, [15] posteriora, [16] more veteri. Nam cum Ocellatis sororibus, item Varonillæ liberum mortis permisisset arbitrium, corruptoresque earum relegasset: mox [17] Corneliam virginem maximam absolutam olim, dehinc longo intervallo [18] repetitam atque convictam, defodi imperavit: stupratoresque virgis in comitio ad necem cædi: [19] excepto prætorio viro: cui dubia etiamnum caussa, & incertis quæstionibus atque tormentis de semet professo, exilium indulsit. Ac ne qua religio Deûm impune contaminaretur, monumentum quod libertus ejus e lapidibus templo Capitolini Jovis destinatis filio construxerat, diruit per milites: [20] ossaque & reliquias, quæ inerant, mari mersit.

NOTÆ.

1 *Ambitiosas*] Hoc est, pro irritis & nullis habuit sententias per ambitionem, seu favorem latas, Ulpianus l. 4 ff. *De decretis ab ordine faciendis* : *Ambitiosa decreta decurionum rescindi debent, sive aliquem debitorum dimiserint, sive largiti sunt.* De censu virîs in Aug. c. 36. & Vesp. c. 10.

2 *Recuperatores*] De his in Ner. c. 17.

3 *Assertionibus*] Assertor vindex est alienæ libertatis. Publice autem licet cuivis eum, qui statu controversiam patitur, manu asserere: Libertas enim publicam tutelam meretur l. 2. ff. ne de statu def. &c. Nec vero potest quisquam, nisi dato assertore de libertate litigare l. 1 cod. Theod. de lib. caus. ne adversus dominum forte consistat, &c. Cujacius lib. 5. sententt. Paul. tit. 1 Idem ad l. 13 ff. de excusationibus *Persuasoriis* & *Terrionibus* si in duobus vetustissimis libris leg., non *Persuasoriis* : Persuasoriæ assertiones dicuntur ter, quaterve dictis caussa repetitæ assertiones in liberalibus caussis. Cujacius olim qui in libertatem vindicabantur, cum servi essent, nec pro se judicio liberali experiri possent, assertorem quærebant. In caussis igitur liberalibus monuit Recuperatores, ne, tam etsi favorabilis libertas est, sequerentur in judicio assertiones vel prece, vel pretio, vel persuasione eblanditas contra jus dominorum: Jurisconsultorum tamen princeps Cujacius *persuasoriis* legendum censet, & ut legit, in antiquissimo libro reperi, puderque dissentire. Turnebus.

4 *Nummarios Judices*] Ii sunt qui pecunia corrupti judicabant, Cicero pro Cluentio numero 75.

Varia judicum genera. nummarii pauci, sed omnes irati : Et 5. Verr. numero 111. *Et quod judicium Roma tam dissolutum, tam perditum, tam nummarium fore putavit?* Et Seneca lib. de benef. c. 9. Quo sensu hîc accipi dubium non est, propter infamiam qua notati sunt: Alio sensu l. ult. ff. *ne de statu def.* &c. *quæstionem nummariam* dixit, nempe, eam ubi agitur de pecunia.

5 *Consilio*] Interpretare consiliarios, qui judicibus assidebant.

Digitized by Google

6 *Ædilem sordidum*] Hoc est, in exercendo munere pecunia corruptum : Sic enim apud Jureconsultos sordidi vel judices, vel etiam tutores dicuntur, qui pecunia corrupti suo non funguntur officio & sordide se gerunt l. 9. §. 3. ff. de receptis, &c. *Sunt & alii qui non coguntur sententiam dicere, ut puta si sordes, aut turpitudo arbitri manifesta sit*, &l. 3. ff. de suspectis tutoribus.

7 *Correctione*] Sic & Tib. c. 42. Quin & consulatum in annos decem & perpetuam sumpsit censuram : Uude Martial. lib. 6. epig. 4.

Censor maxime, principumque princeps.

Contra vero Juven. Sat. 4.

——— *Et tamen alter.*
Si feciſſet idem caderet ſub judice morum.

8 *Promiſcue*] Id est, in equestribus, sive equitum cuneis, ut ego interpretor. Quod qui non intellexere, locum varie corruperunt. Nam & *promiſcua iniquitate* & *promiſcue in æquitate* legitur. Sabellicus vero *promiſcue & inquieti* si Diis placet. Vide Ner. c. 11. Torr. Mart. epig. 8. lib. 5.

Edictum domini, Deique noſtri
Quo ſubſellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit.

9 *Scripta famoſa*] Vide Aug. c. 55.

10 *Geſticulandi*] Quod histrionum est in Ner. c. 42.

11 *Probroſis*] Quas famosas vocat in Tiber. c. 35.

12 *Ius capiendi legata*] Huic legi fraudem fieri conqueritur Juven. Sat. 1.

Cum leno accipiat Mœchi bona, ſi capiendi
Ius nullum uxori.

Lenonem adulteræ maritum vocans cui legabat Mœchus quod uxori legare vetabatur. Torrent.

13 *Cui dimiſſa*] *Lex*, inquit Ulpianus, *Mariti lenocinium coërcet, qui deprehenſam in adulterio uxorem retinuit.* Atque hîc dimiserat quidem, sed cum eam mox reduxisset, videri poterat non dimisisse. Vide l. 29. de adulteriis. Torrent

14 *Lege Scatinia*] In impudicos lata. Vide in Aug. c. 34. & Juven. Sat. 2.

Quod ſi vexantur leges, ac jura citari
Ante omnes debet Scatinia.

Ad quem locum vide Joannem Britannicum. Meminit & Cœlius apud Ciceronem epistola 12. lib. 8. ad famil. Hanc existimat Paulus Manutius a Caio Scatinio tribuno plebis latam in eos qui vel alienam sollicitarent, aut suam prostituerent pudicitiam ; sed ab initio pœna fuit tantum pecuniaria.

15 *Poſteriora*] Incesta Vestalium fratre imperante commissa intelligo ut *priora* intellige quæ prima vice commissa *Poſteriora* quæ sæpius atque iterum.

6 *More veteri*] Festus *probrum virginis Veſtalis ut capite puniretur ; vir, qui eam inceſtaviſſet verberibus necaretur, lex fixa in atrio libertatis cummultis aliis legibus incendio conſumpta eſt ut ait M. Cato in ea oratione, quæ de auguribus inſcribitur. Adjicit quoque virgines veſtales ſacerdotio exauctoratas* quæ incesti damnatæ vivæ defossæ sunt, quod sacra Vestæ matris polluissent, nec tamen licet nocentes, extra urbem obruebantur : sed in campo proxime portam Collinam, qui sceleratus appellatur. Juvenal. Sat. 4.

——— *Minime corruptor & idem*
Inceſtus, cum quo nuper Vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram ſubitura ſacerdos.

17 *Corneliam virg. max.*] *Maximam* cognomen fuisse quidam contendunt unde Plinius lib. 4. epistola 11. ubi sermo de hac ipsa Cornelia *Cum Corneliam Maximillam*, &c. Alii intelligunt de Vestali maxima, quæ aliis præesset, qualis apud nos Abbatissa.

18 *Repetitam*] Dubitat loco citato Plinius. *Donec ad ſupplicium neſcio an innocens, certe tanquam nocens ducta eſt.* Quæ ut immanitatis indicia de Domitiano narrat.

19 *Prætorio viro*] Quem Valerium Licinianum ibidem vocat Plinius. Nocens non fuit, sed confessum quidam suspicati sunt, ut pœnas graviores effugeret.

20 *Oſſaque*] Vide in Aug. ad c. 100.

Digitized by Google

CAPUT IX.

INTER initia usque adeo ab omni cæde abhorrebat, ut absente adhuc patre, recordatus Virgilii versum,

[1] *Impia quam cæsis gens est epulata juvencis:*

edicere destinaverit *Ne boves immolarentur.* Cupiditatis quoque atque avaritiæ vix suspicionem ullam, aut privatus umquam, aut princeps aliquamdiu dedit: immo e diverso magnæ sæpe non abstinentiæ modo: sed etiam liberalitatis experimenta. Omnes [2] circa se largissime prosecutus, nihil prius aut acrius monuit quam ne quid sordide [3] facerent. Relictas sibi hereditates ab iis quibus liberi erant, [4] non recepit. Legatum etiam ex testamento Ruscii Cœpionis, qui caverat *ut quotannis ingredientibus Curiam senatoribus certam summam viritim præstaret heres suus*, irritum fecit. Reos, qui ante quinquennium proximum apud ærarium [5] pependissent, universos discrimine liberavit: nec repeti, nisi intra annum, eaque conditione permisit, ut accusatori, qui caussam [6] non teneret, exsilium pœna esset. [7] Scribas quæstorios negotiantes ex consuetudine, sed contra Clodiam legem, venia in præteritum donavit. [8] Subseciva, quæ divisis per veteranos agris carptim superfuerunt, veteribus possessoribus, ut [9] usucapta concessit. [10] Fiscales calumnias, magna calumniantium pœna repressit: ferebaturque vox ejus: PRINCEPS QUI DELATORES NON CASTIGAT, IRRITAT.

NOTÆ.

1 *Impia quam*] Versus 2. Georg. in fine ad quem Servius ait: *Arati est hoc, qui dicit, quod majores bovem comesse nefas putabant.* Ælianus lib. 5. histor. Animalium auctor est legem Athenis fuisse, qua bovum vetaretur immolatio. Vide & Plin. lib. 8. c. 45.

2 *Circa se*] Eadem loquendi ratio in Calig. c. 27.

3 *Sordide*] Avare, aut sordidi lucri cupiditate.

4 *Non recepit*] Vide in Calig. c. 38.

5 *Pependissent*] Quid sit in Claud. c. 9. sed quia hîc de reis est sermo, intelligendum potius cum Casaub. ex Ranchino jureconsl. de iis quarum nomina ab accusatoribus delata pro more fuerant, apud ærarium inter acta magistratuum, & neque absoluti, neque damnati erant, quod & pendere dicimus.

6 *Non teneret* [Non obtineret scilicet rei damnationem.

7 *Scribas*] Qual. 9 fuerat Vespasiani socer, de quo Vesp. c. 3. Quæ autem lex Clodia ipsos negotiari prohibuisset, ignoratur, nisi eadem illa lex Clodia, de qua in Claud. c. 19.

8 *Subseciva*] Sic ex melioribus codd. Torr. Alii *subsiciva*. Cicero 1. de legibus *subseciva tempora*, quæ veluti subsecisa seu substracta sunt rebus necessariis. Intellige de iis agrorum partibus, quæ divisis illis inter veteranos supererant.

9 *Usucapta*] Nempe per continuam possessionem biennii dominio adquisito ex lege 12. tabul.

10 *Fiscales*] Quibus afficiebantur cives a delatoribus in utilitatem fisci, ut principi faverent.

CAPUT X.

SED NEQUE in clementiæ, neque in abstinentiæ tenore permansit: & tamen aliquanto celerius ad sævitiam descivit, quam ad cupiditatem. Discipulum Paridis pantomimi, [1] impuberem adhuc, tum maxime

maxime ægrum, quod arte formaque non abſimilis magiſtro videbatur, occidit: item Hermogenem Tarſenſem, propter quaſdam in hiſtoria figuras: librariis etiam qui eam deſcripſerant, crucifixis. Patremfamilias, quod [2] *Threcem mirmilloni parem*, [3] *munerario imparem*, dixerat, detractum e ſpectaculis in arenam [4] canibus objecit, cum hoc titulo: IMPIE LOCUTUS [5] PARMULARIUS. Complures ſenatores, in his aliquot conſulares, interemit: ex quibus, [6] Civicam Cerealem in ipſo Aſiæ procouſulatu, [7] Salvidienum Orfitum Acilium Glabrionem exſilio, quaſi molitores novarum rerum. Cæteros leviſſima quemque de cauſſa: [8] Ælium Lamiam, ob ſuſpicioſos quidem verum & veteres & innoxios jocos: quod poſt abductam uxorem laudanti vocem ſuam, [9] *Heu taceo*, dixerat: quodque Tito hortanti ſe ad alterum matrimonium reſponderat, [10] μὴ κ τὸ γαμῆσαι θέλῃς; Salvium Cocceianum, quod Othonis imperatoris patrui ſui diem natalem celebraverat: Metium [11] Pompoſianum, quod habere imperatoriam geneſim vulgo ferebatur: & quod depictum orbem terræ in membranas, concioneſque regum ac ducum ex Tito Livio circumferret: quodque ſervis nomina [12] Magonis & Annibalis indidiſſet. Salluſtium Lucullum Britanniæ legatum, quod lanceas novæ formæ appellari *Luculleas* paſſus eſſet. Junium Ruſticum, quod [13] Pæti Thraſeæ & Helvidii Priſci laudes edidiſſet, appellaſſetque eos *ſanctiſſimos viros*: cujus criminis occaſione [14] Philoſophos omnes urbe Italiaque ſubmovit. Occidit & Helvidium filium, quod quaſi [15] ſcenico exodio ſub perſona [16] Paridis & OEnones divortium ſuum cum uxore taxaſſet. Flavium Sabinum alterum [17] e patruelibus, quod eum comitiorum conſularium die deſtinatum, perperam præco non *Conſulem*, ad populum, ſed *Imperatorem* pronuntiaſſet. Verum aliquanto poſt [18] civilis belli victoriam ſævior, [19] pleroſque partis adverſæ, dudum etiam latentes conſcios, inveſtigato [20] novo quæſtionis genere, diſtorſit: immiſſo per obſcœna igne. Nonnullis & manus amputavit. Satiſque conſtat duos ſolos e notioribus venia donatos, tribunum [21] laticlavium, & centurionem: qui ſe, quo facilius expertes culpæ oſtenderent, [22] impudicos probaverant: & ob id neque ad ducem, nec apud milites ullius momenti eſſe potuiſſe.

NOTÆ.

1. *Impuberem*] Alii legunt *puberem*, male. Senſus enim eſt teneram diſcipuli ætatem non obſtitiſſe, quominus periret in odium magiſtri Paridis, ſcilicet Domitiæ adulteri. De quo ſupra.

2. *Threcem*] Nomina ſunt variarum inter gladiatores factionum; id autem quaſi in ſe oblique dictum interpretatus eſt Domitianus, quod mirmillonibus faveret in odium fratris, qui Threcibus. In Tito c. 8.

3. *Munerario*] Hoc eſt, Domitiano. Munerarius ille eſt, qui vel ſua impenſa ludos edit, vel editis præeſt. Cujus vocabuli auctorem citat Auguſtum Quintilianus lib. 8. c. 3. Qualem Florus lib. 3. c. 20. *munieratorem* appellat de Spartaco loquens. *Quaſi plane expiaturus omne dedecus ſi de gladiatore munerator fuiſſes.* Sed quod amarius eſt ſignificat quoque laniſtam gladiatores ad munera elocantem. Senſus eſt mirmilloni quidem quamvis favore principis adjuto parem eſſe Threcem, at vero ipſi Domi-

Digitized by Google

tiano imparem, quia scilicet jugulandus erat. Hinc impietas, ad quam alludit Plinius in Panegyrico.

Jam quam libera spectantium studia, quam securus favor nemini impietas, ut solebat, objecta: quod odisse gladiatorem nemo spectator spectaculum fictas miseras voluptates unco & ignibus expiavit.

4. *Canibus*] Non in spectaculis modo, sed ne in privatis quidem conviviis tutum favere alii factioni quam principis. Mart. lib. 10. epig 48.

De Prasino conviva meus, Venetoque loquatur;
Nec facient quemquam pocula nostra reum.

5. *Parmularius*] Sic dicebatur, qui Threcibus faveret in Tito c. 8, iis enim gladiatoribus erat parma inter arma. Unde Martial. Apophor epig. 213. adulatorie semper in Domitianum.

Hoc qui sæpe solet vinci, qua vincere raro
Parma tibi, scutum pumilionis erat.

6. *Civicam Cerealem*] Torrent emendat *Civicum Cerialem* ex lapidibus, & veteribus denariis Attamen apud Tacitum in Agricola sub finem *Civica* dicitur.

7. *Silvestrenum*, &c] Orfiti meminit Philostratus, Acilii Dionis compendium, & Juvenal. Sat. 4. Xiph. Glabrionem Christianum fuisse indicat. Consulatum vero gessit cum Ulpio Trajano, imperii Domitiani anno decimo. Legendum etiam aperte *Glabrionem in exilio.* Torrent.

8 *Ælium Lamiam*] Cujus uxorem abduxit c. 1:

9. *Heu taceo*] In Vitterb. & Pithœi codd. & tribus regiis Casaub legit *eutacto* & *intacto*. Quod & per litteras a Scaligero accepisse se ait. Sic autem acutissimus Scaliger. Placet *Eutacto* ut erat in optimo Turonensi codice, vel ἐυπακτῶ, ut in quibusdam Acer, & mordax jocus. οὐκ ἄδω μὲν ἀλλ' ἁπτὸς ᾄδω ἐυπακτῶ. Proverbium etiam inter Gallos jactitatum *Je ne chante point, mais j'accorde.* Nam non potiebatur uxore sua, ut Domitianus: sed stuprum dissimulando, pacem inter se, & uxorem & imperatorem nutriebat. ἐυπακτεῖν cum accusativo satis frequens: & ita semper Georgius Codinus. *Heu taceo* quod vulgo legitur ineptum est, &c. Quibus vocibus existimabat tamen Casaubonus notatam fuisse tyrannidem principis, qui omnia in suo genere pulchra, & excellentia possessori invideret. Unde necessitas incumbebat sua bona dissimulandi, celandique sic esse exponendum cocent illa verba. *Laudabit vocem suam.* Ad quæ parum attendisse interpretes videntur. Similes sententia multæ apud poëtas. Tibullus postquam laudasset puellam suam subjicit.

Nil opus invidia est: procul absit gloria Vulgi:
Qui sapit in tacito gaudeat ille sinu.

Ita Casaub acuti lima quoque mihi videtur Gronovii interpretatio quam vide

10. *μὴ σὺ, &c*] *Numquid & tu vis uxorem ducere?* Jocus ut patet in Domitianum, quasi diceret Tito, an tibi quoque opus est uxore? quam, ut frater tuus, abducas, ubi illam duxero.

11. *Pomposianam*] De quo in Vespas. c. 14. idem dicitur.

12. *Magonis & Annibalis*] Nomina sunt Carthaginensium ducum bellis Punicis celeberrimorum, & nomini Romano infensissimorum. De Torquato Silano idem apud Tacit. ann. 15.

13. *Pati & Thrasea*] De quibus fuse Tacitus.

14. *Philosophos*] Inter quos Epictetus expulsus fuit teste Gellio 15. c. 11 Vide & Philostratum in vita Apollonii lib 7. c. 7. quosdam etiam occisos testatur Xiphilin.

15. *Scenico exodio*] Vide in Tiber. ad cap. 45.

16, *Paridis & Oenones*] Quorum amores satis noti ex Ovidio & aliis.

17. *Epatruelibus*] Qui sunt nempe duorum fratrum filii.

18. *Civilis belli*] Ejus verosimiliter, quod ab Antonio Saturnino motum erat, de quo supra c. 6.

19. *Pleroque*] Implicitam hanc lectionem sic emendat Casaubon. *latentes per conscios investigatos, novo*, &c. ut sit sensus eos, qui latebant per conscios, nempe, qui ejusdem criminis essent participes, investigatos esse, & repertos.

20. *Novo genere*] Quod videtur innuere Juvenal. Sat. 10.

Necat hic ferro secat ille cruentis
Verberibus.

Digitized by Google

21. *Laticlavium*] Vide in Oth. c. 10. & Aug. 38. & 40.

22. *Impudicos*] In Ner. cap. 29. Tacit. lib. 11. Annal. sub finem. *Cæsonius vitiis protectus est tanquam in illo fœdissime cæsa passus muliebria.* Quod nempe ab illis metuendum nihil in bellis civilibus esset, qui hoc se ignaviæ genere fœdavissent.

CAPUT XI.

ERAT autem non solum magnæ, sed & callidæ inopinatæque sævitiæ. [1] Auctorem summarum pridie quam crucifigeret, in cubiculum vocavit: [2] assidere in toro juxta coëgit, securum hilaremque dimisit, [3] partibus etiam de cœna dignatus est. Aretinum Clementem consularem virum, e familiaribus & emissariis suis, capitis condemnaturus, in eadem, vel etiam in majore gratia, habuit, quoad novissime simul gestanti conspecto delatore ejus, *Vis*, inquit, *hunc nequissimum servum cras audiamus?* Et quo contemtius abuteretur patientia hominum, numquam tristiorem sententiam, sine præfatione clementiæ, pronuntiavit: ut non aliud jam certius atrocis exitus signum esset quam principii lenitas. Quosdam majestatis reos in curiam induxerat: & cum prædixisset *experturum se illa die quam charus senatui esset*, facile perfecerat ut etiam [4] more majorum puniendi condemnarentur: deinde atrocitate pœnæ conterritus, ad leniendam invidiam interceſſit, his verbis: neque enim ab re fuerit ipsa cognoscere. *Permittite, Patres conscripti, a pietate vestra impetrari (quod scio me difficulter impetraturum) ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Nam & [5] parcetis oculis vestris, & intelligent me omnes senatui interfuisse.*

NOTÆ.

Auctorem summarum] In Lisæi codice legit Casaub *actorem* qua ratione emendandum contendit Torrent. l. 1. §. ult. ff. *de servo corrupto. is quoque deteriorem facit*, &c. *vel si actori suasit verbis, sive pretio, ut rationes dominicas interciderat, adulteraret, vel etiam ut rationem sibi commissam turbaret. Agentes in rebus* etiam frequenter nominantur in constitutionibus principum In lege 9. cod. *ubi caussa fiscales* &c. agitur de actore rerum privatarum principis. Gallice ille actor summarum dici possit *Contrôleur general.*

2. *Assidere in toro* [In cubiculo non ad discumbendum modo, sed & ad quiescendum torus erat. Magni autem honoris est coram principe sedere.

3. *Partibus*] Quod in more fuit erga illos, quos honore afficiebant principes, ut nempe de cœna quasdam partes ad illos mitterent. Quod & Plinius innuit in panegyrico *Quid enim tam infidum mare, quam blanditiæ principum illorum.* Et Mamertinus in panegyrico ad Julianum *Quis nescit aliorum imperatorum* hilarem dicitatem, cachinnantem sævitiam a quibus ingens crudelitas figmento lætitiæ tegebatur

4. *More majorum*] In Nerone c. 49.

5. *Parcetis oculis*] Tacitus tamen *præcipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videre & adspici.*

CAPUT XII.

EXHAUSTUS operum ac munerum impensis, [1] stipendioque quod adjecerat: tentavit quidem, ad relevandos castrenses sumtus, militum numerum diminuere. Sed cum obnoxium se barbaris per hoc

Digitized by Google

animadverteret: neque eo ſecius in explicādi s oneribus omnibus hæreret: nihil penſi habuit quin prædaretur omni modo Bona vivorum & mortuorum uſquequaque, quolibet & accuſatore & crimine corripiebantur: ſatis erat objici qualecumque [2] factum dictumque adverſum majeſtatem principis. Confiſcabantur alieniſſimæ hereditates: vel exiſtente uno qui diceret, audiſſe ſe ex defuncto cum viveret, *heredem ſibi Cæſarem eſſe*. Præter cæteros Judaïcus fiſcus acerbiſſime actus eſt: ad quem deferebantur qui veluti profeſſi, Judaïcam intra urbem viverent vitam, vel diſſimulata origine impoſita genti tributa non pependiſſent. Interfuiſſe me adoleſcentulum memini, cum a procuratore, frequentiſſimoque concilio inſpiceretur nonagenarius ſenex, an [4] circumſectus eſſet. Ab juventa minime civilis, animi confidens etiam, & tum verbis tum rebus immodicus. [5] Cænidi patris concubinæ ex Iſtria reverſæ, oſculumque, ut aſſueverat, offerenti [6] manum præbuit. [7] Generum fratris indigne ferens [8] albatos & ipſum miniſtros habere, proclamavit, [9] *Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.*

NOTÆ.

1. *Stipendio*] Quod addiderat ſup. c 7.

2. *Factum dictumque*] Libb. Veteres *dictumve*. Torr.

3. *Judaïcus fiſcus*] Sic vocat ea, quacumque ratione non a Judæis modo, ſed & a Chriſtianis exigebantur ut ſuam in urbe religionem profiterentur. Auctor eſt Xiphilinus in Veſpaſiano tributum illud duarum fuiſſe drachmarum: quod ideo Appianus vocat in Syriacis φόρον τῶ σώματος. Hoc eſt tributum corporum.

4. *Circumſectus*] Quem vulgo circumciſum dicimus.

5. *Cœnidi*] De cænide in Veſpaſian. & de oſculo in Tiber c. 34. Iſtri vero populi Italiæ extremi Liburnis finitimi, quorum regio Iſtria, & Hiſtria, Ferrarius.

6. *Manum præbuit*] Summæ indicium ſuperbiæ; cum manum alicujus oſculari magnæ foret reverentiæ. Id autem eo incivilius & arrogantius fuerit Domitiani factum, ſi eo modo formatam intelligas, quo Caligula ſuam Chæreæ porrexit in Cal. c. 56.

7. *Generum fratris*] De quo infra c. 11.

8. *Albatos*] Hoc eſt albis tunicis indutos. Tunicæ autem illæ imperialium miniſtrorum non undique auro ſparſæ, ſed paragaudis, id eſt, loris auratis prætextæ. Vide l. 2. cod. *de veſtibus holoberis*, &c.

9. Οὐκ ἀγαθὸν] Non bonum *eſt* multorum principatus. εἷς κοίρανος ἔστω. Unus princeps eſto. Verſus eſt Homeri 204. Il. β.

CAPUT XIII.

PRINCIPATUM vero adeptus, neque in ſenatu jactare dubitavit, [1] *& patri ſe, & fratri imperium dediſſe: Illos ſibi reddidiſſe*. Neque in reducenda poſt divortium uxore edicere, *revocatam eam in* [2] *pulvinar ſuum*: acclamari etiam in Amphitheatro [3] epulari die libenter audiit: [4] *Domino & Dominæ feliciter*. Sed & Capitolino certamine cunctos ingenti conſenſu precantes ut Palfurium [5] Suram reſtitueret, pulſum olim ſenatu, ac tunc de oratoribus coronatum: nullo reſponſo dignatus, tacere tantummodo juſſit voce præconis. Pari arrogantia cum procuratorum ſuorum nomine [6] formalem dictaret epiſtolam, ſic cœpit: [7] *Dominus & Deus noſter ſic fieri jubet*. Unde inſtitutum poſthac, ut ne ſcripto quidem ac ſermone cujuſquam appellaretur aliter. Statuas ſibi in Capitolio nonniſi aureas & argenteas poni premiſit, ac ponderis cer-

Digitized by Google

ti. [8] Ianos, arcusque cum quadrigis & insignibus triumphorum per regiones urbis, tantos ac tot exstruxit: ut cuidam Græce inscriptum sit arcui [9] ΑΡΚΕΙ. Consulatus XVII. cepit: quod ante eum nemo. Ex quibus septem medios continuavit: omnes autem pene titulo tenus gessit: nec quemquam ultra [10] Kalendas Maii, plures ad [11] Idus usque Ianuarias. Post autem duos triumphos Germanici cognomine assumto, [12] Septembrem mensem & Octobrem, ex appellationibus suis, Germanicum Domitianumque transnominavit: quod altero suscepisset imperium, altero natus esset.

Notæ.

1. *Et patri*] Propter ea quæ cum Sabino patruo fecerat adversus Vitellianos, cum incensum est Capitolium. Ipseque Cæsar consalutatus. Martialis epig. 104 lib. 9.

Asserit possessa malis pallatia regnis:
Prima suo gessit pro Iove bella puer.
Solus Iuleas cum jam retineret habenas,
Tradidit, inque suo tertius orbe fuit.

2. *In pulvinar*] Quasi Deus esset. Diis enim sternebantur pulvinaria; quæ & imperatoribus concessa Juvenal. de Messalina Sat. 6.

——— fumoque lucerna.
Fœda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.

3. *Et ut lari die*] Quo epulum præbuit sup. c. 4.

4. *Domino*] Quam appellationem rejecerat Augustus in Aug. Vide & in Claud. c. 7.

5. *Suram*] Oratorem clarissimum, cujus meminit Mart. epig. 64. lib. 6.

6. *Formalem*] Eam dicunt, qua quid statuitur, & quæ aliis exemplaris loco futura erat in similibus negotiis, aut si ad eosdem sæpius scribendum esset. In cap. 20. infra edicta alieno formabat ingenio.

7. *Dominus & Deus*] Ita Aurelius Victor. Caligulæ instar Dominum sese Deumque dici jussit Domitianus. Unde adulator aut irrisor Martial. lib. 5. epig. 8.

Edictum Domini, Deique nostri

8. *Ianos*] De quibus in Aug. c. 31.

9. *Ἀρκεῖ*] Hoc est, sufficit. Quam vocem judicium secutus Turnebi restituit Casaubonus faventibus Memmii & Liscæi libris, & quibusdam e regiis, in quibus partim *arti*, partim *arci* exaratum.

10. *Calendas Maii*] Hoc est, ultra quator menses. Nam magistratus ineuntur Calendis Januarii.

11. *Idus Ianuarii*] Hoc est, ad diem decimum tertium.

12. *Septembrem*] *Sed ubi infaustum nomen ex omni ære vel saxo eradi placuit, menses quoque usurpatione tirannica potestatis exuti sunt.* Macrob. Martial epig. 2. lib. 9.

Dum Ianus hyemes, Domitianus autumnos
Augustus annis commodabit æstates, &c.

CAPUT XIV.

PER HÆC terribilis cunctis & invisus, tandem oppressus est amicorum libertorumque intimorum conspiratione, [1] simul & uxoris. Annum diemque ultimum vitæ jam pridem suspectum habebat, horam etiam, nec non & genus mortis. Adolescentulo [2] Chaldæi cuncta prædixerant. Pater quoque super cœnam quondam [3] fungis abstinentem palam irriserat, ut ignarum sortis suæ, quod non ferrum potius timreret. Quare pavidus semper atque anxius, minimis etiam suspicionibus præter modum commovebatur, ut edicti de excidendis vineis propositi, [4] gratiam facere non alia magis re compulsus credatur, quam quod sparsi libelli cum his versibus erant.

5 Κλῶ με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅπως ἐπὶ παιπαφορηῶν,

Digitized by Google

Ὅσον ἐπιπλῆσαι Καίσαρα θυμῷ.

Eadem formidine oblatum a senatu [6] novum & excogitatum honorem, quamquam omnium talium appetentissimus, recusavit: quo decretum erat, *ut quoties gereret consulatum, equitum, equites Rom. quibus fors obtigisset* [7] *trabeati, & cum hastis militaribus, præcederent eum, inter lictores apparitoresque.* Tempore quoque suspecti periculi appropinquante, sollicitior in dies, porticum in quibus spatiari consueverat parietes,[8] phengite lapide distinxit: e cujus splendore per imagines quidquid a tergo fieret provideret: nec nisi secreto atque solus [9] pleraque custodias, receptisque in manu catenis, audiebat. Utque domesticis persuaderet, ne bono quidem exemplo audendam esse patroni necem: [10] Epaphroditum a libellis, capitali pœna condemnavit: quod post [11] destitutionem, Nero in adipiscenda morte manu ejus adjutus existimabatur.

NOTÆ.

1. *Simul & uxoris*] Caussam addit Aurelius Victor Paridis amorem.

2. *Chaldæi*] *Constituta est habitatio peculiaris in Babylonia Philosophis indigenis plurimum Astronomiam tractantibus, qui Chaldæi appellantur. Sunt ex iis qui e natalibus hominum eventura iis vaticinari se profiteantur: sed a cæteris non probantur.* Strabo lib. 16. & eod. lib. infra. *Apud Assyrios Chaldæi, apud Romanos Etrusci Haruspices Talis erat Moses, & successores ejus: qui ab initiis non malis, postea degenerarere.* Hinc quod patriæ nomen erat, professionis factum est, & Chaldæi omnes, qui idem profiterentur, appellati.

3 *Fungis abstinentem*] Tanquam cibo mortifero, aut saltem venenis accommodatiori, ut satis persuaserit Claudii exemplum.

4. *Gratiam facere*] Hoc est, immunitatem largiri. In Aug. c. 16. *Conjurandi gratiam fecit.*

5. κἂν μὲ φάγῃς] Latine. *Etsi me comederis ad radicem, tamen adhuc fructum feram, quantum infundi Cæsari immolato sufficiat.*

Hoc Eveni poëtæ distichon ut censet Politianus Miscell. c. 26. inducitur vitis caprum, a quo rodebatur, alloquens, unde patet parodia. Idem ferme Ovid. 1. Fast.

Rode caper vitem, tamen hinc cum stabis ad aras.
In tua quod spargi cornua possit erit.

Vinum enim in victimarum jam immolandarum capita infundebatur. Virgilius.

Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

6. *Novum*] *Novum & inexcogitatum* sic quidem Gryphii editio, sed Frobenii & Mss nostri omnes *novum & excogitatum*, scribendum putarem, *novum tunc excogitatum honorem* vel *novum excogit. hon.* sine copulatione. Torrent

7. *Trabeati*] Trabea fuit chlamys alba purpura prætexta, & insuper clavis aut trabibus e cocco distincta, a quibus *trabea* dicebatur, qua olim usi sunt reges, postea Salii, & equites in transvectione, ut pluribus docet Alb. Rubenius lib 1. de lato clavo c. 5. Vide & Bayfium de re vestiaria c 19. & Martial. epig. 42. lib. 5.

8 *Phengite*] Lapis erat candidus atque translucens a φέγγω, illumino. Repertus nempe in Cappadocia imperante Nerone, ut refert Plinius lib. 36. c. 22.

9 *Pleraque custodias*] Custodia pro reo sumitur. Seneca epist. 70. *Cum adveheretur nuper inter custodias ad maximum spectaculum.* Et epist. 77. *Unus de custodiarum agmine.* l. 1, de custodia & exhibitione reorum, *De custodia reorum proconsul æstimare solet, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fidejussoribus committenda, vel etiam sibi,* &c.

10. *Epaphroditum*] In Nerone cap. 49.

11. *Destitutionem*] In Neron. c. 40. *Talem principem terrarum orbis tandem destituit.*

Digitized by Google

CAPUT XV.

DENIQUE [1] Flavium Clementem patruelem ſuum contemtiſſimæ [2] inertiæ, cujus filios etiamnum parvulos ſucceſſores palam deſtinaverat: & abolito priore nomine, alterum *Veſpaſianum* appellari juſſerat, alterum *Domitianũ*: repente ex tenuiſſima ſuſpicione tantum non ipſo ejus conſulatu interemit. Quo maxime facto maturavit ſibi exitium. Continuis octo menſibus [3] tot fulgura facta nuntiataque ſunt: ut exclamaverit, *Feriat jam quem volet.* Tactum de cœlo Capitolium, templumque Flaviæ gentis: item domus Palatina & cubiculum ipſius: atque etiam e baſi ſtatuæ triumphalis titulus excuſſus vi procellæ in monumentum proximum decidit. [4] Arbor quæ privato adhuc Veſpaſiano eversa ſurrexerat tunc rurſus repente corruit. [5] Præneſtina Fortuna, toto imperii ſpatio annum novum commendanti, lætam eandemque ſemper ſortem dare aſſueta, extremo triſtiſſimam reddidit: nec ſine ſanguinis mentione. [6] Minervam, quam ſuperſtitioſe colebat, ſomniavit excedere ſacrario: negantem ultra ſe tueri eum poſſe, quod [7] exarmata eſſet a Iove. Nulla tamen re perinde commotus eſt quam reſponſo caſuque Aſcletarionis mathematici. Hunc delatum, nec inficiantem jactaſſe ſe quæ providiſſet ex arte, ſciſcitatus eſt quis ipſum maneret exitus: & affirmantem *fore ut brevi laceraretur a canibus*, interfici quidem ſine mora, ſed ad coarguendam temeritatem artis, ſepeliri quoque accuratiſſime imperavit. Quod cum fieret, evenit ut repentina tempeſtate dejecto funere ſemiuſtum cadaver diſcerperent canes: idque ei cœnanti [8] a mimo Latino, qui præteriens forte animadverterat, inter cæteras diei fabulas [9] referretur.

NOTÆ.

1. *Flavium*] Fratrem Flavii Sabini, de quo c. 10. Illi ſororem Domitiani nupſiſſe teſtatur in Apollonii vita Philoſtratus lib. 8.

2. *Inertiæ*] Cum hunc contemtiſſimæ inertiæ hominem vocat Sueton. Eo ipſo Chriſtianum fuiſſe demonſtrat. De quo injuriæ in Chriſtianos tutulo, quod inertes, & inutiles atque infructuoſi dicerentur Tertull. Apolog. c. 42. Vide inf. c. 17. Torr.

3. *Tot fulgura*] Pro fulminibus hic accipi affirmat Schildius ex A. Manutio. Unde apud Nonium *fulguritum* pro fulgure ictum & *fulgurire* pro fulgur jacere. Sed quidni pro fulguribus ſimpliciter accipi perſuadeant verba ſequentia *feriat jam quem volet.*

4. *Arbor*] Cupreſſus, de qua in Veſpaſian. c. 5.

5. *Præneſtina*] Ad cap. 63. in Tiber.

6. *Minervam*] Ita oportuit, inquit Caſaub. matrem coli a filio. Præter alios teſtatur Philoſtratus lib. 7. quendam periiſſe commemorans, quod dum ſacrificaret, in publicis precibus non addidiſſet, quod Domitianus eſſet filius Minervæ.

7. *Exarmata*] Id eſt armis exuta, quibus eum hactenus defendiſſet.

8. *Mimo Latino*] Quem Domitiano mire placuiſſe conſtat adhuc ex Mart. epig. 5. lib. 1. & epig. 29. lib. 9.

9. *Referretur*] Melius ex veteri codice *referebatur*. Torrent. contra cenſet Caſaub. ſcribendum *referretur*, repetendum enim *evenit* nempe ut *referretur*.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

PRIDIE quam periret, cum [1] oblatos tuberes servari jussisset in crastinum: adjecit: *Si modo uti licuerit.* Et conversus ad proximos, affirmavit *fore ut sequenti die,* [2] *Luna se in Aquario cruentaret, factumque aliquod existere, de quo loquerentur homines per terrarum orbem.* Ac circa mediam noctem ita est [3] exterritus, ut de strato prosiliret. Dehinc mane haruspicem ex Germania missum qui consultus de fulgure mutationem rerum prædixerat, audiit [4] condemnavitque. Ac dum exulceratam in fronte verrucam vehementius scalpit, profluente sanguine, *Utinam,* inquit, *hactenus.* Tunc horas requirenti, pro quinta, quam metuebat, [5] Sexta ex industria nuntiata est. His velut transacto jam periculo lætum, festinantemque ad corporis curam, [6] Parthenius cubiculo præpositus convertit: nuntians esse qui magnum nescio quid afferret, nec differendum. Itaque summotis omnibus, in cubiculum se recepit, atque ibi occisus est.

Notæ.

1. *Oblatos tuberes*] *Tuberes* non terræ callus, ut tubera, sed arboris fructus sunt, prima syllaba correpta Plin lib 15. c. 14. Columella lib. 11. c 2. Mart lib. 13. epig. 42 Torrent. Tubera vero sunt genus fungorum. Vide & epig. 43 eod

2. *Luna*] In aquario signo Zodiaci cum Luna esset, periturum se præ derat, aut dicerat: unde quia humidum est signum, Lunam in eo cruentatum iri ideo dixit, quia non aqua, sed sanguis effunderetur.

3. *Exterritus*] Tunc forte cum somniavit Junium Rusticum, quem occiderat, stricto ad se gladio venire ex Xiphilino. Torrent.

4. *Condemnavitque*] Sed supplicio dilato, ut post fugam periculi tanto alacriori imperatori pœnas daret, servatus est: moxque a Nerva prœmium loco pœnæ retulit. Dio. Casaub.

5. *Sexta*] Cæsum circa meridiem ait Philostratus. Casaub.

6. *Parthenius*] De quo Martial. epig. 45. lib. 6. epig. 4. lib. 5. & passim.

CAPUT XVII.

DE insidiarum cædisque genere, hæc fere divulgata sunt. Cum tribus conspiratis quando & quomodo, id est, lavantemne an cœnantem aggrederentur: Stephanus [1] Domitillæ [2] procurator, & tunc interceptarum pecuniarum reus, consilium operamque obtulit. Ac sinisteriore brachio velut ægro, lanis fasciisque per aliquot dies ad avertendam suspicionem obvoluto, [4] ad ipsam horam dolum interjecit: professusque conspirationis indicium, & ob hoc admissus, legenti traditum a se libellum, & attonito, suffodit inguina. Saucium ac repugnantem adorti Clodianus [6] cornicularius, & Maximus Parthenii libertus, & Saturius [7] decurio cubiculariorum, & quidam e gladiatorio ludo, vulneribus septem contrucidaverunt. Puer, qui curæ Larium cubiculi ex consuetudine assistens, interfuit cædi, hoc amplius narrabat, jussum se a Domitiano ad primum statim vulnus pugionem pulvino subditum porrigere, ac ministros vocare: neque ad caput quidquam, [8] excepto capulo, & præterea

Digitized by Google

terea omnia clausa reperisse: atque illum interim correpto deductoque ad terram Stephano, [9] colluctatum diu, modo ferrum extorquere, modo, quamquam laniatis digitis, oculos effodere conatum. Occisus est XIV. Calend. Octobris anno ætatis XLV. imperii XV. Cadaver ejus po- A. V. C.
5 pulari [10] sandapila per [11] vespillones exportatum, Phyllis nutrix in sub- DCCCXLIX.
urbano suo Latina via funeravit: sed reliquias templo Flaviæ gentis clam intulit, cineribusque Iuliæ Titi filiæ, quam & ipsa educaverat, commiscuit.

NOTÆ.

1. *Domitilla*] Domitillam hanc esse puto, quam Flavius Clemens (si Dionis compendio credimus) uxorem duxerit, quos ambos Domitianus illato impietatis crimine occiderat. At Eusebius Flaviam Domitillam Flavii Clementis ex sorore neptem facit, & quod Christiana esset, in insulam Pontiam relegatam scribit. Sunt qui Clementem Pontificem huic genti ascribant. Torr. De qua S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ.

2. *Procurator*] Qui res ejus curaret, ac tum ob fraudem interceptæ, ut ait Victor, pecuniæ supplicium expectaret.

3. *Lanis*] Ex more ægrotantium Martial. epig. 92. lib. 12.

Quod lana caput alligas, Charine.

Vide l. 70. §. 7. ff de legatis. 3. Philostratus aliter hanc historiam narrat. Nempe ait dextrum brachium non vero sinistrum fuisse lanis involutum.

4. *Ad ipsam horam*] Ita dictum *ad horam* ut *ad præsens* sic *ad horam consistere* orator Quinctiliano dicitur, qui ex tempore dicere cogitur, & statim causam agere, &c. Salmasius.

5. *Dolum*] Dolum hunc vulgo intelligunt fictæ illius conspirationis indicium. Salmasius tamen ex Jacobo Ferrario, teste, ut ait, Petro Fabro 3. Semestrium scribit *dolonem*, hoc est, pugionem, sive sicam, de qua in Claudio cap. 13. lanis immiscuit, & condidit. Acute saltem si non vere.

6. *Cornicularius*] Sigonius de jure provinciarum lib. 2. c. 2. paullo ante finem diserte affirmat traditum a nemine fuisse, quis esset *Cornicularius*, & ex Valer. lib. 6. c. 1. ac Frontin. lib. 3. tribuni militaris ministrum fuisse existimat. Vuolfgangus Lazius in commentariis Reip. Romanæ lib. 4. c. 12. duplicis generis cornicularios fuisse dicit, alios quasi quosdam centuriones, qui alteri cohortium corniculo præessent: quemadmodum enim totius acici cornu, ita in cohortibus imminuta voce corniculum dicitur ea pars cohortis, quæ idem præstet, quod in toto exercitu cornu. Quod & Turnebus lib. 5. adverss. c. 10. secundum genus emeritos fuisse milites dicit, armillis, corniculisque virtutis insignibus donatos; exemplum est apud Livium lib. 10. & Sueton. lib. de illust. Grammat. hinc forte in militia nostra *Cornette*.

7. *Decurio cubiculariorum*] Ad militiæ similitudinem decurio dicebatur, qui parti cubiculariorum præerat, qui vero omnibus, cubiculo præpositus, ut Parthenius, de quo c 15.

8. *Excepto capulo*] Nihil quidquam invenit præter capulum pugionis.

9. *Colluctatum*] Notat Philostratus lib. 8. robusto corpore fuisse Domitianum, atque sic colluctantem aureo calice Stephani faciem perfudisse, Pallada interim ut sibi suppetias ferret invocantem: sed quod mirere magis tradit Xiphilinus, & Philostratus loco citato cædem tyranni innotuisse Apollonio, cum tamen Ephesi esset.

10. *Sandapila*] Arca lignea, qua tenuiores efferebantur.

11. *Vespillones*] *Vespa, & Vespiliones dicuntur, qui funerandis corporibus officium gerunt, non a minutis illis volucribus, sed quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt.* Festus.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

STATURA fuit procera,[1] vultu modesto, ruboriſque pleno, grandibus oculis, verum acie hebetiore: præterea pulcher ac decens, maxime in juventa, & quidem toto corpore, exceptis pedibus, quorum digitos reſtrictiores habebat: poſtea calvitie quoque deformis, & obeſitate ventris, & crurum[2] gracilitate: quæ tamen ei valitudine longa remacruerant. Commendari ſe verecundia oris adeo ſentiebat, ut apud ſenatum ſic quondam jactaverit, *Vſque adhuc certe animum meum probaſti, & vultum.*[3] Calvitio ita offendebatur, ut in contumeliam ſuam traheret, ſi cui alii joco vel jurgio objectaretur: quamvis libello, quem *De cura capillorum* ad amicum edidit, hoc etiam illum ſimul ſeque conſolans inſeruerit,

4. Οὐχ ὅδε οἵ τε καὶ ἀμφὶ καλὸς τε μέγας τε.

eadem me tamen manent capillorum fata & forti animo fero comam in adoleſcentia a ſeneſcentem. 5 *Scias nec gratius quidquam decore, nec brevius.*

NOTÆ.

1. *Vultu modeſto*] Non re vera, ſed qui modeſtiæ præ ſe ferret imaginem, ut ait Tacit. & Plin. in panegyr. unde & ipſe Sueton. c. 2. ſupra. *Simulavit & ipſe mire modeſtiam.*

2. *Gracilitate*] Legendum *gravitate* ex quibuſdam veteris libri veſtigiis cenſet Pulmannus. Et forte melius cohæreat cum ſequenti verbo *remacruerant*, hoc eſt macilenta facta erant.

3. *Calvitio*] Ob id eum Juvenal. & Auſon calvum Neronem vocant. Torrent.

4. Οὐχ ὅδε οἵ τε καὶ] *Nonne vides qualis & ego pulcherque magnuſque.* Verſus eſt Iliad. φ.

5. *Scias*] Idem de coma ſeneſcente expreſſit Petronius.

Quod ſolum forma decus eſt, cecidere capilli
Vernanteſque comas triſtis abegit hyems
&c.

CAPUT XIX.

LABORIS impatiens,[1] per urbem pedibus non temere ambulavit: in expeditione & agmine, equo rarius,[2] lectica aſſidue vectus eſt. Armorum nullo,[3] ſagittarum vel præcipuo ſtudio tenebatur. Centenas varii generis feras ſæpe in Albano ſeceſſu conficientem ſpectavere plerique: atque ex induſtria ita quandam capita figentem, ut duobus ictibus quaſi cornua effingeret. Nonnumquam in pueri procul ſtantis, præbentiſque[4] pro ſcopulo[5] diſpanſam dextræ manus palmam, ſagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum inrocue evaderent.

Digitized by Google

Notæ.

1. *Per urbem*] Plin. Panegyr. ad factum magis referre videtur, quod non temere pedibus ambularet. *Ante te principes fastidio nostri, & quodam æqualitatis metu usum pedum amiserant; illos humeri, cervicesque servorum super ora nostra vehebant.* Torrent.

2. *Lectica*] Unde Juvenal Sat. 3.

——*Turba cedente vehetur*
Dives, & ingenti curret super ora Liburno.

3. *Sagittarum*] Patet etiam ex eo, quod de musculis supra. Arma vero distinguit hîc a sagittis, quia nempe jaculandi peritiam simpliciter intelligit. Idem Ovid.

Sunt illis celeresque pila, jaculumque trochique
Armaque, & in gyros ire coactus eques.

4. *Pro scopulo*] Ursinus profert ex suis codicibus *scopo*, sane rectius, inquit Casaub.

5. *Dispansam*] In suis manuscriptis Torrent. *expansam* & dispassam Aurelius Victor. Sagittarum tam doctus fuit, ut inter patentes digitos extentæ manus viri procul posiți, spicula transvolarent.

CAPUT XX.

LIBERALIA studia in initio imperii neglexit, quamquam bibliothecas incendio absumtas impensissime reparare curasset, exemplaribus undique petitis: [1] missisque Alexandriam, qui describerent emendarentque. Numquam tamen aut historiæ [2] carminibusve cognoscendis operam ullam, aut stylo vel necessario dedit. Præter [3] commentarios & acta Tiberii Cæsaris nihil lectitabat: epistolas, orationesque & [4] edicta alieno formabat ingenio. Sermonis tamen nec inelegantis: dictorum interdum etiam notabilium, *Vellem*, inquit, *tam formosus esse quam Metius sibi videtur.* Et cujusdam caput varietate capilli subrutilum, & [5] incanum [6] *perfusam nivem mulso* dixit. *Conditionem principum miserrimam* ajebat: *quibus de conjuratione comperta non crederetur, nisi occisis.*

Notæ.

1. *Missisque Alexandriam*] Ubi comparata fuerat a Ptolomæis ac maxime Philadelpho celeberrima illa bibliotheca, quam bello Alexandrino combustam tradit Plutarchus; sed vel libros alios ab eo tempore comparatos ex hoc Suetonii loco colligas, aut totam non arsisse verosimillime ex Sen. lib. de tranquill. cap. 9. ubi quadringenta combusta fuisse librorum millia dicit; tamen septingenta ferme fuisse affirmat Gellius lib. 6. cap. ultimo.

2. *Carminibusque*] Vide tamen cap. 3. in Tito, & cap. 2. supra. Imo & poëticæ deditum Domitianum prædicat Martialis lib. 8 epig ultimo.

Posse Deum rebus pariter, Musisque vacare
Scimus, & hæc etiam serta placere tibi.
Fer Vates Auguste tuos; nos gloria dulcis,
Nos tua cura prior, deliciæque sumus.

3. *Commentarios*] An quos Tiberius ipse scripserat, de quibus in Tiber. cap. 61. an quos alii de illius vita scripserant?

Digitized by Google

4. *Edicta alieno*] Hinc verosimiliter *formales epistola* vim postea legis habituræ, de quibus supra c. 15. Torrentii Mss. omnes pro *alieno* habent *Alpheno* & *Alfeno*. Quod & de optimis membranis testatur Casaubonus; unde conjiciunt id forte nominis fuisse liberti cujusdam aut servi ab epistolis.

5. *Incanum*] Hoc est, canis capillis respersum. Virgil.

——*Nojco crines, incanaque menta.*

6. *Perfusam nivem*] Mulsum vinum erat melle conditum, Justinianus Inst. de divisione rerum &c. §. 15. *Vel ex alieno vino & melle mulsum miscuerit*, &c. Ac proinde colorem illum subrutilum nonnihil efficiens. Martial lib. 14. epig. 127.

Hæc tibi turbato Cæcubus sima similima mulso.

CAPUT XXI.

QUOTIES otium esset, alea se oblectabat, etiam [1] profectis diebus matutinisque horis: ac lavabat de die, [2] prandebatque ad satietatem: ut non temere super cœnam præter [3] Matianum malum, & modicam [4] im ampulla potiunculam, sumeret. Convivabatur frequenter ac large, sed pene [5] raptim: certe non ultra Solis occasum, nec ut postea [6] comissaretur. Nam ad horam somni nihil aliud quam [7] secreto solus deambulabat.

NOTÆ.

1. *Profectis*] Eadem ferme in Augusto c. 71.

2. *Prandebat*] Contra morem Parce enim ac sobrie prandebant veteres in Aug. c. 78.

3. *Matianum malum*] AC Matio primum excultum, de quo Plin. lib. 15. c. 14. & Columell. lib. 5. c. 10. Atque etiam inter alia malorum genera meminit illius Macrob. lib. 3. c. 19.

4. *Ampulla*] Vas erat ventrosum oris angusti, cujus frequens in balneis usus, in eo nempe oleum servabatur, unde *ampullæ olearia* apud Apuleium in Floridis. Erant & potoriæ ampullæ, ut patet etiam ex Martial. epig. 110. lib. 14. cujus lemma *ampulla potoria*. Vide & Plinium lib. 3. c. 3.

5. *Raptim*] Quod & amarissime carpit Plinius in paneg. dum objicit Domitianum convivis imminere solitum jejunis & inanibus, plenum & eructantem, &c.

6. *Comissaretur*] Scribendum *comessaretur* contendit Torrent.

7. *Secreto solus*] Quod ad clandestinam ganeam, occultumque luxum se referret teste Plinio. Ibid.

CAPUT XXII.

LIBIDINIS nimiæ assiduitatem concubitus velut exercitationis genus, clinopalen vocabat. Estque fama, quasi concubinas ipse [1] divelleret, nataretque inter vulgatissimas meretrices. [2] Fratris filiam adhuc virginem oblatam in matrimonium sibi, cum devinctus Domitiæ nuptiis pertinacissime recusasset, non multo post alii collocatam, ultro corripuit & quidem vivo etiam tum Tito: mox patre ac viro orbatam, ardentissime palamque dilexit: ut etiam causa mortis exstiterit, coactæ conceptum a se [3] abigere.

Digitized by Google

NOTÆ.

1. *Divelleret*] Legunt alii *develleret* notum quid sit vellere.

2. *Fratris filiam*] Juliam scilicet quam Flavio Sabino, de quo supra c. 10. nupsisse refert Philostratus in vita Apollonii. Suetonius quidem supra c. 12. generum Titi commemorat, sed non addit nomen.

3. *Abigere*] Quod factum insectatur Juvenal. Sat. 2.

Cum tot abortivis fœcundam Iulia vulvam
Solveret, & patruo similes effunderet offas.

CAPUT XXIII.

OCCISUM eum, populus indifferenter, [1] miles gravissime tulit statimque eum *Divum* appellare conatus: paratus & ulcisci, nisi duces defuissent, quod quidem paullo post fecit, expostulatis ad pœnam pertinacissime cædis auctoribus. Contra [2] senatus adeo lætatus est, ut repleta certatim curia non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceraret: [3] scalas etiam inferri, clypeosque & imagines ejus coram detrahi, & ibidem solo affligi juberet: novissime [4] eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret. Ante paucos quam occideretur menses, [5] cornix in Capitolio elocuta est, [6] ἐγὼ πάλιν κελῶ. Nec defuit qui ostentum sic interpretaretur:

Nuper Tarpeio quæ sedit culmine cornix,
[7] Est bene, *non potuit dicere; dixit*, Erit.

Ipsum etiam Domitianum ferunt somniasse, gibbam sibi pone cervicem auream enatam: pro certoque habuisse, beatiorem post se lætioremque portendi statum Reipublicæ. Sicut sane brevi evenit, abstinentia & moderatione [8] insequentium principum.

NOTÆ.

1. *Miles gravissime*] Propter aucta stipendia c. 7. supra.

2. *Senatus*] Quippe qui quotidie ad necem destinaretur, populus contra tulit indifferenter, quod in eum tyrannus præcipue non sæviret.

3. *Scalas etiam inferri*] Legendum *calis* suspicatur Casaub. ut intelligantur scalæ Gemoniæ, in quas trahebantur damnatorum corpora. Sed hæc non videtur fuisse mens Suetonii, cum a nutrice in suburbano funeratum dixerit. Et certe scalis opus fuit, ad detrahendos clypeos, & imagines dedicatas, quæ appendebantur in loco sublimiori.

4. *Eradendos titulos*] Multa nunc quoque marmora Romæ, in quibus erasum Domitiani nomen.

5. *Cornix*] Scribit Plinius Cornicem equiti Romano fuisse quæ plura verba

Digitized by Google

Græca exprimeret, atque alia crebro addiſceret. Ac lib. 10. avem eandem inauſpicatæ garrulitatis eſſe.

6. ἔ̓ϛω] Omnia erunt bene.

7. *Eſt bene*] Nec enim vivente Domitiano fauſtum quidquam eſſe potuit, ſed eodem mortuo omnia læta erant futura.

8. *Inſequentium*] Nervæ, Trajani, & forte etiam Adriani, cui ab epiſtolis fuit Suetonius.

Digitized by Google

C. SVETONII TRANQVILLI

LIBRI DVO,

DE ILLVSTRIBVS

GRAMMATICIS,

ET

DE CLARIS

RHETORIBUS.

Cum annotationibus doctissimorum virorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

C. SVETONII TRANQVILLI DE ILLVSTRIBVS GRAMMATICIS LIBER.

CAPUT I.

GRAMMATICA olim Romæ ne infusa quidem, nedum in honore ullo erat: rudi scilicet ac bellicosa etiam tum civitate, necdum magnopere liberalibus disciplinis vacante. Initium quoque ejus mediocre extitit: siquidem antiquissimi doctorum, qui iidem & poëtæ & oratores semigræci erant (Livium & Ennium dico, quos utraque lingua domi forisque docuisse adnotum est) nihil amplius quam Græce interpretabantur, ac si quid Latine ipsi composuissent, prælegebant. Nam quod nonnulli tradunt, duos libros *de literis syllabisque*, item *De metris*, ab eodem Ennio editos, jure arguit Lucius Cotta, non poëtæ, sed posterioris Ennii esse, cujus etiam de augurandi disciplina volumina feruntur.

NOTÆ.

Grammatica] In libros, qui sequuntur, notis integris Achillis Statii, Casauboni, & aliorum, quibus editionem suam, additis quoque animadversionibus suis orbi eruditissimus Joan. Georg. Grævius hanc quoque locupletandam operæ pretium existimavi. Ne tamen instituto operi aliquid deesse videretur, locorum difficilium, Græcarum dictionum quæ in textu & in notis passim occurrunt, maxime vero versuum, quos refert Suetonius, interpretationem pro more solito adjunxi.

Digitized by Google

ACHILL. STAT.

De inlustribus Grammaticis] Hunc, & qui sequitur libellus, excerpta puto e Suetonii libro de viris inlustribus. quod imitatio Divi Hieronymi facile declarat. verba illius in epistola ad Desiderium sunt, *Scripsi librum de inlustribus viris, ab Apostolis usque ad nostram aetatem, imitatus Tranquillum, Gracumque Apollonium.* Ac liber quidem Hieronymi de Apostolis doctisque viris fuit, ut Suetonii librum ejusdem argumenti atque sententiæ fuisse necesse sit. Ut autem excerpta existimem, facit id quod adducitur ejusdem Suetonii in libro de viris inlustribus, de Plinio. Verba Suetonii sunt, *Dum idem Plinius legiones in Siciliam duceret, eruptione favillarum ab Ætna eructantium praefocatus interiit, anno vitæ suæ* LVI. Non ergo de his tantum grammaticis atque rhetoribus qui nominantur, sed de Plinio quoque, cæterisque, librum conscripserat. Itaque *inlustres* viros, doctos & in doctrinæ studiis excellentes vocabant.

Siquidem antiquissimi doctorum quidem & poeta & oratores semigraci erant.] Legendum videtur, *doctorum quidam.*

Livium & Ennium dico, quos utraque lingua domi. foriſque docuisse adnotum est.] Docuisse fabulas scilicet. nam si nihil amplius quam Græce interpretabantur, Latine alios profecto non docebant.

Adnotum:] ut adprime, adfabre. loquitur eodem modo Corn. Tac. in v, *Fortuna quidem mea fortasse minus expedias adnoscere crimen, quam abnuere.*

Ac si quid Latine ipsi composuissent, prælegebant. In veteri impresso, *praallegebant.* legendum fortasse, *pra aliis legebant.* Sed legendum potius, *pralegebant.* nam diphthongi vocales separatæ; scriptæ fuerunt ordine præposteto.

CASAUBONUS.

Duo isti libelli, pars dumtaxat sunt, aut fortasse etiam particula, operis majoris a Suetonio quondam editi. Satis hoc vel ex eo potest constare, quod non solum grammaticos, & rhetores, sed etiam poëtas illustres ab eo fuisse descriptos, res ipsa arguit. Nam & Horatii & Lucani vitæ quæ hodieque extant, Suetonium in antiquis libris præferunt auctorem: & stilus ipse, concinna quadam brevitate insignis, item illa accurata inquisitio rerum ad πλυμαθίαν & eruditionis copiam spectantium etiam mediocriter versatis in lectione hujus eruditissimi scriptoris, fidem ejus abunde fecerint. Terentii quoque vita, initio Προλεγομένων in eum poetam descripta, sicut observavit, & monuit vere in suis ad Eusebium Notis illustrissimus Scaliger, hujus est scriptoris. Traaquillo enim dubio procul adscribi debent, quæcunque in fronte illorum Prolegomenon leguntur, usque ad ista verba, HÆC SUETONIUS TRANQUILLUS. Quin & Persii vitam, initio veterum Scholiorum positam, fallor, aut alius nemo præter hunc composuit. Habemus igitur operis Suetoniani tres partes distinctas, de grammaticis, de rhetoribus, de poëtis. Quemadmodum autem prius quam professores grammatices aut rhetorices enumeret, artium illarum originem apud Romanos & incrementa videmus illum exposuisse: ita etiam poëticæ ortum, & prima illius studia, quæque eodem pertinent, omnia executus erat Suetonius antequam poëtas ipsos in ordinem digereret. id enim nonnulla quæ hodieque supersunt fragmenta indicant; imprimis autem illud egregium, quod e libro VIII Isidori inter cætera descripsimus. Præter hasce tres, videntur & aliæ corporis ejusdem fuisse partes. Nam Plinii quoque vitam a Tranquillo fuisse compositam, postea ostendemus, quem non putamus in ullo ordine e tribus superioribus fuisse collocatum, etsi non negamus omnibus illis facultatibus fuisse ipsum præditum. Fuere qui existimarent, non solum de viris literatis egisse isto opere Tranquillum; sed in universum de omnibus aut plerisque omnibus Romanis aliqua insigni laude illustribus. Primus, quod sciam, auctor hujus opinionis extitit Alexander Minutianus: qui ante centum & octo annos sub titulo SUETONII DE VIRIS ILLUSTRIBUS & hos duos libellos Mediolani publicavit, & una cum istis librum integrum Sexti Aurelii Victoris, quo priscos Romæ sive Reges, sive duces enumeravit. Tam absurda sententia, quam ipsius auctor, qui ejus patrocinium suscepit, ne similitudine quidem aliqua veri potuit firmare, invenit tamen quibus placeret. nam Minutia-

Digitized by Google

ni editio aliis quoque locis postea est repetita. Porro licet non ignoremus & apud Græcos & apud Romanos plures fuisse, qui similis argumenti libros a se compositos, ΠΕΡΙ ΑΝΔΡΩΝ ΕΝΔΟΞΩΝ & DE VIRIS ILLUSTRIBUS inscriberent, ut Cornelium Nepotem, Plutarchum & alios nostros tamen existimamus, operis hujus Suetoniani indicem minus laxe conceptum fuisse, hoc aut simili modo: DE VIRIS IN LITERIS ILLUSTRIBUS non obscure præit nobis ad hanc sententiam B. Hieronymus; qui Suetonium enumerasse scribit, non simpliciter *viros illustres* Romanorum: sed *literarum viros illustres*. Est vero dolendum priorum sæculorum homines, ea fuisse rerum cognitu dignissimarum incuriositate, ut tam eruditum scriptum posteris conservare neglexerint: nisi quod haud ratione caret, ut qui meliores literas penitus & ignorarent & contemtui haberent eorum quoque memoriam vellent extinctam, qui bene de literis merendo nomen & famam sibi peperarant. Inde est, quod quum librorum octo de Cæsaribus passim in omnibus bibliothecis scripta manu exemplaria reperiantur, horum tamen libellorum ne vestigium quidem ullum in librariis vel locupletissimis apparet. Nos in Regia nusquam illos offendimus. Unum exemplar Senator amplissimus Paulus Petavius exhibuit. alterum olim habuit v. cl. & præstantissimus Petrus Pithœus; unde excerptas διαφόρους γραφὰς, hoc est, *diversas lectiones*, optimus virorum Jacobus Bongarsius, ὁ πάνυ i. e. longe præstantissimus nobiscum communicavit. Multa in iis notata quæ ex aliis libris protulerunt in lucem Achilles Statius & Elias Vinetus, viri doctissimi, & de his libellis præclare meriti: nos pauca attingemus illis intacta.

DE ILLUSTRIBUS GRAMMATICIS] Mediol. DE CLARIS GR. Scripta lectio, *De illustribus*. Sic apud A. Gellium lib. II. cap. XXV. *Duo Graci Grammatici illustres Aristarchus & Crates*. Ateius Philologus dicitur Asinio Pollioni *nobilis grammaticus*. infra cap. X.

Grammatica olim Roma, ne in usu quidem, n] Scripta lectio, cui consentit Mediolan. editio, *Gra. Ro. ne in usu q. olim, ned,*

Qui iidem & poeta & oratores semigraci erant.] A codice Mediol. abest vox *oratores*: quod non probo. ibidem sine parentheseos notis locus ita concipitur: *siquidem antiquissimi doctorum quidem, & poeta & semigraci erant. Livium & Ennium d.*

Quos utraque lingua domi forisque docuisse, adnotatum est.] Viri eruditi *docuisse* hîc accipiunt, ut cum dicimus docere fabulam, & Græci διδάσκειν, unde διδασκαλία & μύθων hæc *documenta fabularum*, & certum quidem est, Livium atque Ennium fabulas multas docuisse. At Græcas tragœdias aut comœdias ipsos composuisse vel docuisse, non legimus. est vero indubitata res Ennium literas docuisse, & domi, id est Romæ; & foris, hoc est in Sardinia insula: ubi ipsum Porcius Cato invenit; qui ut scribit Sex. Aurelius Victor, in Prætura Sardiniam subegit: ibique est ab Ennio Græcis litteris eruditus. Sed aut Cato Ennium Roma secum in Sardiniam abduxit aut Victor Prætura Catonis tribuit, quod Quæsturæ ejusdem congruebat. Æmilius Paulus, sive Cornelius Nepos in vita Catonis: *Prætor provinciam obtinuit Sardiniam; ex qua Quæstor superiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium poëtam deduxerat: quod non minoris æstimamus, quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum.* Romæ autem multos annos Græcas literas Ennium docuisse, eximie probant hi versiculi ipsius Enniij de Romanis:

Contendunt Græcos: Grajos memorare solent sos.
Quod Græca lingua longos per temporis tractus
Hos pavi.

Lege quæ scripsit olim Josephus Scaliger ad Festum in voce *Regium*.

Nihil amplius quam Græce interpretabantur.] Omnino legendum *Græce interpretabantur* nam cui bono Latina Græce interpretari, quum illi quos docebant, Græcas literas ignorarent?

Ac si quid Latine ipsi composuissent prælegebant.] Scripti, *aut si a. Prælegere* autem vox artis est: quæ de præceptore usurpatur: ut de discipulo *legere*. paullo post: *Lucilii Satiras legisse se apud Archelaum Pompejus Lenæus prædicat.* Sic apud Græcos, ἀναγινώσκειν de discipulo dicitur παρὰ

Digitized by Google

γραμματικόν de magistro : vel etiam ἐπιγραμματικόν ; ut apud Sextum Empiricum initio libri quo disputat de loco: Ἐπίκτητος ποτὲ ἠρώτησε τὸν ἐπιγραμματικὸν αὐτοῦ γραμματικόν, hoc est, *Epictetus a prima adolescentia interrogavit prælegentem sibi grammatica præceptorem*. Sed & ἐπιγραμματικὸν de præceptore, apud Apollonium grammat. sæpe.

Cujus etiam de augurandi disciplina volumina feruntur.] Mediol *ferantur*, non nihil diversa sententia : ut existimo verius & melius.

Domi forisque adnotum est.] Scribo, *adnotatum est*. Plinius 28. 2. *Quin & repente conticescere convivium adnotatum est non nisi in pari præsentium numero.* Idem lib. 29, 4. *E volucribus in auxilium contra serpentes primus vultur est. Annotatum quoque minus virium esse nigris.* GRONOV. *Rudi scilicet ac bellicosa etiam tum civitate.*] Sunt qui ante Lælii ætatem & Scipionis ingenii cultum Romanis ignoratum velint. At non tam male de priscis illis Cicero est opinatus, ut eos, qui incredibiles ad omnem excellentiam curius fecisset, eruditionis gloria plane destitutos fuisse crederet. Imo vero, etiam veteres illos ac horridos, a vicino Pythagora sapientiæ plurimum hausisse, cum conjectura probabile esse, tum quibusdam etiam vestigiis indicari, judicat. *Quis est*, inquit, *qui putet, cum floreret in Italia Græcia, potentissimis & maximis urbibus, ea quæ magna dicta est, in hisque primum ipsius Pythagoræ, deinde postea Pythagoreorum tantum nomen esse, nostrorum hominum ad eorum doctissimas voces, aures clausas fuisse?* Cætera, quæ ad sententiæ suæ præsidium affert, edisserentem vide sub initium lib. IV. Tusc. Quæst. Ex quibus intelligere licet, sapientiæ studium antiquiores amplexos fuisse sed *non tam, quam concessum Romanis.* SCHILDIUS.

Doctorum, qui eidem.] Sic hic locus dudum a doctis viris est suo nitori restitutus.

CAPUT II.

PRIMUS igitur, quantum opinamur, studium grammaticæ in urbem intulit CRATES MALLOTES Aristarchi æqualis, qui missus ad senatum ab Attalo rege, inter secundum ac tertium bellum Punicum, sub ipsam Ennii mortem, quum in regione Palatii prolapsus in cloacæ foramen crus fregisset, per omne legationis simul & valetudinis tempus, plurimas ἀκροάσεις subinde fecit, assidueque disseruit, ac nostris exemplo fuit ad imitandum. Hactenus tamen imitati, ut carmina parum adhuc divulgata, vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent, ac legendo commentandoque etiam cæteris nota facerent : ut CAJUS OCTAVIUS Lampadio Nævii Punicum bellum : quod unico volumine & continenti scriptura expositum, divisit in septem libros : ut postea QUINTUS VARGONTEIUS annales Ennii, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat, ut LÆLIUS, ARCHELAUS, VECTIUS, QUINTUS PHILOCOMUS Lucilii satyras familiaris sui : quas legisse se apud Archelaum Pompeius Lenæus, apud Philocomum Valerius Cato prædicant. Instruxerunt auxeruntque ab omni parte grammaticam, LUCIUS ÆLIUS LANUVINUS, gener Quinti Ælii, SERVIUS CLAUDIUS, uterque eques Romanus, multique ac varii & in doctrina & in republica usus.

Digitized by Google

Notæ.

Achill. Stat.

De Crateto.] In vet. impr. hi tituli nulli fuerunt, nec in utroque Vaticano.

Qui missus ad senatum ab Attalo rege inter secundum.] Deesse verbum puto, *legatus*, ut sit, *ab Attalo rege legatus*: sed legi possit etiam illo modo

Cum in regione Palatii.] In vet. impr. abest *in*, sic Virg. *qua te regione reliqui.*

Acroasis.] In vet. impr. & manuscriptis Latine scriptum, *acroasis.* sunt autem ἀκρόασις & ἀκροαμα verba τεχνικά.

Ac nostris exemplo fuit ad imitandum.] Non sunt in vet. impr. verba, *ad imitandum*, idque, ut opinor, commode.

Cæteris nota facerent.] Nota facere, id est, explicare. nota esse dicuntur ea quæ intelliguntur. Sic post de Craſſitio, *Intima cui soli nota sua exhiterint.*

Continenti scriptura.] Perpetua, non distincta libris ac numero.

Ut Lælius, Archelaus, Vettius, & Philocomus Lucilii satyras familiaris sui, quas legisse apud Achelaum Pompeius Lenæus, apud Philocomum Valerius Cato prædicant.] Legendum, *Vettius & Philocomus.* Ac post, *prædicantur*, non *prædicant.*

Instruxerunt, auxeruntque ab omni parte grammatica Lælius Lanuvinus.] Legendum, ut in impr. vet. & manuscriptis, *grammaticam L. Ælius Lanuvinus.*

Servius Clodius. [in vet. impr *Ser. Clodius. Usus* non est in vet imp Legitur autem in manuscriptis eodem modo hic locus, quo in vet. impresso, *L. Ælius Lanuvinus genere, Q. Ælii Ser.* Ego conjecturam hanc faciebam, *L. Ælius Lanuvinus genere. Q. Ælii servus, & Clodius* Jam quod sequitur, *Vterque eques Romanus*, in manuscripto altero, uno minus verbo legitur. *uterque Romanus*, ut ille quidem Lanuvinus genere, vel Lanuvio fuerit oriundus, natus tamen Romæ. in veteribus autem monumentis SER. servum interdum significat. sic in hortis Vaticanis, CÆS. N. SER.

Vinet.

Mallotes.] Cui patria Mallos, Ciliciæ urbs, auctore enim Strabone. nomen priorem syllabam producens apud Dionysium & Lucanum. Est autem Μάλλωτης apud Suidam: & Μαλλώτης apud Diogenem, pro Μαλλεώτης.

Lælius Lanuvinus.] Fuerunt Lælius & Ælius inter Romana nomina, ut hoc apud Ennium:

Egregie cordatus homo catus Ælius Sextus.

illud apud Silium libro quintodecimo:

Ac pelago vectus servata Lælius hora,

Sed prænominis Lucii nota L. quam nullo signo ab insequenti Ælio negligentes librarii disjunxerant, Lælios multos fecit, qui L. Ælii fuerant. Hoc enim loco qui est Lælius, & apud Aulum Gellium multis locis, & Ciceronem in Academicis, & de legibus, Ælius sine prænomine legitur apud Carisium libro primo, apud Festum in verbis *Manta. Monstrum*, *Nebulo*, & alibi: Arnobium libro tertio: Quinctilianum decimo, de comicis: Plinium nono de unionibus. At Lucius Ælius apud Ciceronem in Bruto, & Plinium libro tricesimo tertio de anulis equitum Romanorum: ubi Hermolaus etiam *L. Helium Stellionem* scriptum reperierat: sed qui castigandum censuerit, *L. Ælium Stilonem.* Sic enim in ejus castigationib. scriptum invenio, ut & in vetustis inscriptionibus. Hælius interdum aspiratum reperitur. Sed aliud vitii etiam hic accidit. Nam quem ostendimus Lucium Ælium fuisse appellatum, eundem *Cornelium Stilonem* Marci Varronis fragmenta de lingua Latina me puero appellabant; quum uno vocabulo in duo nuper mutato, *Caium Ælium Stilonem* nunc nuncupant, pro *Lucio Ælio Stilone*: nisi forte sit is alius *Ælius Stilo*: quod non puto. *Præconini* autem nomen etiam apud Plinium integrum locis aliquot reperi, veluti libro ultimo, & tricesimo tertio: ubi scribit Plinius præcones etiam olim Romæ vulgo purpura latiore tunicæ usos fuisse, sicut patrem Lucii Ælii Stilonis, unde filius sit Præconinus cognominatus. Cæterum quartum istud ejusdem hominis nomen, *Stilo*, *Istilo* est in nonnullis Suetonii codicibus: sed apud Carisium, Plinium, Quinctilianum, nusquam *Istilo* trisyllabum: *Stilo* semper, nisi si quid in media voce sit

Digitized by Google

depravatum: ut apud Plinium *Stellio*, Quintilianum *Stolo* pro *Stilo*. Deinde tractum nomen hoc ab eo quod est stilus, qua significatione Cicero stilum artificem, effectorem, magistrum dicendi optimum dixit: quod orationes nobilissimo cuique scribere soleret Lucius Ælius, ut ait Suetonius: vel ut Cicero de claris oratoribus, quod scriberet orationes, quas alii dicerent: ut Quinto Metello, Quinto Cæpioni, Quinto Pompeio Rufo. Viri ergo egregii, & equitis Romani parte præcone geniti, ejusdemque oratoris, & grammatici, Græcis Latinisque literis eruditissimi, quem Marcus ille Terentius Varro magistrum habuit, Cicerone, Gellio, & Carisio auctoribus, & idem Cicero adolescens audivit, quatuor nomina sunto, *Lucius Ælius Præconinus Stilo*. Qui autem apud Carisium de genitivo *poëmatorum* citatur Quinctus Lælius grammaticus, hic quis sit, non habeo compertum.

CASAUBON.

Crates Mallotes Aristarchi æqualis, missus ad senatum ab Attalo rege.] Cratetes olim viri celebre multi fuerunt, Diogenes Laërtius libro IV. decem enumerat, inter quos septimum locum Mallotes obtinet. fuisse hunc grammaticum & Criticum insignem, Aristarchi æqualem vetus quoque scriptor apud Suidam memoriæ tradidit: ambos circa Olympiadem CLVI regnante in Ægypto Philometore floruisse ex iis constat quæ de utroque illorum apud eundem leguntur. Sed Crates hic qui propter facultatem criticam dictus est non solum γραμματικὸς ἢ Κριτικός, verum etiam Ὁμηρικός: hoc amplius philosophus Stoïcus audiit, ut ait Suidas, & confirmat nonnihil Strabo qui Panætium, Stoïcorum judice M. Tullio, prope principem ab eo fuisse institutum scribit libro XIV. Apparet vero ex hoc Suetonii loco, etiam politica ipsum attigisse, & in Pergamenorum regum aula non sine dignatione esse versatum. Vixit in eadem urbe etiam Aristarchus; habuitque ibi acrem suorum studiorum æmulum Cratetem alium, loci indigenam. Suidas: Ἀρίσταρχος Κράτητι τῷ γραμματικῷ Περγαμηνῷ πλεῖστα διημιλλήσατο ἐν Περγάμῳ. *Aristarchus cum Cratete grammatico Pergameno sapissime Pergami contendit.* Quod igitur dicit hoc loco Suetonius, primum Craterem studium grammaticæ Romam intulisse, non de primis literis debet intelligi, aut de literatoris alicujus grammatistica: qua neque urbs Roma, neque ulla unquam civitas mediocris caruit: sed de seria utriusque linguæ cognitione, & auctorum aliqua interpretatione, qua imitatione.

Inter secundum ac tertium bellum Punicum, sub ipsam Ennii mortem.] Obiit Ennius Consulibus Qu. Martio Philippo II. Qu. Servilio Cæpione: anno post finem impositum bello alteri Punico trigesimo secundo: ante principium belli Punici tertii XIX.

Quum in regione Palatii prolapsi.] Dele *in* ex auctoritate librorum, & usu Latine loquentium. Idem in Augusto, cap. V, *Natus est paullo ante Solis exortum, regione Palatii, ad capita bubula.*

Plurimas ἀνωμαλίας subinde fecit.] Melius, *acroasis*, ut in Mediol. nam Romani illam vocem usu fecerunt suam: neque solum de literarum professoribus eam usurparunt, sed etiam de aliarum artium magistris. Vitruvius lib. X. cap. XII, *Architectus ab Arado, nomine Callias Rhodum quum venisset, acroasin fecit.* dixerunt & *auditiones* verbum e verbo exprimentes. A. Gellius lib. XVII, cap. II. *easdem auditiones, eosdem doctores colebamus*, Cicero sæpe, *scholam habere*, vel *explicare*. postea etiam *lectiones* dixerunt. B. Augustinus in Confessionibus, *lectionem exponere*, de se rhetore docente.

Ac nostris exemplo fuit ad imitandum.] Mediol. *n. ex. fuit* sine *iis ad imitandum*: quæ possunt abesse, nullo sententiæ damno.

Diligentius retractarent.] Pithœi lib. *recitarent*, alii sic, *retractarent legendo, comm.* sine copula.

Navali Punicum bellum, quod unico volumine & continenti scriptura expositum, divisit in septem libros.] Quæ narrantur fuisse apud Græcos literarum initia, quæ incrementa eadem fere etiam apud Romanos fuerunt. Narrant Græci Homerum ea simplicitate in studiis versatum, ut & Iliadis & Odysseæ carmina continenti scriptura componeret, sine ulla librorum distinctione; quæ postea studio & industria grammaticorum in partes vicenas quaternas sint divisæ, auctorem ejus partitionis Aristarchum grammaticum Græci vulgo faciunt. Ecce apud Rom similem ferme per omnia historiam. Nævius ut Homerus, con-

Digitized by Google

tinuum carmen ſcribit: C. Octavius Lampadio ceu alter Ariſtarchus opus Nævianum ſecat in partes. Obſervare tamen licet, Varronem, Feſtum, A. Gellium, & alios veteres eruditos partitione Octaviana aut raro, aut numquam uti: non enim aliter Nævium in eo opere laudant, quam hoc pacto, *Nævius in carmine belli Punici*; aut potius *Pœnici*. & ita Priſcianus aliquoties, Sane ſi verum eſt, Ariſtarchum grammaticum, de quo paullo ante dicebamus, primum omnium poëmata Homeri in libros diſtinxiſſe, ignoraverit Nævius hanc partitionem; ut qui aliquanto fuerit natu major Ariſtarcho.

Quintus Vargonteius annales Ennii, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat.] Annolium Ennii opus in XL. libros fuit digeſtum: quam partitionem a Varguntеio eſſe profectam, ex his Suetonii verbis neque dicere pro certo queas, neque negare. cæterum recitatio hæc Annalium in corona circumſtantium, morem Græcorum rhapſodorum in Homericis verſibus pronuntiandis referebat. quare ut fuere in Græcia qui Homeridæ vel Homeriſtæ dicebantur: ſic in Italia, qui Ennianiſtæ. A. Gellius lib. XII. cap. V, *Puteolis Juliano nunciatur*, ἀναγνώστην (hoc eſt, recitatorem) *quendam, non indoctum hominem, voce admodum ſcita & canora, Ennii annales legere ad populum in theatro. Eamus*, inquit, *auditum neſcio quem iſtum Ennianiſtam. hoc enim ſe ille nomine appellari volebat.* Pro *Varguntеius* eſt in Mediol. *Varguntius* perperam. eſt enim gens Romana ſatis nota, *Vargunteia*, ex qua hic fuit ortus, aut adoptione in eam inſertus.

Ut Lælius, Archelaus, Vectius, Quintus Philocomus.] Liber Mediol. *Lælius Archeas Vectii Q. Philocomus.* Fort. *Lælius Archias L. Vectius, Q. Philocomus.* Sed nihil affirmo: & mox in eodem libro *Archelaus* ſcriptum, non Archeas. illud non dubito, *Lælius Archelaus*, unius hominis eſſe nomina, quorum prius manumiſſione meruit. Sic mox *Pompeius Lenæus* appellatur libertus Pompeii, qui ante manumiſſionem dicebatur Lenæus, Ἀννάϊος. Tres igitur ſunt non quatuor qui hîc nominantur grammatici. Pro *Philocomus* Petavii cod. & Pithœi *Philoconius* mendoſe. eſt enim uſitatum Græcis nomen φιλόκωμος.

Lucilii Satyras familiaris ſui.] An ejus qui poſtremo nominatus? an omnium trium? *Satiras* autem per *i* ſcribendum ſemper eſſe, certo probavimus De Satira Romana.

Prædicant.] Scripſimus, *legiſſe ſe prædicant* cum Mſſ. & Mediol. codice, *non legiſſe prædicantur*: quod ex conjectura docti ſubſtituerant: ſententia multum variante.

Hactenus tamen imitati ut carmina.] Scribo: *ac noſtris exemplo fuit ad imitandum. Hactenus tamen, ut carmina parum adhuc divulgata* &c. nam τὸ *imitati* eſſe ab enarratore judico. Sed & ajunt τὸ *ad imitandum* non eſſe in vett. lib. Ergo: *exemplo fuit. Hactenus tamen, ut carmina.* GRONOV.

Lælius, Archelaus, Vectius, Quintus, Philocomus.] Scribo: *Lælius, Archelaus, Vectiuſque Philocomus.* Sic mox quoque ſcribendum: *L. Ælius Lanuvinus generque Ælii Ser. Clodius.* Sed hoc poſterius jamdudum vidit Carrio in antiquis lectionibus. GRONOV.

Miſſus ad ſenatum.] Non eſt ut cum Achille addas *legatus.* Nam *mittere* ſæpe eſt legatum mittere. Tacit. I. Hiſtor. 74: *Rurſus ad utrumque Germanicum exercitum & ad legionem Italicam ſpecie ſenatus miſit.* Suet. Aug. 44. Sic & Græci πέμπειν, *mittere* Matth. XII, 16, & alibi. GRÆVIUS.

CAPUT III.

LUCIUS ÆLIUS cognomine duplici fuit: nam & Præconius, quod pater ejus præconium fecerat, vocabatur: & Stilo, quod orationes nobiliſſimo cuique ſcribere ſolebat: tantus optimatum fautor, ut Quintum Metellum Numidicum in exilium comitatus ſit SERVIUS cum librum ſoceri nondum editum fraude intercepiſſet, & ob hoc repudiatus, pudore ac tædio ſeceſſiſſet ab urbe, in podagræ morbum

Digitized by Google

incidit: cujus impatiens veneno sibi perunxit pedes, & enecuit, ita ut, parte ea corporis quasi præmortua, vixerit. Post hoc magis ac magis & gratia & cura artis increvit ut ne clarissimi quidem viri abstinuerint: quo minus & ipsi aliquid de ea sciberent: utque temporibus quibusdam super viginti celebres scholæ fuisse in urbe tradantur: pretia Grammaticorum tanta, mercedesque tam magnæ, ut constet LUTATIUM DAPHNIDEM, quem LENÆUS MELISUS per cavillationem nominis, Παιδὸς ἄγαλμα dicit, ducentis millibus nummum Quinto Catulo emptum, ac brevi manumissum: LUCIUM APULEIUM ab Eficio Calvino equite Romano prædivite, quadringenis annuis conductum, multos edocuisse. Nam in provincias quoque Grammatica penetraverat, an nonnulli de notissimis doctoribus peregre docuerunt, maxime in Gallia Togata: inter quos OCTAVIUS TEUCER, & SISCENNIUS JACCHUS, & OPPIUS CARES: hic quidem ad ultimam ætatem, & cum jam non gressu modo deficeretur, sed & visu.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Lilius.] In vet impr. *L Ælius.*

Et Ilsilo,] Alii legunt, *& Stylo.*

Tantus optimatum favor, ut Q. Metellum Numidicum in exilium comitatus sit.] In vet. impr. *tanti m qui manum fautor.* vel, ut in manuscriptis, *tanius optimatum fautor.* Legendum, *tantus quidem optimatum fautor.* vel, *in tantumque Metellorum fautor.* Simile quiddam narrat post de Aurelio Opilio.

Ut constet Lutatium Daphnidem, quem Lenæus Molissus per cavillationem nominis Παιδὸς ἄγαλμα *dicit.*] Παιδὸς ἄγαλμα, idque συμβολικῶς. fuit autem hic, opinor, finis carminis veteris poëtæ itaque insigniter stolidum ac stupidum significabat. in manuscriptis vitio scriptum, *panfagajanfema:* vel, ut in vet. imp. *panofagacema.*

Ducentis millib. nummum.] In vet. impr. *Dec. nummum.*

L. Appuleium ab Eficio Calvino equite Romano.] Legendum videtur *a Fufecio Calvino.* Sed in vet. impr. totus hic locus legitur, *L. Appuleium ab Eficio Calvino, equite Romano prædivite quadringenis annuis conductos multos edocent.* Ex quo faciebam, *L. Appuleius a Fufecio Calvino, equite Romano prædivite, quadringenis annuis,* vel, *quadringentis aureis, conductus multos edocuit.*

Et Siscennius.] In vet impr. *Sescenius,*

Et cum jam non gressu modo deficeret.] In vet. impr. *deficeretur,* ut in manuscr.

VINET.

Lutatium Daphnidem] Omnes hi fere grammatici, fuerunt servi: qui a dominis suis tandem manumissi, eorum nomina sumpserunt: ut Romæ quondam fieri solitum jam pridem ostendit Angelus Politianus in capite tricesimo primo miscellaneorum. atque ita pluribus pro uno nominibus more Romano sunt appellati. Daphnis ergo hic, quem prius Marco Scauro serviisse scribit Plinius libro septimo Naturalis historiæ, De pretio hominis in servitio geniti maximo, ab alio domino suo Quincto Lutatio Catulo libertate donatus. Quinctus Lutatius Catulus Daphnis fuit dictus.

CASAUBN.

Tantus optimatum fautor, ut Quintum Metellum Numidicum in exilium comitatus sit.] Q. enim Cæcilius Metellus populari factione patria pulsus, ait Valerius Maximus libro IV, capite primo, in Asiam secessit, & Smyrnæ exulavit. nota historia ex Livii Epitome, A. Gellio, Aurelio Victore, Cicerone ipso, atque aliis. Simillima sequitur narratio de Aurelio Opilio, qui cum Rutilio Rufo Smyrnæ item exulante consenuit. Adeo verum est literas adversis lætisque rebus pariter esse utiles.

Veneno sibi perunxit pedes, & enecuit ita, ut parte ea corporis quasi præmortua vixerit.] Mediol. & Mss. *viveret.* Historiam narrat

Plinius

Digitized by Google

Plinius lib. XXV cap. III. *Tradit M. Varro, Servium Clodium equitem Romanum magnitudine doloris in podagra coactum, veneno crura perunxisse, & postea caruisse sensu omni aeque quam dolore in ea parte corporis.* Alii ad ejusdem rei effectum non veneno usi, verum aceto: cujus vim ναρκωτικὴν, hoc est, *stupefacientem.* & vere ὀδυνοφόρον, id est, *dolores pellentem*, experimento suo cognovit M. Agrippa, supremis suis annis conflictatus gravi morbo pedum. Plinius lib. XXIII. cap. II.

Post hoc mag.] *Hoc* nempe tempus. Sed scribendum est *hos*. post modo enumeratos Grammaticos ars cepit incrementum.

Et gratia & cura artis increvit.] Quidam *& gratia & cura ars increvit.* non sequar.

Super viginti.] Scripta lectio, *super decem.* Mediolanensis editio, quæ instar Mss. est, *viginti.*

Quem Lenæus Melissus per cavillationem nominis, Πανὸς ἄγημα *dicit.*] Mediol. literis Latinis corruptissime, *panosagasema.* Scripta lectio fere ut est editum id esset *Panis admiratio*, sive *stupor*, ut intelligatur affine aliquid voci ἐμβρόντητος: quam usurpabant de eo qui esset stupore defixus. erit alludo ad Panicos terrores, quos a Pane credebant immitti, ut scribit Polyænus & alii. est & vox militiæ ἄγημα *agema*, *legio* vel *ala*, ut Livius & Curtius vertunt. Sed prior significatio hîc potius convenit Πανὸς ἄγημα, quasi dicas, o stupide & literarum oblivio. Sed refellit ista perspicue, quod ait Suetonius, *per cavillationem nominis*: nam in Πανὸς ἄγημα, nulla est ad nomen DAPHNIS allusio. Itaque Josephus Scaliger scribebat Δαπάνης ἄγημα *impensæ portentum*, vel Δαπάνημα: vel Δαπανίδης; ut & ad nomen esset aliqua allusio, & ad rem quæ narratur. Tentabam aliquando, Δάπιος ὄφλημα, propter cujus pretium ingens æs alienum ac damnum esset contractum vel Δάπιος ἄχθημα: quoniam ἄγημα aut tale quid libri omnes tuentur.

Ducentis millibus nummum.] Ut si hodie dicas, aureis ad quinquies mille. Sed longe alio nos vocant libri alii, in quibus scriptum. DCC. *millibus*: ea essent aureorum quibus hodie utimur millia circiter septemdecim & quingenti. Plinius libro VII; cap. XXXIX: *Pretium hominis in servitio geniti, maximum ad hanc diem,* (*quod equidem compererim*) *fuit grammatici artis Daphnidi Cn. Risaurensi vendente, & M. Scauro principe civitatis III. M.DCC. sestertiis licente.* Omnino ridicule expressa summa, quæ ne ad centum quidem aureos accedit. Ego vero nullus dubito & in Suetonii & in isto Plinii loco numerum aliquem desiderari, omnibus antedictis longe majorem. Franciscus Hotomanus clarissimus Jurisconsultus, & in hac parte antiquitatis diligenter versatus, emendabat, *tricies septingentis.* cui equidem, ut in re dubia assentior: etsi summa illa vægrandis est ac plane stupenda. Sed Romanas opes & animos cogitet lector non res hodiernas.

Ab Eficio Calvino.] Mediol. *Efficio.* Scripti, *Æficio*, omnia suspecta. Calvini cognomen plures Romanorum gentes usurparunt, ut Domitia, Veturia, Sextia. Eficios nusquam legere memini: legi Ericios vel Erucios.

Multos edocuisse.] Scripta lectio, *edocere.* Scribendum, *ut multos edoceret.* siquidem aliquid mutandum.

De nec ssimis doctoribus.] Scripti, *de doctissimis doct.* perperam autem *Cares* sine aspiratione, pro *Chares*, Χάρης. Oppius iste, is fortasse est qui Macrobio vir doctus dicitur Saturnal. lib. II. cap. XIV. Librum fecerat De silvestribus arboribus.

Quod pater ejus præconium fecerat.] Id est, præco fuerat Cic. VI. ad fam. ep. 9: *Rescripsit eos, qui facerent præconium vetari esse in decurionibus.* Accurate multiplex præconum officium, & varias in pronuntiando formulas explicat Brissonius.

Per cavillationem nominis Πανὸς ὄφλημα *dicit.*] Omnino retinenda vulgaris scriptura, quam libri omnes tuentur. Quod enim ea lectione nullam fieri ad nomen Daphnidis allusionem putant doctissimi viri, manifesto falluntur. Daphnis ille fabulis decantatus Panis fuit delicium. Meleager:

Αἰπόλιον σύριγγες ἐν οὔρεσι μηκέτι Δάφνις
Φράσσιτ' αἰγὸς ἢ βλαυτὶ χαρεὶς Πανί.

O fistulæ pastorales nolite in montibus celebrare amplius Daphnidem faventes Pani capras ineunti. Pan autem pecoribus præerat, & pecorum magistris. Hinc per cavillationem nominis Πανὸς ὄφλημα eum dicebat, non Panis delicias, ut Daphnis fuit, sed pecus. Virgil.

Digitized by Google

Pan curat oves oviumque magistros.

fortasse etiam asinum intelligere voluit, qui Arcadiæ peculiaris, quæ in tutela Panis *Pan Deus Arcadiæ*. CL. SALMASIUS. Observandum est, nomen, per cujus cavillationem Lenæus Melissus Πανὸς ἄγαλμα dicebat hunc Grammaticum, fuisse DAPHNIDES, non DAPHNIS, id est, Δαφνίδης, non Δαφνὶς. Latine autem *Daphnidis* videtur esse rectus pluralis § DAPHNIS. quamquam revera sit Græcorum Δαφνίδης. Hinc quæsita jocandi materies. Appellatus enim a Lenæo Melisso DAPHNIDES Πανὸς ἄγαλμα, *Panis agmen*, sive *legio*, quasi plures essent, non unus Daphnis. Jam vero Daphnis pastor erat Mercurii filius, a Pane educatus, atque institutus in Musicis. Erat autem Pan Deus rusticus, pastorum θεὸς ποιμενικός.

Pan curat oves oviumque magistros:

itaque in ejus comitatu non nisi pastores & rustici erant, qui nil nisi sylvestre & barbaricum tenui arundine sonare poterant. Notat igitur Lenæus Melissus Daphnidem insicetiarum, quasi esset plane literarum rudis, quantus quantus erat, & rus merum. SAM PETITUS.

Per cavillationem nominis Πανὸς ἄγαλμα *dicit.*] Docte Salmasius in Solinum p. 41. nec minus docte Petitus 3. Miscel. 15. Cogitabam tamen aliquando Πανὸς ἄγαλμα, vel ἄγρυμα. *Panos oblectamentum*, vel *delicia*. Eustathius ad Il. α. Η' τρίγλα τῷ τοῦ πολυποδος. Ἀρτεμιδὸς ἄγαλμα, hoc est, *Mullus juxta veteres Dianæ oblectamentum*. Et mox: Οὕτω καὶ λύκος Ἀπόλλωνος ἄγαλμα, *Sic & lupus Apollinis delicia*. Laudare videtur: sed deridet hominem tanquam merum & inficetum rus, nec nisi rusticis & imperitis probatum. Panos ἄγαλμα & bucolicus ille Daphnis, & quæ *certamen venit ad impar* soli Midæ prælata. GRONOV.

Quadringenis annuis.] Id est, X. M. coronat. Id autem cum privati hominis modum excedat. (namque Imperator Vespasianus annua solum centena Latinis Græcisque Rhetoribus constituit, ut est in ejus vita cap. XVIII. & Verrius Flaccus ab Augusto sestertia centena in annum accepit, infra capite XVII.) facile adducor, ut legam *quadringentis aureis*, vel, *quadragenis annuis*. Ita e contrario capite XLI. Octavii, quo loco vulgatæ editiones exhibent *quadragenos*, Salmasii codex substituit *quadringenos*. Adde locum cap. XXIII. *nec sufficeret sumptibus, quamquam ex schola quadragena annua caperet*. SCHILD.

CAPUT IV.

APPELLATIO GRAMMATICORUM Græca consuetudine invaluit, sed initio *Literati* vocabantur. Cornelius quoque Nepos in libello quo distinguit literatum ab erudito, *literatos* vulgo quidem appellari ait eos, qui aliquid diligenter & acute scienterque possint aut dicere aut scribere; ceterum proprie sic appellandos poëtarum interpretes, qui a Græcis γραμματικοὶ nominentur; eosdem LITERATORES vocitatos. Messalla Corvinus, in quadam epistola *non esse sibi* dicens *rem cum Furio Bibaculo, nec cum Sigida quidem, aut literatore Catone*: significat enim haud dubie Valerium Catonem poëtam simul, grammaticumque notissimum. Sunt qui *literatum* a *literatore* distinguant, ut Græci Grammaticum a Grammatista: & illum quidem absolute hunc mediocriter doctum existiment. quorum opinionem Orbilius etiam exemplis confirmat. Nam apud majores, ait, cum familia alicujus venalis produceretur, non temere quem literatum, in titulo, sed literatorem inscribi solitum esse, quasi non perfectum literis, sed imbutum. Veteres Grammatici & Rhetoricam docebant: ac multorum de utraque arte commentarii feruntur, secundum quam consuetudinem posteriores quoque existimo, quamquam

Digitized by Google

jam discretis professionibus, nihilominus vel retinuisse, vel instituisse & ipsos quædam genera institutionum ad eloquentiam præparandam, ut problemata, periphrases, elocutiones, ethologias, atque alia hoc genus: ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri Rhetoribus traderentur. quæ quidem omitti jam video desidia quorundam & infantia; non enim fastidio putem. Me quidem adolescentulo, repeto quendam Principem nomine, alternis diebus declamare, alternis disputare, nonnullis vero mane differre, post meridiem, remoto pulpito, declamare solitum. Audiebam etiam memoria patrum, quosdam e Grammaticis statim e ludo transisse in forum, atque in numerum præstantissimorum patronorum receptos. Clari professores, & de quibus prodi possit aliquid duntaxat a nobis, fere hi fuerunt.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Cæterum proprie sic appellandos poëtarum interpretes, qui a Græcis grammatici nominentur, eosdem literatos vocitatos.] Cic. sic; ut Cornelius Nepos, poëtarum grammaticos vocat in 1 de Divinat. nisi memoria fallor.

Et illum quidem.] Vet impr. *ne illum quidem.* Legendum fortasse, *ut illum quidem.*

Non temere quem.] Id est, *aliquem.*

Quasi non perfectum literis, sed imbutum.] Horat. lib. 2. Epist. ad Florum, de puero servo venali, *Literulis Græcis imbutus* In vet. imp. distinctum a cæteris caput, & in manuscriptis.

Remoto pulpito.] E quo docebant. Horat. in 1 Serm *Grammaticas ambire tribus, & pulpita digner.*

Audiebat etiam, memoria, patrum quosdam e grammaticis statim ludo transisse in forum.] Vet. imp *eludendo*, non *ludo*. leg. *e ludo.* In manuscripto altero, *e grammaticis statim ludo*: in altero, *e grammatici Statii ludo.*

VINET.

Nec cum Sigida.] Hic Sigida quia nemini notus aliunde est, Lilius Gregorius scribit libro decimo de poëtis, se semper arbitratum esse, pro *Sigida, Ticida* reponi debere: ut sit Cajus Ticida: cujus infra videbis versum de Valerio Catone.

CASAUBON.

In libello quo distinguit literatum ab erudito.] Ut hæc lectio est, videtur Cornelius Nepos ad id ipsum libri scriptionem instituisse, ut discrimen explicaret inter literatum & eruditum, quod vix putem quare probo lectionem mihi repertam in codice Bongarsii: *Cornelius Nepos quoque, libello quodam distinguit literatum ab erudito.* Proprie literatus is est, qui literas habet, sive earum doctrinam possideat, hoc est, ἐπιστήμων, sive ipsarum notis inscriptus, ut servi ἐγγεγραμμένοι, *frontem literati* Plauto & Apuleio. ideo vertit auctor Glossarum *literatus* γεγραμμένος. Cornelio Nepoti discrimen facienti inter *literatum* & *eruditum*, literatus idem erat ac grammaticus. Diomedes lib. 11. *Artium genera sunt plura, quarum Grammatice sola literalis est, ex qua rhetorice & poetice consistunt: iccirco literalis dicta, quod a literis incipiat. Nam & grammaticus Latine literatus est appellatus; & grammatica, literatura, qui formam loquendi ad certam rationem dirigit* At *eruditi* qui dicantur Romanis scriptoribus, & quid *eruditionem* proprie appellarint, exposuimus ad lib. 12 Suet. cap. LXXXIX. sic cape *eruditionis varia volumina* cap. VI. id est, πολύλογον φιλολογίαν ἔσεσχυται.

Eosdem literatores vocitatos. Messala Corvinus in quadam ep] Restitue e Codice Mediolanensi & Mss. vocem quæ deest, ac distinctione mutata, scribe: *eosdem literatores vocitatos Messala Corvinus in quadam epistola ostendit, non esse sibi dicens rem.*

Nec cum Sigida quidem.] Scripta lectio, *ne cum Rigida q.* neutrum possumus probare Ticidam nominat Suetonius cap. XI. qui an huc pretineat nescio. fortasse verius

Digitized by Google

est quod, viro eruditissimo, & veteri consuetudine & συμβιώσει mihi conjunctissimo Joanni Vuoverio Hamburgensi videbatur: *ne cum Sedigito quidem.* Volcatium Sedigitum de poëtis scripsisse testis A. Gellius lib. XV. cap. XXIV.

Sunt qui literatum a literatore distinguant, ut Graecum grammaticum a grammatista.] Qui diligentius sive Græce sive Romane loquuntur, hæc discrimina accurate servant. Juvat vero hoc loco referre, quæ de differentia inter grammatisticam & grammaticam. Sextus Empiricus scriptor eruditissimus nondum Græce editus differit; docens, ab eadem quidem voce utramque esse appellatam: sed non ab eadem vocis ejusdem notione. γραμματίζω quippe Græcis, & literarum elementa, quæ in prima pueritia pueri docentur: & scripta auctorum: igitur grammatisticam quidē a priore significatione esse appellatā, grammaticā vero a posteriore quæ quidē, auctorum omnium intelligentiā & interpretationem profiteatur. Sic ille in iis quæ scripsit adversus μαθηματικούς, &c *Mathematicos*, cap. Ποσαχῶς λέγεται γραμματική· *quot modis dicitur grammatica.* Καὶ ἡ μὲν πλείστη γραμματική λέγει τῆς τῶν γραμμάτων εἰδήσεως κατ' ἀρχὰς οἰκειωθεῖσα, διατεθρυλλημένη ἐπὶ τοῦ ἐν τοῖς ποιηταῖς καὶ συγγραφεῦσι λεγομένοις. *Grammatica ut plurimum est peritia eorum, quæ leguntur apud poetas, & historicos.* deinde vocem συγγραφεῦς, quæ scriptoribus Atticis historicum fere significat, interpretatur addens: ΣΥΓΓΡΑΦΕΙΣ καλοῦ, ὡς ἐν οἷς τῆς ἀρετῆς τοὺς πανταχοῦ ἀπηριθμημένους παραδίδωσι, καὶ ἄλλους τινάς, ἃ τοὺς καλλιλογικοὺς πραγματεύσαντας. Hæc Sextus Empiricus. *Historicos vocans, ut patet ex contraria significatione apud poetas, non alios, quam eos, qui soluta oratione componunt.*

Cum familia alicujus venalis produceretur] Cum aliquis mango, aut alius servos suos vænum producebat in catasta. Titulis enim & voce præconis singulorum mancipiorum pretia indicabantur. Lege Lucian. περὶ Βίων πρᾶσιν. h.e *in vitarum auctione.* Propertius libro IV, *At quorum titulus per Barbara colla pependit, Celati medio cum faciere foro.* Vide A. Gellium libro I V. c II.

Secundum quam consuetudinem posteriores quoque existimo, an] Confer hunc locum cum iis quæ scribit Quintilianus libro I cap. IX, & libro II. cap. primo.

Periphrases, elocutiones, ethologias,] Mediol. *Paraphrases, allocutiones.* Optime & verissime in eodem *athologias*: putet aliquis; pro *atiologias*. sed rectum est, *ethologias.* De istis omnibus exercitationibus habes apud rhetores præsertim Græcos, ἠθολογίαι sunt morum descriptiones, puta avari, aut meticulosi de quibus notationibus diximus sis Prolegomenis ad Theophrasti Characteres.

Et aliquando Callimachus poëma appellans γράμμα. i. e. scriptum, seu opus, *aliquando vero & quod soluta oratione scriptum est.* dicit σύγγραμμα. i. e. libium. prius probat allato epigrammate Callimachi ubi sunt illa.

— Ὁ μῆσσον ἢ καλὸν γράμμα Κρεωφύλᾳ. Ζεῦ φίλε τῶν μέγα. Alii legunt Ὁ μήρου νοῦ δὲ καλοῦμαι γράμμα Κρεωφύλᾳ, &c. hoc est

— *Nunc scriptum dicor Homeri Nonne Creophilo, Jupiter, hocce grave est?*

posterius, allato versu ex epigrammate ejusdem in Cleombrotum. Εὗρε τὸν περὶ ψυχῆς γράμμα ἀναλεξάμενος. *Cum unum de anima opus legisset.* ubi γράμμα est Phædo Platonis. Affert postea Sextus Grammaticæ descriptionem ex Dionysio Thrace hanc: γραμματική ἐστιν ἐμπειρία ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσι λεγομένων. *Grammatica ut plurimum est peritia eorum, quæ leguntur apud poetas, & historicos.* deinde vocem συγγραφεῦς, quæ scriptoribus Atticis historicum fere significat, interpretatur addens: ΣΥΓΓΡΑΦΕΙΣ καλοῦ, ὡς ἐν οἷς τῆς ἀρετῆς τοὺς πανταχοῦ ἀπηριθμημένους παραδίδωσι, καὶ ἄλλους τινάς, ἃ τοὺς καλλιλογικοὺς πραγματευσαμένους. Hæc Sextus Empiricus. *Historicos vocans, ut patet ex contraria significatione apud poetas, non alios, quam eos, qui soluta oratione componunt.*

Cum familia alicujus venalis produceretur] Cum aliquis mango, aut alius servos suos vænum producebat in catasta. Titulis enim & voce præconis singulorum mancipiorum pretia indicabantur. Lege Lucian. περὶ Βίων πρᾶσιν. h.e *in vitarum auctione.* Propertius libro IV, *At quorum titulus per Barbara colla pependit, Celati medio cum faciere foro.* Vide A. Gellium libro I V. c II.

Secundum quam consuetudinem posteriores quoque existimo, an] Confer hunc locum cum iis quæ scribit Quintilianus libro I cap. IX, & libro II. cap. primo.

Periphrases, elocutiones, ethologias,] Mediol. *Paraphrases, allocutiones.* Optime & verissime in eodem *athologias*: putet aliquis; pro *atiologias*. sed rectum est, *ethologias.* De istis omnibus exercitationibus habes apud rhetores præsertim Græcos, ἠθολογίαι sunt morum descriptiones, puta avari, aut meticulosi de quibus notationibus diximus sis Prolegomenis ad Theophrasti Characteres.

Digitized by Google

Quosdam e Grammaticis statim e ludo transisse in forum.] Posterius *e* abest a Mediol. Legendum omnino cum libris Achillis Statii: *quosdam e grammatici statim ludo, transf.* ea vera lectio & mens Suet.

Græca consuetudine invaluit.] Non prorsus usus vocis. Sic Cæsar 7 de bello Gallico: *universis civitatibus, quæ Oceanum attingunt, quique eorum consuetudine Armorica appellantur.* GRONOV.

Non perfectum literis,] Cicero in Bruto: *C. Memmius L. F. perfectus literis, sed Græcis.* GRONOV.

CAPUT V.

SÆVIUS NICANOR primus ad famam dignationemque docendo pervenit: fecitque præter commentarios, quorum tamen pars maxima intercepta dicitur, satyram quoque: in qua libertinum se, ac duplici cognomine esse hoc indicat,

Sævius Nicanor Marci libertus negabit:
Sævius Posthumius idem sed Marcus docebit.

Sunt qui tradant ob infamiam quandam eum in Sardiniam, secessisse, ibique diem obiisse.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Satyram quoque, in qua libertinum se, ac duplici cognomine esse hoc indicat.] Placet lectio vet. imp. *In qua libertinum se duplici cognomine esse per hoc indicat.* Horat. quoque in II Serm. de servo, opinor, *Tanquam habeas tria nomina.*

Sævius Nicanor Marci libertus, negabit Sævius Posthumius.] *At idem Marcus docebit* In vet. impr. *Sævius, Posthumius ac Marcus.* in manuscr. altero, *Servius post hujus*: in altero, *Servius post hic.* Ego vero versus e Satyra Nicanoris hos esse putabam, itaque constituebam, *Savius Nicanor Marci libertus, negavit Savius Postumius, ast idem Marcus docebit.*

VINET.

Sævius Nicanor.] Hic, non video, cur esse non possit, qui *Suevius*, V, pro A, dicitur libro tertio & sexto Saturnaliorum Macrobii, cujus versus aliquot adducturus, Macobrius, poëtam longe doctissimum appellat.

CASAUBON.

Sævius Nicanor.] Scribo, *Suevius*, cum doctissimo viro Elia Vineto.

In qua libertinum se, ac duplici cognomine esse hoc indicat.] Vix constat Latinitas. melius Mediol. *in q. l. se duplici cognomine esse, per hoc indicat*: *Suevii* duplex cognomen, *Nicanor Posthumius*, vel *Posthumeius*, ut videtur suadere mox alterius lex versus.

Ibique diem obiisse] Alia lectio, *ibique dicitur obiisse.*

Sævius Posthumius idem.] Numquid *Savius Posthumianus idem.* Nam *Posthumius* est gentile, eoque nequit esse cognomen. GRONOVIUS.

CAPUT VI.

AURELIUS OPILIUS Epicurei cujusdam libertus, Philosophiam primo, deinde Rhetoricam, novissime Grammaticam docuit. Dimissa autem schola, Rutilium Rufum damnatum in Asiam secutus, ibidem Smyrnæ simulque consenuit: composuitque variæ eruditionis aliquot volumina, ex quibus novem unius corporis; qui quia scriptores ac poëtas sub clientela Musarum judicaret, non ab-

Digitized by Google

surde & scripsisse & fecisse se ait *ex numero Divarum & appellatione*. Hujus cognomen in plerisque indicibus & titulis per unam literam scriptum animadverto : verum ipse id per duas effert in parastichide libelli, qui inscribitur PINAX.

NOTÆ.

AJC HILL. ST AT.

Verum ipse id per duas effert in Parastichida libellis, qui inscribitur Pinax.] Vet. impr. *in parastichide*, ut erat in manuscr. vel *prostichide libelli, qui inscribitur Pinax.*

VINET.

Aurelius Opilius.] Qui Carisio & Festo frequenter citatur.

CASAUBON.

Non absurde & scripsisse & fecisse se ait, ex numero Divarum & appellatione.] Mira brevitas sermonis : nam hoc vult : quod integrum opus in partes novem tribuisset, quodque illi nomen Musarum imposuisset, non absurde fecisse se ex Divarum numero & appellatione. Existimant eruditi novem istis libris novem Musarum nomina esse præfixa, ut in Herodoteo opere factum est : sed falluntur, nam opus universum Opilii Musarum nomen tulit : singulæ autem dictæ sunt, liber primus Musarum, liber secundus Musarum, &c. neque aliter, quod me minerim, a veteribus laudantur.

Hujus cognomen in pl.] Curiosa & grammatica est hæc observatio : quam refero ad liquidæ geminationem in cognomine Opilius. nam in hujusmodi nominibus quidam semel literam *l* ponebant, quidam geminabant. inde est illa etiam in antiquiss. codd. varietas, Lucilius, & Lucillius, Popilius & Popillius, & similia.

Per unam literam scriptum.] Videtur excidisse figura literæ. & fuisse : *per unam L. literam scriptum.* Gellius 14. 5 *habere debebit in cusu vocandi I literam extremam.* GRONOV.

In parastichide libelli.] Παραστιχὶς, unde παραστιχάω, continuum ordinem notat. item capita, & primas versuum literas.

CAPUT VII.

MARCUS ANTONIUS GNIPHO ingenuus, in Gallia natus, sed expositus ; a nutritore suo manumissus, institutusque, Alexandriæ quidem ut aliqui tradunt, in contubernio Dionysii Scythobrachionis ; (quod equidem non temere crediderim, quum temporum ratio vix congruat) fuisse dicitur ingenii magni, memoriæ singularis, nec minus Græce quam Latine doctus, præterea comi facilique natura, nec unquam de mercedibus pactus, eoque plura ex liberalitate discentium consecutus. Docuit primum in Divi Iulii domo pueri adhuc ; deinde in sua privata. Docuit autem & Rhetoricam, ita ut quotidie præcepta eloquentiæ traderet, declamaret vero nonnisi nundinis. Scholam ejus claros quoque viros frequentasse ajunt ; in his Marcum Ciceronem, etiam cum prætura fungeretur. Scripsit multa, quamvis annum ætatis quinquagesimum non excesserit ; etsi Atteius Philologus duo tantum volumina de Latino sermone reliquisse eum tradit. Nam cætera scripta discipulorum ejus esse, non ipsius, in quibus & suum alicubi reperiri nomen.

Digitized by Google

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Marcus Antonius Gnipho.] Hujus etiam meminit Quinctil. in 1. *Sicut*, inquit, *Ant. Gnifo, qui robur quidem & ebur atque etiam marmur fatetur esse: verum fieri vult ex his, robura, ebura, marmura.*

Sed expositus.] Distinguendum videtur hoc loco.

Nam cætera scripta discipulorum ejus esse, non ipsius, in quibus & suum alicubi reperiri nomen.] In vet. impr. *reperiri*, non *reperi*. ut repetatur, *Attesus Philologus tradidit*: itaque est in manuscript.

VINET.

Marcus Antonius Gnipho.] Quem citat Quinctilianus libro primo, & Carisius ex commentariis in Virgilium, epistolis & orationibus. Macrobius libro tertio Saturnaliorum: *Item Antonius Gnifo, vir doctus, cujus scholam Cicero post laborem fori frequentabat.*

Dionysii Scythobrachionis] Qui scribitur Σκυθοβραχίων apud Suidam, & Σκυτάς.

CASAUBON.

In contubernio Dionysii Scytobrachionis] Videtur hic, altero brachio debilis factus, effigiem brachii e corio aliave re levi facto gestasse. id enim est σκυτοβραχίων. Sed Suida auctore non solum Scytobrachion dictus est, verum etiam Σκυτάς, sutor, calceolarius quare alia fuerit caussa hujus appellationis. Recte autem Suetonius antiquiorem hunc fuisse pronuntiat, quam ut illi convivere Gnipho hic Ciceroni æqualis, potuerit, Ætatem illius certo definire non possumus: sed vetustum admodum scriptorem fuisse declarant verba Athenei e libro XII. ἱστορεῖ Ξάνθος ὁ Λυδὸς, ἢ ὁ τὰς εἰς αὐτὸν ἀναφερομένας ἱστορίας συγγεγραφώς, Διονύσιος ὁ Σκυτοβραχίων, ὡς Ἀρτεμὼν φησὶν ὁ Κασσανδρεὺς ἐν τῷ Περὶ συναγωγῆς βιβλίων. *refert Xanthus Lydus, vel auctor historiarum, qua ipsi adscribuntur; Dionysius Scythobrachion, ut ait Artemon Cassandreus, in opere de librorum collectione.* Historiam Lydiaca inscriptam plerique Xantho Lydo tribuebant, quidam Dionysio Scythobrachioni. hic Xanthus antiquissimus fuit scriptor ante Ephorum & Herodotum. Si igitur Dionysius iste Julii Cæsaris & M. Tullii ætate vixisset: quis tam fatuus eo vel proximo sæculo reperiri potuisset, qui vetustissimam Historiam illi adscriberet? Profecto ne dubitandum quidem erat Suetonio, quin hujus & Gniphonis tempora parum inter se congruerent.

CAPUT VIII.

POMPILIUS ANDRONICUS, natione Syrus, studio Epicureæ sectæ desidiosior in professione Grammaticæ habebatur, minusque idoneus ad tuendam scholam. Itaque cum se in Urbe non solum Antonio Gniphoni, sed cæteris etiam deterioribus postponi videret, Cumas transiit: ibique in otio vixit, & multa composuit: verum adeo inops atque egens, ut coactus sit præcipuum illud opusculum annalium elenchorum sedecim millibus nummum cuidam vendere. Quos libros Orbilius suppressos redemisse se dixit, vulgandosque curasse nomine auctoris.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Præcipuum illud opusculum Annalium Elenchorum sexdecim millibus nummum cuidam vendere.] Placet vet. impr. *Annalium Ennii Elenchorum* XVI. *nummum*, & quæ sequuntur.

Digitized by Google

CASAUBON.

Pompilius Andronicus.] Mediol. *Marcus Pomp. Andr.*

Ut coactus sit, præcipuum illud opusculum Annalium elenchorum, sedecim millibus nummum cuidam vendere.] Si hæc lectio vera est, index libri a Pompilio editi fuit, *Elenchi Annalium*. quem titulum ferre & aliquo modo interpretari possemus, nisi Mediol. editio & manuscript. aliud suaderent. In iis scriptum: *præc. illud opusculum suum Annalium Ennii elenchorum xvi nummum cuidam vendere.* Docti viri emendanto: ego nihil possum.

Quos libros Orbilius suppressos redemisse se dixit, vulgandosque curasse nomine auctoris] Revocavit nempe Orbilius e emplum Xenophontis qui in libris Thu ydidis idem fecit, magnamque ex ea re nivei candoris laudem est consecutus.

CAPUT IX.

ORBILIUS PUPILLUS Beneventanus, morte parentum, una atque eadem die, inimicorum dolo, interemptorum, destitutus, primo apparituram magistratibus fecit: deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit: functusque militia, studia repetit, quæ jam inde a puero non leviter attigerat, ac professus diu in patria, quinquagesimo demum anno Romam, consule Cicerone, transiit, docuitque majore fama quam emolumento. Namque jam persenex pauperem se, & habitare sub tegulis quodam scripto fatetur. Librum etiam, cui est titulus *Perialogos*, edidit, continentem querelas de injuriis, quas professores negligenter ab ambitione parentum acciperent. Fuit autem naturæ acerbæ non modo in antisophistas, quos omni sermone laceravit, sed etiam in discipulos, ut Horatius significat, *plagosum* eum appellans, & Domitius Marsus scribens:

Si quos Orbilius ferula scuticaque cecidit.

Ac ne principum quidem virorum infectatione abstinuit: siquidem ignotus adhuc, quum judicio frequenti testimonium diceret, interrogatus a Varrone diversæ partis advocato, *quidnam ageret, & quo artificio uteretur, Gibberosos se de sole in umbram transferre* respondit: quod Muræna gibber erat. Vixit prope ad centesimum ætatis annum, amissa jampridem memoria, ut versus Bibaculi docet,

Orbilius ubinam est, literarum oblivio?

Statua ejus Beneventi ostenditur in Capitolio ad sinistrum latus marmorea, habitu sedentis ac palliati, appositis duobus scriniis. Reliquit filium ORBILIUM, & ipsum Grammaticum professorem.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Librum etiam, cui est titulus Perialogos, edidit, continentem querelas de injuriis, quas professores negligenter.] Legendum videtur, *cui est titulus, περιλόγων.* Nam *περὶ* etiam querelam Græce significat. Senex enim, qui ab Aristotele φιλοπάθων dicitur, ab Horatio querulus nominatur. in vet impr. *neglegente*, non *neglegenter*. legendum fortasse *neglegentes*, vel ut in manuscriptis, *neglegentia & ambitione.*

Varroni

Digitized by Google

Varrone.] Non est in vet. impr. neque quod sequitur post, *Murena.*

VINET.

Et habitare sub tegulis.] Turnebus in capite undecimo libri tertii decimi Adversariorum.

Perialogos.] Si non placet Achillis Statii conjectura de hoc verbo Græco, alias invenies in capite undecimo libri tertii decimi Adversariorum Turnebi.

Ut Horatius significat.] Versu septuagesimo epistolæ ad Augustum libro secundo.

Interrogatus a diversæ partis advocato.] *Prodierat Orbilius in reum testis,* inquit Macrobius libro secundo Saturnaliorum de jocis, *quem Galba ut confunderet, dissimulata ejus professione, interrogavit, Quid artium facis? Respondit: In sole gibbos fricare soleo.* Erat enim Galba hic, pater Imperatoris Galbæ, vir eloquentia quidem clarus, sed brevi corpore, & gibbo informi: ut idem Macrobius & Suetonius sunt auctores.

CASAUB.

Pauperem se, & habitare sub tegulis.] Recte *sub tegulis* non *pergulis* ut placet nonnullis. Erat enim paupertatis indicium, in meritorio cœnaculo quod multis scalis adiretur, habitare, ut etiam ad extremum Domitianum notabamus.

Cui est titulus Perialogos.] Mendosa vox sine dubio · quod omnes Græce docti mihi concedent. Περὶ ἀλογίας esset. *De contemtu*; atque hoc videntur sequentia Suetonii verba confirmare non obscure. Vereor tamen ne, ut fieri amat in librorum titulis, aliquid morosius excogitatum sit ab Orbilio.

Quas professores negligenter ab ambitione parentum acciperent.] Quid sit *negligenter accipere injurias*, alii quærant. ego suspicor scribendum, *negligentia & ambitione parentum.*

Quos omni sermone laceravit.] Non *sermone*, sed *occasione* codex Mediol.

Quo artificio uteretur.] Fort. *se tueretur.* sic enim M. Tullius & alii Latinitatis optimi scriptores loquuntur.

Primo apparituram magistratibus fecit.] Id est, apparitorem egit, sive ut lib. 11. cap. 11. Valerius Maximus, *magistratibus apparuit.* Locutio, qualis est cap. 11, & 1x.

Deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit] Adspice notata ad caput XVII. Domitiani.

Pauperem se, & habitare sub tegulis.] Homines Romæ mediocris fortunæ suarum ædium partem superiorem inquilinis locare solebant, imam sibi retinebant: sed & erant qui cœnaculariam faciebant. Itaque pauperes cœnacula conducebant, cum in suo non habitarent, Prud. lib. 1 contra Symm.

Omnis qui celsa scandit cœnacula vulgus.

Qui autem omnium tenuissimi erant, cœnacula tegulis proxima conducebant. Huc pertinet illud, quod est in Epigramm. Mart.

——— *tegula sub una,*
Et scalis habito tribus, sed altis.

Significat enim se ultimo cœnaculo habitare sub tegulis. TURNEBUS.

CAPUT X.

ATTEIUS PHILOLOGUS libertinus, Athenis natus. Hunc Capito Attejus Jurisconsultus inter grammaticos rhetorem, inter rhetores grammaticum fuisse ait. De eodem ASINIUS POLLIO in libro quo Sallustii scripta reprehendit, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita, ita tradit: *In eam rem adjutorium ei fecit maxime quidam Attejus Pratextatus nobilis Grammaticus Latinus, declamantium deinde adjutor, atque præceptor, ad summam Philologus ab semet nominatus.* Ipse ad Lucium Hermam scripsit, *se in Græcis literis magnum processum habere, & in Latinis nonnullum: audisse* ANTONIUM GNIPHONEM, *ejusque* HERMAM: *postea docuisse. Præcepisse autem multis & claris juvenibus:*

Digitized by Google

in quibus APPIO *quoque &* PULCHRO, CLAUDIIS, *fratribus, quorum etiam comes in provincia fuerit.* Philologi appellationem assumpsisse videtur; quia sicut Eratosthenes, qui primus hoc cognomen sibi vendicavit, multiplici variaque doctrina censebatur. quod sane ex commentariis ejus apparet, quamquam pauciſſimi extent. de quorum tamen copia sic altera ad eundem Hermam epistola significat: HYLEN *nostram aliis memento commendare: quam omnis generis coëgimus uti scis octingentos in libros.* Coluit postea familiarissime Cajum Sallustium, & eo defuncto ASINIUM POLLIONEM: quos historiam componere aggressos, alterum breviario rerum omnium Romanarum, ex quibus quas vellet, eligeret, instruxit, alterum præceptis de ratione dicendi. Quo magis miror Asinium Pollionem credidisse, antiqua eum verba & figuras solitum esse colligere Sallustio: quum sibi sciat nil aliud suadere, quam ut noto civilique & proprio sermone utatur, vitetque maxime obscuritatem Sallustii & audaciam in translationibus.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Hunc Capito Attejus jurisconsul.] In vet. impr. *Hunc Capito Attejus natus jurisconsultus.* legendum fortasse, *notus jurisconsultus* quemadmodum in Vaticano altero scriptum reperi.

Inter grammaticos rhetorem, inter rhetores grammaticam.] Simile illud de Hermogene rhetore, *inter senes puer, inter pueros senex.*

Declamantium deinde adjutor, atque præceptor.] In vet. imp. verbum, *adjutor*, non erat. Ego legendum suspicabar, *auditor atque præceptor*, ut quos doceret, declamantes audiret.

Ipse.] Distinguendum hoc loco.

Ad Lælium Hermam scripsit.] In vet. impr. *Ad L. Hermam scripsit.* quod placet.

Audisse Antonium Gnifonem, ejusque Hermam, postea docuisse] Lego ac distinguo, *Audisse Antonium Gnifonem, ejusque F. Hermam, postea docuisse.* Ut sententia sit, usum illum præceptoribus, Gniphone atque ejus filio Herma, postea præceptorem aliorum fuisse.

In quibus Appio quoque & Pulcro Claudiis fratribus. Deesse aliquid videtur ad distinctionem Claudiorum fratrum.

Sibi vendicarit.] Lege, *vindicavit.*

VINET.

Attejus Philologus.] Qui citatur Festo Pompejo in verbis *Vacerra*, *Stroppus*, & alibi Carisio, ac Servio ad versum sexcentesimum & quinctum libri primi Æneidos Virgilii.

Appio quoque.] Publius Clodius fuit a Milone interfectus, anno ab Urbe condita septingentesimo secundo: qui Pompejum Magnum & Metellum Scipionem habuit consules. Isti Clodio frater fuit Cajus Clodius: duosque habuit filios, qui patrui sui mortem adolescentuli sunt persecuti: ut scribit Asconius Pedianus, si forte sint hi Clodii fratres, quos Attejum Philologum docuisse Suetonius tradit.

CASAUBON.

In eam rem adjutorium ei fecit.] Liber Petavii, *adj. ei fuit.*

Attejus prætextatus.] Scrib. *Prætextatus.* nam est Atteii cognomen.

Ejusque Hermam postea docuisse.] Quis iste Hermas? filius Gniphonis an discipulus.

Sicut Eratosthenes.] De hujus studiis & eruditione varia habes apud Strabonem, quæ huc faciunt; ubi plura olim adnotavimus.

Hylen nostrum.] Sunt Excerpta, qualia Pli-

Digitized by Google

nius sibi confecerat digesta in Commentarios centum & sexaginta, ut narrat Plinius junior.

Alterum breviario rerum Romanarum.] Scripti perperam, *breviore*, amat Suetonius hanc vocem in Augusto cap. CI, *breviarium totius imperii*, in Vespasiano cap. XXI, *perlectis officiorum omnium breviariis.*

Præceptis de ratione dicendi.] Imo vero. *scribendi*, atque ita corrige e Mediol. & manuscr.

Vitetque maxime obscuritatem Salustii] Mirum est, si diserte monitus fuerat Asinius Pollio ab Atejo, ut Salustii obscuritatem vitaret; tam iniquum fuisse ipsi Atejo Pollionem, ut scriberet voces obsoletas suggeri ab eo solitas Salustio. Sed puto verum esse quod inveni adnotatum in codice Bongarsii, delendam isto loco esse vocem *Salustii.*

Audisse se Antonium Gniphonem ejusque Hermam.] Fortassis, *ejusque L. Hermam.* id est, *libertum.* GRONOV.

CAPUT XI.

VALERIUS CATO, ut nonnulli tradiderunt, Bursseni cujusdam libertus ex Gallia: ipse libello, cui est titulus INDIGNATIO, ingenuum se natum ait, & pupillum relictum, eoque facilius licentia Syllani temporis exutum patrimonio. Docuit multos, & nobiles, visusque est peridoneus præceptor maxime ad poëticam tendentibus; ut quidem apparere vel his versiculis potest,

Cato Grammaticus, Latina Siren,
Qui solus legit ac facit poëtas.

Scripsit præter grammaticos libellos, etiam poëmata, ex quibus præcipue probantur Lydia, & Diana. Lydiæ Ticida meminit:

Lydia doctorum maxima cura liber.

Dianæ Cinna:

Sæcula permaneat nostri Diana Catonis.

Vixit ad extremam senectam, sed in summa pauperie, & pene inopia, abditus modico gurgustio, postquam Tusculana villa creditoribus cesserat, ut auctor est Bibaculus:

a *Si quis forte mei domum Catonis,*
Depictas minio assulas, & illos
Custodis videt hortulos Priapi,
Miratur quibus ille disciplinis
Tantum sit sapientiam assecutus,
Quem tres cauliculi, & selibra farris,
Racemi duo, tegula sub una
Ad summam prope nutriant senectam.

Et idem rursus:

b *Catonis modo, Galle, Tusculanum,*
Tota creditor urbe venditabat.
Mirati sumus unicum magistrum,
Summum grammaticum, optimam poëtam,
Omnes solvere posse quæstiones,
Unum difficile expedire nomen.

Digitized by Google

En cor Zenodoti, en jecur Cratetis.

INTERPRETATIO.

a *Si quis casu spectat ades mei Catonis, parvos asseres variatos minio, atque illos hortulos vindicis Priapi, stupet, quibus artibus ille pervenerit ad tantam sapientiam, qui ad provectam fere senectutem alatur tribus caniculis, dimidia libra farris, & duabus uvis sub una tegula.*

b *O Galle, paullo ante creditor per totam urbem distrahebat Tusculanum Catonis. Stupuimus dissolvi posse omnes quæstiones ab unico magistro, eruditissimo grammatico, vate præstantissimo, difficulter vero extricari ab uno nomine*, h. e. debitis, *en prudentia Zenodoti, & Cratetis.*

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Visusque est peridoneus præceptor, maxime ad poëticam tendentibus.] In vet impr. *ad poëtas tendentibus.*

Inscripsit præter grammaticos libellos etiam poëmata.] Legendum videtur, non *inscripsit*, sed, *idem scripsit*, vel *conscripsit.*

Depictas minio.] Legendum puto, *Et pictas*, propter ordinem.

Et illos custodes vider hortulos Priapi.] Legendum, *custodis*, ut ad Priapum referatur. Sæpe custos hortorum Priapus a poëtis dicitur.

Quem tres calculi, & selibra farris] Versus non stat, nisi dure sibi hiatum concurrentium vocalium permiserit. Et alieni sunt ab hujus loci sententia calculi. Emendaram olim, *Quem tres culeos*: vel, *Quem tres caricula*. Sed multo probabilius Gabriel Faërnus, *Quem tres caulisculi*

Tegula sub una.] Idem ante in Orbilio, *Et habitare sub tegulis quodam scripto faietur.*

Omnes solvere posse quæstiones, unum difficile expedire nomen.] *Solvere* atque *expedire* idem valent in quæstionib. *solvere* translatum est a nodis: quamobrem etiam addidit, *expedire*, proprie. namque solvendo qui non erant, nervo inligati domum ducebantur.

En cor Zenodoti, en jecur Cratetis.] Jecur similiter posuit Pacuvius apud Cic. in 1. de Divin. *Nam istis qui linguam avium intelligunt, plusque ex alieno jecore sapiunt, quam suo, magis audiendum quam oscultandum censeo.*

VINET.

En cor.] Turnebus capite undecimo libri tertii decimi, probat hic cor & jecur, esse prudentiam & sapientiam. Zenodoto Grammatico Græco Suidas.

CASAUBON.

Lydia Ticida meminit.] C. Ticida poëta epigrammatarius, de quo, ut de aliis, erudite doctissimus Gyraldus. Apud Priscianum libro v. in novissima editione adolescentis eruditissimi, in cujus obitu damnum fecit Resp. literaria, *Atticidas* perperam scriptum, pro C. *Ticidas*, sive quod aliud fuit huic viro prænomen.

Secula permaneat nostri Diana Catonis.] Scribe e libro Petavii, *nostri Dictynna*. Notum ex poëtis & eorum interpretibus Dianæ nomen.

Unum difficile expedire nomen.] Non sunt audiendi qui mutant hanc lectionem. jubet enim vir doctus scribi, *explicare*. & affert ex Ambrosii sermone XXIIX. *nimia sunt gravia, fiscalia explicare non possumus.* quasi vero non sæpe apud Ciceronem & in libris Juris occurrant illa genera loquendi, *expedire pecuniam*, & *expedire nomina*: item his ἀπαλογα multa.

Assulas.] Assulas marmoris in Vitruvio legimus: sic enim in eo scribitur lib. VII. cap. V 1. *Cæmenta marmorea sive assula dicuntur.* vereor tamen, ne e Paulino *astula* legendum sit, cujus versus est libro X. natali Sancti Felicis:

Quamque aqua non poterat, vicit brevis astula flammam.

Illam autem astulam paulo ante explicat,

De crucis æterna sumptum mihi fragmine ligni
Promo.

Digitized by Google

Ut enim quæ franguntur e ligno, astulæ sunt: sic quod a marmore malleis decutitur. TURNEB.

Racemi duo, tegula sub una.] Potest esse hyperbole, qualis in cæteris. Suspicabar tamen, *tegula sub ipsa.* GRONOV.

En cor Zenodoti, en jecur Cratetis.] Cor esse Latinis prudentiam & sapientiam, cognomen Corculi satis ostendit: & versus Ennii,

Egregie cordatus homo, catus Ælius Sextus.

Jecur etiam in eadem significatione hic ponitur. Nam in eo etiam, non tantum in corde, sensa animi collocata & affectus credebant, eamque animi sedem domicilium existimabant. Ita plane Persius Sat. 1,

Quo didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus
Innata est, rupto jecore exierit caprificus?

Eleganter & perfacete dixit: ut erumpere solent e parietinarum & monumentorum veterum commissuris steriles ficus. Non ab alia origine & mente est, quod dixit eadem Satyra:

——— *neque enim mihi cornea fibra est.*

Et quinta:

Quod latet arcana non enarrabile fibra.

Nam in jecore fibræ sunt. TURNEBUS.

CAPUT XII.

CORNELIUS EPICADIUS Lucii Cornelii Syllæ Dictatoris libertus Calatorque sacerdotio augurali, filioque ejus Fausto gratissimus fuit: quare nunquam non utriusque se libertum edidit. Librum autem, quem Sylla novissimum de rebus suis imperfectum reliquerat, ipse supplevit.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Quare numquam non utriusque se libertum edidit.] In vet. impr. *quasi numquam non.* quod idem valet, quod, *fere semper.* sed prior lectio etiam probanda, quæ in altero erat manuscripto.

VINET.

Cornelius Epicadus.) Is fortasse quem citat Macrobius libro primo Saturnaliorum de Sigillaribus.

Quem Sylla.] Lucius Cornelius Sylla dictator, de rebus suis commentaria scripsit, auctore Plut.

CASAUBON.

Calatorque sacerdotio augurali.] Καλήτωρ Dionysio Halic. in historia Roman. Græcis κήρυξ. Plautus. Festus, alii.

CAPUT XIII.

LABERIUS Hiera suo hero emptus de cataста, & propter literarum studium manumissus, docuit inter cæteros Brutum & Cassium. Sunt qui tradant tanta eum honestate præditum, ut temporibus Syllanis, proscriptorum liberos, gratis & sine mercede ulla in disciplinam receperit.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Taberius Hiera suo hero emtus de castata.] In vet. impr. *Taberius hero suo morem emtus,* in qua lectione tantum muto, *more.* quod positum videri possit, ut a Cic. *moridus,* in Orat. pro Cæcina, *Placuit Cæcinæ & amicorum sententia constituere quo die in rem præsentem veniretur, ut de fundo Cæcina moribus deduceretur.* Ac post, *Ibi tum Cæcinam postulasse, ut moribus deductio fieret.* In manuscripto altero legitur, *Staberius hero suo Metre emtus de cataста* in altero *Straberius nametra epturus.* ex quo faciebam, N.M. C. ut sit *nummorum millibus centum.*

Digitized by Google

VINET.

Laberius Hiera.] Qui & *Tiberius Hiera.* T. pro L. ut principium huius vocabuli varie corruptum esse a librariis annotavit Statius.

CASAUBON.

Laberius Hiera suo hero emptus de cataſta.] Mediol. *Staberius*; quod perplacet genti Romæ nota Staberia. cætera sive in Mediol. sive in manuscr. corruptissima, ut jam adnotavit Achilles.

Emptus de cataſta.] Cataſta erat pegma ligneum, in quo suos vænales collocabant mangones, cum illos vendebant aut venditionem parabant, in quo nudabantur, ut emptores diligentes essent ne omnia membra integra & valida possent perspicere Plin. lib. XXXV. de Chrysogono Sullæ liberto: *Talem in cataſta videre Chrysogonum Syllæ.* Cicero *machinas* vocat cataſtas, de petitione Consulatus, loquens de Catilina: *quo in magiſtratu amicam, quam palam domi haberet, de machinis emit.* Casaubonus ad Pers. Sat. VI, quem vide pluribus ibi de Cataſta erudite disputantem. Grav.

CAPUT XIV.

CURTIUS NICIA hæsit Cn. Pompejo & Cajo Memmio; sed quum codicillos Memmii ad Pompeji uxorem de stupro pertulisset, proditus ab ea, Pompejum offendit: domoque ei interdictum est. Fuit & M. Ciceronis familiaris; in cujus epistola ad Dolabellam hæc de eo
5 legimus: *Omnino mihi litera magis sunt expetenda a te, quam a me tibi. Nihil enim Romæ geritur, quod te putem scire curare, nisi forte scire vis me inter Niciam nostrum & Vidium judicem esse. Profert alter, opinor, duobus versiculis expensum Niciæ. Alter Aristarchus hos* a *ὀβελίζει. Ego tanquam criticus antiquus judicaturus sum, utrum sint* b *ὑ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένοι.*
10 Item ad Atticum, *De Nicia quod scribis, si ita me haberem ut ejus humanitate frui possem, in primis vellem illum mecum habere: sed mihi solitudo & recessus provincia est. quod quia facile ferebat Sicca, eo magis illum desidero. Præterea nosti Niciæ nostri imbecillitatem, molliciem, consuetudinem victus. Cur ergo illi molestus esse velim, quum mihi ille jucundus esse non*
15 *possit? voluntas tamen ejus mihi grata est.* Hujus de Lucilio libros etiam satyra comprobat.

INTERPRETATIO.

a *expungit.*

b *An poëta, an interjecti.*

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Curtius Niciæ.] In vet. impr. *Hirtius Niciæ.*

Omnino mihi.] Pauciora leguntur in vet. impr. hæc scilicet, *Nihil Romæ geritur, quod te putem scire curare, nisi forte scire vis, me inter Niciam nostrum, & Vidium, judicem esse. profert alter duobus versiculis.* & quæ sequuntur.

Item ad Atticum de Niciæ.] Legendum. *De Nicia* In vet. impr. *De Hirtio.* epist. Cic. in XII. ad Atticum, cujus initium, *Scripsit ad me diligenter Sicca.*

Cur ergo illi] Probabiliter etiam in vet. impr. *Cur ergo illi.*

Hujus de Lucilio libros etiam satyra comprobat.] Mendose, opinor, sic legitur, emendabam. *Ejusdem Lucilii libros etiam satyra comprobat.* vel, *Hujus de Lucilio libros etiam Santra comprobat.* Santræ Quinctil. & Nonius Marcellus in verbo *Bacchari* meminerunt.

VINET.

In cujus epistola ad Dolabellam.] Libro nono earum quæ vulgo familiares inscri-

Digitized by Google

bunrur: *Non fum auſus*, ad Atticum vero libro duodecimo.

CASAUBON.

Inter Niciam noſtrum & Vidium.] Mediol. *Nidium.* Scripti, *Nudium.* editiones Ciceronis *Videum.*

Hujus de Lucilio libros etiam ſatyra comprobat. Script. *Satura compr.* quid ſibi hæc verba velint, non facile dixero.

Ego tanquam Criticus antiquus judicaturus ſum, utrum ſint ἔ παῖδε, an παρεμβεβλημένοι.] Critici tertium genus Grammaticorum, non probos tribu movere poſſunt, ut illud apud Auſonium:

Quique notas ſpuriis verſibus addiderat.

Neque tantum quæ perperam ab auctoribus dicta ſcripta, pronunciata ſunt ἀθετεῖν, ὀβελίζειν, *rejicere, expungere.* ſed & aliorum Criticorum temere ſcita notare ac caſtigare ſolebant. quam κρίσιν εἰκαίως ἀθετήσεως *Cenſuram, futiles improbationes* vocabant. Sed præcipua hujus ſtudii pars, tranſpoſita in auctoribus ſuis ſedibus vindicare, ut fecit ille.

Qui ſancti lacerum collegit corpus Homeri.

Quo nomine μεταθέσεις ἔ χωρῶν, *tranſpoſitiones ſcripturarum.* valde celebrarunt. Et conciliatio ſententiarum etiam in Philoſophis ad eos pertinebat ejuſmodi ſunt συμφωνίαι ἔ διαφώνων in Platone a veteribus Criticis notatæ. JOSEPHUS SCALIGER.

CAPUT XV.

LENÆUS Pompeji Magni libertus, & pene omnium expeditionum comes, defuncto eo, filiiſque ejus, ſchola ſe ſuſtentavit: docuitque in Carinis ad Tulleris ædem; in qua regione Pompejorum domus fuerat: ac tanto amore erga patroni memoriam exſtitit, ut SALLUSTIUM hiſtoricum, quod eum *oris improbi, animo inverecundo* ſcripſiſſet, acerbiſſima ſatyra laceraverit, *laſtaurum & lurconem, & nebulonem, popinonemque* appellans: & *vita ſcriptiſque monſtroſum:* præterea *priſcorum, Catoniſque verborum ineruditiſſimum furem.* Traditur autem puer adhuc catenis ſubreptus, refugiſſe in patriam; perceptiſque liberalibus diſciplinis, pretium domino ſuo retuliſſe. verum ob ingenium & doctrinam gratis manumiſſus.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Quod eum oris improbi, animo inverecundo ſcripſiſſet.] Vet impr. *quod eum oris probum* in altero manuſcripto, *oris probi.* Legebam, *ore probo.* vel *quod enm ore is probo.* illud enim *os probum* Pompeji valde commendatur.

Laſtaurum.] Græco verbo.

Præterea priſcorum, Catoniſque verborum ineruditiſſimum furem.] Probior lectio vet. impr. *præterea priſcorum Catonis verborum*, &c.

Pretium domino ſuo retuliſſe.] In vet. imp. ut in manuſcriptis, *pretium ſuum retuliſſe*] Emendabam, *pretium ſui retuliſſe:* nam *domino* additicium videtur.

VINET.

Lenæus.] Apud Plinium libro quinto decimo & viceſimo quinto Pompejus Lenæus: ut liberti ſuorum patronorum nomina ſumebant. Lenæus tantum apud Aulum Gellum libri ſeptimi decimi capite ſexto decimo.

CASAUBONUS.

Laſtaurum.] Λάσταυρον, hoc eſt πόρνον & impudicum. ſcripta lectio varie corrupta ex imperitia Græcæ linguæ videtur. Lenæus hanc vocem mutuatus ab aliquo e La-

Digitized by Google

tinis poëtis, qui poëtica licentia eam fecerat Romanam.

Traditur autem puer adhuc catenis subreptus.] Videtur ab aliquo amicorum subreptus, cum iste ostiarius veterum more in catena esset, sicut loquitur Tranq. in Octacilio. Sed non sit absurdum suspicari, pro *catenis*, scribendum esse *quadriennis*, aut tale quid.

Pretium domino suo retulisse.] Servi quibus erat peculii copia, libertatem suam praesenti pecunia redimebant[9]: quibus non erat, fidem suam obligabant: quod hic videtur fecisse. refert igitur pecuniam veteri domino jam patrono suo, quam ex pacto illi debebat. Dominus in honorem literarum pretium non accipit. Potest etiam dici, tamdiu servisse Lenæum, donec literas docendo idoneam pecuniam quæsiisset. Ita interpretamur editam lectionem, quam docti quidam sollicitant.

In carinis [De his, ac Pompejana domo ad cap. XV. Tiber.

Ad Telluris edem.] Telluris ædes, quæ Romæ prima memoretur ea est, quam exstruxere in area Spurii Cassii publicata anno CCLXVIII. Meminit Cicero pro domo sua, & Valerius Maximus libro VI. cap. III. Anno quoque CCCCLXXXV P. Sempronius Sophus ædem Telluri vovit: cum, acie jam instructa adversus Picentes, terra contremuisset, eaque res ingentem incussisset horrorem Romanis, sic ut ad pugnandum vix possent compelli. Auctores Florus lib. I. c. XIX & Orosius lib. IV. cap. IV. Etiam Deæ hujus ædem memorat Plinius lib. XXXIV. c. VI. Non multum abfuisse a Carinis, indicat hic Suetonius. Sicut & P. Victor, qui in quarta collocat urbis regione, itidem non procul a Carinis. VOSSIUS.

Oris improbi, animo inverecundo.] Haud dubie, *oris probi*. Plinius 7. 12. *Magno Pompejo Vibius quidam e plebe & Publicius etiam servitute liberatus, indiscreta prope specie fuere similes, illud os probum reddentes.* Idem lib. 37. 2. *Imago Cn. Pompeji, illa regio honore grata, illa probi oris venerandique per cunctas gentes.* Seneca epist 11. *Nihil mollius ore Pompeji: nunquam non coram pluribus erubuit, utique in concionibus.* Ubi & Lipsius sic, ut volebamus. GRONOV.

Lastaurum.) Taurus pars est obscœna: ut apud Festum in Solitaurilibus: *atque harum victimarum omnium immolati sunt tauri: quapars editur in castratione* inde lastauri dicti. TURNEB. Adde Suidam: λάσταυρος, πόρνος, ἀπὸ τοῦ λαστὸν ταῦρον ἔχειν τὸν αἰδοῖον. *Scortum masculum, scortator, qui taurum habet hirsutum, quasi dicas* λαστόταυρος.

Puer adhuc catenis subreptus.] Conjiciebam, *Catina*, quod Siciliæ oppidum est. Fuerit a plagiario quodam subreptus suis asportatusque in alium locum & venditus servitutem servierit; deinde grandior undecumque cognita origine refugerit in patriam, atque ibi studiis excultus adeo non tulerit jacturam domini, ut ultro ei referret summam pretii, quo ab eodem emptus fuerat. GRONOVIUS.

CAPUT XVI.

QUINTUS CÆCILIUS Epirota, Tusculi natus, libertus Attici Satrii equitis Romani, ad quem sunt Ciceronis epistolæ, cum filiam patroni nuptam Marco Agrippæ doceret, suspectus in ea, & ob hoc remotus, ad Cornelium Gallum se contulit, vixitque una familiarissime. quod ipsi Gallo inter gravissima crimina ab Augusto objicitur. Post deinde damnationem mortemque Galli, scholam aperuit: sed ita, ut paucis, & tantum adolescentibus præciperet, prætextato nemini, nisi si cujus parenti hoc officium negare non posset. Primus dicitur Latine ex tempore disputasse, primusque Virgilium & alios poëtas novos prælegere cœpisse. quod etiam Domitii Marsi versiculus indicat,

Epirota tenellorum nutricula vatum.

NOTA

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Attici Satrii.] Vet. impr. *Sarti* non *Satrii*.

Suspectus in ea.] Legendum fortaſſe *in eo*.

Poſt deinde damnationem.] In vet. impr. *poſtinde*, uno verbo, quod accuſandi caſum regat.

Et alios poëtas novos perlegere cœpiſſe.] Lego, *pralegere* non *perlegere*, ut in manuſcriptis erat.

VINET.

Libertus Attici Satrii equitis Romani.] Nemini dubium ſit quin hic intelligat Sueronius Titum Pomponium Atticum, ad quem extant libri ſedecim Epiſtolarum a Marco Tullio Cicerone ſcriptarum. Primum enim a majoribus acceptam equeſtrem dignitatem perpetuo obtinuit: filiamque virginem Agrippæ Auguſti Cæſaris poſtea genero, collocavit Atticus ille: ut de eo memoravit Cornelius Nepos. Deinde, ut auctores ſunt iidem Nepos, & Cicero in prima illarum epiſtolarum, avunculum is habuit Quinctum Cæcilium: a quo moriente fuit teſtamento adoptatus, hæreſque factus ex dodrante. Adoptati autem nomina eorum gerebant, a quibus adoptati fuerant: ut de Scipionibus & Cæſaribus oſtendimus in iis quæ in Eutropium ſcripſimus. Atticus ergo noſter, Titus Pomponius Atticus, Quinctus Cæcilius Pomponianus fuit appellatus. Atque hinc ejus libertus Epirota, Quinctus Cæcilius, patroni nominibus: ut ſupra diximus Romæ fieri ſolitum. Verum iſtud *Satrii* vocabulum undenam ortum? Fuit quidem Satrius inter Romana nomina. In epiſtolis namque ejuſdem Ciceronis ad Brutum memoratur Satrius quidam Trebonii legatus. In prima ad Atticum, qui nunc *Satyrus* eſt, vidi, cum *Satrius* imp: imeretur. Eſt Satrius Secundus apud Tacitum libro quarto. Suntque alibi alii. Verum de tertio Quincti Cæcilii avunculi nomine nihil comperi, & timeo ut ne iſtud *Satrii* quod & *Sarti* quoque aliquando fuit, ortum ſit hac confuſione. *Libertus Attici.* Idem Suetonius de Tiberio Cæſare: *Agrippinam Marco Agrippa genitam, neptem Cæcilii Attici Equitis Romani, ad quem ſunt Ciceronis epiſtolæ, duxit uxorem.*

CASAUBON.

Libertus Attici Satrii.] Satriam gentem Romanam etiam ex epiſtolis Ciceronis habemus notam. Sed hoc cognomen unde Pomponio Attico? aut quis alibi illud legit? Omnino inducenda vox *Satrii*; quæ e depravata lectione Mediol. & aliquot manuſcript. ortum habuit. in illis eſt. *Libertus Sarti eq.* litera *S* e fine præcedentis dictionis initio ſequentis male adhærens, fons & origo depravationis fuit. Porro Cæcilius hic etſi libertus Attici erat, Pomponius tamen dictus ab eo non eſt, verum Cæcilius; e nomine avunculi Q. Cæcilii cujus hereditatem Atticus adierat. neque dubium bonorum Cæcilii partem fuiſſe hunc ſervum.

Poſt deinde damnationem] Med. *Poſt inde damn.* elegans trajectio, ἀνὰ τᾶ, *deinde poſt damn.*

CAPUT XVII.

VERRIUS FLACCUS, libertinus, docendi genere maxime inclaruit. Namque ad exercitanda diſcentium ingenia æquales inter ſe committere ſolebat, propoſita non ſolum materia, quam ſcriberent, ſed & præmio, quod victor auferret. Id erat liber aliquis antiquus, pulcher, aut rarior. Quare ab Auguſto quoque nepotibus ejus præceptor electus, tranſiit in Palatium cum tota ſchola, verum ut ne quem amplius poſthac diſcipulum reciperet: docuitque in atrio Catilinæ domus, quæ pars Palatii tunc erat: & ſeſtertia centena in annum accepit. Deceſſit ætatis exactæ ſub Tiberio. Statuam habet Præneſte, in inferiore fori parte, contra hemicyclum: in quo faſtos a ſe ordinatos, & marmoreo parieti inciſos, publicarat.

Digitized by Google

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Verum ut neque amplius posthac discipulum reciperet.] Lego, *ut ne quem amplius.*

In atrio Catilinæ domus.] Uno in manuscripto, *Catulinæ*, ut Catuli domus fuerit. fuit enim domus Q. Catuli regione X. in qua Palatium. alia ejusdem regione V.

Sestertia centena.] In vet imp. *centena sestertia*

Statuam habet Præneste in inferiore fori parte.] Mendose scriptum videtur *Præneste*. Octavius Pantagathus mutabat in, *pro Veste* ut statua Verrii fuerit ante Veste templum, octava regione videlicet, in qua forum. Antonius Augustinus legebat *pedestrem*. Ego vero faciebam, *pura veste*, ut statua Flacci veste fuerit pura & simplici, nullis argumentis. Eodem prope modo est in veteri monumento Romæ apud Maianum, civem Romanum, in eo vico qui hodie dicitur. Spolia Christi:

HUIC SENATUS, AUCTORE M. AURELIO ANTONIO AUG ARMENIAC. MEDIC. PARTHIC. MAXIMO GERM. SARMAT. STATUAM PONI HABITU CIVILI, IN FORO DIVI TRAJANI PECUNIA PUBLICA, CENSUIT. Sic Plin. in XXXI *puros lemniscos* dicit. *Puri*, inquit, *diu fuere hi, calare eos primum instituit* P. *Appius Pulcher.* Nec tamen repugno, quo minus etiam *Præneste* legatur. fieri enim potuit, ut etiam Præneste, quemadmodum Romæ, Verrii ipsius fasti fuerint marmoreo parieti inciſi.

Contra hemicyclum.] In vet. impr. *contra henicylum*. Legendum opinor, *contra senaculum*. fuit enim eadem regione, inter Capitolium & forum. senaculum ubi magistratus cum senioribus deliberabant, auctor Victor id erat, opinor, senaculum aureum. in altero manuscripto, *hemicyclium*, in altero *hemicidium*: ac si id factum Præneste accipimus, hemicyclum illic fuisse intelligamus. cujus nulla apud Victorem mentio.

In quo fastos a se ordinatos, & marmoreo parieti incisos.] Quorum putantur esse fragmenta, quæ hodieque visuntur Romæ in Capitolio, muro impressa, eruta e fori ipsius ruinis.

Publicaret.] Lego, *publicarit*, vel *publicarat* Utrumque enim convenit, utrumque aptius, quam *publicaret.*

VINET.

Verrius Flaccus.] Prænomine Marcus. quem floruisse ad annum Christi nati decimum, Latina Eusebii Chronica memorant. Citatur Plinio, Gellio, Festo, Macrobio, Prisciano, & aliis veteribus.

Sestertia centena.] Centum sestertia sunt Budæo duo millia & quingenti aurei Francici.

Præneste] Hoc Præneste, & hæc Prænestis, auctore Servio, urbs fuit, ab Roma non plus viginti millia passuum distans. Sed hic aliter esse legendum, quam Præneste, multi docti viri sunt suspicati: ut ex Stano, & Onuphrio de tabulis Capitolinis, cognosces.

CASAUBON.

Ab Augusto quoque nepotibus ejus.] Scrib. *nepotibus suis.* error e scribendi consuetudine nota, vel ex Florentinis Pandectis,

Statuam habet Præneste.] Assentior Octavio Pantagatho; feliciter emendanti *pro Veste*, vel *pro ade Veste.* causas emendationis pluribus persequitur Onufrius initio Fastorum.

Et marmoreo parieti inciſos.] Petavianus codex, *& marmori perite inciſos.*

Sestertia centum.] Sunt bis mille quingenti coronati.

Contra hemicyclum.] Lego, *hemicyclium.* Cicero de amicitia: *tum memini domi in hemicyclio sedentem in eum sermonem illum incidere.* Plutarchus in Nicia: ἦν δὲ καὶ παλαίστρας καὶ γέρρα τῶν ἐφηβικῶν καὶ ἡμικυκλίοις συγκαθιζομένοις. *Iuvenes in palæstris, & senes in tabernis, & in quodam hemicyclio sedentes.* Idem ὥσπερ ἀλλαχοῦ καὶ ἐν ἡμικυκλίῳ τινὶ καθεζόμενος. *De loquacitate. quamvis in hemicyclio quodam sedentes.* Sidonius lib. 2. epist. 2. *excepto solii capacis hemicyclio.* Apud Plinium quoque lib. 5. ep. 6 *Rectus hic hypodromi limes. In extrema parte hemicyclio frangitur*, legendum, nam in membranis bibliothecæ Acad. est *hemicidio*: & distinguitur prorsus scribiturque *ypodromi* & *hypodromus*, ut volcit

Digitized by Google

ad Sidonium Sirmondus, non *Hippocratem*. GRONOV.

CAPUT XVIII.

LUCIUS CRASSITIUS genere Tarentinus, ordinis libertini, cognomine Pasides, mox Pansam se transnominavit. Hic initio circa scenam versatus est, dum Mimographos adjuvat. deinde in pergula docuit, donec commentario Smyrnæ edito, adeo inclaruit, ut hæc de eo scriberentur,

Uni Crassitio se credere Smyrna probavit:
Desinite indocti conjugio hanc petere.
Soli Crassitio se dixit nubere velle:
Intima cui soli nota sua extiterint.

Sed cum edoceret jam multos, ac nobiles, in his Julium Antonium triumviri filium, ut Verrio quoque Flacco compararetur, dimissa repente schola transiit ad Quinti Septimii philosophi sectam.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Ordinis libertini.] Ordo conditionem significare videtur hoc loco, ut apud Terentium in Eunucho, *Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc atque ordinis.* Aliter Eventius: sed apud me Suetonii pluris est auctoritas.

In pergula docuit.] Vet impr. *percula.* pergulam autem pro pulpito videtur accepisse.

Intima cui soli nota sua extiterint.] in vet. impr. *vota*, non *nota*, in eam sententiam, Vota Smyrnæ Crassitio fuerunt intima: solus quid sibi vellet Smyrna, Crassitius intellexit. Intelligit autem, opinor, *Smyrnam*, poëma Cinnæ.

Ad Q. Septimii sectam.] In vet. imp. *Septimi.* Atque hic sit fortasse Septimius, de qua sæpe Horatius.

VINET.

Commentario Smyrna edito.] Commentario in Smyrnam carmen Cinnæ: de quo extat Catulli epigramma: & cujus meminit Servius in nonum Bucolicum Virgilii.

CASAUBON.

Ad Q. Septimi philosophi sectam.] Pithœi & Petavii codd. *ad Sextii phil. s.*

Cognomine Pasides.] Leg. *Pasicles*, aut *Posides.* SALMAS.

Deinde in pergula docuit.] Cum Suetonius inquit, Augustum Apolloniæ adscendisse pergulam Theogenis Mathematici, intelligendum, adscendisse ad locum apertum in domus superna parte, in quo Theogenes artem suam docebat & profitebatur, quo in loco & alii artifices se exercere, & res venales exponere consueverant. Vopiscus in Saturnino: *In Africa Rhetoricæ operam dederat, Romæ frequentaverat pergulas magistrales.* Juvenalis:

Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula. ——

Hinc & illud Lucilii:
Pergulæ pictorum veri nihil, omnia ficta.
MARCELLUS DONATUS.

Uni Crassitio se credere.] Lego, *cedere*, id est, evenire, vel in manum convenire. Ut Ovidius lib. 1 metam. *Cesserunt nitidis habitanda piscibus unda.* Justinus lib. 13. *Summus castrorum tribunatus Seleuco Antiochi filio cessit.* De ipso poëmatio Catullus: *Smyrna mei Cinna nonam post denique messem. Quam cœpta est nonamque edita post hiemem.* GRONOVIUS.

Digitized by Google

CAPUT XIX.

SCRIBONIUS APHRODISIUS, Orbilii servus atque discipulus, mox a Scribonia Libonis filia, quæ prior Augusti uxor fuerat, redemptus & manumissus, docuit, quo Verrius tempore: cujus etiam libro de Orthographia rescripsit, non sine insectatione studiorum morumque ejus.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Cujus etiam libros de Orthographia rescripsit.] Damnavit, &, ut docti quidam loquuntur, retractavit. Fuit autem, in quo reprehenditur Verrius putidiusculus.

Rescripsit.] Rescribere librum suum auctor dicitur, qui corrigendi studio illum recenset, aut iterum scribit. Sic loquitur Suet. in Julio cap. LVI, *existimatque rescripturum & correcturum fuisse.* at pro ἀνορθοῦν & contra scribere *rescribere librum* vix putem Latinum. Lego igitur, *libris de O. resc.*

CASAUBON.

Cujus etiam libros de Orthographia rescripsit.] Leg. *libro.* vel *libris.* SALMASIUS.

CAPUT XX.

CAJUS JULIUS HIGINUS, Augusti libertus, natione Hispanus, etsi nonnulli Alexandrinum putant, & a Cæsare puerum Romam advectum, Alexandria capta. Studiose & avide imitatus est Cornelium Alexandrum Grammaticum Græcum: quem propter antiquitatis notitiam, *Polyhistorem* multi, quidam *Historiam* vocabant. Præfuit Palatinæ bibliothecæ: nec eo secius plurimos docuit: fuitque familiarissimus Ovidio poetæ & Cajo Licinio consulari historico, qui eum admodum pauperem decessisse tradit, & liberalitate sua, quoad vixit, sustentatum. Hujus libertus fuit Julius Modestus, in studiis atque doctrina vestigia patroni secutus.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Et a Cæsare puerum Romam advectum.] In vet. impr. *adductum*, non *advectum*.

Studiose & avide imitatus est Cornelium Alexandrum.] In vet. impr. non *avide*, sed *audiit*. Legendum fortasse, *studiose audiit, & imitatus est Cornelium Alexandrinum.*

In studiis atque doctrina, vestigia patroni secutus.] Legendum fore. *in studiisque doctrina.*

VINET.

Cajus Julius Hyginus.] Huic duo priora nomina sunt a patrono Cajo Julio Cæsare Octaviano Augusto. Tertium undecumque sit. *Hyginus*, *Higinus*, *Iginus*, in nostris codicibus varium reperimus: sed in antiquis Veronensium marmoribus *Hygenus*, & inde *Hygina*, est prima vocali Græca; & ea aspirata, uti nuper vulgatum fuit. Potest autem hic esse cujus extant fabulæ, & astronomica ad Marcum Fabium: quisquis hic sit Fabius. Nam Quintilianum credere, qui libros de institutione oratoria scripsit, nihil necesse esse video: & cujus com-

Digitized by Google

mentaria in Virgilium memorat Aulus Gellius libri primi capite vicesimo primo, & libri sexti capite sexto. Aurelius Macrobius libro tertio Saturnaliorum, de Diis penatibus, & de proprietatibus Deorum: ac de urbibus, libro quinto, Serviusque in septimum Æneidos Virgilii. de Agricultura vero Carisius, & quædam alia. Sed qui de limitibus constituendis scripsit, & quæ Gromatica inscribuntur, in quorum titulo *Hygenus*, *e* in secunda syllaba, vocatur, hunc vel hoc solum, quod in eo mendosissimo opere legitur, *Nuper ecce quidam evocatus Augusti. vir militaris disciplinæ, professionis quoque nostræ capacissimus, quum in Pannonia agros veteranis ex voluntate & liberalitate Imperatoris Trajani Augusti assignaret*, potuit Volaterrano probare, alium omnino esse a Cajo Julio Hygino. Trajanus enim annis post natum Christum plus centum imperare cœpit: & Julius Hyginus annis jam multis ante natum Christum illustris erat: ut ipsa etiam Eusebii Latina Chronica testantur.

Cornelium Alexandrum Grammaticum Græcum.] Huic proprium nomen est Αλέξανδρος apud Suidam, sed quia Cornelio Lentulo, cui serviit, & pædagogus fuit manumissus, *Cornelius Lentulus Alexander* dictus sit. Ei patria fuit, quæ Bianti illi sapienti, Miletus urbs Asiæ. Syllanis temporibus Romæ erat. sed non addit Suidas, quoto urbis anno apud Laurentes incendio perierit. unde cognoscamus, eumne Julius Hyginius audire potuerit, an non. Nam Alexandria urbs Ægypti, ab Julio Cæsare dictatore capta fuit, non plus annis triginta quinque post felicem illam victoriam Syllanam.

Quem.] Cornelium Alexandrum *Polyhistor* autem cur hic & apud Solinum, & Gellium de Apione, aspiretur contra morem suorum Græcorum? qui πολυΐστωρ scribunt, hoc est, *polyistor*.

Et Cajo Licinio consulari historico.] Hunc ergo non possum agnoscere inter multos poetas, oratores, historicos, Senecæ, Gellio, Festo, Carisio, & aliis memoratos.

Iulius Modestus.] Quem Carisius, Diomedes, Gellius, Quinctilianus citat, & sic laudat Martialis in epigrammate vicesimo primo libri decimi:

Scribere te, qua vix intelligat ipse Modestus,
Et vix Claranus, quid, rogo, Sexte, juvat?

Sed quis esset hic Modestus, Martialis commentator Domitius ignoravit, qui pro Herennio Modestino jurisconsulto accepit.

CASAUBON.

Cajus Iulius Higinus.] Cognomen istud etiam in Manuscript. varie scriptum & depravatum invenimus. non dubito rectum esse, *Hyginus*, vel *Hygenus* Υγενος pro Υγεινος, ut υγεία pro υγιεια. *sanitas*. at pro ει vel *e* vel *i* promiscue scribebant. Hygini hujus meminit & Hieronymus in Chronico Eusebii.

Studiose & avide imitatus est.] Scribe cum antiquis, *Stud. & audiit & imitatus est.* favente etiam Mediol.

Quem propter antiquitatis notitiam Polyhistorem multi, quidam Historiam vocabant.] Recte *vocabant*, nempe sui æquales nam qui de Alexandro loquuntur scriptores, Polyhistorem semper, nunquam vocant Historiam. neque ejus appellationis meminit Suidas, qui de hoc viro multa narrat scitu digna. Passim hunc Græci Latinique scriptores laudant: sed Eusebius integrum fere illius librum in IX. Præparationis suæ transtulit, ubi hoc elogio ornatur: ὁ Πολυΐστωρ Ἀλέξανδρος πολύιστος ὢν καὶ πολυμαθὴς ἀνὴρ, τὰ μὲν πεῖραν τὸν ἀπὸ παιδείας κομιζόμενος, τὰ δὲ πλείοσι τῶν Ἑλλήνων γνωριμώτατος. *Polyhistor Alexander vir sagax, & multiscius, notissimus Græcis, qui non segniter fructum capiunt ex doctrina.*

CAPUT XXI.

CAjus Melissus, Spoleti natus, ingenuus, sed ob discordiam parentum expositus, cura & industria educatoris sui altiora studia percepit, ac Mæcenati pro Grammatico muneri datus est. Cui quum se gratum & acceptum in modum amici videret; quamquam adserente ma-

Digitized by Google

ere, permansit tamen in statu servitutis, præsentemque conditionem veteri origini antepositi. quare cito manumissus, Augusto & insinuatus est. Quo delegante, curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviæ porticu suscepit. Atque, ut ipse tradit, sexagesimum ætatis annum agens, libellos *Ineptiarum*, qui nunc *Jocorum* inscribuntur, componere instituit, absolvitque centum & quinquaginta, quibus & alios diversos postea addidit. Fecit & novum genus Togatarum, inscripsitque *Trabeatas*.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Quare cito manumissus Augusto, & insinuatus est.] Distinguo ac lego, *Quare, cito manumissus, Augusto etiam insinuatus est.*

Quod elegánter curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviæ porticu suscepit] Omnino legendum, *Quo delegante curam ordinandarum bibliothecarum in Octavia porticu suscepit.* Suetonius idem in Cæsaris dictatoris vita, eodem verbo, & eodem in genere est usus, *Quos omnes libellos vetusti Aug. publicari in ea epistola, quam brevem admodum ac simplicem ad Pompejum Macrum, cui ordinandas bibliothecas delegaverat, misit.*

Libellos ineptiarum, qui nunc jocorum scribuntur.] In vet. impr. *locorum*, non *jocorum*: sed illud, opinor, rectius.

Fecit & novum genus Togatarum, inscripsitque Trabeatas. [In vet impr. *trachatas.* non *trabeatas*. Legendum fortasse *brachatas*. Sed illud probabilius, itaque erat in manuscriptis.

VINET.

Spoleti natus.] Spoletinus in Latinis Chronicis Eusebii, annis duobus post natum Christum, ex Spoleto Italiæ oppido. quod Σπολήτιος Græci vocant, quatuor syllabis. Hic autem nescio an sit Melissus, quem citat Carisius de genere nominis *clunes*: sed esse, qui Helius Messus scribitur in capite sexto libri duodevicesimi Noctium Gellii, Lilio Gregorio non videtur in dialogo octavo de poëtis. Meminit in elegia ultima libri quarti de Ponto Ovidius.

Et tua cum socco Musa, Melisse, levit.

Quare cito manumissus.] Servus ergo dicebatur Melissus: sed a domino suo Cajo Mæcenate manumissus, Cajus Mæcenas Melissus dictus est. Hic enim est, quem Mæcenatem Melissum legere oportet apud Plinium vicesimi octavi capite sexto.

CASAUBON.

Quibus & alios diversos postea addidit.] Scipta lectio, *animos div.* alii, *nimios*, leviter adjuva & scribe, *mimos d.*

CAPUT XXII.

MARCUS POMPONIUS MARCELLUS sermonis Latini exactor molestissimus, in advocatione quadam (nam interdum & causas agebat) solœcismum ab adversatio factum usque adeo arguere perseveravit, quoad Cassius Severus interpellatis judicibus dilationem petiit: ut litigator suus alium Grammaticum adhiberet; quando non putat is cum adversario de jure sibi, sed de solœcismo controversiam futuram. Hic idem cum ex oratione Tiberium reprehendisset: affirmante Atejo Capitone, & esse illud Latinum, &, si non esset, futurum: *Certe jam inde mentitur*, inquit, *Capito. Tu enim Cæsar civitatem dare potes hominibus, verbis non potes.* Pugilem olim fuisse Asinius Gallus hoc in eum Epigrammate ostendit:

Digitized by Google

Qui caput ad lævam didicit, glossemata vobis
Præcipit: os nullum, vel potius pugilis!

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

M. Pomponius Marcellus sermonis Latini exactor modestissimus.] Lego, *molestissimus*, non *modestissimus*, ut est in manuscriptis.

Quoad.] In vet. impr. *quod* illud rectius.

Quando non putatis cum adversario, sed sibi de solœcismo.] Distinctio atque ordo concinnior in vet. imp. *Cum advsrsario de jure sibi sed*, &c.

Iam inde mentitur.] In vet. impr. non est *inde* verbum.

Tu enim Cæsar civitatem dare potes hominibus, verba non potes.] Argute Gabriel Faërnus, *verba* mutabat in, *verbis*. *Dare civitatem*, eodem modo dixit in X. epistol. Plin. *Quare rogo des ei civitatem Romanam.*

Qui caput ad lævam didicit.] Versus elegiaci sunt:

Qui caput ad lævam didicit, glossemata nobis
Præcipit, os nullum, vel potius pugilis.

Iraque hos versus repræsentare videtur vet. impr. & manuscriptus: sed pro *caput*, legebam, *capere*, ut pugilum ac luctatorem λαβὰς & ἀντιλαβὰς, *prehensiones*, & *mutuas prehensiones*, significet. *Glossemata* vocabant verba exquisita, neque vulgo nota, aut etiam vetusta: de quibus Quinctilianus in I. *Protinus enim potest interpretationem linguæ secretioris, quas Græci γλώττας vocant.* Atque alibi, *Circa glossemata etiam, id est, voces minus usitatas, non ultima ejus professionis diligentia est.* Ex quibus intelligimus, grammatici operis ac muneris fuisse, glossas præcipere atque interpretari. Et Placidus Grammaticus glossas interpretari atque accipere sic videtur.

Os nullum, vel potius pugilis.] *Os nullum*, nullo pudore adfici significat. *Os pugilis*, durum os significat.

VINET.

Cassius Severus.] De quo oratore plura memorat Lilius Ferrariensis libro quarto de poëtis ex Seneca, Quinctiliano, Tacito, Macrobio & aliis: sed quem in Eusebii chronicis leges in exilio mortuum esse anno Christi tricesimo quarto.

Asinius Gallus.] De quo poëta Asinii Pollionis filio idem Lilius libro octavo.

Qui caput.] Vide in hunc locum Statium, Turnebum in eodem capite undecimo libri tertii decimi Adversariorum.

CASAUBON.

Et si non esset futurum. Certe j.] Vera distinctio est, *& si non esset, futurum certe jam inde. Mentitur, inq. C. jam inde*, hoc est. simul ac innotuisset Tiberium eo verbo usum.

Qui caput ad lævam didicit.] Non *didicit* scribendum, quod nihil significat: sed *deicit*, ut pridem docti emendarunt. Lego autem cum libris, *glossemata nobis præcipit*, non *vobis*. Jam quod Suetonius ex istis Asinii, *Os nullum, vel potius pugilis!* colligit, auctorem epigrammatis affirmare, fuisse aliquando Pomponium pugilem: mihi videtur frigidum, ac leve, ne dicam ineptum. nam si omnes epigrammatum jocos aut scommata, pro seriis veri argumentis libeat accipere, quantam fenestram falsis assertionibus aperiemus? Ego non dubito πυγμιαχικὸν *in proverbio* dictum a Gallo, *os pugilis*, imitatione Græcorum, qui ὠτοβλαβῆ & ὠτοκάμπτην *eum cui aures contusæ sunt & fractæ* convitii loco etiam de iis usurpant, qui nunquam cestibus pugnarunt: quantumvis proprie in pugilibus locum habeant illæ voces.

Cassius Severus.] Aug. cap. LVI. & Calig. XVI.

Futurum: Certe jam inde mentitur.] Distinguendum censeo: *affirmante Atejo Capitone, & esse illud Latinum, & si non esset, futurum certe jam inde; Mentitur, inquit, Capito.* Nempe ex quo Cæsar eo usus esset. Lucianus de mercede conduct. χρὴ δ' καὶ σοφὸν καὶ ῥήτορα εἶναι αὐτὸν καὶ εἰ τι σολοικίσειεν τύχοι, αὐτὸ τὸ τῆς Ἀττικῆς καὶ τὸ Γ' μήτε μιγῶν δοκεῖν φυλάττειν, καὶ νόμον

εἶναι τὸ λοιπὸν ὑπὸ λέγλ. *Oportet etiam ut illi sint sapientes, & oratores, ac quamvis solœcismum aliquem commiserint, id quod dici solet, Attica eloquentia, & Hymetti melle plena videatur oratio, atque deinceps in legem abeat, ut ita loquantur homines.* GRONOV.

Qui caput ad lævam didicit.] Ita distinguendum:

Cui caput ad lævam, didicit glossemata, nobis
Præcipit: os nullum, &c.

SALMAS.

Os nullum, vel potius pugilis.] Solent pugiles, cum dextra adversarium petere soleant, caput ab ictu in lævam longius deflectere, ne feriantur. Maro,

Abduxere retro longe capita ardua ab ictu.

Et quia tuber plagis & deformatum turmidumque redditur eorum caput, interdum etiam sic male mulctantur, ut exossetur ejus aliqua pars, idcirco addidit *os nullum, vel potius pugilis.* In quo etiam objicitur impudentia & iasciția literarum. TURNEBUS.

Os nullum, vel potius pugilis.] Hic ego tam severe a Casaubono carpi Suetonium nollem. Accipio enim verba ejus, non quasi ex eo solo carmine collegerit Marcellum pugnasse aliquando cæstibus, sed ut indidicet, cum constaret pugilem fuisse, id quoque ei sic exprobrasse Asinium. Nec vero tantum id colligere est ex ℈ *vel potius pugilis*, sed etiam ex ℈ *Qui caput ad lævam didicit*: quod honeste duntaxat de alio quam de pugile intelligi nonpotest. Vide Turnebum 15. 11. Sed & alius sub his verbis sensus latet, quem deprehendit Palmerius in septimo Spicilegio: eumque forte solum in his agnovit Casaubonus. Ego vero quæ epigrammatum lingua est, utrumque significari puto, & pugilem fuisse & illud, quod dicere nolo. Neque enim ἀνάρμοστα, *incongrua*, sunt vel Olympionicen esse & παγκρατιάζοντα καὶ τὴν ἀνάκλισιν ὑπὸ τῆς ἐξωμίδος *resupinari, & collum reflecti ob amica.* GRONOVIUS.

CAPUT XXIII.

REMMIUS PALÆMON VICENTINUS, mulieris verna, primo, ut ferunt, textrinum, deinde herilem filium dum comitatur in scholas, literas didicit. postea manumissus, docuit Romæ; ac principem locum inter Grammaticos tenuit; quanquam infamis omnibus vitiis, palamque & Tiberio, & mox Claudio, prædicantibus, nemini minus institutionem puerorum vel juvenum committendam: sed capiebat homines cum memoria rerum, tum facilitate sermonis: nec non etiam poemata faciebat ex tempore. Scripsit & variis, nec vulgaribus metris. Arrogantia fuit tanta, ut Marcum Varronem *porcum* appellaret; *secum & natas & morituras literas* jactaret. *nomen suum in Bucolicis non temere positum, sed præsagiente Virgilio fore quandoque omnium poetarum ac poematum Palæmonem judicem.* Gloriabatur etiam latrones quondam sibi propter nominis celebritatem parsisse. Luxuriæ ita indulsit, ut sæpius in die lavaretur: nec sufficeret sumptibus, quanquam ex schola quadragena annua caperet, ac non multo minus ex re familiari, cujus diligentissimus erat; cum & officinas promercalium vestium exerceret, & agros adeo coloret, ut vitem manu ejus institutam satis constet trecenta sexaginta quinque vasa edidisse. Sed maxime flagrabat libidinibus in mulieres, usque ad infamiam oris: dictoque non infaceto notatum ferunt cujusdam, qui quum in turba osculum sibi ingerentem, quanquam refugiens, devitare non

Digitized by Google

non posset: *Vis tu*, inquit, *magister, quotiens festinantem aliquem vides, obligurire?*

Notæ.

Achill. Stat.

Rhemmius Palæmon,] Scribendum puto *Remmius*, non *Remnius*, in veteri enim monumento quod apud me est, M. Remmius M. L. Philer. Pompeia. ↄ. L. Prima, Sex. Pompeius. ↄ. L. Statius.

Mulieris verna primo.] Vet. impr. *mulieris verna, primo.* quod placet.

Primo, ut ferunt, textrinum.] Vel legendum, *textrinam*, vel faciendum, *textricis*. illud probabilius.

Facilitate sermonis.] Sic Cic. in Bruto Curionem laudat, quod facile dicebat.

Nec non etiam poemata faciebat ex tempore. scripsit ex variis, nec vulgaribus, metris.] Legendum puto, *scripsit ea variis, nec vulgaribus metris.* Metro enim scribuntur poëmata, id est, hoc vel illo genere & numero. Sic Martialis in IV loquitur:

Cum sit improbior Massiliane,
Quam qui compositos metro Tibullo
In Stella recitat domo libellos.

Nomen suum in Bucolicis non temere positum, sed præsagiente Virgilio fore quandoque.] Legi etiam commode possit, *scilicet*, pro *sed*.

Quamquam ex schola quadragena annua caperet.] In vet. impr. *quadringena*, non *quadragena*.

Sed maxime flagrabat libidinibus in mulieres, usque ad infamiam oris.] Lego, *usque ad infamiam orationis.* Sic etiam Cicero opinor *orationem* accepit. Ita enim legendum, etiam illa quæ sequuntur, prope declarant, *dictoque non infaceto.*

Vinet.

Rhemnius Palamon Vicetinus.] Prænomine *Quinctus* in Grammaticis nescio quibus, quæ illi inscripta prostant, Rhemnius autem quod *Rhemmius*, *Ramnius*, *Rammius*, & aliter etiam scriptum reperies, nescio quid nominis sit, ut illi sua restituatur orthographia. sed Palæmon, Palæmo quoque legitur apud Quinctilianum. Vicetinus vero a Vicetia est, urbe ejusdem Galliæ cum Verona. quod nomen varie etiam corruptum reperitur, *Vincentia*, & *Vicentia*: sed Hermolaus castigator Plinii. aliique sine *n* scribi debere, jam pridem docuerunt.

Quadragena annua.] Mille aureos Francicos: siquid Budæi rationibus credis.

Ut vitem manu ejus.] Vide Hermolaum in libri decimi quarti caput quartum Plinii. & Lilium libro quarto de poëtis.

Casaubon.

Remmius Palæmon, Vicentinus.] Mediolanensis *Veicetinus*. Vide Hieronymum in anno Claudii VIII.

Sæpius in die lavaretur.] Melius scripta lectio, *lavaret*.

Mulieris verna.] Intelligo servum receptitium, de quo Gell. 17. 6. Octavio 19. *Telephi mulieris servi nomenculatoris.* Gronovius.

Luxuria ita indulsit, ut sæpius in die lavaretur.] Id in Grammatico carpi, minime mirum. nam & in Commodo Imperatore notatur, septies aut octies in die laviſſe. Etiam inter Christianos Sisennius quidam Episcopus bis in die, non sine suspicione intemperantiæ & voluptatum: sed ille dicterio culpantes illusit, *Quia ter lavare non posset.* Lipsium vide.

Quadragena annua.] Mille coronatos, seu ducatones.

Digitized by Google

CAPUT XXIV.

MARCUS VALERIUS PROBUS Berytius, diu centuriatum petiit, donec tædio ad ſtudia ſe contulit. Legerat in provincia quoſdam veteres libellos apud Grammatiſtam, durante adhuc ibi antiquorum memoria, necdum omnino abolita, ſicut Romæ. Hos quum diligentius repetere atque alios deinceps cognoſcere cuperet, quamvis ſe contemni, magiſque opprobrio legentibus, quam gloriæ & fructui eſſe animadverteret, nihilominus in propoſito manſit: multaque exemplaria contracta emendare, ac diſtinguere, & adnotare curavit, ſoli huic nec ulli præterea Grammatices parti deditus. Hic non tam diſcipulos quam ſectatores aliquot habuit. Nunquam enim ita docuit ut magiſtri perſonam ſuſtineret. Unum vel alterum, vel, quum plurimos, tres aut quatuor, poſtmeridianis horis admittere ſolebat, cubanſque, inter longos ac vulgares ſermones, legere quædam, idque perraro. Nimis pauca & exigua de quibuſdam minutis quæſtiunculis edidit. Reliquit autem non mediocrem ſylvam obſervationum ſermonis antiqui.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Marcus Valerius Probus Berytius.] In vet. impr. *Berritius* per *i* Latinum.

Quamvis ſe contemni.] In vet. impr. *omnes contemni*, ut ad veteres libellos referatur.

Opprobrio.] In vet. impr. *ebprobrio*, veteri more ſcriptum.

Aut quatuor pomeridianis horis.] Veteri more etiam ſcriptum in eodem, & utroque manuſcripto, *Aut quatuor poſtmeridianis horis.*

Idque perraro.] Diſtinguendum hoc loco, ut dein ſequantur, *Nimis pauca & exigua*, &c.

VINET.

Marcus Valerius.] Cujus ſic meminit in epigrammate ad librum ſuum, libro tertio, Valerius Martialis:

Illo vindice, nec Probum timebo.

Eum ſe non jactat vidiſſe, ſed quoſdam ex ejus diſcipulis & familiaribus. Aulus Gellius in capitibus quintodecimo, nono, & nono, librorum primi, noni, & ſeptimi decimi. Floruit autem Romæ ſub Nerone illo immani principe, ut Euſebii Chronica monent qui *Berytius* cognominatus eſt, ex civitate Phœniciæ, quæ Græcis *Βαρυτὸς*, noſtris Gallis *Barut*.

Reliquit autem.] Cuicumque parti Grammatices ſe dediderit hic homo, Aulus Gellius epiſtolam ab eo ſcriptam ad Marcellum citat: & commentarium de occulta literarum ſignificatione epiſtolarum Caji Cæſaris. In Virgilium aliquid ſcripſiſſe Macrobius Serviuſque innuere videntur. Probi Grammatica quædam memorant, Terentii vetus interpres, Diomedes, Cariſius, Priſcianus. Extant, quæ Valerio Probo inſcribuntur, Grammatica quædam. De ſcripturis antiquis opuſculum. Commentaria in Virgilium, Perſium, & Juvenalem. ſed de quorum ego titulis dubito, & probi ſint, an Probi Berytii.

Digitized by Google

CASAUBON.

M. Valerius Probus.] Hieronymus recenſet in anno 11 Neronis apud Euſebium.

Nimis pauca & exig.] Mediol. *id peccare nimis. Pauca & exig.*

Quamvis ſe contemni.] Deleo τὸ *ſe.* ipſos enim veteres contemni magiſque opprobrio eſſe legentibus quam gloriæ & & fructui animadvertebat. GRONOVIUS.

Digitized by Google

C. SVETONII TRANQVILLI

DE CLARIS

RHETORIBUS

LIBER.

CAPUT I.

RHETORICA quoque apud nos, perinde atque Grammatica, ſero recepta eſt, paulo etiam difficilius quippe quam conſtet nonnunquam etiam prohibitam exerceri. Quod ne cui dubium ſit, vetus ſenatuſconſultum, item Cenſorium edictum ſubjiciam: CAIO FANNIO STRABONE, MARCO VALERIO MESSALLA CONSULIBUS, *Marcus Pomponius prætor ſenatum conſuluit. Quod verba facta ſunt de Philoſophis & de Rhetoribus, de ea re ita cenſuerunt: Ut Marcus Pomponius prætor animadverteret, curaretque uti ei e Republica fideque ſua videretur, uti Romæ ne eſſent.* De iiſdem interjecto tempore, Cnæus Domitius Ænobarbus, & Lucius Lucinius Craſſus cenſores, ita edixerunt: RENUNCIATUM EST NOBIS ESSE HOMINES *qui novum genus diſciplinæ inſtituerunt: ad quos juventus in ludos conveniat: eos ſibi nomen impoſuiſſe Latinos Rhetoras: ibi homines adoleſcentulos totos dies deſidere. Majores noſtri, quæ liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare vellent, inſtituerunt. Hæc nova quæ præter conſuetudinem ac morem majorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter & iis qui eos ludos habent: & iis qui eo venire conſueverunt, videtur faciendum ut oſtendamus noſtram ſententiam, nobis non placere.* Paulatim & ipſa utilis honeſtaque apparuit, multique eam præſidii cauſa, & gloriæ, appetiverunt. CICERO ad præturam uſque Græce declamavit: Latine vero ſenior quoque, & quidem conſulibus Hirtio & Panſa: quos *diſcipulos, & grandes prætextatos*, vocabat. GNÆUM POMPEIUM, quidam hiſtorici tradiderunt, ſub ipſum

Digitized by Google

civile bellum, quo facilius Cajo Curioni promptissimo juveni, causam Cæsaris defendenti, contradiceret, repetisse declamandi consuetudinem. MARCUM ANTONIUM, item Augustum ne Mutinensi quidem bello omisisse. NERO CÆSAR & primo imperii anno, publice quoque bis antea declamavit. plerique autem oratorum etiam declamationes ediderunt. Quare magno studio hominibus injecto, magna etiam professorum ac doctorum profluxit copia, adeoque floruit, ut nonnulli ex infima fortuna in ordinem senatorium, atque ad summos honores processerint. Sed ratio docendi nec una omnibus, nec singulis eadem semper fuit: quando vario modo quisque discipulos exercuerunt. Nam & dicta præclare, per omnes figuras, per casus, & apologos, aliter atque aliter exponere: & narrationes, tum breviter & presse, tum latius & uberius explicare consueverant: interdum Græcorum scripta convertere, ac viros illustres laudare, vel vituperare: quædam etiam ad usum communis vitæ instituta, tum utilia, & necessaria, tum pernicioſa & supervacanea ostendere: sæpe fabulis fidem firmare, aut historiis demere, quod genus ψεύδεις & ἀπιθανίας & τερατείας Græci vocant, donec sensim hæc exoleverunt: & ad controversiam ventum est. Veteres CONTROVERSIÆ aut ex historiis trahebantur, sicut sane non nullæ usquè adhuc: aut ex veritate, ac re, si qua forte recens accidisset. Itaque locorum etiam appellationibus adjectis, proponi solebant. Sic certæ collectæ editæque se habent: ex quibus non alienum fuerit unam & alteram, exempli causa, ad verbum referre: *Æstivo tempore adolescentes urbani cum Ostiam venissent, litus ingressi, piscatores trahentes rete adierunt: & pepigerunt, bolum quanti emerent: nummos solverunt. diu expectaverunt, dum retia extraherentur. aliquando extractis, piscis nullus insuit, sed sporta auri obsuta. Tum emptores bolum suum ajunt, piscatores suum. Venalicii quum Brundisii gregem venalium e navi educerent, formoso, & precioso puero, quod portitores verebantur, bullam, & prætextam togam imposuere: facile fallacium celarunt. Romam venitur, res cognita est, petitur puer, quod domini voluntate fuerit liber, in libertatem.* Olim autem eas appellatione Græca σύντεξεις vocabant, mox controversias quidam, sed aut fictas, aut judicialeis. Illustres professores, & quorum memoria aliqua extet, non temere alii reperientur quam de quibus tradam.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

Fannio Strabone, M. Valerio Messalla Coss.] Initium edicti. quod extat etiam apud Gellium in XV. cap. XI.

Quod verba facta sunt.] Hæc singulari bus litteris scribebant, utpote solemnia: hoc modo, Q V F. S. utilla, De ea re ita censuerunt. D. E R. I. C.

S. cons. de ea re ita.] In vet. impr. non erat, *S. cons.* Nec fere ponitur, ut opinor, in edictis ac senatusconsultis. aut ponendum tantum, *cons.* vel potius, *cens.* ut sit, *consules*, vel *censores*. Ejusmodi multa sunt edicta & senatusconsulta apud Cic. in VIII. epist. ad Cælium. Apud Gellium in IV. Apud Frontinum de aquæductibus.

Uti Romæ ne essent.] Ne, pro, non, antiquo more.

Digitized by Google

De iisdem.] In vet. imp. *de eisdem*: in veteribus monumentis semper, *isdem*.

Ita edixerunt.] In manuscripto altero, *item edixerunt*.

Renuntiatum est nobis.] Referre, verba facere, nuntiare, & renuntiare, solemnia verba sunt in hoc genere. Nuntiare verbum est apud Gellium in IV. cap VI.

Ad quos juventus.] Magis opinor, e veterum consuetudine in vet. impr. *juventus ad quos*.

In ludos.] In manuscripto, *in ludum*. quod placet.

Eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetoras.] In vet impr. *Eos sibi nomen imposuisse Latine scilicet rhetoras*. lego ego, *haud Latine scilicet rhetoras*. vel; otius, *haud Latine*, tantum, ne in edicto verbum rhetoras fuisse intelligamus, quod esse id contra consuetudinem atque auctoritatem senatus videretur, tametsi in superiore edicto philosophos & rhetoras positos legamus.

Et quos in ludos itare.] In vet. impr. *intrare*.

Consueverunt.] In vet. impr. *consuerunt*.

Nobis non placere.] Hæc verba sententiæ sollemnia. ut illa, *Senatui populoque placere*.

Appetiverunt.] In veteri impr. *appetivere*.

Et quidem consulibus Hirtio & Pansa, quos discipulos, & grandeis prætextatos vocabat.] Melius vet. impr. *& quidem cum Consulibus Hirtio & Pansa, quos discipulos, & grandeis prætextatos vocabat*. Cum illis enim sese exercebat.

Nero Cæsar, & primo imperii anno.] In vet. impr. non erat *&*.

Profluxit.] In vet. impr. *profluit*.

Floruit.] In eodem, *fluit*, sed utrumque vitio ut videtur.

Per figuras.] κατ' ἐξοχήν ac fortasse figuratas intelligit controversias, de quibus Quinctilianus in IX, quarum cum triplex genus esse dicat, primum frequens in scholis esse tradit

Per casus] Eventus, ut quid quoque casu dicendum vel casum intelligit, de quo Quintilianus in V. *Casus autem*, inquit, *qui & ipse præstat argumentis locum, sine dubio est ex insequentibus*, & quæ sequuntur.

Tum breviter.] In vet. impr. *cum breviter*.

Consueverant.] In eodem, *consuerant*.

Dum utilia & necessaria, dum perniciosa & supervacanea.] Id est, qua utilia, qua pernitiosa.

Donec sensim hæc exoleverunt.] Hæc progymnasmata in vet. impr. scriptum, *exsolverunt*, a verbo soleo.

Locorum etiam appellationibus adjectis.] Ut jam prope fierent ἐπωνύμους. sed in vet. impr. *additis*, non *adjectis*.

Adierunt.] Vet. imp. *adiere*. & statim etiam, *pepigere*. ac post, *nummos solvere*.

Diu expectaverunt.] Diu exspectaverunt.

Infuit.] Vet. impr. *adfuit* In altero manuscripto, *adfuit*: in altero, *infuit*.

Sed Sporta auri.] In eodem, *porta auri*, in manuscriptis, *sportæ*.

Quod domini voluntate fuerit liber in libertate.] Verbis, opinor, utitur e veteri consuetudine petitis, fuisse liberum in libertate.

Mox controversias.] Quarum sunt exempla apud Senecam & Quinctilianum seniores.

VINET.

Cajo Fannio] Anno ab Urbe condita quingentesimo tertio. Idem autem senatusconsultum, & Censorium edictum invenies in capite undecimo libri quintidecimi Noctium Atticarum Auli Gellii.

Lucius Licinius Crassus] Hic est Crassus ille orator qui istius sui edicti meminit apud Ciceronem, libro tertio de oratore Censores autem hi fuerunt, Cajo Claudio. Pulchro, Marco Perperna consulibus: ut est in fragmentis illis fastorum, anno a Roma condita sexcentesimo sexagesimo secundo, ut putat Plin in principio libri septimi decimi.

Latine vero senior.] Epistola ad Pætum *Delectaverunt* me libro nono. Fuerunt autem consules Aulus Hirtius, & Cajus Vibius Pansa, anno ab urbe Roma condita septingentesimo & undecimo; quo anno, septimo Idus Decembres, occisus fuit Cicero: ut est apud Cornelium Tacitum in dialogo de oratoribus.

Venalitii.] Venalitiarii ff. de verborum significatione. l. Mercis appellatione.

Liber in libertate.] *In libertatem* legendum crediderim, & sic interpungendum: *Petitur puer, quod domini voluntate fuerit liber, in libertatem*. sicut *petere in servitu-*

Digitized by Google

tem dixit, qui Livium contraxit, de Virginia, libro tertio.

CASAUBON.

CAJO FANNIO STRABONE MARCO VALERIO MESSALA Coss.] Anno III. Olympiadis CLIV, a Palilibus Romæ DXCII factum est hoc Senatus decretum, quo philosophi simul & rhetores urbe pelluntur. Videntur circa illa tempora philosophiæ & rhetoricæ studia magnum Romæ & in Italia cepisse incrementum, per illos mille Achæos exules, quos Senatus e patria accitos post bellum Persei in urbe aut per Italiam multos annos detinuit, ut nuper in Polybiana Chronologia ostendimus. Non enim dubito, in tanta multitudine hominum Græcorum, qui præcipuas in urbibus suis dignitates obtinuerant, plures fuisse doctos literas, & studiis philosophiæ imbutos. Exemplo sit Polybius Megalopolitanus, ille quidem non e multis unus, sed plane inter paucos excellens & eximius: quem tamen non debemus existimare solum inter tot populares, literarum & philosophiæ studium cum usu & actu rerum conjunxisse. Existimamus igitur istos, quum & ignavo otio torperent, & rebus etiam necessariis, ut solent exules, plurimum carerent, ad philosophiæ studia conversos, multis Romanorum ad simile propositum hortatores extitisse, atque huic senatusconsulto occasionem præbuisse. Meminit hujus decreti Athenæus lib. XIII. ubi σοφιστὰς uno verbo appellat, qui in Senatusconsulto philosophi & rhetores nominantur Ῥωμαῖοι, inquit, οἱ πάνυ ἄριστοι ἐξέβαλον τοὺς σοφιστὰς τῆς Ῥώμης, ὡς διαφθείροντας τοὺς νέους, οὓς ἔπειτ' οὐκ οἶδ' ὅπως κατεδέξαντο *Romani longe optimi Roma ejecerunt Sophistas ut corruptores juvenum. quos deinde, nescio qua ratione, receperunt.* Seneca, Consolatione ad Helviam: *Apicius in ea urbe ex qua aliquando philosophi, velut corruptores juventutis, abire jussi sunt*, &c.

De ea re ita censuerunt.] Insere ante hæc verba e libris Achillis Statii, S. CON. atque adeo totum locum ita scribe ac lege, S. CON. D E. R. I. C. *Senatus consultus de ea re ita censuit.* Frequens formula in antiquis Senatusconsultis exempla tirones apud Brissonium legant.

De iisdem interjecto tempore.] Septuagesimo anno post superius consultum Senatus. Adi ad Fastos Consulares & Censorios in anno urbis IↃCLII.

Latine vero senior, & quidem coss. *Hirtio & Pansa, quos discipulos & grandes prætextatos vocabat.*] Mediol. editio; *& quidem cum consulibus Hir.* Sed qui potuit fieri, ut cum istis Consulibus Cicero declamaret? quorum quidem consulatus in eum annum incidit, quem populus Rom. vidit turbulentissimum & luctuosissimum? quare etiam eodem anno sunt omnes exstincti: Ciceronem dico, & ambos consules. Adde quod ne in urbe quidem, nisi paucos admodum menses post aditum consulatum Hirtius & Pansa remanserunt. Nam quum principio anni hostis Antonius esset judicatus, belli administrandi provincia Cæsari cum coss. demandata, primo vere, aut etiã exeunte hieme, Hirtius & Pansa Roma profecti, numquam postea urbem viderunt. quod igitur liberum tempus ad declamandum illis Consulibus fuit? Ipsum quoque Ciceronem in tantis curis suis, & gravissimis pro Rep. contentionibus, quarum testes sunt orationes Philippicæ, ad has exercitationes rhetoricas animum potuisse convertere, quis putet? neque hoc sane aut Plutarchus dicit, aut quisquam veterum. Narrat Seneca pater præfatione in librum Controversiarum, scribere M. Tullium, *in atriolo duos grandes prætextatos secum declamare solitos.* Ego non ambigo, duos illos prætextatos, fuisse Hirtium & Dolobellam, quos ipse nominat, pulcherrima epistola ad Pætum. libro IX, Hi non eo anno quem ait Suetonius, sed triennio prius, itare ad Ciceronem & illud atriolum celebrare soliti: quando M. Tullius Cæsare belli civilis reliquias in Africa persequente, inter spem metumque pendens animi; foro & curia se abstinens, ac domi plurimum continens, inglorium suum otium studiis literarum solabatur. Existimabat Nicolaus Faber, v. cl. sublatam iri ἀτοπίαν *absurditatem*, hujus dicti, si deleta voce *Consulibus* scriberetur, *& quidem cum Hirtio & Pansa* Mihi videbatur Suetonius, qui probe meminerat alterum horum prætextatorum fuisse Hirtium, in alterius nomine vitio memoriæ lapsus: atque hoc pacto accidisse, ut in ratione temporum tantum delinqueret. Porro Ciceroni, eo quod diximus tempore etiam alios proceres Romanos operam dedisse, perquam sit mihi verisimi-

Digitized by Google

le : Ac fortasse illam declamandi consuetudinem respiciebat B. Hieronymus, cum in Eusebii Chronico Munatium Plancum Ciceronis discipulum appellavit. quod & illæ Planci epistolæ, purissimæ Latinitatis & vel Cicerone dignissimæ, suadent, quæ hodieque inter Ciceronianas leguntur.

Publice quoque bis antea declamavit.] Non necessario quidam emendant *bis ut antea* quod nulli libri confirmant. Sententia non est obscura, & ut puto vera. Neronem privatim declamasse & ante imperium sæpius, & primo etiam imperii anno aliquoties, publice vero bis tantum, idque ante imperium.

Per omnes figuras, per casus.] Consentiunt in hac lectione Mediol. & omnes Mss. Suspicabar scribendum *per causas*. Sed ἀνέχω, *sustineo assensum*.

Tum latius & uberius.] Scripti omnes, *& liberius*.

Bolum quanti emerent.] Græcum est, βόλον πρίασθαι, *jactum emere*.

Venalicii quum Br.] Separanda hæc sunt a præcedentibus, ut quæ nihil commune cum iis habeant est enim alterum veterum controversiarum exemplum. Scribendum vero, *venaliciarii* : id est, ὁ τὰ ἐγκλήματα πωλῶν. Glossæ veteres. *Venaliciarius* συκοφάντης.

Quod verba facta de Philosophis & Rhetoribus.] Consules de eo quod retulerant, verba fecisse dicebantur. Id patet cum ex hoc Senatusconsulto, tum etiam ex iis quæ a Frontino lib. II. de Aquæductibus, & a Cælio lib. VIII. Epist. Famil. & ex Opmiano S. C. quod a Cicerone VIII. Philipp. citatur, nec non ex S. C. Vellejano, & de petitione hereditatis, quæ a Jureconsultis referuntur. Eratque idem loquendi genus commune cum his omnibus, qui sive sententiæ loco, sive legatione fungentes, sermonem de re aliqua in Senatu habebant. BRISSONIUS.

Bullam & prætextam togam imposuere.] Ut conditionem ejus dissimularent, liberorum puerorum habitu induti.

Quod domini voluntate fuerit liber, in libertatem.] Vide quam parvis rebus viri quantum vis docti impediantur. Legebatur hic olim, *liber in libertate* In quo nonmodo Ach. Statius nescio quid antiqui sibi fingit, sed & Pet. Faber delet *ri liber*, pro interpretamento ejus, quod sequitur, *in libertate*, & quidem tam inepto & falso, ut ferri non possit : neque id paucis exponi posse : itaque differt nos in aliud tempus ex penitissimis antiquæ jurisprudentiæ fontibus hausturus, quæ nos in eam rem doceat, 2. Semest. 15. Reddiderat rem satis exspectatam : sed omnis ea expectatio concidit, ex quo Elias Vinetus unicam literam adjecit, & interpunxit, ut oportuit, jam enim puerum *in libertatem petit*, id est, asseri vel vindicari, quod volente domino liber egerit quivis videt. Sane subtilius agentes, *in libertate* puerum *fuisse* concedent, *liberum* non *fuisse* urgebunt, ut apparet ex Fabii avi declam. 340. & 342. Sed id discrimen insuper habuit Suetonius. Alioquin ei dicendum fuisset : *Asseritur puer, quod domini voluntate in libertate fuerit* : vel, *Petitur puer in libertatem, quod domini voluntate fuerit in libertate*. GRONOVIUS.

Eas appellationis Græci συγχύσεις vocabant.] Schottus ex membranis timide tamen, ut ait : *appellatione Græca* συγχύσεις, 4. Observ. 7. *De appellatione Græca* non erat, quod timeret : planum enim sic legi oportere, vel si nullo scripto affirmaretur. At χύσεις scribendum non συγχύσεις. M. Seneca præf. 1. Controvers. *Declamabat autem Cicero, non quales nunc controversias dicimus : ne tales quidem quales ante Ciceronem dicebant, quas theses vocabant.* Cicero in Topicis : *Quæstionum duo sunt genera, alterum infinitum, alterum definitum. Definitum est, quod ὡρισμένον Græci, nos causam dicimus. Infinitum, quod ἀόριστον illi appellant, nos propositum possumus nominare.* GRONOVIUS.

CAPUT II.

LUCIUS PLOTIUS GALLUS. De hoc Cicero ad Marcum Titinnium sic refert ; *Equidem memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere cœpisse Lucium Plotium quendam : ad quem quum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere.*

Continebar

Digitized by Google

Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate: qui existimabant Græcis exercitationibus ali melius ingenia posse. Hunc eundem (nam diutissime vixit) M. Cælius in oratione, quam pro se de vi habuit, significabat dictasse Attracino accusatori suo actionem, subtractoque nomine *ordearium eum rhetorem* appellat, deridens ut inflatum, ac levem, & sordidum.

Notæ.

Achill. Stat.

Plotii Rhetoris meminit Varro, ut adducit Nonius Marcellus in verbo *Bubulcitare*. Et Hieronymus in chronicis Eusebii. *Plotius*, inquit, *Gallus primus Romæ Latinam rhetoricam docuit*. de quo Cic. sic refert. *Memoria teneo, primum Latine docere cepisse Plotium quendam. L. Plotius Gallus. de hoc.* Titulum opinor capiti præposuerat Suetonius. *L. Plotius Gallus.* cui attexit consequentia. Credo, ego, eodem versu & contextu titulos poni solitos: ut in epistolis etiam solebant eorum, ad quos scribebant, nomina ponere.

Ad M. Ticinnium.] Legendum fortasse, *ad M. Licinium*, vel potius, ut in manuscripto erat, *Titinnium*.

Dictasse a Cratino.] In vet. impr. *Atratino*, unico verbo, & dandi casu: quod placet, itaque erat in manusc.

Ordearium eum rhetorem appellat, deridens ut inflatum ac levem, & sordidum.] In vet. impr. *Ordinarium*, non *Ordearium*. atque ita in manuscripto altero: at in altero, *hordeam eum rhetorem*. sed quod impressum, rectius. illud corruptum ex *hordiario*: in antiquiss. enim monumentis, *semenios & messes hordiarias*.

Vinet.

Lucius Plotius Gallus.] Quem memorant Eusebii Latina Chronica ad annum primum Olympiadis centesimæ & septuagesimæ tertiæ ante annos octoginta tres, quam Christus nasceretur. Quintilianus quoque ejus meminit.

Marcus Cœlius.] Sic per æ Cœlios scribunt vetustissima quæque monumenta. Oratio autem illa Marci Cœlii non extat: sed ea quam pro Cœlio Cicero habuit: ex qua quædam cognosces de Attratino. quem leges in Eusebii Chronicis mortuum esse sub Octaviano Augusto principe. Cæterum in *Attratinis* quintam literam scalpunt *T* non *C* vetusta marmora.

Casaub.

L. Plotius Gallus.] B. Hieronymus, quem constat totum fere hunc de claris rhetoribus libellum Sueton. in Chronicon Eusebii retulisse, in Olympiadis CLXXIII anno primo hæc posuit. *Plotius Gallus primus Roma Latinam Rhetoricam docuit: de quo Cicero sic refert: Memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere cœpisse Plotium quendam.*

Hordearium eum rhetorem appellat, deridens, ut inflatum ac levem & sordidum.] Quem M. Tullius appellat oratorem gracilem & strigosum, is hoc loco dicitur hordearius. translata vox a pane, quod præcipuum est omnium alimentorum fundamentum. Omnium optimi panes sunt triticei, πύρινοι vel σιτάνιοι. minus laudabiles κρίθινοι & horddacei, minus enim alit hordeum quam triticum; & parata ex hordeo alimenta esse φυσώδη tumefacientia, scribit Dioscorides; quod ad illa verba Suetonii pertinet, *ut inflatum*. Potest & ad rem militarem esse respectus: nam inter ignominias militares erat hordeo pasci; quod in sexta historia Polybius non prætermittit: & sunt multa in historia Romanorum exempla. Galenus libro primo De facultate alimentorum super ea re hæc observat. οἱ παλαιοὶ καὶ τῆς φαυλοτέρους ἄλφιτα παρεσκεύαζον. ἀλλ' ὑπὲρ μὲν τὸ Ρωμαίων στράτευμα φαῦλον ἄλφιτος χρῆσις, κατηγωνισάς αὐτῶν ἀθλίους ὀλίγου γὰρ τροφὴν διδοῦσι τῷ σώματι. *Veteres quoque militibus apparabant farinam hordeaceam. sed nunc Romanorum exercitus non utitur hordeis, damnata eorum imbecillitate, modicum enim alimentum tradunt corpori.*

Digitized by Google

CAPUT III.

LUCIUS OCTACILIUS PILITUS ſerviſſe dicitur, atque etiam hoſtiarius, veteri more, in catena fuiſſe: donec ob ingenium ac ſtudium literarum manumiſſus, accuſanti patrono ſubſcripſit. Deinde Rhetoricam profeſſus, Cnæum Pompejum Magnum docuit, patris ejus res geſtas nec minus ipſius, compluribus libris expoſuit: primus omnium libertinorum, ut Cornelius Nepos opinatur, ſcribere hiſtoriam orſus, non niſi ab honeſtiſſimo quoque ſcribi ſolitam.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

L. Octacilius Pilitus.] In vet. imp. *Pilutus.* itaque in manuſc.

Accuſanti patrono ſubſcripſit.] Legendum fortaſſe, *accuſanti patrono ſuo ſcripſit.* quod multi alii factitarunt rhetores ipſo foro abſtinentes, aliis orationes ſcripſerunt, quamob rem a patrono ſit ille manumiſſus. ſin illo modo malumus, ſubſcriptorem intelligamus. ſunt autem *ſubſcriptores*, ut juriſconſulti definiunt, qui ſe accuſationi ejus qui rei nomen detulerat, ſubſcribunt.

Scribere hiſteriam orſus: nonniſi ab honeſtiſſimo quoque ſcribi ſolitam.] In vet. imp. verbum *ſcribi*, non erat. quæ lect. etiam probanda.

VINET.

Lucius Octacilius Pilvius.] Vulcacilius Plotus in Euſebii Chronicis ad annum quartum Olympiadis centeſimæ & ſeptuageſimæ quartæ.

CASAUBON.

L. Otacilius Pilitus.] Mediolan. ut fere ſcripti, *Octacilius Pilutus.*

Atque etiam hoſtiarius, veteri more in catena fuiſſe.] Hoſtiarius pro oſtiario. Fuerunt quondam apud Romanos janitores vinculis ad fores alligati. Ejus autem moris mentio & apud alios, & apud Ovidium in illo verſu,

Ianitor indigne dura religatus catena.

MURETUS.

CAPUT IV.

AD id tempus EPIDIUS calumnia notatus, ludum docendi aperuit: docuitque inter cæteros Marcum Antonium & Auguſtum. Quibus quondam Cajus Canutius objicientibus ſibi quod in Republica adminiſtranda potiſſimum conſularis Iſaurici ſectam ſequeretur: *Malle* reſpondit, *Iſaurici eſſe diſcipulum, quam Epidii calumniatoris.* Hic Epidius ortum ſe ab Epidio Nuncione prædicabat: quem ferunt olim præcipitatum in fontem fluminis Sarni, paulo poſt cum cornibus extitiſſe, ac ſtatim non comparuiſſe, in numeroque deorum habitum.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

In vet. impr. novum ac diſtinctum caput, ut eſſe omnino debet; ſed fefellit eos qui confudere, & veterum ſcribendi ratio. de qua ante: & quod Suetonius, cum dicat, *Ad id tempus*, utrumque ſimul videatur contexere.

Epidii.] In vet. impr. *Epidi*, more ve-

Digitized by Google

terum ſcriptum.

Fluminis Sarni.] In vet. impr. *Scarni*, ſed vitio, opinor.

GASAUBON.

Conſularis Iſaurici.] Pithœi liber, *Conſidii Iſ.* perperam: neque enim Conſidiorum, verum Serviliorum cognomen erat Iſauricus.

Quam Epidii calumniatoris.] Pithœanus, *Epidici.* an eſt jocus cum alluſione ad vocem Græcam ἐπίδικος? qui legibus eſt obnoxius, & qui, ut ſic dicam, ſtatus controverſiam patitur. initio dixit Tranquillus Epidium calumnia fuiſſe notatum: ἐπίδικος interdum fere idem atque ἐπίδικος.

Ad id tempus Epidius.] Forte: *Ad idem tempus.*

CAPUT V.

SEXTUS CLODIUS e Sicilia, Latinæ ſimul Græcæque eloquentiæ profeſſor, male oculatus, & dicax: par oculorum in amicitia Marci Antonii triumviri extitiſſe ſe ajebat. Ejuſdem uxorem Fulviam, cui altera bucca inflatior erat, *acumen ſtili tentare* dixit, nec eo minus, immo vel magis ob hoc, Antonio gratus. A quo mox conſule ingens etiam congiarium accepit, ut ei in Philippicis Cicero objicit: *Adhibes joci cauſa magiſtrum ſuffragio tuo, & comporum tuorum Rhetorem: cui conceſſiſti, ut in quem vellet, diceret: ſalſum omnino hominem, ſed materia facilis, in te, & in tuos dicta dicere. At quanta merces rhetori eſt data, audite Patres Conſcripti, & cognoſcite Reipublica vulnera. duo millia jugerum campi Leontini Sexto Clodio Rhetori adſignaſti, & quidem immunia, ut tanta mercede nihil ſapere diſceres.*

NOTA.

ACHILL. STAT.

Male oculatus & dicax, par oculorum in amicitia M. Antonii trium viri extitiſſe ſe ajebat.] In vet. impr. *Male oculatus & dicax, par oculorum in amicitia M. Antonii extricte ſe ajebat* itaque erat in utroque manuſcripto. in quibus verbis mutabam tantummodo *extricte*, in *extriſſe*, id eſt, extriviſſe: quod eſt conſumſiſſe ac diſperdidiſſe, a verbo extero. ſic etiam Catullus, *triſti*, pro *trivifti*, dixit. itaque ſe libidine & luſtris cum Antonio ſocio & conſcelerato perdidiſſe oculos ſignificat, & Antonium ſic notat.

Cui altera bucca inflatior erat, acumen ſtili tentare dixit.] Scilo enim medici inflatione fodicabant, qua re cognita jocus apparet. *Aciem tentare* ſic idem dixit in vita Neronis Cæſ. *Duos pugiones, quos ſecum attulerat, arripuit, tentataque utriuſque acie, rurſus condidit.*

Tibi & joci.] Credo apud Ciceronem eſſe, *ibi.* ſed videndus locus.

Sed materia facilis & in tuos.] Lege, *ſed materia facilis in te, & in tuos.*

VINET.

Ut ei in Philippicis.] In ſecunda.

CAPUT VI.

CAJUS ALBUTIUS SILUS Novarienſis, quum ædilitate in patria fungeretur, quum forte jus diceret ab iis contra quos pronuntiabat, pedibus e tribunali detractus eſt. Quod indigne ferens ſtatim contendit ad portam, & inde Romam: receptuſque in PLANCI oratoris contubernium: cui declamaturo mos erat, prius aliquem, qui ante diceret, exci-

Digitized by Google

tare: suscepit eas partes, atque ita implevit, ut Planco silentium imponeret, non audenti in comparationem se dimittere. Sed ex eo clarus, propria auditoria instituit, solitus proposita controversia sedens incipere, & calore demum provectus consurgere, ac perorare. Declamabat autem genere vario: modo splendide atque adornate: tum, ne usquequaque scholasticus existimaretur, circunciſe ac sordide, & tantummodo trivialibus verbis. Egit, & causſas, verum rarius, dum amplissimam quanque sectatur, nec alium in ulla locum, quam perorandi. Postea renuntiavit foro, partim pudore, partim metu. Nam quum in lite quadam centumvirali adversario, quem ut impium erga parentes incessebat, jusjurandum quasi per figuram sic obtulisset: *Jura per patris matrisque cineres, qui inconditi jacent*: & alia in hunc modum: arripiente eo conditionem, nec judicibus aspernantibus, non sine magna sui invidia negotium afflixit. Et rursus in cognitione cædis Mediolani, apud Lucium Pisonem proconsulem, defendens reum, quum cohibente lictore nimias laudantium voces, ita excanduisset, ut & deplorato Italiæ statu, quasi iterum in formam provinciæ redigeretur: Marcum insuper Brutum, cujus statua, in conspectu erat, invocaret, *legum ac libertatis auctorem, & vindicem*, pene pœnas luit. Jam autem senior ob vitium vomicæ Novariam rediit: convocataque plebe, causſis, propter quas mori destinasset, diu, ac more concionantis, redditis, abstinuit cibo.

NOTÆ.

ACHILL. STAT.

CONTUBERNIUM.] Scribi enim potest, *Contibernium*: namque in veteri monumento Romæ in hortis Albertinis, CONTIBERNALI.

Actaque ita implevit.] Vet. impr. *atque ita implevit.* quod placet. vel illo modo, *itaque implevit.*

Solitus proposita controversia sedens incipere, & calore demum provectus consurgere,] Recte hunc Gabriel Faërnus locum distinguebat, ac restituebat, *solitus proposita controversia sedens incipere, & calore demum provectus consurgere.*

Gemere,] Indignans scilicet.

Dum amplissimam quanque.] Legendum ut in vet. *amplissimam quamque.*

Nec alium in ulla locum quam perorandi.] Legi etiam fortasse possit, *nec alio in illa loco.*

Quasi per figuram.] Dixit ante in proœmio, *per omneis figuras*: vel per figuram, ὡς τὸ τύπῳ.

Negotium adflixit.] Causſam perdidit.

In cognitione cædis.] In Judicio.

More concionantis.] Concionem habentis, verba facientis.

Deesse huic libro multum, intelligi potest ex catalogo Rhetorum eorum, qui principio utriusque manuscripti libri legitur. namque præter superiorum nomina, hæc etiam leguntur.

L. CÆSTIUS PIUS.
M. PORCIUS LATRO.
Q. CURTIUS RUFUS.
L. VALERIUS PRIMANUS.
VIRGILIUS FLAVUS.
L. STATIUS URSULUS.
P. CLODIUS QUIRINALIS.
M. ANTONIUS LIBERALIS.
SEX JULIUS GABINIANUS.
M. FABIUS QUINTILIANUS.
JUL. TITO.

CASSII Parmensis versus, qui sequuntur, in Bruttiis inventos, quos inde mihi Sertorius Quadrimanus, juvenis doctrina mo-

Digitized by Google

ribusque elegantissimis curavit, auctarii loco damus, ne pereant scilicet: dignissimi enim Cassio visi sunt: cujus Horatius, Plinius, cæterique meminerunt.

CASSII PARMENSIS ORPHEUS.

Argutæ primum cum plectra parentis, & auro
Distinctam sumpsit citharam Rhodopëius heros,
Ridebant segneis pulsus, digitosque micantes
Serius, & chordis indocta dissona vocis.
Mox pudor exardens, & gloria dulcis honesti,
Lusibus avertit puerilibus, omnis & illuc
Perditus incumbens Musa pallebat amore.
Et nunc materois inhians, nunc ille paternis
Cantibus, hinc illinc discens dependet utrimque.
Nulla Venus faciem cepit mentita dolosis
Compedibus: somni fuerat, parcusque Lyæi:
Donec ridiculus dudum, modulamine silvas,
Evulsosque suis scopulos radicibus egit.
Ausus & ire viam viventibus inconcessam,
Pœnarum oblitos demulsit carmine Manes.
Non levis adscensus si quis petit ardua: sudor
Plurimus hunc tollit, nocturno exsomnis olivo
Immoritur, dolet quod mox laudaverat in se,
Qui cupit æterna donari frondis honore.

VINET.

Cajus Albutius Silus.] Silo pro Silus apud Eusebium sub Octaviano Augusto, apud annum tertium Olympiadis centesimæ nonagesimæ tertiæ. Et Silius etiam pro Silus apud Senecam. *Planci oratoris.* Lucii Munacii Planci: de quo sic Latina Eusebii Chronica, de Octaviani Augusti temporibus, apud annum quartum Olympiadis centesimæ octogesimæ octavæ. Munatius Plancus, Ciceronis discipulus, orator habetur insignis. Qui quum Galliam Romanam regeret, Lugdunum condidit.

CASAUBON.

C. Albutius Silus Novariensis.] Hieronymus in Chronico Eusebii ad numerum MMXI. *Albucius Silo Novariensis clarus rhetor agnoscitur.* in Suetonii & Senecæ libris Silus hic dicitur non Silo.

Ne usquequaque scholasticus existimaretur.] Scholasticum appellabant, qui in umbra circa fictas hypotheses se occuparet. Quintilianus libro XII. *Cognoscere & præcepta vivendi perdiscere & in foro nos experiri potuimus, dum scholastici fuimus.* In aureo Longini libello κυρίοις λόγοις *genuinis sermonibus.* opponitur νόησις σχολαστική. sententia scholastica, sive puerilis, frigida & ineptæ affectationis plena. τί πρὸς ταῦτ' ἂν εἴποι τις, τὸ μειρακιῶδες ἔσται ἴδηλον ὡς σχολαστικὴ νόησις τοῦτο ἐξεύρηκας λῆρος εἰς ψυχρότητα. *Quid igitur, ait, puerile est? patet, velut sententia scholastica præ nimia diligentia frigide desinens.* Sed de varia acceptione hujus vocis diximus ad Capitolini Maximinos.

Nec alium in ulla locum quam perorandi.] M. Tullius in Oratore: *Miserationibus eo sum usus pluribus, quod etiam si plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant.* in Bruto ait ipse Brutus: *de te quid optarem rei, quod ipse Hortensius judicaret, videbamus: qui quum partiretur tecum causas, (sæpe enim interfui) perorandi locum, ubi plurimum pollet oratio, semper tibi relinquebat.*

Multa hodie in hoc libello desiderari, ex indice apparet, quem in vetustis codicibus repertum hujus editionis fronti præfiximus. Quoniam autem B. Hieronymus, ut antea dicebamus, quæcumque de claris oratoribus in Eusebii Chronico adnotavit, ea ab hoc scriptore fuit mutuatus; nos vicissim, quæ huc pertinebant, ex illo præstantissimo opere descripsimus, atque infra subjecimus.

L. CÆSTIUS PIUS.

Chronicon Eusebii numero MMIV. in anno Augusti XXXI. *Cestius Smyrnæus Rhetor Latine Romæ docuit.* multa de hoc rhethore passim leguntur apud M. Senecam in Controversiarum libris.

M. PORCIUS LATRO.

Hieronymus numero MMXIII. in anno Augusti. XL. *Marcus Porcius Latro Lati-*

Digitized by Google

nus Declamator, tædio duplicis quartanæ semet interficit.

L. Statius Ursulus.

Chronicon Eusebii numero MMLXXIV. in anno tertio Neronis *Statius Surculus Tolosensis in Galliis celeberrime Rhetoricam docet.* Legendum, *Statius Ursulus*, ut habent omnes codices Suetonii in nostro laterculo. errorem eorum qui Statium Papinium poëtam cum hoc confundunt docte confutat Josephus Scaliger ad hunc locum.

Domitius Afer.

P. Clodius Quirinalis.

Hieronymus numero MMLX. in anno IV. Claudii. *Domitius Afer Nemausensis clarus Orator habetur; qui postea Nerone regnante ex cibi redundantia in cœna moritur.*

Clodius Quirinalis Rhetor Arelatensis, Romæ insignissime docet.

In nostro indice nomen Domitii non extat: sed nos judicium Scaligeri secuti sumus; qui etiam ista e libro Suetonii putabat esse descripta: est tamen dubitationi locus; quia Hieronymus ait ORATOR non autem Rhetor. Sane Domitius etiam honores gessit in Rep. Prætor enim fuit ac Consul. videndus Dio.

M. Antonius Liberalis.

Hier. numero MMLXIV. in anno Claudii nono: *M. Antonius Liberalis Latinus rhetor, gravissimas inimicitias cum Palæmone exercet.* Cur non possit hic ille esse cujus hodie extat Μεταμορφώσεων συναγωγή, caussam equidem video nullam.

Sex. Julius Gabinianus.

Hieronymus numero MMXCII. in anno Vespasiani octavo. *Gabinianus celeberrimi nominis Rhetor in Gallia docuit.* meminit etiam alibi idem Hieron. ut adnotat Scaliger.

Isti sunt Rhetores Suetoniani, quorum in Eusebiano Chronico meminit Hieron. Existimat Scaliger ex eodem Tranquillo etiam alia esse desumpta, quæ ibi legantur: ut quæ in anno Augusti XXIX. de M. Tullio Tirone Ciceronis libertо. & si qua his similia. Sunt & nonnulli in nostro laterculo, quorum in Chronico non meminit Hieronymus: velut Q. Curtius Rufus: quem illum esse cujus historia rerum Alexandri elegantissime scripta in doctorum manibus versatur, pene assentior viris eruditis ac existimantibus, at ille Curtius Rufus cujus meminit Tacitus in XI Annalium. cum nostro Rhetore nihil videtur commune habuisse.

Digitized by Google

PUB. TERENTII AFRI
CARTHAGINIENSIS
VITA.

PUBLIUS TERENTIUS AFER, Carthagine natus, ſervivit Romæ Terentio Lucano Senatori: a quo ob ingenium & formam, non iuſtitutus modo liberaliter, ſed & mature manumiſſus eſt. Quidam captum eſſe exiſtimant, quod fieri nullo modo potuiſſe *Feneſtella* docet: quum inter finem ſecundi belli Punici, & initium tertii natus ſit; & mortuus: nec ſi a Numidis aut Getulis captus ſit, ad ducem Romanum pervenire potuiſſet, nullo commercio inter Italicos & Afros niſi poſt deletam Carthaginem cœpto. Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, ſed maxime cum Scipione Africano, & C. Lælio: quibus etiam corporis gratia conciliatus exiſtimatur. Quod & ipſum *Feneſtella* arguit, contendens utroque majorem natu fuiſſe. Quamvis & *Cornelius Nepos* æquales omnes fuiſſe tradat, & *Porcius* ſuſpicionem de conſuetudine per hæc faciat,

Dum laſciviam nobilium & fucoſas laudes petit:
Dum Africani vocem divinam inhiat avidis auribus:
Dum ad Furium ſe cœnitare & Lelium pulchrum putat:
Dum ſe amari ab hiſce credit, crebro in Albanum rapi
Ob florem ætatis ſuæ: ad ſummam inopiam redactus eſt.
Mortuus eſt in Stymphalo, Arcadiæ oppido: nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius,
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam:
Saltem ut eſſet, quo referret obitum domini ſervulus.

Digitized by Google

Scripsit Comœdias sex. Ex quibus primam *Andriam* cum ædilibus daret, jussus ante *Cæcilio* recitare. Ad cœnantem cum venisset, dictus est, initium quidem fabulæ, quod erat contemptiore vestitu, subsellio juxta lectulum residens, legisse: post paucos vero versus invitatus, ut accumberet, cœnasse una, deinde cætera percurrisse non sine magna *Cæcilii* admiratione. Et hanc autem, & quinque reliquas æqualiter populo probavit: quamvis *Volcatius* de enumeratione omnium ita scribat, *Sumetur Hecyra sexta ex his fabula.*

Eunuchus quidem bis die acta est: meruitque pretium quantum nulla antea cujusquam cœmedia, id est, octo millia nummum: propterea summa quoque titulo ascribitur. Nam *Adelphorum* principium *Varro* etiam præfert principio Menandri. non obscura fama est adjutum Terentium in scriptis a Lælio & Scipione, quibuscum familiariter vixit. Eandem ipse auxit: nunquam enim nisi leviter se tutari conatur, ut in Prologo Adelphorum:

Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Hunc adiutare, assidueque una scribere:
Quod illi maledictum vehemens existimant,
Eam laudem hic ducit maximam: cum illis placet,
Qui vobis universis, & populo placent:
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usus est sine superbia.

Videtur autem se levius defendisse, quia sciebat Lælio & Scipioni non ingratam esse hanc opinionem; quæ tamen magis & usque ad posteriora tempora valuit.

Q. Memmius in oratione pro se ait: *Pub. Africanus, qui a Terentio personam mutuatus, quæ domi luserat ipse, nomine illius in scenam detulit. Nepos* auctore certo comperisse se ait, C. Lælium quondam in Puteolano Kal. Martiis admonitum ab uxore, temporius ut discumberet, periisse ab ea ne interpellaretur: serius tandem ingressum triclinium, dixisse, non sæpe in scribendo magis successisse sibi: deinde rogatum ut scripta illa proferret, pronuntiasse versus qui sunt in Heautontimorumeno,

Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt.

Santra Terentium existimat, si modo in scribendo adjutoribus indiguerit, non tam Scipione & Lælio uti potuisse, qui tunc adolescentuli fuere, quam C. Sulpitio Gallo, homine docto, qui consularibus ludis initium fecerit fabularum dandarum, vel Q. Fabio Labeone, & M. Popilio, consulari utroque, ac poëta. Ideo ipsum non juvenes designasse, qui se adjuvisse dicerentur: sed viros, quorum operam, & in bello, & in otio, & in negotio populus sit expertus. Post editas comœdias nondum quintum atque trigesimum egressus annum, caussa evitandæ opinionis, quia videbatur aliena pro suis edere, seu percipiendi Græcorum instituta moresque, quos perinde exprimere, in scriptis, egressus urbem est, neque amplius rediit. De morte ejus *Volcatius* tradit:

Sed

Digitized by Google

Sed ut Afer sex populo comœdias,
Iter hinc in Asiam fecit. navem cum semel
Conscendit, visus nunquam est, sic vita vacat.

Q. Consentius redeuntem e Græcia periisse in mari dicit cum centum & octo fabulis, conversis e Menandro. Cæteri mortuum esse in Arcadiæ Stymphalo, sive Leucadia, tradunt, C. Cornelio Dollabella. M. Fulvio Nobl. Coss., morbo implicitum acri, dolore ac tædio amissarum fabularum quas in navi præmiserat, ac simul fabularum quas novas fecerat. Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. Reliquit filiam, quæ post equiti Romano nupsit. Item hortulos xx jugerum, via Appia ad Martis villam. Quo magis miror *Porcium* scribere.

——— *nihil Publius*
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius,
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam:
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Hunc *Africanus* quidem omnibus comicis præfert, scribens in compitalibus, TERENTIO *non similem dices quempiam.*

Volcatius autem non solum Nævio, & Plauto, & Cæcilio, sed Licinio quoque postponit. *Cicero* in Limone hactenus laudat:

Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terentî,
Conversum expressumque Latina voce Menandrum
In medio populi sedatis vocibus effers:
Quidquid come loquens, ac omnia dulcia dicens.

Item, C. CÆSAR:

Tu quoque tu in summis, o dimiditate Menander,
Poneris, & merito puri sermonis amator,
Lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret vis
Comica, ut æquato virtus polleret honore
Cum Græcis, neque in hac despectus parte jaceres,
Unum hoc maceror, & doleo tibi, deesse, Terenti.

NOTÆ.

Terentio Lucano Senatori.] An *Terentio Culleoni*, ut sit ille, quem major Africanus e captivitate liberavit. GRONOVIUS.

Ad ducem Romanum pervenire potuisset.] Forte, *ad dominum Romanum.* IDEM.

Dum ad Furium se cœnitare & Lælium.] Scaliger in Eusebium: *ad Furii se cœnitare & Lælii.* Si e scripto antiquo, tolero & applaudo; sin, profecto illud mutandum non est. Nam, *ad Furium, ad Lælium* elegantur dicitur in illorum ædibus. Ut Ciceroni 4, Attic. 4. *Fuit ad me cum Cæsare.* In quo opere sæpe sic loquitur ut & Comici. IDEM.

Saltem ut esset quo referret.] 1. Si nihil aliud, ut locus esset vel domus quo servus eum comitatus in peregrinatione & redux nunciaret mortem patrisfamilias. Eo enim naturaliter contingit & ex destinatione illorum, qui abierunt adfuerunt, hunc nuncium portari. Nullo igitur modo probare possum Scaligeri: *qui referret obitum domini, servolum.* Quæ est enim ista ora-

Digitized by Google

tio, *non habuit Dominum saltem servolum*? Dein quid est, *qui referret obitum domini*? Et quis credat ne servolum quidem Terentio fuisse? IDEM.

HORATII VITA.

HORATIUS FLACCUS Venusinus, patre, ut ipse tradit, libertino, & exactionum coactore: ut vero creditum est salsamentario, quum illi quidam in altercatione exprobrasset; *Quoties ego vidi patrem tuum cubito emungentem?* Bello Philippensi, excitus a Marco Bruto Imperatore, tribunus militum meruit: victisque partibus, venia impetrata, scriptum quæstorium comparavit. Ac primo Mæcenati, deinde Augusto insinuatus, non mediocrem locum in amborum amicitia tenuit. Mæcenas quantopere eum dilexerit, satis monstratur illo Epigrammate, ubi inquit:

Ni te visceribus meis, Horati,
Plus iam diligo, Titium sodalem
Mimo tu videas strigosiorem.

Sed multo magis extremis, tali ad Augustum elogio: *Horatii Flacci, ut mei, memoreste.* AUGUSTUS ei Epistolarum officium obtulit: hoc ad Mæcenatem scripto significat: *Ante ipse scribendis epistolis amicorum sufficiebam: nunc occupatissimus, & infirmus. Horatium nostrum a te cupio abducere. Veniet ergo ab ista paretica mensa ad hanc regiam: & nos in scribendis epistolis iuvabit.* Ac ne recusanti quidem aut succensuit quicquam, aut amicitiam suam ingerere desiit. Extant epistolæ, ex quibus argumenti gratia pauca subjeci: *Sume tibi aliquid iuris apud me, tanquam si victor mihi fueris: recte enim, & non temere feceris, quoniam id usus mihi tecum esse volui, si per valitudinem tuam fieri possit.* Et rursus: *Tui qualem habeam memoriam poteris ex Septimio quoque nostro audire; nam incidit ut illo coram fieret a me tui mentio. Neque si tu superbus amicitiam nostram spreveristi, ideo nos quoque a δ,ϕιλοπροφωνεῖν.* Præterea sæpe inter alios jocos purissimum penem, & homuncionem lepidissimum appellat: unaque & altera liberalitate locupletavit. Scripta quidem ejus usque adeo probavit, mansuraque perpetuo, ut non modo Seculare carmen componendum injunxerit, sed & Vindelicam victoriam Tiberii Drusique privignorum, eumque coëgerit propter hoc, tribus carminum libris, ex longo intervallo, quartum addere: post Sermones quoque lectos, nullam sui mentionem habitam ita sit questus: *Irasci me tibi scito, quod non in plerisque ejusmodi scriptis*

Digitized by Google

mecum potissimum loquaris. An vereris ne apud posteros tibi infame sit, quod videaris familiaris nobis esse? Expressitque elogium, cujus initium est,

Cum tot sustineas, & tanta negotia, solus:
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes: in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Cæsar.

* Idem Horatius habitu corporis brevis fuit atque obesus: qualis a se ipso & in Satyris describitur, & ab Augusto hac epistola: *Protulit ad me Dionysius libellum tuum, quem ego, ne accusem te, quantuluscunque est, boni consulo. Vereri autem mihi videris, ne majores libelli tui sint, quam ipse es; sed si tibi statura deest.* unde est. itaque licebit in sextariolo scribas: quum circuitus voluminis tui sit. * ὁ πανύστατος sicut est ventriculi tui.* Ad res Venereas intemperantior traditur. Nam speculato cubiculo scorta dicitur habuisse disposita, ut quocunque respexisset, ibi ei imago coitus referretur. Vixit plurimum in secessu ruris sui Sabini, aut Tiburtini: domusque ejus ostenditur circa Tiburtini luculum. Venerunt in manus & *elegi* sub titulo ejus, & *Epistola* prosa oratione, quasi commendantis se Mæcenati: sed utraque falsa puto. Nam elegi vulgares, epistola etiam obscura: quo vitio minime tenebatur. Natus est sexto Idus Decembres, Lucio Cotta & Lucio Torquato Consulibus. Decessit quinto Calendas Decembres, Cajo Marcio Censorino, Cajo Asinio Gallo Consulibus, post nonum & quinquagesimum annum, herede Augusto palam nuncupato: quum urgente vi valitudinis non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas. Humatus & conditus est extremis Esquiliis, juxta Mæcenatis tumulum.

Interpretatio.

a *Vicissim superbimus.*

Notæ.

Vinet.

Ut ipse tradit,] In sexto sermone libri prioris.

Bello Philippensi.] Sidonius Apollinaris in carmine quarto.

Illo Epigrammate,] Constat Mæcenatem (Servii verba sunt in librum secundum Georgicon) fuisse literarum peritum, & plura composuisse carmina. Horatius ipse in ode duodecima libri secundi:

——*tuque pedestribus*
Dices historiis prælia Cæsaris.

Mæcenas, melius: Sed vide plura de Mæcenate in poëtis Lilii Gregorii.

Ex Septimio.] Ode sexta libri secundi carminum ipsius Horatii.

Quum tot sustineas.] Epistola prima libri secundi.

Et in Satyris] Et in epistola quarta libri prioris.

Lucio Cotta.] Cujus sui natalis ipse meminit in carmine vicesimo primo libri tertii, consules autem fuerunt, Lucius Aurelius Cotta, & Lucius Manlius Torquatus, anno urbis sexcentesimo octogesimo nono: sed Cajus Marcius Censorinus, & Cajus Asinius Gallus, annis post quinquaginta septem, hoc est, anno Romæ septingentesimo & quadragesimo sexto. Quare in Eusebii Chronicis rectius notatum est

Digitized by Google

Horatium quinquagesimo septimo ætatis suæ anno Romæ esse mortuum, quam hic scriptum: post nonum & quinquagesimum annum decessisse.

CASAUBON.

Non pertinere hanc vitam ad libellos de grammaticis & rhetoribus, initio ostendimus. neque dubitare possumus, de poëtica & poëtis Suetonium quoque scripsisse. Quædam in hac vita, ex fide virorum eruditorum qui illam primi publicarunt, hic edita, sunt animadvertenda. Initio, *ut vere creditum est*. malim; *ut fere cr.* Hellenismus est in illis, *vidi patrem tuum cubito emungentem*, ἀπεμύττοντα pro ἀπεμύττοντα ἑαυτόν, vel ἀπεμυττόμενον. ut in Laërtii Bione. sic *exercere* pro se exercere puto tamen scripsisse heic Suet. *cubito se mungentem*. Mæcenatis versiculi alibi scribuntur emendatius:

Ni te visceribus meis Horati
Jam plus diligo, tu tuum sodalem.
Ninnio videas videas strigosiorem.

Scribe mox, *ut hoc ad* M. Deinde: *tanquam si convictor mihi fueris.* ea mens Augusti certo. Sequitur item in verbis Augusti: *sed si tibi statura deest, unde est.* Videtur postulare sententia, *si t. st. deest, venter abunde est.* vocem Græcam depravatissime est edita, restitue, ὀγκώδεστάτου, id est, *latissimus.* Illa sub finem verba. *post nonum & quinquagesimum annum*, conferenda cum iis quæ Hieronymus scribit in Eusebiano Chronico; & Notis ad locum illum virorum præstantissimorum Arnaldi Pontaci Episcopi, & Josephi Scaligeri.

Scriptum quæstorium comparavit.] Hoc est, scribæ quæstorii munus, seu partes sibi comparavit. Sic apud Cic. *scriptum facere*, hoc est, scribam esse. GRÆVIUS

Plus jam diligo, Titium sodalem. Alii, ***tu tuum sodalem Ninnio.*** Lego: ***tu Titi sodalis Ginno me videas strigosiorem. Ginnus***, brevis mulus Martialis 6, 77. ***Non aliter monstratur Atlas cum compare ginno.*** Ubi vide Scriverium & Scaligerum ad Manilium. Talem vocem poscebat τὸ *strigosus*, in jumentis proprium. Livius lib. 27. *scuta vetera hostium notavit, quæ ante non viderat & strigosiores equos.* Frontinus in eadem historia 1, 2. *quod ab itinere strigosiores notabat equos & coloratoria hominum corpora.* Massurius Sabinus apud Gellium 4, 20. *equum nimis strigosum & male habitum, sed equitem ejus uberrimum & habitissimum.* Quibus omnibus locis *strigosus* ἰσχνὸς est sive attenuato corpore ac macilentus: non morabundus aut tergiversator, ut volunt. Sed nec apud Lucilium, secus atque Scaliger & alii homines docti tradidere. Verba sunt: *Hic strigosus bovinatorque ere improbus duro. Bovinator* equidem est tergiversator, at non *strigosus*: sunt enim hæc duo separata vitia in equo; alterum corporis est, alterum ingenii. Itaque quod in equo vitium, in cane venatico virtus est. Columella 7, 12. *Pecuarius canis neque tam strigosus aut pernix debet esse, quam qui damas cervosque & velocissima sectatus animalia, nec tam obesus aut gravis, quam villa horreique custos.* Videt τὸ *strigosus* & *obesus* divortere, ut *pernix* & *gravis*; ut apud Massurium *strigosus* & *uberrimus*, *male habetus* & *habitissimus.* Neque aliter accepit Cicero, ut ostendit, ubi pulcherrime transfert in Bruto, de Lysia: *Habet enim certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos quam gracilitates consectentur, quos, valetudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat: quanquam in Lysia sunt sane etiam lacerti, sic ut fieri nihil possit valentius; verum est certe toto genere strigosior. Titii sodales* notum genus sacerdotii. Credibile est quendam ex istis vicinum Mæcenati aut qui crebro ædes ejus prætereheretur parum curato jumento insidens, vicinitate aut Clinio ipsi aut familiæ ejus occasionem proverbii fingendi dedisse, ut *Titii sodalis equum* vel *mulum* pro male curato, *Titii sodalis mulo strigosiorem* pro malicento, male vivo, vix vivo & monogrammo, ut alibi Lucilius, dicerent. *Videas* genus est jurandi. Dio in Nerone: ἦν δέ τις Μάρκος Σαλούιος Ὄθων, ὃς οὕτως ἦν τῇ ὁμοιότητι τῶν τρόπων τῇ συνουσίᾳ τῶν ἀμαρτημάτων τοῦ Νέρωνος οἰκεῖος, ὥστε καὶ σύσσιτον αὐτὸν καὶ παρ' αὐτὸν Οὕτω μοι Καίσαρος ἴδοις ὄφελε διὰ τέλους καιρὸν εἰπεῖν. *Cum Nerone autem M. Salvius Otho tantarum similitudine, & societate scelerum conjunctus erat, ut Neroni aliquando dixerit, Tu me quoque Cæsarem videbis. Quod dictum nihil obfuit.* GRONOVIUS.

Digitized by Google

LUCANI VITA.

MANNÆUS LUCANUS Cordubenſis prima ingenii experimenta in Neronis laudibus dedit quinquennali certamine. Dein civile bellum quod cum Pompejo & Cæſare geſtum eſt, recitavit. Qui tantæ levitatis & tam immoderatæ linguæ fuit, ut in præfatione quadam ætatem & initia ſua cum Virgilio comparans auſus ſit dicere, *Et quantum mihi reſtat ad culicem?* Hic in initio adoleſcentiæ, cum ob infeſtum matrimonium patrem ſuum ruri agere longe cognoviſſet, revocatus Athenis a Nerone cohortique amicorum additus, atque etiam quæſtura honoratus: non tamen permanſit in gratia. Siquidem ægre ferens recitante ſe, ſubito, ac nulla niſi refrigerandi ſui cauſſa, indicto Senatu Neronem receſſiſſe: neque verbis adverſus principem, neque factis extantibus poſt hæc temperavit: Adeo ut quondam in latrinis publicis clariore cum ſtrepitu ventris emiſſo, hemiſtichium Neronis magna cum ſeſſorum fuga pronuntiarit: *Sub terris tonuiſſe putes.* Sed & famoſo carmine cum ipſum, tum potentiſſimos amicorum, graviſſime proſcidit. Ad extremum pene ſignifer Pisonianæ conjurationis extitit. Multis in gloriam tyrannicidarum palam indicenda: ac plenus minarum, uſque eo intemperans, ut Cæſaris caput proximo cuique jactaret. Verum detecta conjuratione, nequaquam animi conſtantiam præſtitit. Facile enim confeſſus, & ad humillimas devolutus preces, matrem quoque innoxiam inter ſocios nominavit: ſperans impietatem ſibi apud parricidam principem profuturam. Impetrato autem mortis libero arbitrio, codicillos ad patrem de corrigendis quibuſdam verſibus ſuis exaravit: epulatuſque largiter, brachia ad ſecandas venas medico præbuit. Poëmata etiam ejus prælegi memini: confici vero, ac vænalia proponi, non tantum operoſe & diligenter, ſed inepte quoque.

NOTÆ.

CASAUBON.

Hanc vitam ita ut erat deſcripta e veteri codice, ad me miſi, Theodorus Canterus vir clariſſimus, cujus etiam pleræque notæ ſunt quas ſubjeci.

Quæſtura honoratus.] Deeſt *honore*, vel ſcrib. *Quæſtura.*

Clariore cum ſtrep.] Dele *cum*, aut ſcrib. *clariore ſono ſtr.* Deinde ſcribe, *magna conſeſſorum fuga.* non *cum ſeſſ.*

Multis in gloriam tyrannicidarum indicenda.] Scribe, *Multis in gloriam tyrannicidarum palam in dicendo, ac plenus minarum.* hoc adeo verum eſt, ut ne in ſcribendo quidem nedum in dicendo, temperare ſibi potuerit, a certis indiciis animi veteris libertatis revocandæ cupiditiſſimi, &

Digitized by Google

imperantibus infesti. Lector attentus passim deprehendet in libris decem de bello civili.

Brachia ad secandas venas medica præbuit.] Videtur hinc mutuatus Hieronymus, cum scriberet numero MMLXXX. in anno X. Neronis. *M. Annæus Lucanus Corduben sis poëta in Pisoniana conjuratione deprehensus, brachium ad secandas venas medico præbuit.*

Nequaquam animi constantiam.] Lege: *nequaquam parem animi constantiam.* SALMAS.

Ad patrem corrigendos quibusdam versibus.] Leg. *ad patrem de corrigendis quibusdam versibus.* IDEM.

PLINII VITA.

PLINIUS SECUNDUS Novocomensis, equestribus militiis industrie functus, procurationes quoque splendidissimas, atque continuas summa integritate administravit, & tamen liberalibus studiis tantam operam dedit, ut non temere quis plura in otio scripserit. Itaque bella omnia, quæ unquam cum Germanis gesta sunt, viginti voluminibus comprehendit. Item naturalis historiæ triginta septem libros absolvit. Periit clade Campaniæ. Nam quum Misenensi classi præesset, flagrante Vesevo, ad explorandas propius causas, liburnicas prætendisset: neque, adversantibus ventis, remeare posset: vi pulveris ac favillæ oppressus est: vel ut quidam existimant, a servo suo occisus: quem, deficiens æstu ut necem sibi maturaret, oraverit.

NOTÆ.

VINET.

